SYLVA RERVM MORALIVM SEV PRÆDICABILIVM

PER LOCOS COMMVNES DISTRIBVTA,

Non solum Concionatoribus, sed Lectoribus quibuslibet; iis præsertim, quibus huius sæculi & variorum statuum vitia emendare ac verbis perstringere propositum est, vtilissima.

AVCTORE
LEONARDO LAVREDANO VENETO
EX CLERICIS REGVLARIBVS THEOLOGO.

In quâ plurima adferuntur, ab iis qui hactenus in simili materiâ se exercuerunt vel omissa, vel leuiter perstricta.

CVM DVPLICI INDICE:

Altero Rerum, altero Concionum per totum annum occurrentium.

Prodiit iam primum in Belgio auctior & correctior, additâ in margine vocum ac sententiarum Italicarum (quæ remoram Lectori iniicere poterant) Latinâ interpretatione.



Ex Libris

Ab eodem qui supra emi hunc librum Ego P. Jacobus ... A° Dni 1663 Die 6 Aprilis Vilnae.

ANTVERPIÆ,
Apud GVILIELMVM LESTEENIVM via vulgo Hoochstraet dicta, sub Pellicano aureo, M. DC. XLVIII.



REVERENDO ADMODVM DOMINO
D. BALDVINO VANDER SCHVERE
CELEBERRIMI BAVDELOENSIS MONASTERII PRÆSVLI MERITISSIMO.

SYLVAM ad Te adduco R.^{DE} A.^{DM} DOMINE, non ſterili tantùm vmbrâ aut otioſis hominibus delicias daturam, aut malis criminum ſuorum latibulum: ſed lectiſsimis ac

ſolido fructu grauatis arboribus conſitam. In qua non *aper exterminator* cubile ſuum fixit, non *Leo* ille *rugiens* oberrat: ſed paſſim hominum veſtigia occurrunt, Sanctorum ſcilicet Patrum atque animarum innocentium monita, ſingulas aduenientibus arbores monſtrantium, earumq́ue indolem, & fructuum vires atque vſum facili ac dilucido ſermone explicantium. Vt non tam Syluam, quàm Paradiſum aliquem exiſtimare poſſis, in quo *omne lignum pulcrum viſu, & ad veſcendum ſuaue*, pijs ſcilicet animis & iuſtitiam eſurientibus. Hoc opus ab ingenio non minus acri ac ſubtili, quàm ſæculi ſui vitijs infeſto profectum, cùm viderem plurimorum votis auidiſſimè expeti, typis meis euulgare, ac publici iuris facere conſtitui, & eodem ſimul tempore Nomini Tuo inſcribere. Atque hoc poſtremum quidem, duas præcipuè ob cauſſas. Primùm, vt aliquâ ſaltem ratione publicè teſtatum facerem, quantum me Tibi humanitate ac beneuolentiâ tuâ iam olim obſtrinxeris ac deuinxeris. Tum verò, quia nulli me-

liùs

liùs consecrari posse iudicabam hoc ve-
luti speculum, in quo Virtutes ac Vitia suis
lineamentis ac coloribus proximè ad verum
expressa conspiciuntur; quàm illi Viro, qui
his fugiendis, illis amplexandis, iam inde à
puero omni studio ac diligentiâ incubuisset.
quique eximiam erga Deum pietatem, er-
ga proximum benignitatem, raram in vultu,
verbis, ac totius corporis motu modestiam,
nõ tam magistro præeunte didicisse videtur,
quam vnà cùm lacte materno hausisse. Nam
quomodo aliter euenisse credendum est, vt
quinque fratres, ac vna soror ijsdem pa-
rentibus nati, ijsdem vberibus aliti, ad vnum
omnes Monasticam ac claustralem vitam
amplexi, magnos in eâ progressus feceritis,
Christi bonus odor effecti *in omni loco*? Nouit id BAV-
DELOA tua, quæ iam annis abhinc quadrin-
gentis & quinquaginta à cognomine tibi
BALDVINO fundata, veteris disciplinæ atque
obseruantiæ vigorem spirat, ad omnem vir-
tutem atque honestatẽ animata, tuo non tã
monitu, quàm exemplo. Vt planè, cùm Insi-
gnia

gnia Tua inſpicio, exactiſsimam huius rei i-
maginem mihi intueri videar. AQVILA e-
nim illa expanſis alarum remigijs ſemper in
ſublimi ſuſpenſa, quid aliud quàm animum
tuum terrena omnia deſpicientem, atque v-
Iac.1.17 ni cæleſti ac Summo Bono (vnde *Omne datum optimum, & omne donum perfectum*) inhiantem deſi-
gnat? MANIPVLVM verò illum quid aliud
eſſe dicam quàm vnanimem Religioſorum
ſub cura tua degentiũ in virtute proſequen-
dâ concordiam, ab omni zizaniâ expurga-
tam, ac Dei timore & Regularis obſeruantiæ
vinculo firmiter colligatam? Quem quidem
vt in æterni Patris horreum, agri tibi con-
crediti fidelis agricola, aliquando reportes;
ex animo voueo, meque ac mea humanita-
ti tuæ ac beneuolentiæ, quam hactenus ſum-
mam expertus ſum, commendo.

R.^DÆ A.^DM Dominationi Tuæ
addictiſsimus cliens
GVILIELMVS LESTEENIVS.

ADMONITIO AVCTORIS AD LECTOREM.



ERVM Syluam, & Promptuarium, non autem Conciones hic afferimus. Quod si quis animaduerterit; vulgarem calamum, sermonemque haud cultum, tamquam Syluæ minus incongruum, atque etiam parum eruditis intelligentiam pariturum, facilè excusabit. Eadem de causa, si quædam hic legerit, quæ licet moraliter, nec inutiliter dicta; in castigata tamen & accurata concione forsan aliter efferenda, seu exprimenda videbuntur: vel etiam si alicubi congesta sint, quæ ipse rectiùs distribuenda existimet: hæc ipsa tamen in Sylua, præsertim plurimis parata, iure non reprehendet. Denique dapes istas exponimus omnium potestati; vsum, & esum discretioni.

Ad Operis commendationem, nec specioso vsus sum titulo; nec aliter magna pollicebor: ne de me illud dicatur Horatij in huiusmodi promissorem, *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Parturient montes*, &c. Sed, cum iuxta Senecam, *Libri sint prius legendi, quàm eligendi*; lege: &, si quæ placuerint, elige.

Si fortè aliquando in vno huius Operis loco verba aliqua Scripturæ aliter exponi dicamus, quàm alibi dixerimus; scias à diuersis ita diuersè explicari.

Vniuersum Opus hoc, cùm in seipso distinctum Capitibus, ac etiam argumentis, & rebus insignioribus successiuè sub iisdem contentis cernatur; quasi Index quidam apparet, qui alio non egeret Indice. Tamen ad maius Lectoris commodū alios addidimus Indices: Vnum in quo materiæ singulæ siue argumenta in ordinem rediguntur Alphabeticum: alterum, quo in gratiam Concionatorum, ex tota Sylua hinc inde velut ligna excidimus eaque tamquam in suos fasciculos colligata concionibus per anni curriculum haberi solitis accommodauimus. Vale, ac fruere.

D. VINCENTIVS GILIBERTVS

PRÆPOSITVS GENERALIS

Congregationis Clericorum Regularium.

SYLVA *Rerum moralium, vel sacrarum in locos communes distributa, à* P. *D. Leonardo Lauredano nostræ Congregationis Sacerdote, ac Theologo composita, vt Typis mandetur (si ijs ad quos spectat videbitur) facultatem concedimus, cum plures ex nostris Theologis, quibus id commisimus, viderint, & approbauerint eam. In quorum fidem.*

Datum Romæ apud Sanctum Siluestrum Montis *Quirinalis, die 26. Iulij, 1625.*

D. Vincentius Gilibertus Præpositus Generalis.

D. Angelus Maria Secretarius.

PRÆ.

PRÆFATIO AVCTORIS IN SYLVAM, SIVE DE EDITIONE LIBRORVM.



RDVVM profectò in erudito, & scripturienti hoc sæculo euulganda scribere. Vt enim vel vnus tibi liber excidat, integra voranda est bibliotheca, & mille oportet concipere, vt vnum parias. Si scribendo, aliena colligas; te (a) ingenium in humeris habere dictitant: eò quòd quasi iumentum res non nisi de loco ad locum asportes. Si opus ex te eductum contexas, vt araneus; assimilabitur, dicent, opus operi, sicut auctor auctori. vt proinde in te illud iactent, *Telas aranearum texuerunt*, res nempe futiles, ac minimè solidas. Sed cum bombix eodem pacto sua tam laudata stamina ex se eliciat, cur non possint opera dici bombicis? Misera scribentium conditio. Optimè libris nomen suum competit. libri enim, quasi quia plurimum librantur, dici possunt. Librantur ab Auctoribus, antequam edantur: à Censoribus librorum, antequam admittantur: à bibliopolis, antequam imprimenda assumantur: ab emptoribus, antequam emantur. Sed (quod magis durum est, & huc facit) etiam à criticis lectoribus, postquam editi sunt. Hos librant: imo & cribrant. At de Lectore haud benignè cribrante alienum librum, dici potest illud Ecclesiastici 27. 5. *Sicut in percussura cribri remanebit puluis: sic aporia* [*libri, seu Auctoris eius,*] *in cogitatu illius.* Ille nempe prætermittens quidquid in illo volumine est laudabile, puluerem tantum, scilicet quisquilias leuium errorum solummodo memoriæ mandat, & in ea retinet; vt cunctis eas reuelet. Nec audit Lyricum clamantem. *Verum vbi plura nitent, in carmine non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fudit, Aut humana parum cauit natura.*

(a) Ha l ingenio nella schena.

Eccles 27. 5.

Acutè quidam de euulgatis carminibus suis, vbi certè non pauca perpulchra leguntur, sic cecinit ad hanc rem:

Qui legis ista, tuam reprendo, si mea laudas
Omnia, stultitiam; si nihil, inuidiam.

Vix liber euasit è manibus vnius Inquisitoris, cum incidit in mille inquisitores, qui attentè inquirunt quid in eo carpant, quid damnent. Vix euasit è manibus vnius correctoris impressionis suæ cum incidit in vngues mille correctorum, seu corripientium ad eius infamiam. Hi mihi videntur murium fratres: quia sicut mures corrodunt libenter nouos libros, & recenter colligatos ob farinæ glutinum illis adhiberi solitum; ita hi dente maledicentiæ in eosdem recenter editos codices similiter agunt. Posteaquam volumen gemuit sub torculari imprimentium, iterum premitur multis sub torcularibus Momorum; vt vel violentiâ quadam ex eo effluere faciant aliquas errorum stillas. Posteaquam complicatus est, & forficibus, seu gladiis dissectus in paginas; iterum sub torculari torquetur, circumciditur, malleis percutitur ingentibus, arctissimèque vinculis colligatur. quādo inquam liber videtur euasisse liber ab omnibus malis huiusmodi, tunc potissimum incipit ea, imo & maiora tolerare; incipit torqueri, verberari, lacerari. *Cum consummauerit, tunc incipiet.* Cum malorum suorum putat venisse ad Completorium, videt se hærere in Matutino. Vix liber deuenit in manus alicuius Pasquini, cum statim, tamquam Leo rugiens, per eum circuit, quærens quid deuoret in illo. Optimè Pallas Dea sapientiæ, & simul bellorum constituta fuit. quia ex contentionibus mutuis litteratorum, & obtrectationibus sæpè à calamis venitur ad gladios; nec sufficit pugnare tribus digitis, nisi & integra id faciant manu, atque ab effusione atramenti transeant ad effundendum sanguinem. Sic cogitur studiosus fieri Cæsar, quem quidam pinxerunt altera manu gladium, altera calamum tenentem.

Si doctè scribas, te indocti non capiunt. si librum non capiunt, non cupiunt; si non amant, non emunt. A paucissimis ergo euoluitur. nam docti paucissimi sunt. In hac re (vt obseruarunt antiqui sapientes) placere sapientibus, displicere est insipientibus. nam Prou. 18. 2. *Non recipit stultus verba*
Prou. 18. 2. *prudentiæ nisi ea dixeris, quæ versantur in corde suo.* Si indoctis placeas; quam laudem tribuere tibi possunt, qui sunt ipsi sine laude? vnde est illud, *Laudari à laudato viro.* Quidam & ad hoc deueniunt, vt quod sibi non sapit, absolutè dicant non sapere; & ornatum, aut acumen, quod fortasse ipsi afferre nesciunt, in aliis tamquam vitiosum, aut minus solidum reprehendant. sic *Quæcumque ignorant, blasphemant.* Vulpis acerbam dixit esse vuam, ad quam non valuit pertingere. Minus ingeniosi, & eruditi (qui plurimi sunt comparati ad ingeniosos, & doctos) vt libro perdocto, vel peracuto fortasse faueant, illum laudabunt. Sed non vtique legent: iuxta illud, *Probitas Laudatur, & alget.* Sic Martialis de heroicis quibusdam carminibus, quæ dicebantur laudari satis à multis, ait. *Laudant illa, sed ista legunt,* nempe sua, quæ non erant heroica. At, quia, vt dicitur, victoria est penes multitudinem, nec suffragia ponderantur, sed numerantur: ideo facilè potest contingere, vt scripta minus laudabilia magis euoluantur, & emantur, atque etiam laudentur.

laudentur. Imo & ipsi docti aliquando victi quodammodo à communi sensu, & applausu multitudinis erga opus aliquod, & ipsi illud approbent. Vnde est illud Hieronymi, qui cum Gregorium præceptorem suum de quapiam re ad Scripturæ, seu Diuini verbi intelligentiam spectante interrogasset, ait illi: de hoc negotio respondebo tibi, quando in Ecclesia populo mihi acclamante cogêris & tu assentiri.

Si opus ingens scribendum assumis; sæpè antequam opus exeat in lucem, Auctor abit in tenebras, hoc est antequam oriatur filius, moritur mater. Vel inclamant tibi illud Horatij,

Sumite materiam vestris quæ scribitis æquam
Viribus, & pensate diu, quid ferre recusent.
Quid valeant humeri.

Aliquando enim difficultate victus, vel immensitate operis delassatus succumbis oneri. quia volens turrim ædificare non prius computasti sumptus, qui necessarij sunt. vnde omnes, qui vident incipiunt illudere tibi dicentes, *hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Quædam vrbes in nostra Italia (nomen silere placet) plurima ingentia ædificia incepta in se habent, pauca perfecta non sine risu peregrinantium illa spectantium. Hæ ciuitates mihi referre videntur plurimas turres operum scribendorum, quæ posito fundamento, non vltra surrexerunt. Ex magnitudine fundamenti videbantur futuræ turres Babel, quorum cacumen pertingeret vsque ad cælum. Sed inceperunt à Mirabilia, & quieuerunt in Defecit. Ingredere bibliothecas, & in multis libris iam euulgatis, ibique existentibus videbis quod dico. cernes ibi vrbes supra indicatas fundamentis, seu primordiis plenas. Versati in rebus huiusmodi nomina auctorum facilè recensere poterunt. Si verò exiguum opus conscribis, dicent, opus tuum, gloriam tuam, rem esse octo solidorum, si tanti vendantur. absque miraculo artis in nucis cortice posse illa includi, vt de Homeri non exiguo volumine scribitur factum.

Si scribis, & ob id in cubiculo clausus, etiam magna mediteris tamen, quia actio huiusmodi non fit cum strepitu, & concursu aliquo, videris otiosus; & sæpè Martha conqueritur de Maria. Si merita, & actiones attendantur iuxta externos sensus. ergo in bello dignior est minister tympano insonans, quàm dux imperio regens. Multi interea tibi caput subinde obtundunt cum illo, *Quando hæc erunt? quousque animam nostram tollis?* Alius obiicit illud, *Citim parient elephantes.* & cum magister scribendi intonet, *Nonumq; prematur in annum*; tamen isti vellent quidem partum esse partum elephantis, sed tempus illum efformandi, seu parturiendi, esse tempus fungi.

In libris verò eiusdem materiæ cum Sylua hac nostra scribendis multæ etiam spinæ. Nihil quidem laudabilius, quàm rectus Scripturarum vsus. At quidam videntur profiteri, se nihil omnino dicere, quod Scripturis non

firment. Sed isti, dum verba sua volunt haberi vt Oracula, timeo ne eorum Oracula habeantur vt verba communio & è triuio. Hoc pacto non videntur in opinione populi sensus suos firmare per Scripturam; sed potius infirmare Scripturam per sensus suos: ita vt etiam quando afferuntur Scripturarum veri, & liquidi sensus, existimentur esse confícti à Scriptoribus, vel Concionatoribus. Timeo ne his dicatur, *Væ prophetantibus de corde suo, qui dicunt, ait Dominus, cum ego non sim locutus. dicunt pax, pax, & non est pax.* si Scripturæ explicentur esse accommodatitij sensus; id huic malo non parum medetur, si non decipiatur auditor. tamen & in hoc sal suum exigitur. Alij nihil omnino videntur velle scribi, nihil pro concione dici, quod non sit ex Patribus depromptum. At in hoc etiam potest esse excessus. Hoc enim est non solum esse Patrum filios sed filios infantes, hoc est non fantes, neque vllatenus discurrentes. cum tamen *Gloria patris sit filius sapiens.* Cum patres vitam, & loquelam tribuant filiis; non ita tribuenda est vita, & loquela Patribus mortuis, vt omnino auferatur à filiis viuis. mortuorum enim est nil omnino posse loqui, & differere. Multa hic possent addi circa varietatem sententiarum in hac parte. sed parco, ne fortè imprudens aliquos læderem. Vnum tantum addam, aliquos scilicet noua tantum requirere & denuo excogitata, dicentes, *recedant vetera, noua sint omnia.* Sed dictum meminerint Prædicatoribus Euangelicis, quod *omnis Scriba doctus in Regno cælorum similis est homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera.*

Redeo ad dolores scribentium. Stimulus inanis gloriæ non est in eis afflictio parua. Chartis aleæ student homines ad auaritiam, chartis litterarum ad ambitionem. Librarij ex libris captant aurum, librorum Auctores auram. illi tineæ librorum ex iis viuentes: isti chamaleontes ex aëre inanitatis calamorum se alentes.

Aliquis diutina mentis consideratione longoque studio & lucubratione excogitauit opus peculiare atque perutile numquam ante hac visum. Illud ingenti labore cum iam ad finem post multos annos perduxit. tandem, quando fœtum parere iam parat, videt alium se præuenisse in simili condendo opere, & illud ante se euulgasse, & fortasse perfectius ipso peregisse. heu deflet amissos multorum annorum labores.

Alius post immensos labores, post annos plurimos scriptionis, cum se iam in in portum peruenisse gaudet; audit à censoribus librorum suum non admitti librum, vt possit in lucem exire. ita nedum in portu, sed potius in profundo pelagi suam ratem esse comperit. Vel statim ac liber prodiit, prohibetur. ita partus eius *de vtero est translatus ad tumulum.* vel in priori casu mortem prius obtinet, quàm natiuitatem. *vt qui concepti non viderunt lucem.*

Alius pretium bona ex parte soluit bibliopolæ, seu impressori librorum, vt suum typis mandaret codicem. at bonus mercator nummis deuoratis

ratis, variisque confictis excusationibus, numquam semitam inuenit opus incipiendi, iuxta adagium Hispanicum in similes operarios pretio præuentos, *pecunia soluta, contrita brachia. A denari pagati, braccia rotte.* Vel si cœpit opus, post dies paucos eius cymba hæret in sabulo vel impingit in breuia. *La sua barca dà in secco.* vel taberna, vbi pretium ebibit dandum ministris operis, est remora nauiculam detinens. Ita infelix Auctor, qui iam iam sperabat honorem libri, perdit insuper vtilitatem marsupij.

Si opus tuum est primogenitum, nec nomen magnum præcedentibus partubus tibi es adeptus; sicut puto matres maiora pati in partu primogeniti ita & tibi accidit. nam bibliopolæ dicentes mercem istam esse quasi mercem maris, hoc est nauigantem, redimere volunt timorem periculi sui per humeros sacculi tui. *A spalle della tua borsa voglion assicurar la detta mercantia.* tibi bona ex parte appingunt expensam, & periculum; sibi vtilitatem, & lucrum. Tu verò interdum, vt vnum edas librum, & fortasse æreis formis, multas cogeris edere libras argenti. *Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus*, comparantur Ecclesiastici 41. 17. nam & illa est thesaurus occultus, si non promulgetur. Vt ergo in lucem proferas thesaurum vnum absconditum, opus est, vt etiam proferas alterum. & sicut in thesauro materiali nummorum, in quibus impressæ sunt litteræ aliquæ, non possunt litteræ produci foras, nisi cum eis producantur & nummi; ita non possunt prodire in lucem litteræ tuæ, tua sapientia, nisi cum illis proferas & nummos tuæ arcæ. Sed quid, quod interdum liber à te editus, eò quod non aliud sapiat, quam fatuitatem, & arrogantiam Auctoris, pro sperata gloria vituperium tibi pariat? nonne, si tantum soluisti, vt imprimeretur, tantâ summâ emisti tuam ignominiam, quantâ alij non emerent gloriam? Quoties contigit, vt Lector in officina bibliopolæ, vel alibi, vbi tuus adsit liber, vel de illo sit sermo, si te ipse non agnoscat eius Auctorem, coram te ipso inclamet, ô quàm dignus salsamentis volumen hoc. ô quàm sapientius egisset Auctor, si potius in lucem ignis, quàm notitiæ communis has dedisset paginas.

Ecclesf. 41. 17.

Quidam scripta aliorum ante ipsos typis mandant, cum ea vel suffurati fuerint, vel aliqua alia ratione obtinuerint. Alij etiam libros olim in lucem editos, suppresso Auctoris nomine & fortè etiam titulo commutato, vel parum immutata forma, tamquam suos dicuntur edidisse. sic solent quidam fures pallio surrepto quippiam mutare, ne agnoscatur, cum sibi illud imposuerint. Coëmptis etiam, & combustis residuis voluminibus vnius operis, ne fraus detegatur, illud, vt dixi, adscribunt sibi.

Si in scribendo eas communi via pro qualitate materiæ, de qua agis, dicunt, *vt quid perditio hæc?* vt quid iste *fert noctuas Athenas?* numquid deerant talia opera apud nos? Summistæ, Legistæ, Philosophi, Theologi scribentes, tamquam oues vnus post alium ambulant. Audi quam vocem emittat

vnus ouis, & scies ceterarum voces tales esse. Audi, & vide quid dicat vnus ex illis, & scies quod dicunt omnes. Si verò parumper ambules, altera via, inclamant, vt quid iste *annunciator nouorum dæmoniorum?* Non incedit via regia: *transgreditur terminos antiquos, quos posuerunt patres sui.* ergo aberrat.

Si inueniant rem vnam, aut alteram in codice tuo ex alio libro desumptam, statim dicunt, transtulit quæcumque tolerabilia in suo volumine habet, à tali, vel tali, Auctore. Si leuia scribis, testes tuæ leuitatis sunt. si solida, & grauia; ob grauitatem, & soliditatem suam non facilè vnquam asportantur de officina bibliopolæ, scilicet non facilè venduntur. Denique multi labores Scriptorum cum senuerint, imo & mortui etiam fuerint in taberna librariorum, tandem, quasi ne corrumpantur, & fœteant, traduntur salsamentariis.

De labore verò scribendi, seu componendi, quæ euulgare paras, dicere hic supersedeo. hic enim de ea re dici pauca non debent, multa non possunt. Si etiam loquamur de molestia conficiendi indices libro, prænotandi titulos, & argumenta, corrigendi singulis diebus impressa folia, & alia huiusmodi; si ea per teipsum agis, pœnam ingentem infers tibi Auctori; si per alios, operi; ob errores scilicet, quibus scatebit. Dici ergo potest, non est liber nisi labor, non est penna nisi pœna, non est calamus nisi calamitas. Atramentum atres, & amara, tristitiam continere se, & amaritudinem significat. studia tristitiam, & atram bilem inducunt: & litteræ non tam minuunt albedinem chartæ, quàm lætitiam animæ per album significatæ.

Sed vtique dicetis mihi similitudinem, *Medice cura te ipsum.* Si tantum afflictionis in hac re, cur tu eam aggressus es? Respondere possum, me antea in hanc choream ingressum quam ingredientem animaduerterim, cumque in ea sim, iam integrum non esse mihi non saltare. Possem etiam dicere, *Quæ noluisset tangere anima mea, præ angustia cibi mei fuere.* Si enim aliud mihi negotij genus ad transigendas horas aliquas ab aliis obligationibus mihi relictas, præsto fuisset, libentius quàm his studiis eam operam dedissem.

Syluam aliam Italicè conscripsi multos ante annos, vt non pauci sciũt, eamque hac longè maiorem. Scripsi Italicè; vt qui scirem, multas dicendi formas ex nostro idiomate sumptas materiam mihi suppeditare solitas ad conceptus excogitandos. Viderunt aliqui aliquid ex illa: & statim ad me conuersi, eia dixerunt, hanc in Latinum sermonem conuerte, si probè agere vis. Cum verò meteria me non deficeret; illâ penitus intactâ, ex reliquiis collectaneorum meorum hanc Latinè construxi. Ostendi partem illius nonnullis aliis eruditis viris, & illi ad me, heu cur Italicè hanc non scripsisti? certè iucundior foret. Verum illud, *quot capita tot sententiæ.* imo non verum, nam plures sententiæ quàm capita; & de multis verificatur, *Aliud sentit stans aliud sedens.* Si Italicè scribas huiusmodi opera, etiam feminæ, & tonsores volunt fieri concionatores; & verbi Dei minister timet

inter concionandum, ne muliercula in vicinam sibi loco insusurret, hoc, ex hoc furatus est à tali libro. animaduerte, quod iam iam afferet hoc simile, hanc allegabit Scripturam. Si verò Latinè scribas, nostri bibliopolæ haud libenter talia imprimenda suscipiunt, aiunt enim multos non solum dicere illud, *Græcum est, non legitur*: sed etiam, Latinum est, non legitur, nec deesse Concionatores, qui libentius emant Italica; forsan quia faciliùs percipiantur.

Sed per varios casus per tot discrimina rerum, quid tandem magnum expectat, quid lucratur, qui librum euulgat, si res ei feliciter cadant? Vtinam hoc sæpè non aliud sit, quàm exiguum aëris, exiguum fumi. Quidnam acquirit mater intra se pro editis in lucem liberis, nisi modicum aëris, vt naturæ moris est, ad replendum illud vacuum subintrantis? Ita Auctor pro editis libris quasi liberis suis, pro eis sæpè non nisi aërem modicum vanitatis, & gloriæ intra se recipit. vnde inflétur potius, quàm impleatur. Dixi etiam exiguum fumi. Nam litteræ, quæ hodie in libris imprimuntur ex fumo ferè constant. Atramentum enim ad illas efformandas ex fumo fit ex pice, vel resina feruenti ascendente ad operculum quoddam, ibique addensato, & exinde collecto; vt impressores passim testantur. Cælo quasi per hoc præmonstrante, hanc operum editionem sæpè non aliud esse quam fumum superbiæ, & vanitatis. Cum verò etiam ex pice quandoque fiat, vt aiunt: etiam id congruit dictis. nam & illa superbiæ symbolum est, iuxta illud Ecclesiastici, *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea; & qui communicauerit superbo, induet superbiam*. Sed de tota hac re satis.



SVMMA MATERIARVM
SIVE
TITVLORVM ORDINE
ALPHABETICO:

Quos deinde ſubdiuiſos in varia argumenta aſpicere potes in Indice proximè ſequenti.

I.

INDEX CAPITVM ET ARGVMENTORVM, SIVE RERVM QVÆ IN SYLVA CONTINENTVR:

Ordine Alphabetico digeſtus.

Pag. paginam denotat: *col.* columnam: n. numerum.

A.

ACCEPTIO PERSONARVM.

ADV-

ADVLATIO.

ADVLTERIVM.

ALEA.

ri.

AMBITIO.

Augu-

AMICI.

AMOR IN DEVM.

AMOR INIMICI, aut odium.

AMOR VANVS.

ARTIFICES, VENDITORES, operariįque.

AVARITIA.

B.

BLASPHEMIA.

BENEFICIA DEI.

BONA MVNDI.

C.

COMOEDIÆ TVRPES.

CONCORDIA.

CONSORTIA.

CONSVETVDO.

CON-

CONVIVIA.

CRAPVLA.

D.

DÆMON.

DETRACTIO.

Incontinens

DIVES, ET PAVPER.

E.

EBRIETAS.

EVCHARISTIA.

EXEMPLA.

F.

FAMVLI.

FAVOR HVMANVS.

FIDES.

FILII ERGA PARENTES.

FRATRES.

FVNVS EIVSQVE POMPA.

H.

HOMO QVIDAM ERAT diues, Lucæ 16.

Vbi de eleëmosyna, de Lazaro, & diuite, & de pœnis Inferni.

I.

INVIDIA.

IVDICIVM EXTREMVM.

IVDICIVM TEMERARIVM.

IVRISTÆ SEV ADVOCATI.

IVVENTVS.

L.

LACRYMÆ.

LEGES, ET PRÆCEPTA.

LINGVÆ MODERATIO.

Per-

LVXVRIA.

Quàm

M.

MATRIMONIVM.

MEDICI.

MENDACIVM.

Men-

MERETRICES.

MORS.

MORS PATIENTER ferenda nostra, & nostrorum.

MVLIER.

MVLIERVM CONSORTIA.

MVLIERVM EVAGATIO.

MVNDVS, MVLIEBRIS, cultusque corporis.

MVNE-

Occasio

ODORES, ET VNGVENTA.

P.

PARENTES ERGA LIBROS.

In

PATERFAMILIAS.

PATIENTIA.

PERSEVERANTIA.

Multi

PAVPERTAS.

PECCATVM.

POMPÆ.

PRÆLATVS PRINCEPS.

PROSPERITAS.

R.

RELIGIOSVS.

S.

SACERDOTES.

SVPERBIA.

Est

T.

TENTATIO.

TRIBVLATIO.

Iustus

V.

VERBVM DEI.

VESTES.

Christi

VIRGINITAS.

VISVS, ET OCVLI.

 Aspi-

VITA BREVIS.

VI-

Z.

ZELOTYPIA.

APPROBATIO.

SYluam hanc tanto studio & iudicij maturitate conscripsit & composuit D. LEONARDVS LAVREDANVS Theologus, vt eam censeam dignam quæ prælo committatur omniumque manibus teratur.

Datum Antvverpiæ 9. Augusti. 1648.

CHRISTIANVS VOOCHTS *Archipresb. & Can. Ecclesiæ Cathedr. Antuerp. librorumque Censor.*

SYLVÆ RERVM MORALIVM, SEV PRÆDICABILIVM,

PARS PRIMA.

MVNERVM ACCEPTIO.

2. Heroes munusculis contenti, magna respuunt.
3. Hodie multi oblatis sibi paruis, & magna exigunt.
4. Alij pro beneficio mercedem nolunt, vt maior deinde in donatione reddatur: id exponitur, num. 5. & 6.
7. Alij & scelera exigunt ab eo, cui benefecerunt.

2 VIDAM de oblato munere cuidã magno viro sic ait: Nõ minoris virtutis est nõ spreuisse minima, quam promeruisse maxima: hoc enim dignitatis, illud est benignitatis. Ita Lycurgus permisit Heroas donari munusculis, quod ita comitas ostendatur: Vetuit magnis muneribus, quod sic auaritia exerceatur. Magnates sint magnetes, quę relictis ferri fragmentis ingentibus, minima libenter attrahunt. Ita enim solent veri heroes facere, nempe ex pateris aureis dono oblatis poma, aut flores superpositos tollere, relictis vasis ipsi donatori. Tutius tamen est nil accipere. Nam *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere.* Isa.31.15.

3. At hodie apud aliquos dominos contrarium accidit; verificaturque in alio sensu illud, *Longa regum manus.* Quia si offeras fructus suaues, capti suauitate ipsorum etiam ad arborem, & ad hortum manum extendunt aliquo prætextu, vel armatâ prece & petitione. In hoc se ostendunt rusticos. Nã vulgo dicimus, (a) *Il villano chi gli porge il dito, piglia il dito e la mano.* Villani verè sunt, dum velut Achab tuam etiam volunt villam: dum extorquent villam, villani; dum expetũt humum, inhumani; dum tuum prædium, prædones. Cuius, inquiunt, loci solo tam miri fructus progeniti sunt? Respondes ex hortulo serui tui. O te fœlicem, subdit ille, qui talem possideas hortum. Quid tu tunc? Ecce in manu Domini mei est, si dignetur accipere. Ille iterum, & quomodo tantam respuere possum humanitatem? Ecce in paucis verbis cõtractum initum, & cõsummatũ. Putabas obtulisse fructus ex arbore decerptos: at adeo tenaciter hærebant; vt illis apprehensis etiam arborem, & cum

(a) Rusticus, si quis ei porrigit digitum, capit digitum & manũ.

cum arbore humum abstulerit. Longæ ergo regum manus, quæ statim ad domum, & ad villam tuam perueniunt, quamuis longe positam. Sanguisuga est auarus princeps, clamans affer, affer. Affer fructus, affer plantam, affer hortum.

4. Quidam verò ob beneficia præstita vel præstanda, nec munera exigua, nec magna recipiunt: sed non quærunt vestra, sed vos. Non datum recipiunt, sed datorem. Volunt enim ipsum tradi sibi in obsequium, & seruitutem in quacunque re, & occasione sese offerente. Et quod deterius est, hi putantur magnanimi. Inde existimantur, vel se existimant magis liberales illis, de quibus diximus, cùm iisdem sint magis auari. Si enim est inurbanus, qui porrigenti digitos arripit etiam manus, vt dixi priores illos facere: liberalis erit, qui pro dono non manum donantis, sed totum arripit donatorem? Vendit beneficium, qui manu vna vult sibi pretium solui: & donat, qui vult sibi solui vtraque manu, vtroque brachio, imò toto homine? Ait acceptor, (a) *questo beneficio mi costa gran mercè. Ben dice, è gran mercede dar si per ischiauo.* Magna merces est homo.

(a) Hoc beneficiũ maximo mihi pretio constat. Rectè. magnum enim pretium est, se dare pro mancipio.

5. Adde: auaritia est auferre ab homine quod habet, & liberalitas est auferre quod est? Dat aliquid pro accepta gratia, qui dat semel: & dat nihil, qui dat semper? Cur enim recusat beneficus accipere semel, nisi quia vult accipere semper? Auarus est, qui vult lanam: liberalis qui vult ouem? Crudelis est qui vult me soluere in ære; benignus qui vult luere in corpore, & sæpè etiam in anima? Hæc liberalitas erga debitorem pro accepto beneficio est illa, de qua 4. Reg. 4. *Ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.* Liberalitas ita appellatur, quod sit homine libero digna, & ingenuo: à libertate vocata est. In hoc ergo ille se ostendit liberum, vt te faciat seruum. In hoc exhibet liberalitatem, vt à te auferat libertatem. Gratis, & amore, inquit ille, id tibi præsto. Dicit *presto* Latinè, sed apud se intelligit Italicè. *presto* enim apud nos est, mutuum do. Gratis inquit, sed tacitè subdit, vt sis gratus; Gratis; quia te prosequor amore, sed potius hamo. 4. Reg. 4.

6. Hi liberales sunt velut quidam, qui recusant pecuniam pro opera in te collata, vt donum magnificũ maioris pretij eis tribuas, vt aliquando fit à medicis, & similibus. Aiebat quidã pirata Alexandro, Quia duabus triremibus mare percurro, pirata vocor; tu quia multis, vocaris rex. Ita liberalis vocatur, qui magna exigit à te, nimirum te ipsum; auarus autem, qui parua, nempe pretium. Qui ita iuuant proximum, vt sibi seruum efficiant, ipsum non amant, sed emunt. Volunt ei prodesse, vt possint præesse. Sciunt enim illud Prouerb. 22. 7. *Diues pauperibus imperat, & qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis.* Prou. 22. 7. Fœneratores sunt ergo, vnde volunt videri munifici. Vnde videri volunt probi Christiani, mali sunt Hebræi, horum enim est fœnerari. eorũ munera sunt hamata, ideo esse debent odio habita. illis magis piscatur, quam tribuant. Parabola sit. Receperat quis ab amico munus auium, & piscium, vt prima fronte tale visum est, deinde

adhibitis perſpicillis, inuenit eſſe viſcum, non aues; hamos, non piſces; vel potius ſimul aues & viſcum, piſces, & hamos. Haud extra morem eſt, aucupari per aues alias aues, & per piſces alios piſcari piſces. Non ſolum Chriſtus, ſed dæmon Chriſtum impiè æmulatus facit homines piſcatores hominum, vt in caſu prædicto. Concluſio ergo ſit, non ſolum nummus eſt munus, ſed quodcunque impenditur pro re aliqua alicui. Ille ergo beatus, *qui excutit manus ſuas ab omni munere,* vt eſt Iſa. 33. 15. non dixit ab aliquo, ſed *ab omni.*

Iſa. 33. 15.

7. Quidam gradum vltra hos promouent. Nam ob præſtitum beneficium te volunt amicum, & obſequentem non ſolum vſque ad aras, ſed vltra aras. Gratis, inquiũt, id tibi trado, gratiam tuam tantum exquiro. Sic vulgò loquuntur. Verè dicit gratiam ſe exquirere. Nam gratiam Dei à te auferre molitur, obſequia illicita exigendo. Beneficium hoc, eſt beneficium diaboli. Hic enim, ſi quando videtur nobis bona conferre, ad damnationem noſtram per id aſpirat. Nihil inquit exigo à te pro hoc beneficio. Auferre vis gratiam & gloriam, Deũ & cœlum, perdere corpus & animam: & hæc omnia nihil appellas? Nihil ergo ſunt iſta in ſtatera mentis tuæ? Nullius ſunt ponderis? verè mendaces filij hominum in ſtateris. Si decem capitis mei pilos euellere velles pro beneficio, non diceres gratis dediſſe. Ergo Deus, & cœlum, & gratia, & corpus, & anima minus ſunt quam decẽ pili, minoris ſunt põderis in tua ſtatera? (a) *Vuoi che la tua donatione ſia mia damnatione e ch' io per non eſſer pagatore diuenti pagano?* Dico ergo Dan. 5. *Munera tua tibi ſint, & dona domus tuæ alteri da.*

(a) Visvt tua donatio, mea ſit damnatio?

2. *Quidam palam iuſti, in occulto accipiũt.*
3. *Similes ſunt mendicis brachijs ad tollendum foris truncati, intus brachia occultantes.*
4. *Tales & aliqui ſunt apparentes ſine manibus, ſcilicet non fures, non percuſſores: at domi, & occultè ſecus ſe habentes.*
5. *Munus, ratio fortis, ad perſuadendum. Idem habetur num. 6. & num. 7. munus arctam laxat conſcientiam.*

2. Ægyptii nolẽtes munera accipi à iudicibus, eos ſine manibus pingebant, deſignantes debere carere manibus ad accipiendum. At in pictura quidem manibus carebant, quæ pictura in publico videbatur: in occulto autem, & in ipſis iudicibus veris ſicut manus erant, ita & aliquando qui acciperent non deerant. Ita ſæpè apud nos euenit, vt in pictura, (cùm ſcilicet iudices nobis ſeipſos depingunt enarrando ſuam continentiam à muneribus,) ſine manibus ſint, ſiue etiam prout tales à ſuis amicis, & domeſticis repræſententur: at in re, & de facto, & in occulto manus multas longaſque habeant.

3. Confer eos quibuſdam mendicis, qui, vt miſeratione populum moueãt, & eleemoſynas extorqueant, ſine brachijs ſe eſſe ſimulant contegendo artificiosè brachia ipſa: at vbi viderint aliquod marſupium, quod nullo teſte poſſint rapere, repẽte quaſi ſubito miraculo reſtituta ſunt eis brachia, exe-

Cardanus refert de mendico quodã qui fraude hac vtebatur.

exerunt illa, & auferunt visam pecuniam. Vel etiam vbi in tabernis fuerint, vel domi suæ, & ab aliquo fortasse lædantur, vel mensa sit apposita; non solum ad se vindicandum, vel ad pascendum truncis non sunt brachijs, sed repente fiunt Briarei. Ita isti iudices vbi multi sunt oculi, ipsi carent manibus, respuunt nimirum munera, at in occulto Briarei fiunt. Ita Giesi non accepit præsente Elisæo, sed illo absente, Prou. 17. 13. *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.* Quid est de sinu? nisi de occulto, seu occultè?

Prou. 17. 13.

4. Applica prædicta etiam quibusdam, qui, vt dici solet, pinguntur sine brachijs: scilicet prædicantur siue à se ipsis, siue ab alijs eos malè agnoscẽtibus (hoc est pinguntur) tanquam iusti, non vsurpantes, vel tollẽtes aliena, vel nullum lædentes, aut verberantes. At si non picturam, sed ipsos videas; si domi eos iratos in vxorem, vel familiam conspicias; certè aspicies Briareos in rapiendo, vel percutiendo. *Manus in manu; non erit innocens malus*. Hoc est: quamuis quasi ociosus, & innocens videatur habere manum super manum quiescentem, & quasi esse sine manibus.

5. De illo, qui per verba non potuit persuadere, quod causa sua esset iusta; id verò præstitit efficaciter, ac subito per munus datum: dictũ est, (a) *Tosto si persuade, quando si vien con la ragion in mano.* Hoc est munere. Nam apud nos venire dicitur cum ratione in manu, qui rationem affert, & non tantùm verba dat. Rationes autem verbales, in ore tantum videntur esse: ideoque non semper persuadent eo modo, quo munera. Prouerb. 17. 13. *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.* hoc est vias recti, & iuris. accommodatè autem potest referri ad iudicium mentis, hoc est intellectum ipsius impij, qui peruertitur per dona, ita vt sibi persuadeat rem aliter se habere, quàm se habeat. Hoc enim ei persuadet ratio in manu allata.

(a) Facile persuadebit, qui tenerit cum ratione in manu.

Prou. 17. 13.

6. Munus nõ solum est ratio in manu, sed ratio palpabilis, & quæ manu tangitur. Sic enim dicimus de rationibus euidentibus, quod manu tangantur. Non mirum ergo si donum sit ratio vincens, & conuincens (quod idem est) sic Prou. 21. 9. dicitur *Victoriam acquirit, qui dat munera.* Argumentum, seu ratio allata, tunc persuadet, cùm concluditur, seu peruenit ad cõclusionem. Cum ergo munus concludatur in sinu (*Conclude eleemosynam in sinu*, vulgata, *in corde pauperis, & ipsa exorabit pro te*) Non mirum si persuadeat. Si constituisti apud iudicem causæ tuę patronum eloquentem, magnam spem habes: at quis eloquentior nummo? Nummus vbi loquitur, Tullius ipse tacet, vt dicunt. Sed si iudex est auarus; nummus non est apud eum constitutus patronus tantum Latinè, sed etiam Italicè, hoc est dominus, qui apud nos dicitur *Padrone*. Nam de pecunia, & de Deo dictum est: *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Donans igitur constituit pro se aduocatum ipsum iudicem iudicis, ipsum eius Dominum, imò ipsum Deum: quia auaritia *est idolorum seruitus*. collocat donum in sinu eius, vt loquatur ad cor eius: & quia scit iudicem de illis esse, qui vbi diuitiæ

Prou. 21. 9.

uitiæ affluunt, cor apponunt: & si pecunia est domina, & Dea iudicis, vel Principis (qui simul iudex est;) scit, quod cor Regis est in manu Domini, ideoque cor Regis auari in manu pecuniæ: & consequenter obediens illi erit.

Eccles. 8. 2. 7. Denique Eccles. 8. 2. *Multos enim perdidit aurum, & argentum, & vsque ad cor Regum extendit, & conuertit.* Communiter exponunt, quod aurum, hoc est eius cupiditas se extendit etiam ad cor Regum, (quamuis propter eorum opes magnas, & maiestatem, constantes esse solent) & ipsum conuertit, & flectit in obsequium sui. Tamen videtur posse exponi, quod aurum extendat cor non solum cæterorum, sed etiam ipsorum Regum, hoc est, laxet eorum conscientiam, quamuis alioqui arcta, & scrupolosa videretur. Vnde dicitur, *Extendens cælum sicut pellem.* Ad quam metaphoram pellis extensæ alludo hic, iuxta vulgatum dictum, conscientiam tanquam pellem extendi alicuius commodi gratiâ. (a) *Si stiran la conscienza come le camozze: Extendit, & conuertit*: quod est dicere laxat, & luxat, hoc est de loco suo emouet mentem: vt cum dicitur alibi dona excæcare oculos. *Conuertit* etiam cor: quia dixi aurum in sinu Iudicis, oratoris & quasi prædicatoris munus exercere, loquendo ad cor. Vnde non est mirum, si illud conuertat ad Deum ipsius Iudicis, hoc est ad auaritiam, cuius ipsum donum, seu aurum extitit Prædicator. Vel cum cor ipsius Iudicis auersum esset à reo, & malè sentiret de causa eius; ipsum aurum deinde ab eo datum Iudici, conuertit ipsum in fauorem sui. Quia dona *excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum*: scilicet, in causa sunt, vt sententiam iustam commutent, & aliter loquantur de causa post donum acceptum, quam loquerentur antea.

(a) Extendunt conscientiam sicut pellem damæ.

De Principe, qui donatus muneribus, rudes & imperitos admittebat ad magistratus, ait quidam: Prima vox Donati est dicere, *Ianua sum rudibus.* Indicans eum donatum muneribus, fieri ianuam apertam rudibus ad honores. *Vsque ad cor Regum extendit, & conuertit.*

Indignè ad honores admissi per munera.

2. *Auari oculos mentis tradunt ob munera.*
3. *Deus dans tibi oculum vnum, plus quam Midæ opes dedit.*
4. *Iuris beneficio, non donis, causæ nostræ tuendæ.*
5. *Iniquorum proprium, donis se tueri à iudice; vt ægrorum, offerre vota.*
6. *Tales sunt arbores, fructus dantes si percutiantur. Dant enim illi iudicibus se persequentibus.*
7. *Potentes multi accipiunt, non dant.*
8. *Iidem fictè & verbo benigni, re auari.*
9. *Idipsum prosequimur.*

2. GALENVS libro de cognoscendis animi morbis ex Theatro ait: Adrianus Imperator excussit oculum seruo suo. Facti pœnitens, rogat illum dicens; pete quod vis, vt tibi pro oculo reddam. Nihil illo petente; vrgebat Imperator vt peteret. cui ille: ego oculum meum optarem, cui nec Midæ opes conferri possent. Vide sapientiam huius serui. Midæ opes, vt verè ille dixit non sufficiunt ad

pretium vnius ex illis oculis, quibus etiam muscæ, & aselli, vermesque donati sunt. Cum verò verum esse nequeat, quod ait sæpè Scriptura, quod munera excæcant oculos, vtique oculos, quos communes cum Angelis habemus: Auarus tamen, & præsertim si est iudex, pro paucis nummis erui sibi patitur non alterum oculum corporis, sed oculos mentis.

Vide quã Deo tenearis pro vno oculo & quòd pauper ditior est Mida, si Midas cæcus esset. 3. At ex supradicta serui sententia collige quantas tibi opes Deus dederit, cum oculos corporis, & mentis, aliaque huiusmodi præstitit: cum nec opes Midæ tanti valeant quantum vnus oculus. Quantò ergo verius est illud Matt. 16. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* *Matt. 16.* Et tamen hic auarus animam suam venalem habet, sed quanti eam vendit? *Prou. 28. 21.* Prouer. 28. 21. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non benefacit, iste & pro bucella panis deserit veritatem.* Quid est deserere veritatem, nisi vendere animam nedum oculum pro bucella panis? Deserit veritatem, deserit scilicet iustitiam.

4. Quædam Portugalliæ ciuitas (vt *Val. Max. lib. 6. c. 4.* Val. Max. lib. 6. cap. 4) fortiter se defenderat à Bruto ipsam oppugnante. illo autem redemptionem offerente vrbi, vt penitus liberaretur ab eius armis, respondit, Nobis non est relictum à maioribus aurum, quo libertatem ab auaro duce emeremus, sed ferrum, quo eam fortiter tueremur. Ita si quando iudex, vel pars aduersa lucri auida offerant tacitè, vel expressè reo innocenti redemptionem à vexatione per munera; si ille id tutò possit dicere, dicat, mihi non aurum relictum à maioribus ad emendam redemptionem, sed ferrum, seu gladius iuris, & innocentiæ ad causæ meæ defensionem. Dicat iudici, quod Dauid Deo: *Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, & in Domino sperans non infirmabor.* *Psal.*

5. Dicat innocens prędicta, eo quod non innocentum, sed noxiorum est offerre munera. Etiam in infirmitatibus corporis accidit, quod in ægritudinibus animæ, nempe peccatis. Si enim æger vehementi febre corripiatur, doloribus impetatur magnis, vel ex rixa vulneratus sit ad mortẽ: Statim currunt vota, & promissiones huic vel illi Diuo, aut Deo factæ. Claudi denique, cæci, energumeni accurrunt ad loca, & sepulchra Sanctorum, vota, & dona offerunt. Idem est de infirmis animâ, quorum iniquitates terrorem ipsis incutiunt, vel etiam dolorem, & punitionem infligere cæperunt mediante iudice. hi inquam multiplicatis super se his infirmitatibus (vt sunt citationes, quas vocant ad comparendum, exilia, carceresque comminati, vel indicti) hi inquam itatim currunt cum muneribus. Psalm *Psal. 15.* 15. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Explicant ex Hebræo aliqui apud Lorinum hic: *Postea festinant, vt offerant munera sua.* Similiter Genebrardus refert. *Infirmitates eorum*, scilicet peccantium. Relatiuum sine antecedente, vsu linguæ Hebraicæ, vt Genebr. hic ait. Pro infirmitatibus, alij legunt calamitates. Vox originalis significat dolores, afflictiones, vt Lorinus ait. Hic sensus saltem mysticus, vel accommodati-

modatitius recipi poterit, quamuis vt secundarius litteralis fortè dici possit, iuxta illud Psalm. 25. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Adde Augustinum, Gregorium, & alios, per infirmitates peccata hic exponere. Sed non discrepabit intentio. Nam propter peccata afflictiones, siue peccata sunt afflictionum causæ. Genebr. exponit locum obscurè adeo, vt non potuerim percipere quid sibi velit.

Psal. 25.

6. Peccatores isti velut arbores multiplicatis super se infirmitatibus, hoc est verberibus baculi, accelerant mittere fructus, seu proiicere percutienti. Ad hoc enim iudex iniquus aliquando percutit, vt arbor donet sibi fructus suos. Illa autem eos tradit, vt desinant verbera. ergo, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea festinant, vt offerant munera sua.* Si accipiatur de peccatoribus ex afflictionibus, & infirmitatibus prouocatis ad eleemosynas, & vota: similitudo de arbore non nisi per baculum fructus exhibente, etiam potest accipi in bonam partem: vel saltem, vt fructum boni operis, vel æs alienum, & mercedes debitas soluat peccator cogente se baculo, hoc est sceptro Principis, aut virgâ Dei. Iustus autem est arbor, quæ spontè dat fructum suum in tempore suo. Et folium eius non defluet, non cecidit de verbis eius in terram, vt accidit peccatori, qui sæpè promisit restituere, vel vota soluere, aut bene agere, & tamen folia eius facilè decidebant in terram: hoc est sæpè mentitus est, promissis non stetit. Decidit folium in terram à peccatore, quia sponte dat verba plurima: at cadit potius fructus à iusto, quia spontè dat fructus non expectato baculo, aut concussione.

7. Alacres, & prompti multi sunt ad accipiendum, auari autem ad tribuendum: quod præsertim accidit diuitibus & potentibus. Hi enim per Leones, qui animaliũ cęterorum superiores & Principes habentur, figurantur. Legitur autem de vulpe, quod noluerit ad Leonem ægrotantem ingredi, quia solùm videbat vestigia ingredientium ad illum, nulla autem exeũtium. Quod in donis etiam videtur accidere, quæ intrant illuc, sed non exeunt. Ita audiui à fide digno de quodam mimo in Anglia, qui cũ in palatio cuiusdam magnatis duo ostia vidisset, alterum verum, alterum pictum, & fictitium; ait ostensâ verâ ianuâ, Per hanc intrant munera: ostensâ autem fictâ, per hanc verò exeunt eleemosynæ, Ecclesiastici 4. 36. *Non sit manus tua porrecta ad accipiendum, & ad dandum collecta.* li. 6. Apophtheg. cum Lisimachus scorpione ficto Bithim parasitũ frustra terruisset; ille, Vis inquit te terreã & ego? Volo, Princeps ait. Subdit Bithis: da mihi talentum. Notauit auaritiam eius, propter quam eâ petitione terreretur.

8. Verè etiam apud nos, vt apud potentem, de quo dixi, munera & beneficia exeunt per ianuam depictam: non solum in sensu allato, quod omninò non exeũt; sed potius, quia fictè & apparenter liberales sumus, cum realiter auari, & acceptatores sumus munerũ. Per apparentem portam exeũt munera & beneficia, dũ peteribus, (quasi bombices essent, & folijs pascerentur,)

rentur; folia verborum damus, & promissionum, non autem fructus operum, iuxta vulgatum illud apud aulicos: *Dentur bona verba, & nihil fiat.* Vnusquisque nostrum se petenti exhibet bonâ facie, non bona faciens. Interdum pascit alios buccâ, vt ab ijs ipse pascatur bursâ. Lactat proximum verbis, at interea eum mulget factis. Vel per portam depictam eleemosynam dant, quia non ex vera charitate, sed ex simulatione & hypocrisi, & ambitione multi id faciunt; cum ex vero cordis affectu, quasi verâ ianuâ, recipiant. Vel etiam quia æream, & valde sonantem monetam mittentes in sacculum eorum, qui stipem petunt, seu exigunt, quam Concionator exorauit; coram populo, quasi tubâ canentes cum faciunt eleemosynam, volunt videri liberalissimi.

9. *Idem subiectum.*
10. *Nolle munera, sigillum sanctitatis.*
11. *Resistens lanceæ aureæ, inuictus est.*
12. *Donans, sæpè necat accipientis animam.*
13. *Idem subiectum.*

9. ITALICE diceremus. (a) *Si come fan limosina con li reali, o donã con li reali; ma riceuer voglion con le doppie: così quanto alla realità, o doppiezza di far cio, dan con le doppie, e riceuon con y reali.* Nã vt dixi, dant per ianuam pictam, recipiũt per veram. Et quia eleemosynæ ipsorũ exeũt per portã depictam, ideo præterquam quod se falsò iactãt, sæpè de exhibita liberalitate, si aliquid minimum erogarint, illud quasi magnũ exaltant. Sic Genesis 14. Abraham (inquit Ambr. l. 1. de Abraham) poterat accipere spolia hosti erepta, quia nimirum illum vicerat, tamen noluit. imò cum rex Sodomorum dixisset ei, *Da mihi animas, cætera tolle tibi:* ille ait, *A filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas, ego ditaui Abraham.* Quomodo, si Abraham accepisset munusculum quoddam ab illo rege, cum & ipse Abraham valde diues esset, vt qui exercitum ex suis tam citò potuerit cogere vernaculis; quomodo, inquam, potuisset dicere, *Ego ditaui Abraham?* Sed aduerte hic notari vitium huiusmodi hominum, qualis erat rex Sodomæ, nempe alienorum à beneficijs exhibendis, præsertim honestis viris, vt erat Abraham. Erat enim rex ille prodigus, cum crapulator esset, & luxuriosus, superbusque, vt credere par est, quia hæc vitia erant Sodomorum propria. Si ergo quidam ex similibus vel solam corigiam caligæ, aut filum dederit cuipiam probo viro, statim iactabit se dedisse diuitias magnas, hoc est enim dicere, *ditaui Abraham.*

(a) Sicut in dando eleemosynam eligunt Regalé, sed in recipiendo amant Dublones, ita, quantum ad animi duplicitatem, dant Dublones, & recipiunt Regales, i. e. ibi fictè, hic realiter.

10. Psal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.* Et cum multa enumerasset requisita ad consequendam Beatitudinem, vltimò addit, *& munera super innocentem non accepit.* Lyranus in Glossa. *Super innocentem* exponit ab innocente, qui non tenebatur dare munera, sed gratis iudicari. Alij exponunt, *contra innocentem,* scilicet vt ille damnaretur. Sed iuxta Liranum dicendum est, postremum articulum & quasi maximum cæteris miraculis, quo processus canonizationis viri Sancti perfectus iudicatur, Psal. 14.

catur, nec vlteriora quærit, quasi iam obtento sigillo claro sanctitatis, esse non accipere munera. Nam vt ait Ecclesiast. 31. *Beatus diues, qui post aurum non abijt*, &c. quis est hic & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Ecce miraculum, seu miracula. Vnde non mirum si statim subdat, *Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.* Quod intelligitur præsertim ratione æternę beatitudinis, sicut & *beatus* diuęs vocatur etiam nūc, i. e. beatus quasi declaratur, si post aurum non abijt. Samuel 1. Reg. 12. probans innocentiam suam, post enumerata mala quæ se non fecisse docet, ait non accepisse dona.

Eccles. 31.

1. Reg. 12.

11. Sed auctores (vt est apud Lorinum, & videtur in Iansenio) illud, *Nō mouebitur in æternum*; nō solum de immobilitate in futuro, sed & in præsenti sæculo exponunt: quatenus hæc faciens nulla ratione moueri poterit à rectitudine, & charitate Dei. Quidam Italicus Poëta fingit lanceam quandam auream tali cum incantatione adhibitâ fuisse confectam, vt quemcumque tetigisset, de equo deiiceret. Voluit indicare neminem resistere auro, iuxta illud Oraculi olim principi consulenti responsum: *Argenteis pugna hastis, & omnia vinces.* Vix inuenitur, qui non cadat ab ea lancea. Pro miraculoque est hoc. Vnde ait, *fecit enim mirabilia in vita sua.* cadunt, vt dixi inde plurimi. Nam Ecclesiastici 31. 6. *Multi dati sunt in auri casus.* Ligneæ solent esse hastæ, seu lanceæ, exceptâ cuspide. Ideo per accommodationem potest dici de lancea ista aurea illud Ecclesiast. 31. *Lignum offensionis est aurum sacrificantium*, Sed qui non decidit, & inuictus stetisset contra lanceam prædictam auream, quomodo non esset plane credendus immobilis? Qui ergo à muneribus non flectitur, & contra lanceas aureas immobilis manet, quomodo si præter alia ibi dicta faciat hoc, non potest dici quod *non mouebitur in æternum?*

Eccle. 31. 6.

Eccles. 31.

12. Bruson. cap. de proditoribus, (quod & alij passim afferunt) ait Ephesi virginem fuisse, quæ Brenno Gallorum duci patriam se proditurum promisit, si mundum muliebrem ei donaret. Consensit Brennus, sed recepta vrbe copiam huiusmodi rerum, quæ ad mundum pertinent mulierum, distribuit militibus: vt vestes, torques, & alia huiusmodi. tum eius iussu hæc omnia in ipsam proijciunt, & ita donando eam suffocant. Sic qui dat munera, victoriam quidem obtinet causæ, seu litis; vel obtinet victoriam à concurrentibus obtinendo Beneficium, aut aliud: Sed occidit animas accipientium munera. Prou. 22. 9. *Victoriam, & honorem acquirit qui dat munera, animam autem aufert accipientium.* Quid autem prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Prou. 22. 9.

13. Diadema Alexandri in flumen deciderat. protinus quidam se proijcit illuc, & natando recuperat: sed vt commodius illud offerret, capiti suo imponit. Alexander talentum pro recuperatione dari iubet. At quia, inquit, ausus est imponere sibi diadema regium, ipsum perimite. itaque neci eum tradidit. Sic ergo accidit in casu supradicto: *Victoriam, & honorem acquirit, qui dat munera: animam autem*

Plutar. in Alexandro id refert.

autem aufert accipientium. Quid verò prodest homini si vniuersum mundum lucretur?

2 *Nunc donatur diuitibus, non pauperibus.*

2 Auaritia eo peruenit, vt ipsam etiam liberalitatem auaram faciamus. Nam cum donemus diuitibus, & vix vnquam pauperibus (contra Christi monitum Lucæ 14. 13.) vtique donando petimus. Quia adagium verum est illud: *Pauper dans diuiti, petit.* Sic quidam Græcus, vt refert Suet. sciens Augusti liberalitatem erga Poëtas, qui carmina ipsi obtulissent (ferunt enim quidam ipsum de præsenti solitum nummis donare) eidem obtulit Epigramma. cum verò & ipse Imperator aliquando versus pangeret; loco præmij, obtulit Græco aliud Epigramma suum. Græcus verò ne illusus abiret, manu statim admotâ marsupio, nescio quot nummos arreptos Augusto porrexit, dicens: Si plus haberem, plus tribuerem: laudabilia enim animaduerto esse hæc tua carmina. Quando alius postulauit magis, vel extorsit petendo, quàm iste dando? At id sæpè nostri faciunt. Risum mouit Græcus ille Augusto, & omni deinde populo qui postea hæc legit. At huiusmodi Græci abundant vbique terrarum, & ipsos etiam dæmones, vt est in adagio, ad chachinnum prouocant. (a) *Quando il pouero dona al ricco, il diauolo se ne ride.* Ridet diabolus hanc nostram liberalitatem. Et cum *Beatius sit magis dare quàm accipere;* nos ita dando efficimus, vt beatius sit accipere, quàm dare. Ita impletur in nobis quod de diuinis datis dictum fuit, deque spiritalibus donis, *Habenti dabitur: ab eo autem qui non habet, auferetur ab eo etiam id quod habet* i. e. quod videbatur habere, vt est in Euangelio.

Luc. 14. 13.

(a) Cũ pauper dat diuiti, ridet diabolus.

2 *Non recipientes dona, Angeli, & Beati sunt:*

3 *Præsertim post spiritalia beneficia exhibita.*

4 *Multi dicunt se dare Deo, cum tamen non soli Deo deuoti sint.*

5 *Iudicem vincunt per charos eius donatos adhoc.*

6 *Donis ligant iudicis manus, ne lædantur ab eo.*

2 IVdic. 13. cum Angelus Dei nuncius Manue filium promisisset ex eo nasciturum, nempe Samsonem: Manue hœdum illi comedendum parabat apponere. At Angelus (homo enim credebatur à Manue) ait: *Si me cogis, non comedam panes tuos. Si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino.* His positis, aduerte acceptionem munerum comestionem vocari etiam vulgo. Vnde est illud In fauces inijcere, in fauces recipere, Italicè *dar in gola, tor in gola.* De Prophetis ita comedentibus, Michææ 3. 5. dicitur, *Quid mordent dentibus suis, & prædicant pacem, & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.* Sicut ergo Angelorum, vel Beatorum proprium est non comedere terrena cibaria, sed vti potu, & cibo inuisibili, vt aiebat Raphael Tobiæ de seipso: ita non accipere munera, non recipere in fauces, *Non tor in gola*, ostendit quodammodo hominem Angelum esse, vel de Beatorum numero; & ideo nutriri tantum cibo

Iob

Iudic. 13.

Michææ 3. 5.

bo inuisibili, nempe Deo, & charitate, ob quam solam beneficia præstet sua, nil mercedis expectando ab homine. Quod si quis offerat munera, & cogat comedere; dicat cum Angelo : *Si me cogis , non comedam panes tuos : Si autem vis holocaustum facere , offer illud Domino.* Eroga ista Deo, eroga pauperibus. Ita se gerens ostendit se Angelum. Ostendit etiam se Beatum inter mortales, dum comedere negat. Nam auarus dicitur edere opes. Iob
Iob 20.15 20.15. *Diuitias , quas deuorauit euomet.* Dicitur autem Beatus vir, qui post aurum non abijt, &c.

3. Dei minister erat Angelus ille. Minister ergo, & seruus alicuius Principis aut Magistratûs, qui mediator sit cum aliquo ad conferendā gratiam Domini sui in ipsum, vel in ea annuntianda, & ob id bolum nullum recipit, is est Angelus, *vt vulgò dicimus, Paradisi.* Angelus est, si dicat, Gratias age Domino, qui tibi, Gratiam huiusmodi contulit , non mihi : *Si vis holocaustum facere , offer illud Domino.* Iezi non erat Angelus Domini, ideo quod accepit vestes à Naaman. Sed cum omnes simus Dei dispensatores multiformis gratiæ Dei , à quo omne datum optimum , & omne donum perfectum ; ideo inter dispensatores requiritur, vt fidelis quis inueniatur : vt inquam non sibi, sed Domino velit holocaustum fieri pro beneficio exhibito . Ideo dicamus : *Non comedam panes tuos : Si autem vis holocaustum facere , offer illud Domino* . Ille enim per ministerium meum tribuit tibi beneficium hoc, non ego.

4. Adde tu. Multi gratiâ aliquâ spiritali, vel alterius generis receptâ præsertim à religiosis viris, offerunt eis munera, ipsisque renuentibus accipere (Quia dictum illis fuit de cœlestibus talentis , *gratis accepistis , gratis date*) renuentibus inquam accipere aiunt : Accipite munuscula hæc non pretij loco, sed Dei amore tradita. Holocaustum facimus. At interdum dicere expedit: Si Dei amore hæc donas, si holocaustum vis facere ; offer illud Domino , eroga in pauperes. Si verò donatores huiusmodi ita à te remittas cum muneribus suis ; sæpè illa recondunt in locum pristinum. Sed paulò ante dicebas te Dei amore ea tradere, & velle holocaustum facere Deo. An hoc est holocaustum, sacrificare illa arcæ tuæ? mittere illa in corbonam? Inde apparet, an Deo tantum illa dare vellent.

5. Iud. 16. Principes Philistinorum desperātes se posse extorquere à Samsone , in quo sita esset fortitudo eius, vnde postea possent illum vincere; accedunt ad Dalilam dicentes, Si secretum hoc ab illo extorqueas , &c. *Dabimus tibi singuli mille & centum argenteos.* Id illa præstitit , & Samson captus est , &c. Ita multi cum desperent se posse flectere iudicem , vel alium cordatum virum; ad dilectum eius ministrum , vel domesticum , aut amicum accedunt , vel ad eius Dalilam , & cum illo *dabimus tibi* vel *damus*, efficiunt vt flectant animum eius, vt tollant ab illo inuictam fortitudinem. Aduerte autem quod Samson erat Iudex populi, vt similitudo rectius procedat in iudicibus. Iud. 16.

6. Illi ergo Philistei per munera colligarunt Samsonem, ita vt non posset eis nocere , hoc est, per munera sua

Dalilæ promissa. Excæcarunt iudicem populi; vt inde signetur per munera etiam donata ministris iudicis, ipsum colligari: colligari ei manus, vt nequeat lædere, & punire ipsos donatores, & hostes iustitiæ. Adde per eadem excæcari eundem, & cogi ad saltandum ex alterius arbitrio (a) *Lo fan ballare al suon della lira, cioè del denar così detto. Lo fan dico ballar à modo loro, e lo fan scherno di tutti.* Munera excæcant oculos iudicum.

(a) Faciunt tripudiare ad sonitū lyrę scilicet ad nummum sic vocatū. Faciunt, inquam, tripudiare ad arbitrium suum & exponi ludibrio omnium. *Iud.* 13.

Ligant eum muneribus, ne lædat & puniat eos. Iud. 13. ait Manue, *Morte moriemur, quia vidimus Deum cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum, & libamenta non suscepisset, &c.* Similia dicunt rei si iudex ab eis acceperit dona, quasi inde securi existant, ne puniantur, & occidantur. Ægyptij pingebant iudices absque manibus, vt significarent eos non debere munera accipere. At mihi videntur tunc potius manus habere, cum dona non recipiunt, tunc non habere, cum recipiunt. Quia recipientes dona innoxios se præbent reis, neque videntur posse nocere eis. Rei aureo gladio truncant manus Iudici, vt Iudex ferreo non detruncet sibi caput. Tunc verò manus habent, cum nihil receperunt.

2. *Iusti manus munda, non adhæret eis donum iniusti viscosæ.*

Iob 31. 7. Iob 31. 7. *Si adhæsit in manibus meis macula.* Septuaginta. Si in manibus meis tetigi dona. Hebræa propriè apud Pinedam illud *si adhæsit* ita explicat, si agglutinata est. Hoc distat inter iustum & auarum iudicem, quod cum aliquando aurum occultè, aut per vim in manum iusti inseratur (in manum inquam propriam, vel metaphoricam, hoc est in potestatem) non adhæret ei, non agglutinatur manibus eius. Statim enim excutit à se. Statim ac audiuit ministrum, vel domesticum suum aliquid recepisse à reo, cogit vt restituat. Atque ita implet illud iusti: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* *Isai.* 33. In iniusto autem idem est tetigisse munus; atque sibi agglutinatum esse. ab habitu ad priuationem in eo non datur regressus. Viscum habet in manibus, & magnetem auri & argenti: quibus fit, vt sibi è manibus ferrum & gladius excidat, nempè ad puniendum, neque possit regere reos in virga ferrea. Quia virgam auream, qualis erat illa Assueri, in manus eius intulerunt, eisque agglutinata est. *Si adhæsit macula in manibus.* Sæpè Iudex si viuit indonatus, viuit immaculatus. Donum enim solet esse Iudicis propria macula.

PATIENTIA.

2. *Sancti, struthiocameli stomachum habent ad concoquenda dura.*
3. *Hæc iam à Christo concocta, mollia facta sunt.*
4. *Vexatio efferatos cicurat.*

2. INTER Iouij Symbola hoc effertur: quod ipse confecit, vt significaret patientem animi dissimulationem cuiusdam Ducis circa illatas sibi iniurias, quæ vulgo *res prædura ad concoquendum* dicuntur. Immo etiam claui ferrei vocantur, *Gli fe mangiar chiodi,*

di, e catenacci. Struthiocamelum clauum ore præferentem pingi volebat, addito Lemmate: *Spiritus durissima coquit.* Sancti viri, sicut nihil minus habent, quā stomachum struthiocameli, vtpotè ieiunijs debilitatum; sic struthiocameli stomachum habent in anima: quia in eis veraciter *Spiritus durissima coquit.* Etiam clauos quibus crucifixi sunt, vel claustra carcerum, nedum gladios concoxere plurimos.

3. Sicut autem quæ dura sunt, & incocta inter epulas, vix edi possunt, & concoqui, præsertim à stomachis imbecillioribus: sed si excocta fuerint, immo & concocta, facilè etiam à debilioribus eduntur, & digeruntur; ita cum prædura illa cibaria, & claui, & lanceæ concocta fuerint à Christo, & deinde à tot Sanctis martyribus, quid mirum si mollia, & esu facilia ac suauia effecta sint etiam imbecillibus? Inde & senes, & puellæ, saturabantur his cibis. Agatha dicitur lætanter processisse ad carcerem, tanquam ad epulas inuitata. Eodem pacto dicendum est, non esse formidandos hodie pænitentiæ, & patientiæ cibos: eo quod non semel tantum, sed sæpissimè excocti fuerint à tot sanctis & ab igne charitatis illorum, quo talia pertulere. Hebr. 12. 1. *Ideoque & nos tantam habentes nubem testium* (hoc est eorū, qui passi sunt, de quibus immediatè antea dixerat, *deponentes omne pondus, & circūstans nos peccatum*) *per patientiam curramus ad propositum, nobis certamen; aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Heb. 12. 1.

4. Aliud symbolum apud Iouium est pro quodam regulo, qui minabatur se domiturum efferatos inimicos suos; instrumentum quoddam ligneum, quod vulgo vocant *Trauaglio*, Latinè tribulatio: in quo veterinarij, Italicè *Marascalchi*, medici seu fabri etiam equorum, collocant equos indomitos, & calcitrantes, vt eis medeantur, vel ferreas soleas imponant. Addebātur verba huic instrumēto depicto, *Per domar matti.* i.e. *Ad domādos furiosos.* Sic Deus ponit in tribulatione, *In trauaglio*, indomitos, ac superbos, vt eis medeatur, vt nimirum patientes, humiles, ac iustos reddat. Sic accipiunt aliqui Patres siue mysticè, siue alio modo hæc, vel similia loca, scilicet, *Ipse vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius sanabunt.* Primum est collocare equos rebelles in angustia, in percussione, deinde per hoc eis mederi. Quid erat Paulus spirans minarum & cedis in discipulos Domini, nisi equus indomitus? Nonne etiam calcitrans erat, cui dictum, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare?* At volens ei mederi, collocauit eum in angustia, deiecit de equo, excæcauit. Percussit, vt sanaret. Vnde statim cicuratus in agnumque ex leone mutatus, ait: Domine quid me vis facere?

2. *Dei flagella sine murmure ferenda.*
3. *Iusti ea ita ferunt.*
4. *Variæ species patientiæ, & impatientiæ.*
5. *Patientia cunctis congruit. inductione id probatur.*

2. TRIPLICI titulo nos sumus Dei. Scilicet creationis, redemptionis, iustificationis. cum homo murmurat flagellatus, fit illud Isa. 45. Isa. 45. *Væ qui contradicit factori suo, nunquid dicis*

cit lutum figulo, cur ita facis? Supponit enim nos esse quasi lutum in manu figuli, scilicet in manu Dei. & idem
Cap.49. cap.49. *Peruersa est ista vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Non me fecisti.* Titulo redemptionis: nam *Empti estis pretio magno.* Titulo iustificationis: sic enim etiam de morte ad vitam nos reuocat. Cum ergo simus toti ipsius Dei; ille potest de nobis agere quod vult, nec possumus de illo conqueri. Dominus enim potest de rebus suis facere quod
Eccl.18. vult. Ideo Eccl.18. *Prudens, & disciplinatus non murmurabit correptus.* Prædicta habet Vinc. Spec. Morali, lib.3. distinct.7.

Eccle.33. 3. Eccles.33. Præcordia fatui quasi rota carri. Vulgo dicitur, peior rota carri est quæ magis stridet. gratia Spi-
Ioan.2. ritus Sancti, dicitur vnctio. Ioan.2. *Vnctionem habetis à Spiritu Sancto.* Ergo hęc vnctio rotæ carri adueniens, efficit, ne strideat. Cæduntur gladijs more bidentium, non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia conseruat patientiam. Hæc dicuntur de rotis inunctis dictâ vnctione. de alijs enim potest dici illud Iudæ Apost. *Hi sunt murmuratores, & querulosi, ambulantes secundum desideria sua.*

4. Quidam parum sustinent, vt multum sustineantur: & hæc est patientia vsuræ. Alij sustinent, vt æquè sustineantur, & hæc est patientia cambij. Alij sustinēt, vt aliquid adipiscantur, & hæc est patientia lucri. Alij sustinent, vt sustineant; & hæc est patientia doni. Ita etiam aliqui non tolerant, nec volunt tolerari, & impatientia hæc est tolerabilis. Alij tolerant, sed volunt etiam tolerari, & hæc est patientia alicuius æquitatis. Alij tolerant, nec volunt tolerari, & hæc patientia est magnæ virtutis. Alij non tolerant, & volunt tolerari, & hæc, vt ita dicam, intolerabilitas est magnæ intolerabilitatis.

5. A cunctis tenenda est patientia, & acerbarum rerum tolerantia. A iuuene, quia robustus est corpore; à sene, quia robustus est animo; à masculo, quia est fortis; à femina, vt sit fortis; à seruo, vt animi sui saltem sit dominus; à domino, ne fiat animo seruus; à paupere, ne duplicetur eius inopiæ angustia; à diuite, vt multiplicetur verarum eius diuitiarum copia. A sæculari, quia nauigat in pelago tempestatum sæculi; à religioso, quia ambulat per arctam viam religionis. A coniugatis, quia matrimonium est metropolis molestiarum; à solutis, quia nō molestatur carentia vxoris, & liberorum. A virginibus feminis, quia, vt ait D. Ambros. virginitas martyres D.Ambr. facit, hoc est pugnâ, & fortitudine. A viduis, quia viduitas magnes est afflictionum, & mulier simul cum viro omni viduatur auxilio. A doctis, *Eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio, & qui addit scientiam addit & laborem.* Ab indoctis, quia eorum imperitia scopus sit iaculis, & argumentis alienæ doctrinæ, & calliditatis. A pulchris, quia in eos suas omnes effundunt sagittas Cupidinei amores; à deformibus, quia semper impetuntur stimulis irrisionis, & dicacitatis. Ab ægrotis adhibenda in pluribus rebus est patientia, vt sanentur; à sanis abhibenda in pluribus, ne infirmentur. Denique cum *Militia sit vita hominis super*

per

per terram; quis miles in ea non eget patientiæ clypeo, vbi victoria posita est in perferendi triumpho?

2. *Sapientia in principijs Grammaticæ sita, scilicet in actiuis, & passiuis.*
3. *Etiam in vno prædicamento Agere, & pati.*
4. *Prouerb. 12. Non contristabit iustum quidquid ei acciderit.*
5. *Patientia etiam ad impatientiam exercendam necessaria.*
6. *Quidam vltionem si non in manibus, saltem habent in corde, scilicet in desiderio.*
7. *Non reddendum malum pro malo. Hoc causat perditionem.*

2. CONSVMMATA Philosophia est initiata Grammatica, nempe, vt Italicè dicā, (a) *Latinar per li attiui, e passiui.* Bona facere, & mala pati. Sic enim Sancti docent. Immo adagium fuit, vt Celius Calcagninus de vita aulica dicit, *Fortia facere, & fortia pati Romanum est.* Summam Philosophiam ita compendiauit Epictetus, vt ad duo verba redegerit, Sustine, & abstine: quod est *Declina à malo, & fac bonum.* Dixi consummatam Philosophiam esse initiatam Grammaticam, & redigi ad Actiua, & Passiua verba, siue ad duo verba cum Epicteto: sed addo redigi etiam ad vnum verbum, in quo (vt cum Grammaticis loquar) requirimus agentem & patientem, & non vltra. Nam agere & pati sunt duo columnæ Herculeæ in mari morum, in quibus inscriptum est, *Non plus vltra.* Nam & illud, *Sustine & abstine* coincidit cum agere, & pati.

(a) Componere per Actiua & Passiua.

3. In Logica virtutis vnum tantum Prædicamentum est, nempe quod dicitur: *Agere & pati.* Vel dic hoc in ea vera Logicâ esse Substantiæ prædicamentum. nam Substantiæ est substare accidentibus omnibus, omniaque illa sustinere. Ita patientia in charitate *Omnia sustinet*, siue Charitas per patientiam id facit. In Logica hac istud vnum Prædicamentum est prædicabile. Quidquid enim prædicandum est, quidquid laudandum reducitur ad Agere, & pati. Hoc Prædicamentum est omne prædicabile. Nam verū Genus, hoc est Nobilitas, in re prædictâ sita est. Nam vt Ambrosius ait, & ipsi etiam Gentiles, *Virtus est genus, & nobilitas animæ*, & inquit Poëta absolutè, *Nobilitas sola est atque vnica virtus.* Est etiam vera Species, hoc est, pulchritudo hominis. est vera Differentia; quia non nisi virtute differre videtur homo ab homine, hoc est vnum præstare alteri. Est verum Proprium. Nam cætera nostra non sunt nisi virtus. *Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco*, vt cecinit alius. Est etiam Accidens, quatenus innititur solidæ substantiæ, nimirum animi, qui ędificauit domum suam supra firmam petram.

Italicè dicimus. Star saldo a tutti li accidēti, o soffrirli. *Agere, & pati sunt substātia hoc est præcipuū & summa virtutis.*

4. Dixi, Agere & Pati esse substantiæ prædicamentum, quia omnes casus, quos vocamus accidentia, hoc est quodcumque potest accidere, sustentet intrepidè. Et verè sunt accidentia ista respectu patientiæ, & solidioris animi. Nam Accidentia sunt, vt definiunt ea passim Philosophi, quæ possunt adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, siue quæ adsunt, & absunt ipso stante. At quis nescit ani-

mum patientem, seu patientiam sic stare illæsam absentibus, vel præsentibus casibus huiusmodi? Prouerb. 12. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit.* En quomodo substat fortis accidentibus omnibus. Omnibus casibus inuicta permanet. Nam & Horat. de huiusmodi viro ait, *Si fractus illabatur Orbis, impauidum ferient ruinæ.* Vulgatum illud Chrysostomi, *Nemo læditur nisi à se ipso.* Sic Socrates apud Calcagninum de vita aulica, O Criton, si ita Dijs placet, ita fiat. Me verò Anitus, & Meletus interimere quidem possunt, lædere autem non possunt. Arx, apud nostrates dicitur *Fortezza*, id est, fortitudo Verè fortitudo & patientia animi est arx ista, in qua si nos contineamus, insultus omnium casuum quasi hostium facilè sustinemus. Nam vt Virg. ait, Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Prou. 12.

5. Etiam ad impatientiam exercendam necessaria est sæpè patientia. Vide quam patienter expectet occasionem, incommoda, frigus noctis, & alia plurima mala, alicui inimicus; vt deinde impatientiam acceptæ iniuriæ exerceat illo inuento, & occiso. Vt in huiusmodi vltoribus impleatur illud Ierem. 9. 5. *Vt iniquè agerent, laborauerunt.* Psalm. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Vide quanta patiatur prægnans. Præsertim in ærumnosa, & mala (vt vocant) grauidatione. Quæ autem peior grauidatio, quam ingrauidari ipsomet malo, siue pestilentia, veneno, gladio? Nam peccatum in scriptura his nominibus solet vocari. Memento cathedræ pestilentiæ, veneni aspidum insanabilis, rompheæ bis acutæ. Hæc omnia non solum nouem mensibus, sed aliquando nouem annis, aut lustris in corde concepta retinet, & patitur; vt ad horam ea pariat contra proximum. *Concepit dolorem, & & peperit iniquitatem.*

Ier. 9. 5.

6. Quidam illatam iniuriam damnumue datum æquo animo videntur ferre: Calicemque propinatum æquanimiter, & fortiter bibere. At virtus in hoc sita non est. Nam ita bibunt calicem, vt simul illum propinent paulò post epotandum ei, qui ipsos læserit: Ita Valer. Max. de fortitudine narrat, quod cum Therannes Atheniensis Philosophus iudicum sententiâ venenum eo modo, quo & Socrates, bibere cogeretur; intrepidè poculum hausit. sed cum sciret se Critiæ odio ad mortem hanc impulsum fuisse, epoto veneno ait, poculum ostendens, propino Critiæ. Quasi annuncians simile quid illi fore patiendum. Propinant multi inimico bibendum calicem, si non hîc ipsorum vltionem ei paratam, saltem per vltionem diuinam in eum optatam. Propinare hic est ad bibendum inuitare, vulgo (a) *Far brindisi*, vel etiam vicem reddere per desiderium animi: vt nimirum ostendat se quoad voluntatem reddere par pari; & si actu non possit. Christus verò cum ebiberet calicem ab inimicis porrectum, de quo ait, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*, non propinauit eum ipsis eo modo, quo dicimus. Non enim reddebat malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. 1. Petri 2. 21. *Vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, &c. *qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.*

(a) Propinare, vel inuitare ad bibendū.

1. Pet. 2. 21.

minabatur. Bibunt iniuriam, sed interea audis dicētes: Ego quidem bibo modo; sed hodie mihi, cras tibi. reddet tibi certè alius quod ipse nequeo. reddet Deus pro me. Quæ verba aliquando indicant mundum non esse cor à felle amaritudinis, & vltionis desiderio. (a) *Chi è pien d'amaro non può sputar dolce.* At Christus petit: *Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.*

(a) Qui pelle plenus est, mel spuere non potest.

7. Cum ergo iuxta prædicta, iniuriæ vicem reddere, sit quædam propinatio poculi, quem tu hausceris, quâ & ipsum cogis ad calicem amaritudinis bibendum; ideo dicendum est, exiguum quidem malum, immo non malum esse bibere calicem; sed pessimum esse inuicem concertare in bibendo, cogereque socium, vt tantumdem bibat, quantum propinauit tibi. Sic Eccles. 31. dicitur. *Diligentes in vino noli prouocare. Multos enim exterminauit vinum.* Idem dicendum est in casu nostro: nempe multos exterminasse, hanc calicum mutuam vicem redditam. Vnde adagium est: *Lis litem, & rixa rixam parit.* Inde immortales fiunt inimicitiæ, dum desolentur domus, & ciuitates. Plurimi vitam in apertum discrimen adduxerunt & adducunt in compotationibus prædictis, ne honori suo videantur succumbere, dum non reddunt semper vicem in rebibendo. Immo & multi in ipsis certaminibus extincti sunt, qui è prælijs gladiorum fortasse sani exierant. Idem fit in re nostra: ne dehonestari videantur, si calices malorum, quos biberunt, sēper alios bibere non cogant. siue, nisi vicem reddant, & respondeant propinantibus: quod est reddere malum pro malo, neque vnquam in hoc velle vltimum esse. Audiamus ergo 1. Petri 3. 9. *Non reddentes malum pro malo, & maledictum pro maledicto.* Turpe turpibus videtur, non reddere vicem in poculis: sed honestis non est turpe. idem dic de vltione.

Eccles. 31.

1. Pet. 3. 9.

2. *Patienti aures in humeris sint.*
3. *Patientia, Christi exemplo tenenda.*
4. *Ob minima nos turbamur.*
5. *Iustus linguam sepultam habet ad referendas iniurias mutus.*
6. *Deus patientibus iniurias adiutor contra lædentes eos.*
7. *Mala omnis generis ferenda, inductione probatur.*
8. *Infirmitas.*
9. *Inopia.*
10. *Infamia.*
11. *Priuatio dignitatum.*

2. CVM patientia præcipuè tenenda sit ad iniurias, & maledicta ferenda: ideo dici potest, homines debere habere aut aures in humeris, aut humeros in auribus. Ita vt dicere possit, *factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.*

3. Cyprianus de bono patientiæ eam ait esse tenēdam exemplo Christi, qui Deus est. Ille, inquit, innocens & iustus, immo innocentia & iustitia, inter facinorosos deputatur, & testimonijs falsis veritas premitur; iudicaturus iudicatur, & Dei sermo ad victimam tacens ducitur: & cum ad crucem eius confundantur sydera, contremiscat terra, turbentur elemen-

elementa, ille non loquitur, nec mouetur, nec maieſtatem ſuam profitetur, ſed omnia perſeueranter tolerat, vt in eo plena, & perfecta patientia conſumetur.

„ 4. Hieronymus ad Euſtochium: „ Apoſtolus in laboribus plurimis, in „ carceribus abundantius, in plagis „ ſupra modum, in fame & ſiti, &c. „ Nos autem ſi cibus inſulſior fuerit „ contriſtamur, calix frangitur, men„ſa ſubuertitur, verbera ſonant, & „ aqua tepidior ſanguine vindicatur.

5. Expectare quod verus patiens reſpondeat ad illatas iniurias, nec patienter ſileat ad illas, eſt perinde, ac ſi à ſurdo, & muto, immo & à mortuo, quos iniuriaſti, loquelā expectes. Non ſolum enim hic patiens dicit, *ego tanquam ſurdus non audiebam*, *& ſicut mutus non aperiens os ſuum*, ſed de eo dicitur Thren. 3. 29. *Ponet in puluere os ſuum.* Ambroſ. legit. *Dabit in ſepulturam os ſuum.* Et explicat, dicens. *Oſtendit quandam ſupra modum patientiæ, taciturnitatem, vt tanquam ſepeliat os ſuum ne loquatur.* Sed aduerte perfectum hunc patientem viuum, tamen os ſuum ſepultum continere: cum multi è contra fere mortui, & ſepulti cum ſint, ſpiritum iam reddituri, vel neruorum debilitate immobiles, tamen ſi vel paulliſper eos aliquo verbo amariori tangas, ſolum os viuum, cæteris ſenſibus tumulatis deprehendes. *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes eius*, & ita impatientiam, & maledicta quę homines ſani promere in vſu habent, videmus etiam animam exhalantes ſæpè effundere cum periculo damnationis ex ſuperueniente morte; quam audiui ſtatim ſuperueniſſe quibuſdam poſt huiuſmodi impatiētiam erga domeſticos, & famulos demonſtratam.

Thren. 3. 29.

Iob.

6. Putat homo, quod ſi taceat ad iniuriā, nemo reddet ei honorē ſuum: ſi ſuſtineat damnum, nemo reſtituat, ſi dolorē patiatur, nemo medeatur. Et ideo quærit ipſe ſibi iuſtitiam facere. at contrarium eſt. Tertullianus lib. de Patient. c. 15. *Idoneus patientiæ ſequeſter Deus* (ſc. ſeruator velut depoſiti) *ſi iniuriam depoſueris penes eum, vltor eſt; ſi damnum, reſtitutor eſt; ſi dolorē, medicus eſt.* Et deinde concludit. *Quantum patientiæ licet, vt Deum habeas debitorem?* Tacuit Magdalena ad querelam Marthæ in ſe: Dominus factus eſt eius aduocatus; quia penes eum depoſuerat querelam ipſam. Tacuit Suſanna, & Dominus pro ea per Danielem locutus eſt. Ambroſius 1. offic. 3. de illa ait, *Plus egit tacēdo, quàm ſi eſſet locuta.* Et iterum de illa ait, *tacendo apud homines, locuta eſt Deo.* Tacuit Ioſeph impudicitiam dominæ, & ſuſtinuit infamiam. Ideo Deus ipſum glorificauit; & mendaces oſtendit, qui maculauerunt eum. Ambro. lib. de Ioſeph, cap. 5. cum dixiſſet, quod mulier accuſauit eum, ſubdit de illo, *Iuſtus autem accuſare non nouit. Ideo impunè hoc impudica faciebat.*

Tertv. Lib. de Patient. cap 15.

Ambr. 1. offi. 3.

Ambr. Lib. de Ioſeph, c. 5.

Si, inquies, iniurias perferam obſcurabitur ſplendor gloriæ meæ. At oppoſitum aſſerunt etiam ipſi Pagani, qui ſcribunt, nil ſic illuſtrare hominem, quam patientiā iniuriarum. & hic ſenſus fuit omnium ſapientum antiquorum, vt notum eſt vel mediocriter verſatis in lectione librorum. nam etiam ſecundum naturam,

ram,& gloriam humanam verum eſt Prouerb. 16. 23. *Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Quærit quidam doctus, cur tantus ſplendor in facie Moyſis ex conſortio Dei? Reſpondet, quia in facie tot contumelias pertulit à Iudeis affert Ambroſ. 2. offic. cap. 7. dicentem. *Quantas à populo allatas Moyſes abſorbebat iniurias? Quàm miti ſermone poſt iniurias appellabat? Quomodo conſolabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fouebat operibus? Merito æſtimatus eſt ſuper omnes homines, & vt vultus eius non poſſent intendere.* En quomodo patientia illuſtrat, non obſcurat.

Prou. 16. 23

Ambr. 2. offi. c. 7.

Ferrum, argentum, lapides, quæ prius obſcura erant, & rudia, & exigui pretij, ſi imperitus quis videat ea malleo percuti; limâ, alioue inſtrumento vrgeri, detrahique ab ipſis partes aliquas; putabit ea male habere per hoc; tamen per hæc media poliuntur, & illuſtrantur, adeo vt fulgorem emittant, & ita magni pretij fiant ex iniurijs, ex detractionibus. Verè enim detractiones fuerunt ille, quia partes aliquæ, & præcipuè impolita ſuperficies ab eis detracta ſunt. Sic ergo iniuriæ, & detractiones repetitæ Iudæorum in faciem Moyſis, illatæ limæ fuerunt, quæ illam illuſtrarunt, & tanti pretij effecerunt. Titulo illuſtriſſimi, ſeu clariſſimi decorant aliquem, qui eum honorare intendunt. Sed vbi patientia eſt, qui aliquem honorat, illuſtriſſimum eum dicit; qui dehonorat, illuſtriſſimum facit. Non ſolum vultum illuſtrem, ſed & Angelicum reddit patientia iniuriarum. Cerne Stephanum, qui pro perſequentibus orauit, & adeo patienter ſuſtinuit. Dum enim ea ſuſtinet, dicitur quod viderunt vultum eius tanquam vultum Angeli ſtantis inter illos.

7. Perferenda tibi tribulatio eſt: ſi parua, ne ſis illa minor; ſi magna, vt ſis illa maior. Si breuis; quia non erit paſſione dura, ſi non erit exiſtentia durabilis: ſi longa, quia ab aſſuetis non fiet paſſio. Si præuiſa, quia minus iacula feriunt, quæ præuidentur; ſi inopinata, quia te antequam affligeret, non afflixit, ſcilicet ſuâ expectatione. Vnde ſimplex, non duplex fuit. Si eam meruiſti, te conſoletur iuſtitia; ſi non meruiſti, tua te ſoletur innocentia. Si fælix eras, *quia ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus?* Si infælix, *quia flumina intrant in mare, & tamen mare non redundat*, non exit è terminis ſuis, quaſi ex ſuæ conſuetæ patientiæ finibus. Sic tu, vt aiunt, non exeas è terminis, ſed epota patiēter flumina, ſi epotaſti maria. Si inſipiens eras, perfer, quia vexatio dat intellectum. Si ſapiens, quia auget meritum. Si bonus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ſi malus, quia malum bonum eſt; ſcilicet aptum vt te efficiat bonum, vel vt te non relinquat malum. Si vexaris cum multis, ſolatium eſt miſeris ſocios habere laborum; Si ſolus; quos non habes ægros in tua afflictione, habes medicos ad tuam conſolationem.

8. Ægrotas? At ſi eſſes ſanus, eſſes inſanus, ſed quando infirmior, tunc fortior

fortior sum. Si morbo tuo, vel tribulationi tuæ est remedium; ferenda, quia est remedium: si non adest remedium, ferenda, quia non adest remedium. stultum est non perferre, quod cogeris ferre. Malum sanabile est? acquiescendum spei. insanabile? acquiescendum necessitati.

9. Opes à te abstulerunt. at reddiderunt cor, reddiderunt mentem. Nam ibi erat cor tuum, vbi erat thesaurus tuus. Commutatio fuit, non rapina. Cæcus pingitur Plutus ab antiquis, cæca Fortuna, eo quod cæcos diuites faciant. Lumen oculorũ tuorum, & pupillas vocas opes tuas; at hoc lumen, hæ pupillæ te cæcum faciunt. Abstulerunt opes. at cur post opes vis etiam latronibus proijcere patientiam? Quia abstulerunt æs, in ipsos proijcis etiam aurum? An non patientia, & virtus plus quàm aurum est, & opes respectu eius minus quàm æs, immo quàm lutum?

10 Abstulerunt nomen bonum, & famam. an putabas solidam esse, & stabilem possessionem, quæ vnico verbo, vno oris flatu, scilicet vna detractione potest dispergi? Abstulerunt famam, sed te inuitum possunt quidem vituperare; at non facere vituperabilem. Abstulerunt famam. sed quam tutam putabas mercem illam, quæ non tecum est, nec tuis inclusa parietibus, sed versatur in manibus cuiuscumque de populo, immo etiam latronum? Nam fama est opinio alienarum mentium, quæ in illis est, non in eo, de quo sic opinantur. An putabas tutum esse bolum illum, qui cum vnicus sit, tamen non alibi est, quam in ore omnium? An non talis est fama, quæ ideo dicitur morderi, & deuorari? *Si inuicem mordetis, & comeditis*, inquit Apost. ad Gal. c. 5. 15. Dignitatē à te abstulêre. quid est honos nisi onus? Etiam vulgo onera vocantur, (a) *ha ottenuto molti carichi nella Republica, intende si honori.* Graue ergo tibi onus est ad portandum, quod te leuarint onere? Abstulerunt à te cathedram. at nunc dulcius sedebis. Abstulerunt purpuram. at nunc minus sudabis. Purpura calefacit, facit colore calorem. Detineris in carcere. at nonne fatuus esset, qui defleret iumentum suum inclusum, cum se videret liberum? Quid est corpus tuum nisi iumentum? Sic illud vocant Sancti homines, & Doctores. Iumentum potest concludi, at animus non potest; euagatur enim inuitis parietibus per omnia, neque cœli ipsi illi meta sunt. Detineris in carcere. noli ob id angustiari animo. Nonne stultus esset eques, qui incluso equo suo ab alijs, seipsum ex dolore in eadem loci angustia includeret? Si corpus est in angustia carceris, nonne stultus es addendo etiam deteriorem angustiam menti? Collocarunt te in carcere, gratias age quod non collocârint in sepulchro. Collocarunt in carcere corpus. gaude quod non eruerint de carcere animam, scilicet de corpore.

Ad Gal. c. 5. 15.

(a) Multa obtinuit onera in Rep. i. e. officia.

In exilium actus es. Si exulas à Patria, noli exulare etiam à patientia. Si exulat vir, non exulet virtus. Malũ est exulare à se, magis quàm exulare à suis. Exulas à Patria. at nisi exulares à patria, exulares à mundo.

Caput

Caput enim tuum debitor est pedibus tuis, scilicet fugæ; eo quod nisi aufugisses, te morti aut carceri adiudicassent.

2. *Vxor mala ferenda.*
3. *Et mali filij.*

2. DOLES quod malam habeas vxorem. At magis dolendum esset tibi, si vxor tua malum haberet virum. Malam habes vxorem. at si toleras, mala vxor bonum te faciet virum. Eadem sententia cum eâdem figurâ dicendi, potest aptari vxori, vt dicatur, doles quod malum habeas virum, magis dolere debueras, si vir tuus malam haberet vxorem. *peius enim est*, vt etiam Plato dicebat, *iniuriam facere, quàm pati.* Malum habes virum, vel vir vxorem. gaude quod habeas Purgatorium, cum peccando merueris infernum. Sed tibi hæc febris est continua. gaude quod febris continua hominem non occidat. Hoc enim ait prouerbium; *febris continua necat virum.*

3. Affligunt te filij. & tu aliquando afflixisti patrem: & nedum nascens, sed antequã nascereris afflixisti matrem. Offendunt te filij terreni. at tu offendis Patrem cœlestem. Malos habes filios. at tu tibi hoc genuisti malum, vel forte etiam educasti.

2. *Patiens fortior est se percutiente.*
3. *Cum mala hic ferenda sint necessario, præstat ea ferre pro Deo.*
4. *Societas in tribulatione, eam leuat.*

2. OPTIME Poëta, *Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.* Superanda inquit. Nam perferendo ostendis magis te posse pati, quàm possit aduersitas agere; plus te posse clypeo, quàm illa gladio; plus roboris habere te in humero, quàm illa in brachio; plus fortitudinis habere te in incude, quàm illa in malleo.(a)*Te poter più sofferire, che ella ferire.* Victoria, & corona in perferendo sita. Nam vt Iacob. ait. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

(a) Te melius posse ferre, quàm illa ferire.

Quidam hœdus, vt est in fabulis, cum vidisset alios hœdos tradi necandos, & sacrificandos; aufugit: at vix elapsus incidit in lupos. tunc intra se desperabundus inquit, Nonne præstabat, si moriendum mihi erat, Dijs immolari, quàm à lupis deuorari? Ita dicat Christianus: Cum necessario in hac vita mihi aduersitates ferendæ sint, & tandem etiam mors; nonne præstat me hæc pati propter Deum, & in eius obsequiũ, seu obedientiam, quàm in gratiam mundi? Nonne præstat me in malis meis Deo offerri in sacrificium tolerantiæ; quàm per impatientiam eorundem, vel per tolerantiam carnalium & sæcularium afflictionum, quæ cum peccatis coniunctæ esse solent, offerri in prædam diaboli? Ita Dauid cum in persecutione Saül aduersus eum, cogeretur vagari in solitudinibus & cauernis; inuento Saüle ait, vt est 1. Reg. 26. *Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium.* Hoc est si vult me à te affligi, vel necari; acquiesco. recipiat me 1. Reg. 26.

me in sacrificium sibi. Ita dicat æger infirmitati. Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium. Filiũ tibi rapuit, vel rapit mors? Dictum idem vsurpa cum morte: Si Dominus incitat, &c. Ita in cæteris discurre.

Delusum se æstimaret homo, si diceres illi, offero, seu dono nummos, quos amisi, vel liberos, aut similia. tamen recipit Deus in sacrificium suaue quæ perdidisti, vt sanitatem, opes & cæt. modo supra dicto ei oblata.

Tob. 14. 4. Tob. 14. ait, *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* Homo dicitur hic indefinitè, hoc est quilibet homo. Ista societas malorum te solari debet, iuxta vulgatũ, *Solatium est miseris soc. habere in pœnâ.* Quot homines tot tecum patiẽtes habes, & consequenter tot consolatores. Si vnus homo tantum adeo alium consolatur, vt quasi benigna Circe fel internum amaritudinis in mel conuertat suauitatis; Prou. 27. 9. iuxta id Prouerb. 27. 9. *Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur.* (Bona cõsilia sunt, si hortetur amicum, vt necessitati, & Dei voluntati acquiescat, & similia) si inquam vnus consolator tanti solatij est, quid erunt tot consolatores? Plus dulcedinis est in lingua vna consolantis, quàm in omni melle totius mundi. Nam vniuersum mel non posset dulcem reddere animam, lingua vna potest. Nam bonis consiliis dulcoratur, vt dixi. At quomodo patientes consolantur patientem? Consolantur factis. Si tantum solátur verba, quantò plus facta? Etiamsi, vt vulgo dicimus, mundum tolerares afflictionum, mundum etiam habes consolatorum, scilicet omnes mortales. Si mundum haberes amaritudinis, mundũ habes dulcedinis. quomodo autem mundus, & mare mellis non poterit exiguum tollere amaritudinis? Nam *momentaneum & leue tribulationis*, est quod patimur.

Chrysostom. ait, *Mœrentium societas grauem tristitiæ vehementiam auferre consueuit. Sicut enim in onere, si quis ponderis partem susceperit, sibi ferentis sarcinam leuabit, sic & in omnibus alijs.* Fac igitur onus tuum esse quantumlibet magnum, si singuli homines, (eo quod cum homines sint, tecum omnes patiantur, vt probatum est) auferant particulam eius vel leuissimam, quid tibi superesit ad portandum? Subdit Chrysostom. *Itaque ne indignemur, neque nos in ærumnis solos esse putemus.* Si onus arenæ gereres, & quilibet homo vnicum auferret ex ea calculum, omnino onus auferetur à te; ita si tale sit onus tuæ calamitatis, euacuabitur totum.

Hanc consolationem præbuit Solon amico afflictione presso. Duxit illum in locum excelsum Athenarum, vbi cuncta vrbs conspiciebatur, & ostendit ei ædes vniuersas ciuitatis, dicens, si in has omnes ædes introspicias, nullam reperies, in qua sui dolores non adsint. Domus, cum ex lateribus igne decoctis plerumque constent, ex camino ignis prodierunt. domus pro familiis sumptæ in camino plerumque permanent,

nent, sc. tribulationis in igne. ignis enim in Scriptura passim tribulationem significat. Facilius est inuenire hominem sine oculis, quàm sine lacrymis, hoc est semper ita existentem.

In grammatica differunt verba Passiua à Communibus. At in grammatica patientiæ esse passiuum, & commune idem est. Commune est omnibus pati. Agesilaus princeps in conuentu populi coram se sedentis, clamauit per præconem, surgant sutores, & surrexere. Iterum clamauit, surgant fabri ferrarij, & ita de ceteris artificibus fecit certam ob causam. At si nunc omnes homines in vnum locum conuenirent, & diceretur, surgant fælices; nemo nisi stultus, & mendax surgeret: surgant diuites; neque multi comparatiuè ad multitudinem surgerent: si autem, surgant qui haud contenti sunt, qui suos patiuntur manes, hoc est suas aduersitates, omnes surgerent.

(a) Nulli bene facit, qui omnibus bene facit.
(a) Qui male facit omnibus, nulli male facit.

Si adagium est, (a) *Chi fa ben al commũ, fa ben à nessun*; i.e. Nulli bene facit, qui omnibus bene facit; ergo à contraria ratione dicere debet ij, qui tali vtuntur prouerbio, (a) *Chi fa mal al commun, fa mal à nessun*, quia commune malum non sentitur. Ergo dicendum, *Morbis nostris magis medentur vulnerati, quàm medici*, scilicet communicatione passionis nos consolantur, qui nobiscum affliguntur. Solent aliqui dicere adagium illud: (a) *A buon confortator non dolse mai la testa*, quod est illud Ciceronis, *facilè, cum valemus, recta consilia ægrotis damus*: ego, inquit, auxilio potius, quàm consilio. Sed in casu nostro; si bonis amici consiliis anima dulcoratur, quantò magis auxiliis? Sed, vt probaui, socij tribulationum auxiliis te solantur; nam tollunt partem oneris. Solantur te ægrotantem, sed non, cum ipsi valeant, vt ait Cicero. Confortatores sunt, sed quibus caput dolet, sicut & tibi. Sicut abundant passiones in Paulo, ita & abundant consolationes in Christo. At si loquamur de consolatione ex communitate patiendi, sicut abundant passiones, ita superabundant consolationes. Lecto libro quodam de consolatione afflictorum, & vtilitate tribulationis, quidam librum alloquens, ita cecinit (& nos cum illo ita canamus, cum tot laudes patientiæ audierimus) Cecinit inquam sic cum libro loquens:

(a) Bono consolatori non dolet vmquam caput.

Gaudebat mens nostra prius, te postea lecto
Exiliens animus percupit esse miser.

Tanta enim est vtilitas tribulationis, & patientiæ suauitas, vt qui hæc bene nocuerit, cupiat esse miser, vt sit felix patiendo.

2. *Deo gratiæ agendæ in bonis, & in malis.*
3. *Vita non nisi ad tolerandum vtilis.*
4. *Peccator laudat Deum tantummodo, dum recipit ab eo: iustus, etiam dum tribulatur.*

2. EXIGVA est tribulatio comparata ad culpam, quæ dimittitur; ad gratiam, quæ immittitur,

tur; ad gloriam, quæ promittitur. Gratias agamus cum tribulamur, dicentes, quod non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Chryſoſt. exemplo medici, qui æquè amandus eſt vngens, & pungens, dicit idem faciendum de Deo. ait enim: *Deus æquè laudandus eſt cum punit, & cum ſupplicio eximit. Vtraque enim ſunt curationis, vtraque bonitatis.*

3. Beata Tereſia dicebat: Domine, aut pati, aut mori, ſcilicet debeo.
Ioan.19. *ò patir, ò morire.* Ita Ioan. 19. cum dixiſſet, *Conſummatum eſt*, quaſi diceret, quod pati debui; poſtea ſubdidit, *in manus tuas commendo ſpiritum meum*, & emiſit ſpiritum: quaſi diceret, nil mihi vltra remanet quod agam in hoc vitæ meæ ſtatu præſenti. Vis audire gratias agentem de tribula-
Iſai.12.1. tione? Iſai. 12. 1. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.* Quanti meriti ſit hoc facere, audi Chryſo-
Chryso. In pſ. 9. ſtomum in Pſal. 9. *In bonis gratias agens, reddidiſti debitum; in malis, Deum conſtituiſti debitorem.* Vulgo aiunt (vbi à magnâ patientiâ quis commendatur) ille Iobi habet patientiam. Talis autem eſt, qui gratias agit etiam in malis; vtique patientiam Iobi retinet. nam is ait, *Dominus dedit Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

4. Hoc diſtat inter probum, & improbum; quod ille confitetur Deo, cumque laudat etiam in aduerſitate, hic tantum in proſperitate. Sicut bonus eſt Sacerdos, qui laudes Deo recitat, ſiue officium, etiamſi abſtulerit ab eo beneficium; ita malus eſt Sacerdos, ſi non recitat Deo officium niſi quamdiu tenet beneficium. Similis primo eſt ille, qui Iſai. Iſai. 12.
12. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.* Similis ſecundo, de quo Pſalm. 48. dicitur, *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*, ſcilicet tibi Pſal. 48.
Deo, vt apud Lorinum nonnulli exponunt. Hieronym. legit. *Laudabunt te.*

MENDACIVM.

2. *Mendacia inſignia in ſæculo noſtro ſunt. Mendacia ſcripta, maiora quàm vocalia.*
3. *Si horres tibi dici, Mentiris; Cur facilè mentiris?*
4. *Dicens mendacium non ſemper mentitur.*
5. *Panis mendacij nec vorandus credendo, nec alijs vendendus.*

1. QVIA præſens ſæculum anni milleſimi ſexcenteſimi videtur decimum ſextum, cum cẽtum anni vnum conficiant ſæculum: Ideo auctor quidam alludens ad plurima Mendacia, quæ ipſe dicit ſe ſuſpicari ſcripta eſſe ab aliquibus hiſtoricis huius temporis (quamuis quam veraciter id dicat neſcio) ſic cecinit, ludens in æquiuoco. (Id tamen de mendaciis in rumoribus diſſeminatis per verba, vel ſcripturas vulgo *gazette, ò riporti* in hac ætate noſtra locum habere poteſt.)

Numquid in octauo mendacia plurima vulgus

Edat,

Edat, An in quarto, quarũ, An in folio?

In decimo sexto mentitos plurima sæclo
Suspicor historicos quolibet in folio.

Verè sunt mendacia in folio, hoc est magna, seu magni ponderis, ea, quæ in historijs scribuntur, quamuis essent in decimo sexto in ratione codicis. Plus enim est rem mandari typis, & conscribi, vt euulgetur; quàm simpliciter enarrari oretenus. Item in decimo sexto multa sunt mendacia in folio, hoc est in nostra ætate non desunt insignia mendacia in hominibus, præsertim vigente adulatione, & obsequiorum aulicorum copia. In scriptura ergo duplici sensu sunt mendacia in folio: nempe, in charta & in ratione magnitudinis. mendacia in papiro, sed non ex papiro: ex calamo, seu pennis, sed non leuia; immo plumbea, & diu permanentia.

3. Idem auctor, qui supra acutè cecinit in mendaces.

Mẽtiri caue militibus ne dixeris vnquã.
Maius eo nullum dedecus esse putant.
Mentiris tantum qui dedecus esse putatis,
Mentiri quare creditus esse decus?

4. Celius Calcagninus in suis dictis moralibus, cum mendacium faciat esse quod non est verum, licet forsitã nõ putatum, falsum, sic ait: In primis te mentiri nolim, tum nec mendacium dicere. alterum à bono viro, alterum à prudẽte præstari oportet. Omnes qui mentiuntur sunt mentientes, sed non omnes qui dicunt mendacium sunt mendaces. non est prudens qui sæpè dicit mendacia; eo quod ipsa credat: quia: *Qui citò credit leuis est corde*, ergo: *Ne mentiaris, vt deci-piens, neque mendacia dicas, vt deceptus.*

5. Verè *suauis est homini panis mendacij*, Prou. 20. Vt est Prou. 20. huius panis te nolo pistorem, nolo emptorem, nolo venditorem, nolo voratorẽ. Ne sis huius panis pistor. & hic panis non sit tui pastor: hoc est, vt se ipso te pascat, dũ credulus illum deglutis, vt postea mẽbris tuis, vt solet panis vsitatus, hoc est proximis tuis illum dispertias, nam sumus inuicem membra.

2. *Mendacium non nisi cum cerebro erui potest ab ipso cerebro.*
3. *In vino veritas.*

2. A Deo radicatum est mendacium in hominũ cerebro, vt nisi cum ipso cerebro seu mente è capite euulsis possit ab homine auferri. tunc enim nescit mentiri homo, & veritatem spontè & simpliciter profert; cum mentem amisit per insaniam, siue per ebrietatem, aut etiam per somnum. vnde de ebrietate est illud: *In vino veritas.* & Prou. 31. 4. Prou. 31. 4. *Nullum secretum est vbi regnat ebrietas, & cor stultorum in ore eorum.* Nonne te pudet, quòd ratio te non perducere possit, quo stultitia, & ebrietas perducunt stultum, & ebrium?

3. *In vino veritas.* ideo cum Cretenses dicantur fuisse semper mendaces, videntur vina generosissima, quæ Cretica dicuntur, accepisse non vt bibaces essent; sed vt si tales forent, vel sic saltem compellerentur veritatem dicere, quam sobrij non dixissent. Creta destruit secreta: dolium eijcit dolum: in aqua videntur vultus hominum, in vino corda.

2. *Mendaces etiam verum dicendo mendaces sunt: ignoranter verum dicunt.*
3. *Veritatem eiecerunt è viuis, immo & è mortuis.*

1. MENDACIBVS & simulatoribus inuitis aliquando, & imprudentibus elabitur veritas; ita vt tunc errent, cùm errare non faciunt tunc decipiantur, cum non decipiunt, vel de huiusmodi fictis dici potest, & erit venustius: *Aut decipiunt, aut decipiuntur.* Error Italicè dicitur *vna scappata*, quod verbū fugam etiā significat, dici ergo potest, (a) *quando la verità dal doppiosa vna scappata, il doppio ne fa vn' altra.* Ita mēdax mendax est etiam cum mendax non est, etiam cum veritatem dicit, mendacium enim est aliud in corde, aliud in ore habere: vt in eo casu accidit. Alios pœnitet peccasse, ipsum pœnitet non peccasse, eo quod æstimet se non peccando peccasse. Hic est auari frater, immo & auarus veritatis, sicut ille pecuniæ probatæ. nam auarus pecuniam habens adulterinam, aut alios non probatam, non nisi casu, & ignoranter tradit alteri nummum bonū, & (vt est Ecclesiastici 14. 7.) *Et si benè fecerit, ignorāter & non volens facit.* Ita & hūc pœnitet operati boni, & nō operati mali. (b) *L'auaro sospira dieci giorni sopra vn soldo, che gli scappò in cābio d'vn quattrino.* Sic ergo simulatorem pœnitet effudisse veritatē pro mendacio (nam quæ dicuntur, sunt nummi de thesauri cordis, nam *bonus homo de bono thesauro cordis profert bona*, consule Scripturam) ille dolet ob bonum elapsum è buccà, auarus ex bursa.

(a) Errat mendax, cum veritatem dicit.

Eccl. 14. 7.

(b) Decē dies flet auarus, si imprudens assem expenderit loco teruncij.

3. Veritatē eiecērunt ex viuis. Vnde Alphonsus Rex sapiens cognomēto, dicebat se ad mortuos, hoc est ad libros cogi descendere, eo quod in viuis veritatem non inueniret. Mortuos vocabat libros, eo quod sine anima sunt, vel fortasse etiam, quia plerumq; auctores eorum iam obierunt. Liber dicitur liber, vnde liber in dicendo esse deberet. Tamen video, quod hodie nec liber potest esse liber. vnde quidam ait (eo quod qui scribat historiam cogatur reticere aliqua & alia adulationis gratiâ dicere) *Qui volet historiam scribere, seruus erit.* Veritas ergo nec in mortuis reperitur.

Immo hac ratione homines, cum per totam vitam mentiti sint, & adulati fuerint, etiam in sepulchris, & in alio mūdo (vt ita dicam) prosequuntur artem huiuscemodi, & per totum sæculum, in quo libri victuri sunt. Quasi parū sit in omni vita fuisse mēdaces. Hoc est mendacia (quasi corpora principum essent) balsamo cōdire, ne corrumpantur: vel (quasi homines iusti essent) vitam æternam illis præbere.

Psaln

2. *Adulandi causâ scribendo mentiuntur.*
3. *Si vera & solida sunt vanitas vanitatum, quid erunt falsa, & vana?*
4. *Mendaces ideo carent mente, quia duplici sunt mente, & corde.*
5. *Deus hos fugit quasi terrefactus.*

Eccl. 1.

2. SED aiunt quod quidam olim, *Malum est scribere contra eum, qui potest proscribere.* Penna timet pœnā; & temperatur magis ad scribendum à gladio magno, quàm ab exiguo. Pla-

cet quod tẽperetur, nempe ne intẽperans fiat. Sed multi ſcribunt non quod dictat illis ſciẽtia, vel cõſciẽtia. non ſcribendũ quidem ſemper quod dictat ſcientia; ſed ſemper quod dictat cõſcientia, hoc eſt non recedendum ab illa. Non errat qui ſcribit, ſi ſcribat quidquid ei dictatur à ſapiẽte, & qui errare non ſolet, vel potius non poteſt: qualis Deus eſt, &

Pſalm. recta conſcientia. *Lingua mea*, ait ille, *calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Scriba ſcribit quod ei Iudex, ſeu Princeps dictat. talis erat Deus in Dauidis ſcriptura. At etiam ſcriptor mundi aliquando dicit, *lingua mea calamus ſcribæ.* dicit facto, ſi non verbo, ſcribit enim velut ſcriba quidquid ei dictat iudex ſuus, princeps ſuus, hoc eſt pro eius libito, vel potius libidine. ſcribit vt ſcriba mercede conductus. quia ſcriba hic nil de ſcriptura, & qualitate rerum ſcriptarum curat, dummodo currat ei pecunia ſua: ita liber ſuus eſt ſeruus, quia venditus eſt.

Eccl. cap. 1. 3. Eccleſiaſtes cap. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Omnia, quæ in mundo ſunt mẽdacia ſunt, vana ſunt reſpectu ſcilicet æternarũ rerum, & ſpiritualium. immo ſunt mendacium mendaciorum, quia vanitas vanitatum, vmbra vmbræ, ſomniũ ſomnij, cum tamen etiam vera ſint, & multa ex eis ſolidiſſima, & maximæ durationis. Si ergo hoc verũ eſt de veris rebus, quid dicẽdum de rebus mendacibus, de mendacijs, & vanitatibus ipſis? Certè non ſolum vanitas vanitatum, & veraciſſimè mẽdacia mendaciorum, ſed dici debent vaniſſimũ vaniſſimorum, ſuccus & quinta eſſentia omnis vanitatis, & nihil omnis nihil. Si corpus vmbra eſt, quia vanitas; quid erit vmbra ipſa vmbræ? Quid ergo clamandũ niſi illud Pſalmi quarti: *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendacium?* Vt quid fatuo corde, & intellectu quaſi Narciſſi, aut canes Æſopi, relicta veritate rerum, diligitis vanitatem, & quæritis mẽdacium?

Senſus de mendacio Verborum fit per accommodationẽ, vel ſecundarium.

4. Adde, fatui ſunt mendaces, & duplices animo: & quia mente cõſtant plus quàm vnâ, hoc eſt duplici, ideo dic quod neque mente præditi ſunt quia habẽt cor duplex. cor enim pro mente ponitur ſæpè. Ideo certum eſt quod non habent cor ſimplex. qui autem non habet ſimplex cor, nullũ habet cor; quia ſimplex vnũ ſignificat, & ſimul purum, qui autẽ duplex habet cor, & nõ ſimplex, ſi per id perueniat ad peccãdum grauiter, is iam in Scriptura dicitur fatuus; & conſequenter ſine corde, ſiue amentes hoc eſt ſine mente. En igitur miraculum, quomodo plus ſit vnum, quàm duo. Haud bene cernit homo, niſi habeat duos oculos corporis: at cæcus eſt & manu tẽtans, ſi duos habeat oculos cordis, hoc eſt, ſi eſt duplex animo. nam cæcus eſt, quia peccator. *excæcauit eos malitia eorum*, de quibuſdam peccatoribus dicitur. *Quis cæcus, niſi ſeruus meus?* Inter cæcos nempe peccatores; imo inter duos habentes oculos cordis, monoculus, hoc eſt iuſtus eſt rex, & magis erit in alia vita. Quod autem hic duplex careat omni intellectu. Sap. 1. 5. Sap. 1. 5.
Spiritus enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Hoc eſt qua-

les sunt ficti homines.

5. Spiritus effugiet fictum, quasi videatur territus ipse Deus, & in fugã coactus à spectaculo, seu spectro tã deformi & horrido, quale est homo fictus & duplex. cum enim mendax sit, est peculiaris filius dęmonis. Nam ille est pater mendacij, & serpens callidissimus. Si ergo filius est imago patris, vide quam horrendus visu sit fictus. Homo vt factus, est à Deo: vt fictus, à diabolo.

2. *Quærentes astutiam perdunt mentem, fiunt bestiæ.*

3. *Adulatio etiam in bestias transijt.*

2. FABVLA est, quendam, vt astutias probè calleret, vel potius improbè, obtinuisse à Dijs vt ad certum tempus in vulpem, & deinde in serpentem mutatus viueret. Cum verò talis esset effectus, obtinuit quidem astutiam vulpis, & serpentis, sed perdidit rationem, & sapientiam hominis. vt saperet, cõparatus est insipientibus: cum lanã quæreret, tonsus est. Fabula narratur mutato nomine de te. Id dicendum duplici & ficto. Is enim in vulpem ex homine transit, vt sapiat. Vnde de huiusmodi versato viro dictũ est: *Ite & dicite vulpi illi.* at acquirendo vulpinã sapientiam, perdit sapientiam veram; & sapientia eius *terrena est & animalis.* Desinit esse homo, dum fit serpens. *Cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Alij apud Lorinum legunt bestijs, seu brutis. Cogitationes ergo ficti sũt sine intellectu. Facit & quod sequitur: *Hæc via illorũ scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt.* Hæc via scãdalum illis est: efficit, vt cadant à statu, & sapientia meliori. & tamen *in ore suo complacebunt*, quasi maiorẽ adepti prudentiam: gloriantur in austutia sua.

Luc. 13. 23

Psal. 48.

3. Veritatem eiecerunt extra homines, ita vt aliquando dixerit Dauid, *Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax.* Facit quod quidam dicebat, solus equus meus non adulatur mihi, & veritatem à me non subtrahit. Si enim ipsi rectè insidere ignoro, me à se discutit. Attamen etiam in equos adulatio transiuit, nam notum est, equũ Alexandri magni nudatum regijs operimẽtis quemlibet insidentem pati solitum; at ijs ornatum, regem tãtummodo sustinuisse. Psal. 61.

2. *Mendacium fabricant vt arcem refugij.*

3. *Mendacium vt fabrica ab vno lapide paulatim crescit.*

4. *Vna hirundo non facit ver: garrulus vnus mendacium spargit in omnes.*

5. *Leui fundamento fabrica mendacij surgens, in caput ædificantium ruit.*

2. IOb 13. 4. *Prius vos ostendens fabricatores mendacij.* Quasi locum munitum mendacium ædificant, ad quẽ locum se in tutũ recipiant, vbi se ab aduersarijs tueantur. Sic quãdo mẽdaces arguũtur huius, vel illius culpæ, aut erroris; statim, vt se tueãtur, ad mendacium recurrunt, quod repente ædificant, vel iam ædificarũt præuidentes periculum. Vel enim falso negant quod eis opponitur, vel confictis excusationibus & mendacijs quasi tecto aliquo se contegunt. Iob. 13. 4.

3. *Fabricatores mendacij.* Initium fabri-

fabricæ est ab vno lapide, vel latere: at paulatim lapide super lapidē imposito, surgit ædificium in turrim Babel. Ita ex primo ac debili rumore sparso, vel ex tenui re enarrata, alio & alio enarratore nouos addente lapides, ex re tenui surgit in immensum. Absalon occiderat Ammon: en vnus lapis. alius fortasse addidit alterum lapidem, dicens necasse etiam fratrem alium. ędificatio non substitit, donec consummata sit multiplicatis ædificatoribus, ita vt fama perueniret ad regem Reg. 2 30. *Percussit Absalon omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem vnus.* Insulæ quædam Baleares dictæ, vulgo Maiorica & Minorica, vicinæ inter se. Vnde facilis transitus ab vna ad aliam, hoc est facilè verbis rem auditam augemus, vel minuimus.

l.61.

Reg. 2. 30.

4. *Vna hirundo non facit ver.* Hirundo Symbolum garruli. Vnde est inter Pythagoræ Symbola, *hirundinem sub tecto ne recipias*. cum ergo vnus garrulus breui multos efficiat garrulos, nempe rumore ijs communicato, quem Vnus statim alteri etiam cum additamento communicat, ideo non amplius verum, vna hirundo non facit ver; sed, vna hirundo facit ver. quia vna hirundo facit multas hirundines. Sed addo etiam quod plures hirundines non faciunt ver, hoc est non faciunt verum: quāuis sæpè soleant facere ver, hoc est partem veri, quia quod plures affirment in populo, sæpè in parte verificatur, vel fundamentum aliquod habuit. Sic erit ver, non tamen verum. verbum hoc ver est initium, & pars verbi verum.

.13.

5. *Fabricatores mendacij*, edificant sæpè: at non super firmam petram, sed super arenam. Super duo verba leuiter à garrulo prolata, super leue indicium, præsertim contra proximi famam. Inde est quod vulgo dicitur, mendacia breuia habere crura. cito enim turris illa leui fundamento, & aëri innixa corruit, & sæpè cum nece fabricantiū. quia qui læsi fuerunt per hos mendaces, conuictos illos falsitatis suæ, docent per baculum vltionis in posterum solidius ædificare, ne iterum iniquitas eorum in verticem ipsorum descendat, fabrica nempe super caput fabricantium.

2. *Confirmant quod semel mentiti sunt.*

3. *Materia malè & falsè dicendi de nobis non præbenda, vt sileant.*

4. *Miscent quædam vera, vt credantur falsa.*

5. *Mali aduocati, aut confessarij mendacia falsasque adstruunt sententias lucri causa.*

6. *Mendaces libentius distrahunt falsos nummos mendaciorum, quàm veros.*

2. F*Abricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum.* Homines si mendacium protulerint, & auctores fuerint peruersi dogmatis, falsique dicti; sæpè illud tanquam veraciter & sanctè dictum defendere conantur: quasi summi Pontifices essent, & eorum pronunciata oracula, sic ea statuere volunt. Italicè (a) *voglion canonizar le lor opinioni, & adorarle come sante.* Hebraicè est *medici*, non *cultores*. Pineda explicat verbum *cultores* propriè significare curatores, quod idem valet ac medici. Iob 13.

(a) Volūt canonizare suas opiniones & pro Sanctis tali adorare.

Cum ergo domum mendacij ædificarint, quę quia debili fulcitur fūdamento, incipiat infirmari; medici ipsam statim curare & reparare aggrediuntur, ne corruat. non cecidit (inquit) de verbis eius in terram. pulchris dictis & mendacijs alijs conātur sustentare turrim, ne in terrā corruat. Ezech. 13. 6. *Vident vana, & diuinant mendacium*, & cet. & addit, *Et perseuerauerunt confirmare sermonem.*

Ezech. 13.6.

3. Fabricatores mendacij. Doles, quod de te mendacium sit fabricatum, hoc est contrà te? Nunquid ædificant absque materia? Ne porrigas ergo materiam illis, & non ædificabunt. Iudith viuebat modestissimè clausa cum ancillis suis, non exhibebat materiam de se loquendi malū. Vnde dicitur c. 8. *Nec erat qui loqueretur, de illa verbum malum.*

cap. 8.

4. Fabricatores mendacij, potest etiam dici, quod aliquando, qui mendacium, aut calumniam, aut falsum dogma struere disponit, ita se habet, quasi qui ædificare constituit. quia primo iacit fundamenta futuræ fabricæ sustinendæ congruentia; deinde erigit ædificium: imò ante hæc exemplar ædificij conficit. ita mendax iacit fundamenta mendacij, dum quædam probabilia, & solidiora commemorat, ex quibus fidem dicendis faciat falsitatibus: deinde ad mendacium erigendum venit. Imò quasi architectus mendacij ipsius, & totius fabricæ, exemplar eius & ideam excogitat.

5. Fabricatores mendacij sæpè sunt improbi aduocati, & sunt etiam medici peruersorum dogmatum: si quis enim causam aliquam non solum infirmam, sed pene deploratam habeat; ad aliquem horum medicorum accurit promissâ pecuniâ, si illam sanet: at ille, Ne dubites, statim curabo eam. Idem à fortiori dicendum de confessarijs huiusmodi farinæ. nam si peccator videat suum dogma peruersum, & falsum sauciari (vt ita dicam) vocibus cōcionatorum, vel aliorum sapientum; verbi gratia opinionem, quam tenet in eo contractu, vel in alia re: statim recurrit ad medicos, ad curatores peruersorum dogmatum, qui aiunt: Securus esto: scrupulosi sunt illi, qui contradicunt huic sententiæ. Ita fabricato mendacio, hoc est falso alio discursu constructo, quasi medicamine apposito conualescere faciunt dogma illud in mente hominis. Cultores etiam sunt peruersorum dogmatum: quia ex cultura talium ęgrorum vel curatione fructus, metere sperant.

Aldr. lib. 11

6. Fabricatores mendacij sunt, qui mendacia componunt. Hi verò sunt velut fabricatores adulterinæ pecuniæ; nam verba sunt nummi, qui de thesauro cordis proferuntur: vnde *bonus de bono thesauro profert bona.* qui autem faber est falsæ pecuniæ cupidus maximè est distrahendæ huiusmodi monetæ. Sic qui vel fabricator est mendaciorum, vel etiam in crumena cordis habet ex monetâ huiusmodi falsâ non exiguam quantitatem; is eam distrahendi cupidior est longè amplius quàm probati argenti. Dæmon cupiens mēdacium serere in solo primorum parentum,

tum, sciens humū molliorem aptiorem esse ad hoc, ad mulierem se conuertit, eo quod à mollicie mulier sit appellata, vt aiunt.

2. *Etiam bruta mentiri docuerunt.*

3. *Mendax dicit se amare verum, quod ex se non patiatur exire vnquam ipsum.*

4. *Præmeditatu falsa non excidunt inuitis.*

5. *Mendacium neminem decere, inductione probatur.*

2. ETiam bestias docuerunt vitium mentiendi. Aldrou. li. 11. auium, refert Londini psittacum decidisse de palatio Henrici VIII. Regis ipso regnante in Anglia. Cumque clamaret, vt solet qui egent nauiculâ conductitiâ, *cymba cymba*, *etiam duobus aureis*; nauicularius ipsū ex vndis eripiens in suam nauiculā recepit; sciensque esse regis, ad ipsum detulit: poposcitq; pretiū. at rex, Vis (inquit) interrogemus psittacum super quātitate mercedis tuæ? Interrogat; at bestia, da inquit solidū nebuloni. antea tamē promiserat duos aureos (vt dixi) ei, qui cymbam sibi locasset.

Aldrou. lib. 11.

3. Dices te amare veritatē, in cordeque eam retinere; nec exire de ore tuo eam te pati vnquam: & custodem in porta collocasse mendacium, vt ei prohibeat exitum. Non est hoc ipsam veritatem amare, sed humare, nempe sepelire: *Sepulchrum patens est guttur* istorum, *qui linguis suis dolose agunt*. sepulchrum, non solum in sensu communiter accepto, sed etiam in nostro. non amat veritatem ille, cui illa est in corde, sed cui illa est cordi. nam (vt indicaui) mendacibus est in corde: sed dum nolunt eam parere, volunt eam perire: negādo natiuitatem, inferunt mortē. Ecclesiastici 19. 10. de verbo audito aduersus proximum ait, *commoriatur in te*: ergo dum non profers veritatem, illam enecas. Item aiebat quidā dicenti sibi quod spiritus malè illi oleret. Non mirum, nam plura intus sepulta ac corrupta retineo: voluit intelligi secreta, ergo sepelis veritatem. Vulgo aiunt: *egli è pien di bugie marcie*, hoc est, ille marcidis scilicet meris plenus est mendacijs; ergo hic homo (a) *haue la bocca piena di marcie bugie, & il petto di marcie verità. Le sue son bugie marcie, e pur in bocca non le lascia marcire, anzi ne anco le lascia maturare; ma così fresche le precipita, anzi esse precipitano lui.* Psal. 51 6. *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem*; præcipitationis inquit, non enim tā præcipitata sunt quam præcipitantia. Ecclesiastes 10. 12. *labia insipientis præcipitabunt eum*. quo? in verba temeraria, & mendacia, in quæ incidimus sæpè ob inconsideratam loquendi præcipitationem. stultus enim effundit totum spiritum suum: sacco os dissoluit, & effundit indiscriminatim nuces bonas & vacuas, bonas & malas; nempe res veras & falsas, ac inanes, etiam iustas & iniustas. si iratus est, sacco os dissoluit, vel potius abrumpit saccum, (a) *& vien alle brutte del sacco*.

Ecclesi. 19. 10.

(a) Habet os plenū marcidis mēdacijs, & pectus marcidâ veritate. Illius sūt mēdacia marcida, & inde in ore non finit marcescere, imò nec finit maturare; sed adeò recentia præcipitat, imò illa ipsum met præcipitant.

(a) Ad sordes sacci venit.

4. Inde Stob. ser. 42. ait. Apud Licios testimonium dicturi in iudicio, antea integro mense certiores fiebant

Stob ser. 42.

bant

bant de hac re, ne subito interrogati laberentur in mendacium. O si testimonium dicturi, seu locuturi contra proximum, vel de re alia alicuius momenti sententiam laturi, saltē per momenta aliqua semper præcogitaremus; quàm pauca errata contingerent, & mendacia.

5. Mendacium neminem decet. Si pauper es, & cares re; saltem (vt cum vulgo loquar) non careas realitate. Si in te est mendicitas, saltem non sit & mendacitas. Si duplicibus non es indutus in corpore; saltem nec sis in anima. Si caro tua est frigida, saltem non sit anima callida, vel calida, vtpote sub vulpina pelle, iuxta illud *Animi sub vulpe latentes.*

Si diues es; ne mētiaris. si pauperis non pateris pœnam, nec contrahas culpam. Vnde odit Sapiens inter alia

Eccl. 45. 4 *diuitem mendacem*, quod mendacitas pauperum propria sit. Si pauper tuam non participat substantiam, cur tu eius qualitatem? Si solidis, nēpe rebus, vis plenum corium (vnde scilicet crumena confecta est tua) cur inanibus vis plenum, seu potius va-

Psalm. 5. cuum cor? Psalm. 5. *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.*

Si puer es, ne mentiaris. pueri enim dicuntur quasi puri: monstrum est & portentum, vt iam duplicem habeant animum, qui necdum vnum integrum habent corpus. turpe, vt qui necdum sunt compotes mētis, iam sint participes mentiendi; & quos ætas facit agnos, faciat malitia vulpes: qui ob simplicitatem, seu pueritiam aptissima dolia sunt ad recipiendum liquorem mendaciorum, ipsi ex dolijs caupones effecti, alijs velint propinare, & vendere hoc vinum. *Reuelasti ea paruulis*, hoc est simplicibus, nam tales esse debent pueri.

Si senex es, ne mentiaris. Eleaza- Elezar 2.

rus 2. Mach. 6. *Non enim ætati nostræ* Mach. 6.

dignum est, inquit, fingere. qui vas suum fictile, (unde fingere dictum est) paulò post confringendum videt per mortem, & sub terra recondendum; tunc figulus aut fictor fieri volet? Qui ætatis priuilegio alios corrigit à mendis, subiacebit ipse mendacijs? Qui nolebat in iuuentute decipi, volet ipse in senectute decipere? Quem ætas totum fecit canitie candidum ad puritatem, & candorem, simplicitatemque animi docendam; volet per duplicitatem, & mendacia fieri discolor in anima, vel ex mustellâ albâ vulpes rubea?

Si vir es, ne mentiaris. hoc enim potius muliebre. aiunt quidam, femina est naturæ mendum, adderem ipse, sed & artis mendacium.

Psal. 61. *Omnis homo mendax*, a- Psal 61.

lij legunt *mendacium*. Dicerem potius omnis mulier mendacium, quia non solum ore, sed toto corpore fuco & pompâ supra conditionem suam ornato, aliam quàm sit, se esse mentitur. Si fœmina es, ne mentiaris: ne vitio proprio notam confirmes communem. Italicè vulpes in feminino genere accipi solet, licet & marem significet. signum, quod duplicitas sit mulieris propria. Eccle- Eccles. 25.

siastici 25, 26. *Breuis omnis malitia su-* 26.

per malitiam mulieris.

AMBI-

AMBITIO.

2. *Peccantes in regimine punientur, licet ad illud coacti, quid ambitiosè intrantes?*
3. *Rationem pro aliis reddent multi, qui pro se non sufficiunt reddere.*
4. *Sancti etiam Deo iubente regimen metuunt, quid faciendum peccatoribus?*
5. *Hugo Cardin. moriens mallet leprosus obire in cellula sua.*

Hom. 34. Hebr. 13. 17. 2.  HRYSOSTOM. Homil. 34. super id Pauli Hebr. 13. 17. de Prælatis: *Ipsi enim peruigilãt, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quid dicemus inquit infelicibus illis, & miseris, qui semetipsos ad alios regẽdos præcipitant, & se in tantorum suppliciorum abyssum iactant? Omnium, quos regis, mulierum, puerorum atque virorum, tu rationẽ redditurus es. Tanto igni tuum subiicis caput. Post tantam tamen cõminationẽ, quam negligentię videmus illatã, video aliquos etiam concurrere, & præcipitare semetipsos tantę moli, & tãtę difficultati regiminis: si enim qui necessitate compelluntur, nullũ poterãt habere refugium, nec vllam excusationẽ reperient, quando res malè tractauerint, quantò amplius qui cum studio, & ambitione petunt principatus, seueriùs punientur? Hæc Chrysostom.

3. Et D. Thomas ad eadem verba Pauli ait, Hoc est maximum periculum de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit. 3. Reg. 20. 39. *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Reddent enim Prelati in die Iudicij rationem de sibi commissis, quando fiet eis illa quæstio Hierem. 13. *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclitum tuum:* ita D. Thom. 3. Reg. 20. 39. Hiere. 13.

4. Exodi 4. Moyses valde institit, ne Dux populi eligeretur à Deo, dicens: *Obsecro Domine, non sum eloquens: mitte quem missurus es:* hoc est, ad Pharaonem. De qua re Greg. 1. p. Past. c. 7. Hinc ergo quique præcipites colligant, cum quanta culpa ex appetitu proprio ceteris præesse non metuũt, si Sancti viri plebis regimen Deo etiam iubente timuerunt. Moyses trepidat suadente Domino; & infirmus quisq;, vt honoris onus suscipiat, anhelat. Te ipsum portare vix potes, & humerum ponderibus submittis alienis? Quę egisti, ferre non vales; & auges quæ portes? ita Greg. Alluditur his eius postremis verbis ei, qui visus est in Sylua, cum non posset falcẽ lignorũ in humeros tollere, quod nimis grauis esset; illum depositum augebat, quasi sic faciliùs laturus esset. Exodi 4. 1. p. Past. c. 7.

5. Chronica S. Dominici 1. p. c. 65. habet de Hugone Card. quod morti proximus dixit multis adstantibus: Mallẽ mori leprosus in cellula olim meâ, quàm extrâ ipsam Cardinalis: Dic tu ferè omnes diuites factis, nedum dictis, similẽ in hac parte pronunciare sententiam. Quid enim est id quod apud nos in vsu est, diuites sæculi habitu monachorũ velle sepeliri, nisi dicere cum Balaam Nu. 23. 10. *Moriatur anima mea morte iustorum,* 1. p. c. 65. Nu. 23. 10

& fiant nouissima mea horum similia?

2. *Honore ascendēs, sæpè descendit spiritu.*
3. *Crescendo minor fit ambitiosus: exemplo vini aquâ crescentis:*
4. *Item oculi ictu tumefacti.*

2. AMBITIOSVS per ambitum, & ita conquisitum honorem sæpè ascendendo descendit, & acquirendo perdit. Exemplû in his, qui ex cuniculis subterraneis puluere tormentario in eis accenso in aërem sublcuantur. Videntur enim exaltari, cum tamē pereant: & corpus ascēdit, at animæ (cum tales sæpè sint infideles, vel mali homines) inferius descēdūt ad Tartara. Ita vt de eis verificetur illud: *deiecisti eas, dum alleuarentur*: Ita Greg. in registro suo ait, Qui nititur (sc. per ambitum) ad altiora conscendere, quid aliud agit, nisi vt crescendo decrescat; & ascēdendo exterius, interius ad profunda descendat?

3. Vinum in dolio, cum exiguum esset, certè infusâ multâ aquâ crescit; sed crescēdo decrescit. nam hoc modo dicitur perdere virtutem (sic enim vocatur vigor, & facultas eius ad alimentandum) ita ambitiosus dū crescit, decrescit, vt ibi ait Greg. quia virtutem amittit animi. Item vinū antequam creuisset, erat & vocabatur: vinum generosum, hoc est, nobile. item erat vinum magnum, & ita vocabatur; quia carebat aquâ & erat optimū. At dum magnū visum est fieri, tunc paruum vinum cœpit esse; sic enim vocatur id, quod tenue est. Idipsum euenit de ambitioso, qui dum per honorē videtur honorari, & nobilitari, perdit potius nobilitatem; quia *Qui contemnunt me erunt ignobiles*: 1. Reg. 2. & dum magnus fit, verè fit paruus. i. e. Tanquam vinum generosum, per aquam ambiti honoris generositatē, scilicet veram nobilitatem, perdit.

4. Crescendo decrescit ambitiosus, vt ait Greg. & aquirendo perdit. Crescit alicui oculus ex percussione, & tumore magno. nonne verum est sæpè quod ille oculum perdit? Dici solet, ille miser de die in diem plus oculū deperdit, eo quod semper magis cæcitati appropinquet. At quomodo perdit oculum, cum potius maiorem illum semper acquirat, cum semper ipsi accrescat? Sed cum virtutem visiuā perdat, oculus verè dicitur perdi. Crescit quidem; sed hoc incrementum est potius decrementum. Crescit ambitiosus. At quia per tumorem, & per animi vitium, scilicet per ambitionem crescit; ideo crescendo decrescit.

Fac hominem quendam velle oculo amici sui benefacere: & vt id præstet pugni percussione validâ, vel iteratâ eum valde magnum reddere, tumore scilicet superueniente. An credis (si oculus ille rationem haberet, & loquelam.) id pro fauore reciperet, & amico se magnum facienti gratias ageret? Mundus aliquando te magnum efficit conferendo dignitatem. At cum tumore tuo & percussione ac plagâ tuæ animę id præstat. Et tu putas beneficium, & pensionē magnam reddis illi gratiarum? Verè ex hoc apparet, te oculū esse ex percussione, & tumore ferè excæcatum, eo quod ponas tenebras lucem, & lucem tenebras. Excæcat te, dum te oculum magnum facit, & tumidum: nam,

Reg.3. nam, vt Doctores scribunt communiter, cæcitas est filia superbiæ. Vnde & ob hãc cæcitatem non amplius agnoscis amicos veteres, vel consanguineos prę superbia, quod tibi nimis exigui videantur respectu magnitudinis tuæ, illos scilicet despicis, & tamẽ hoc pro ingenti beneficio reputas?

2. *Conquerentes de onere regiminis, mendici sunt gementes in plagis quas amant.*
3. *Pueri sensu, sæpè prælationes obtinent:*
4. *Iidem voluptatibus, & adulationibus seruiunt.*
5. *Ex honore pueri, & stulti fiunt.*
6. *Magistratus virum indicat.*
7. *Inepti ob regimen damnantur.*

2. QVIDAM verè afflicti curis, & occupatione molestâ dignitatum quas gerunt, de hoc conqueruntur, vocando munus suum onus maximum & crucem. Si quis tamen crucem hanc vellet ab eis auferre, in aliam crucem ipsum ageręt. Hi mihi videntur fratres esse eorũ ægrorum mendicantium, qui tota die gemunt secus viã sedentes super plagas suas, easque cunctis ostentant misericordiam implorantes. Si quis tamen eas ab eis auferre vellet sanando, id pro maiori plaga acciperẽt. Amant enim plagas suas, vt quæ licet molestę sint aliquo modo, tamẽ quia sibi fructificant eleëmosynas, simpliciter nõ dimittendæ putantur. Vnde de quodam mendico ægrotoque legitur, quod cum audiret aliquos sui similes sanatos fuisse à quodam Sãcto, dum eius sanctum corpus sepeliretur, ipse cœpit fugere ab eo corpore, ne sanaretur, ideoq; dicunt quidam non frustra interrogatũ fuisse à Christo cæcũ illum, *Vis sanus fieri?* Antequam sanaretur; vt aliis nempe ostenderetur eum cupere sanitatẽ. Sic ergo hi ambitiosi, licet gemant de onere & sub onere, ostententq; plagas suarũ molestiarum, tamen, quia eis fructificant fumum gloriæ, & fructum diuitiarũ, nollẽt omninò ab his vlceribus sanari. Bene Greg. super Ezechielem de similibus ait: Quibusdam nihil laboriosius est, quàm si eis præcipiatur, vt in huius mundi actibus non laborẽt.

3. In puppi esse significat esse prę latum in Republica, vel cõgregatione: metaphora ducta à naui, cuius gubernator eam regẽs in puppi cõsistit præsertim cum ea pars nauis sit eminẽtior cæteris. Hęc verò Italicè dicitur *La poppa*: quæ vox etiã vber significat eodem in idiomate. Quidã ergo introducit aliquem conquerentẽ ac dolentem, quòd multi ferè pueri vel pueritiâ, vel saltẽ puerilitate, gradus ambiendo obtinerent. Huic alter respondit: *E che merauigilia se li fanciulli vanna à poppa?* i.e. Quid mirũ si pueruli mammã petant? Facit huic illud Isa. *Dabo pueros Principes eorũ, &c.* allusio est in ęquiuoco vocabuli *Poppa*. — *Allusio in Italica voce Poppa.* — *Isa.* 3. 4.

4. Cum verò etiam vber sit symbolum consolationũ, & deliciarũ iuxta illud Isa. 66. 11. *Ab vbere consolationis eius* & adulationum, Prou. 1. *Si te lactauerint peccatores*, iuxta eandem vocem Italicã *Poppa* pro puppi, dici potest, non esse mirũ, si primates in naui Reip. vel familiæ deliciis affluant & habeant consolationes suas: vel etiam adulationibus repleãtur (a), *Poiche stan sempre à poppa.* & verè locus supremus est — *Isa.* 66. 11. *Prou.* 1. — (a) Quãdoquidẽ semper in puppi sunt, *siue* pendent ab vberibus.

eſt vber: quia in eo poſiti homines lacte deliciarum, & adulationum af-fluere ſemper volunt.

5. De eo,qui ex aliqua re(vt aiunt) colliqueſcit voluptate; nos dicimus *Egli latta*, hoc eſt, lac ſugit. lac ergo ſugũt iſti imperãdo; quia præ ambitione ſua;magnâ (hoc ipſo quod regunt)afficiũtur voluptate.Ita etiã ad vber admoti ſunt, *alla pappa*, quia ex prælaturæ dignitate, & diuitiis fatui ferè,& pueri efficiuntur, iuxta illud
Prou.1. Prou. 1. *Proſperitas ſtultorũ perdet illos.*
Reg.1. Vnde illud,quod dicitur Reg.1.*Filius vnius anni erat Saül, cũ regnare cœpiſſet.* de tali principe ſæpè verificatur in ſenſu ſupra indicato, non autẽ in eo, quo ſcriptura id protulit.nimirũ malitiâ paruulus erat Saül: at hic ſenſibus puer efficitur. Vide rei deformitatẽ. Hoc ipſo quod caput efficitur, cerebrum perdit:& cũ is,qui puer eſt, debeat, (ſi ad regimen aſcendat) vir fieri;è contrario cũ vir eſſet, puer efficitur modo ſupradicto.Nã vt eſt in Senecæ prouerbiis: *Felix qui ſimul opes,& mentem habet*.Eſt etiam in adagiis:*Vbi vber,ibi tuber*.Hoc eſt vbi copia rerum,& voluptatum,& in caſu noſtro, vbi regimẽ honoris,quod diximus eſſe vber; ibi tuber inflationis, & conſequenter inſipientiæ: quia vt DD.aiunt,cœcitas eſt filia ſuperbię.

6. Magiſtratus virum indicat:at in caſu noſtro puerum indicat; hoc eſt puerum ſenſu & puerilitate, ſi non
Prou.30. pueritiâ.Prou. 30. *Eſt qui ſtultus apparuit,poſtquã eleuatus eſt in ſublime. Si enim intellexiſſet, ori ſuo impoſuiſſet manum.* Prora nauis apud noſtrates ſermone vulgariori dicitur *la proũa*. At cum dixerimus puppim ſumi pro loco ſuperiori in Republica,ſeu pro regimine: quia eſt eminentior pars nauis, vnde gubernator nauem regit gubernaculo:& hæc pars Italicè vocetur,*la poppa*;ideo poteſt dici, *che la poppa è la proua*, ludẽdo in æquiuocatione verbi. quia (vt dixi) Magiſtratus virum indicat:cum faſcia picta Symbolum ſit Imperij,(vt in Pierij Compendio lib.41.dicitur)quia pro coronâ olim Lib.41. illam geſtabant Reges: ideo in huiuſmodi prælatis inſigne potius ſunt puerilitatis, & infantiæ; & illis ſunt potius in laqueum, quàm in coronã. faſciis enim infantes inuoluuntur.

Infantes appellantur filij Regum, licet plurimos habeant ætatis annos. Sed iuxta prædicta dici poteſt, omnes ſuperiores vacuos prudentiâ eſſe infantes:præſertim cum ad vbera deliciarum(vt dixi)portentur.Bene dicitur:*Væ paſtoribus, qui paſcebant ſemet- ipſos*.Ezech. 34 Lacte nimirum ouiũ Ezec.34 ſuarum tanquam infantes ſe paſcunt; vbera earum ſugentes.

7. Huiuſmodi ſuperiores, ſeu homines cupiunt regere ſubditorum habenas; vt laxent ſuas: cupiunt habenas;vt habeant: cupiunt fieri aurigæ, propter aurum: Duces, propter Ducatos.Et dum aſpiciunt ad baculum dominationis,quod habent ante ſe;non reſpiciunt ad baculum damnationis,quod inſtat poſt ſe. Dũ aſpiciunt ad illud,*Induebatur purpura,& byſſo.* (Purpura enim eſt Magiſtratuũ inſigne,) non recordantur quod ſequitur:*Crucior in hac flamma.*

Cũ ſæpè inepti,& rudiores nobis præeſſe ſoleant in regimine; ideo in prouerbiũ ferè abiit apud ambitioſos:Præſtat regere aſinos, quã ab aſinis

nis regi. illos prçire, quā subsequi: sed recordentur eius facti quod narrat Plutarchus in Alex. Iusserat Alex. ex nescio qua occasione, vt qui primus sibi occurreret in quodam loco, necaretur: occurrit primus agaso agens asellum trahitur ad necem. sed clamat ille: Præibat me iumentum, non ego illud: ergo ipsum mori debet: ita asellus pro agasone necatus est: culpa, & malum in miseros, & pauperes immeritò refunditur, qui velut iumenta non valent suam defendere causam. (a) *Le straccie vanno al vento* (b) *i villani s'ammazzano, e i Signori s'abbracciano*. Sed ad rem nostram. Vide quid profuerit iumento, præire hominem: ita quia *Iudicium durißimum his, qui præsunt fiet*, vt dicitur Sap.6.6. hinc, præsertim stultus, & ineptus, occasione prælaturæ mortem æternam lucratur, atque etiam alia temporalia damna incurrit. Ecclesiastes 8. 9. *Interdum dominatur homo homini in malum suum.*

(a) Paleæ vēto auferuntur. (b) Rustici digladiantur, & Domini inter se reconciliantur. Sap.6. 6.

2. *Tendentibus ad honores multi se opponunt.*
3. *Status humilis & priuatus vitat peccata maxima.*
4. *Superbia, regius est morbus.*
5. *Ascensio ad honorem interdum putatur suaderi à Deo, cum suadeatur à diabolo.*

2. DICEBAT quidam, eos qui ascendere conantur ad dignitates, esse velut stamina, quibus te lasuprà extentis contexitur quibus siue directis, plurima alia ex transuerso quasi se opponunt. quia plures opponunt sese ambientibus officia, ne illa obtineant. idque vel hoc, vel illo animi affectu, aut vtilitate commoti faciunt, præcipuè per maledicentiam in illos apud collatores dignitatum. Ita in ascensione etiam corpus ipsum sese opponit animæ, eo quod aliquid patiatur ascendente ipsâ, & quietem loci sui aliquo modo perdat. Si ergo dicas, illi duo amici sunt inter se corpus, & anima; (Sic enim vulgo dicimus de maximè coniunctis amicitiâ. *Son anima, e corpo*) tamen vbi interuenit aliquid damni, vel incommodi alteri ipsorum ex ascensione alterius, inuicem sese opponunt, & retardant ascensionem alter alterius: sæpè enim ob huiusmodi commoda, vel incommoda, *caro militat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem:* contra amicum amicus, & etiam contra patrem filius sæpè pugnarunt regnandi causâ. iactatur enim adagium, Regnum nec amorem pati socium. Vnò quasi filo, quod Deus ordiebatur exaltare, nempe Iosepho; dum per somnia id videbatur indicare, vide quot fila non solum fratrum eius (fila enim filis in texturà telæ quasi fratres sunt) sed etiam parentum ipsius videantur aliquo modo sese illi opponere. Audito enim somnio secundo ipsius Gen.37. 30. *Increpauit eum pater suus, & dixit, Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Non ex inuidia, sed potius ex charitate hæc dicebat Iacob filio, sed tamen aliquo modo sese illi opposuisse visus est, vt dixi.

Corpus grauitate sua retardat ascensum spiritus.

Gen.37. 30.

3. Ecclesiastes 104. *Si spiritus pote-* Eccl.104.

Ambitio dicitur spiritus Principũ, quia qui plus habet plus cupit tam in opibus, quam in dominatione ita quo plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ.

statem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima. Multi exponunt apud Pinedam de reijciendo spiritu ambitionis, & dominandi, qui vocatur spiritus regius, seu principum: quia hoc facere sit curatio, hoc est medicina, seu vitatio magnorum peccatorum. Vnde ita Campensis: *Si dominandi cupiditas animum tuum inuaserit, locum primum ne facile deserueris. Qui enim compescit in huiusmodi cupiditatibus animum suum, multa vitabit, & grauia peccata.* Ita ille in Paraphrasi. Eodem ferè modo Vatablus, & Tygurina versio. maxima sunt peccata, quæ vitantur per non admissas dignitates, quia peccata Potentum & ratione scandali, & ex contumaciâ quâ fiunt, & libertate (cum nullum ipsi timeant) maiora sunt. tum quia potentia, & copia fortunarum est illis omnium scelerum fomentum. tum quia dicitur loco axiomatis politici: *Si ius violandum est, regnandi causâ violandum est. In cæteris fidem serua.* A est symbolum principij, & consequenter Principatus, qui à principio dicitur. immo est Symbolum Principis, quia ille est principium Reipub.
Apoc.21. iuxta illud Apoc. 22. *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis.* Alpha penulatorum dicitur quidam à Martiali. in docendo puerum curat magister, vt incipiat ab A. Vnde de quodam puello dicitur, quod numquam voluit iubente præceptore pronunciare hoc A, quantumuis verberaretur. & interrogatus cur id fecerit, ait: nam si incæpissem ab A, oportuisset venire ad B, & ad C, & ad omnes litteras, aliaque studia. Ita ergo ad cauenda mala magna, vt ipse putabat (nimirum in discendo) vsus est ea curatione, & medicinâ. ita in casu nostro studet dæmon, vt deuenias ad A, nempe ad ambitionem, ad prælaturam: quia per hanc te ducet ad B, & ad C. & ad totum alphabetum vitiorum. quia etiam Ecclesiastici 10. *Initium omnis peccati superbia.* curatio autem tantorum malorum est, si spiritu hoc dominandi, quasi pedagogo ascendat super te; vt ad A. istud te inducat. tu ergo locum, & stationem tuam non deseras. *Eccl. 10.*

4. Medicus est, qui princeps constituitur, siue medicus sit oportet iuxta Isai. 3. 7. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, nolite constituere me Principem.* at tu, vt maximis morbis medearis, ne sis medicus. non esto medicus, vt sis medicus. nam curatio ista renuendi regimen cessare faciet peccata maxima, quæ sunt animi morbi: ait enim peccator, *Sana me Domine, quoniam infirmus sum.* ita eris medicus, ne sis infirmus: medeberis tibi ipsi. *medice cura teipsum.* ante languorem adhibe medicinam. medicina tua autem non est Recipe, sed non Recipe, hoc est non recipe oblatum honorem. curatio ista cessare faciet peccata maxima, morbos maximos. Veneta Biblia: *Quia qui sibi medetur dimittit peccata magna.* *Isai. 3. 7.*

5. Vatablus sic habet hoc loco: *Qui deserit spiritum dominantis*, id est, „ qui animum regium exuit, *vitare solet peccata multa*, in quæ solent Reges „ incidere propter arrogantiam. Quid „ est

est exuere animum regium, nisi superbiam dominandi, quæ est morbus regius? Quoddam genus morbi à medicis vocatur morbus regius. in casu nostro dico hunc esse superbiam dominandique libidinem. curatio ergo, seu sanatio ista si morbum regium in homine sanat, cessare facit plurimos alios morbos. nam *percutiam pastorem, & dispergentur oues.* morbus autem hic regius est, non solum quia in Regibus esse solet, sed quia ipse est Rex, & velut pastor cœterorum morborum, hoc est peccatorum. & sicut morbus regius sanatus, sanat morbos cœterorum, quia Regis ad exemplum totus componitur Orbis; ita sanatio morbi regij dicenda est maxima curatio, & quæ cessare faciat morbos maximos hoc est peccata maxima. eodem modo curatio morbi regij in nobis ipsis, scilicet curatio ambitionis, curat consequenter cæteros morbos.

6. Hunc *spiritum dominantiū*, quem de spiritu ambitionis exposuimus, alij apud Pinedam hic exponunt de spiritu Dei, alij de spiritu diaboli, atque de tentatione, alij de spiritu Principis; quamuis iuxta varios modos interpretandi clausulam. Vt videre est ibidem. eodem pacto aliquando qui speciem sanctitatis habet, & prælaturas aucupatur, hunc spiritum ambitionis interpretatur esse spiritum Dei, vel etiam spiritum Principis, qui ad honorem motu proprio illum aduocet, cum tamen potius sit spiritus diaboli, vel mera tentatio & spiritus ambitionis. vel dic eundem spiritum, quo quis (præsertim si est religiosus) ad accipiendum honorem, vel ad aliud opus agendum inducitur, à quibusdam iudicari spiritum bonum, spiritum Dei, ab alijs verò spiritum ambitionis, seu diaboli. Ita si quis ieiunet rigidè, si induatur asperè, si oret, si prædicationi vacet, quod enim Christo, hoc & Christi discipulo accidit, quod *quidam dicebant, quia bonus est, alij nequaquam, sed seducit turbas.* & *si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?* Ioan. 7.

2. *Venti alicubi à Magis venduntur. hoc fit à vendentib. honores. venduntur autem, sicut illi, suadente diabolo, atque opere exercentur.*

3. *In dignitate tumescens, Alexandri equo similis.*

4. *Leues animo extolluntur in honore, non solidi, & graues. illi oleum leue, hi balsamum graue.*

5. *Ignobiles titulorum amantes.*

6. *Titulos sine re habentes, Leonum regum brutorum fratres.*

7 *Supremus honor mundi, fieri Sanctorum baiulus.*

8. *Augustinus ineptum se vocat regimini, Deumque iratum sibi ob hoc putat.*

9. *Exemplum abdicantis se Episcopatu:*

10. *Atque alterius, id recusantis facere.*

2. MIRABILE sanè videtur, quod quidam afferunt, Olaum lib. 9 auctorem citantes, nempe olim magos ventos venales exhibuisse mercatoribus mare nauigaturis; tres nodos magicâ arte confectos offerendo quorum primo soluto

to placidos ventos, secundo vehementiores, tertio vehementissimos habuissent. Tamen hodie mihi videtur passim ventos vendi, nempe honores, & titulos: aliquando monetâ bursæ, sæpè monetâ buccæ, nempe obsequij, & precum: vel nummo alterius generis. Honores venti sunt; quia inflant. Dan. 7. 2. *Videbam in visione mea nocte; & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* Id de quatuor regnis audiui exponi, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum. Quasi de re impossibili dicitur *ponderare ventum, ponderare fumum.* tamen adeo *mendaces sunt filij hominum in stateris*, vt apud ipsos ventus, ac fumus honorum mundi præponderet nō solum argento, & auro, sed sæpè etiam toto cœlo, ac Deo, nedū vitæ, & saluti corporis. Sed sicut vētus ille magorū, opus erat dæmonū, & suadente diabolo vendebatur, ac emebatur, ita ventus honorū, & officiorum venditus, sæpè suadente dæmone ita venditur, & emitur, hoc est cum peccato. Nota etiam sæpè eos, qui timēt (eo quod indigni, & inepti sint) ventos honorum, vel prosperitatis, & fauorum ad feliciter nauigandam hanc vitam, se non esse consecuturos à Deo, eosdem emere, vel aliter conquirere à diabolo: quod est dicere, si nequeunt per fas, volunt per nefas. Aduerte etiā per allatū exemplum cognosci quod aliquādo felix enauigatio in hac vita propitijs vētis; videtur donū Dei, cum sit damnum diaboli permittēte Deo: quia diabolus in prosperâ nauigatione tibi oblatâ naufragium parat æternum.

Dan. 7. 2.

3. Acutè Plinius dicebat, vt quidam aiunt, eos qui in statu priuatô ac humili affabiles sunt vnicuiq;, & mox exaltati opibus, vel honoribus, quélibet fastidiunt, colēdo tantum principes, & summos viros; esse velut erat Bucephalus Alexandri Magni equus, qui absq; regijs ornamentis, & phaleris quemlibet stabuli etiam ministrum, & abiectum sessorem ferebat: at ornatus illis, omnes excutiebat præter regem. Ecclesiastici 32. 1. *Rectorem te posuerunt, noli extolli.* De eo, qui intumescit vulgo dicimus, virum se gestit ostendere. *eglifa dell'huomo.* At dum iactat se virū, ostēdit se equū, nēpe qualis erat Bucephalus.

4. Albert. Magn. de vegetabilibus lib. 6. tract. 1. c. 8. dicit balsamum oleo simile esse, immo quoddam oleū, tamē in hoc præsertim agnosci, quod si vel vnica gutta eius in fundum vasis aquâ referti missa fuerit, ibi manet, nec sursum fertur, vt oleum vsitatum: grauitate enim pollere balsamum. Ita inter homines, alij balsamum sunt, nempe nobiles, & grauitate pollentes: alij vile oleum, hoc est pusilli, & abiecti cordis, adeoq; leues, quod illi libenter in loco, & statu, in quo collocati fuerunt manēt, suâ mediocritate contenti hi verò vix ad momentum, imò nec ad momentum patiuntur in loco humili iacere: sed non expectatâ manu alienâ, spontè se eleuant super quemcumque liquorem. Etiam ipsum balsamum, etiam in hoc sensu *qui se humiliat exaltabitur.* nam ostendit se balsamum, qui se exaltat humiliabitur: nam ostendit se oleum. Ecclesiastici 3. 20. *Quantò magnus es, tantò in omnibus te humilia.* Verâ animi grauitate prædití, ac

Lib. 6. tract. 1 cap. 8.

Eccles. 20.

ac nobilitate (de quibus dicitur) quod *sicut odor balsami erant ante te*, vide quomodo semper in vltimo loco elegerint subsistere, sed fortè ita *subiecti omni creaturæ propter Deum*, suam amiserunt nobilitatem? Et viles animæ, ex dignitate loci nobilitatē sunt adeptæ? nunquid balsamum non balsamū est, & longè nobilius oleo, etiam si sub pedibus olei iaceat? & nūquid oleum oleum non est vile, & tetri odoris, etiam super caput balsami innatans? Ioannes sub Herode. Petrus, & Paulus sub Nerone nonne fuerunt qui fuerunt?

5. Hodie coqui, & cerdones maiores sunt, seu ambitiosiores Imperatoribus ipsis se monarchis præferunt. nam ex Suet. in vita Cæsarum, Augustus, & Tiberius edicto vetuerunt, ne domini dicerentur. cum tamen hodie plurimi ex plebe domini velint vocitari, imò saltē inter se sic appellant vnde etiam in hac re fiūt primi nouissimi, & nouissimi primi.

Quia paulò ante dicebamus ambitiosos homines ventos emere, addere possumus (alludendo pituitæ, quâ plerique mortales in fine vitæ solent spiritum perdere, atque alludēdo vento, ac aëri vanæ gloriæ, quo superbi nutriri solent) addere inquam possumus ambitiosos nasci ex terra, viuere ex aëre, mori ex aqua (scilicet pituita) cruciari ex igne, nempè inferni, si damnētur. id potest & dici de auaro, quod & ipse viuat ex aëre, nempè ferè nil comedendo, vt parcat opibus. vt lupa (inquit) sit bursa, camaleon sit bucca, bursa Italicum nomen crumenæ, nam Ecclesiastes 5. 9. *Qui amat diuitias fructum non capiet ex eis.* Eccl. 5.9.

6. Qui titulis gaudent, & inflātur absque veritate, & substantia ipsorū, inter ea viuentes, mihi videntur esse velut leones, & aquilæ, illi enim reges terrestrium animaliū dicuntur esse; aquilæ verò volatilium, cum tamē neque mus aliquis leonibus, neque passerculus, aut musca aquilæ obediat, vel tributum aliquod eis deferat. His adaptandum illud, & inclamandum: *Filij hominū vsquequo graui corde*, hoc est in casu nostro vano corde: *vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

7. Suprema fœlicitas, & dignitas, quā in mundo possit ambitiosus obtinere, est, fieri Sanctorū baiulus, q ę altior sublimitas, quàm Imperatoris Romani florēte Imperio? quam Cōstantini magni? tamen huic sublimi viro, cum nihil addi posset ad dignitatē, addere se putauit honori suo, si sceptrū cum ligone commutaret, & Sanctorū plus quā agricola fieret, & mox baiulus, nā deposito diademate, & humi iacens sumpto ligone, ac bidente terram eruit; indeque duodecim terræ cophinis honoris causa duodecim Apostolorum ablatis, Ecclesiam ædificauit.

8. S. Augustin. epist. 14. ad Valeriū, *nihil inquit in hac vita difficilius, & laboriosius Episcopi, & Presbyteri, aut Diaconi officio; & maximè in hoc tēpore, quis autem sit modus rectè animas regendi nec à pueritia, nec ab adolescentia didici, & quando discere cœperam, vis mihi facta est, nec in alia re video mihi magis Deum iratum, vt cum indignus essem poni ad remum, positus sim ad gubernaculum*, hæc Augustinus. At multi iratum sibi Deum pu- S. Aug. epist. 14. August.

putant, quia iratum non habent, & ambiunt gubernaculum regiminis, digni poni ad remum triremis.

Nicet. vol. 16. 9. Nicetas in Annalib. in Theatro volumine 16. dicit, quod Michaël Patriarcha Asicus sua sede vltro cessit, & in Oxiam insulā contēdit, vbi monasticā vitam religiosus duxerat; ibiq; in vestibulo Templi suorū monachorum prostratus, cuiuis monacho collum pede calcādum præbuit, quod contra quàm sibi expediret, adamatam quietem repudiasset, sublimiora conscendens.

10. Quidā tamen semel emergentes à loco humili, & iam in sublimi constituti; eo quòd sint merū oleum superbiæ, & leuitatis (quod cum semel super liquorem aliū ascenderit, numquā, nisi violenter & ad momētū aliquod demergatur, relinquit superiorem partem) ij, inquam, omnia experiri parati sunt, prius quàm redituri sunt ad pristina. sic in adagiorum collectore in Theatro; Volum. 7. lib. 2. volum. 7. lib 2. cum Dauidi Episcopo Traiectensi suaderetur à suis, vt propter senium pateretur sibi adiungi Episcopum designatum; respondit se deterreri ab hoc facto D. Antonij exemplo. nam cum prius valde coleretur; superueniente deinde Sancto Rocho, negligi cœpisset. Cum ergo, vt dixi, superbus sit oleū; semper ascendere vult, numquam descendere. *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.* Psal. 73.

2. *Calumnijs, & fraudibus in competitores multi officia cōpositis, acquirunt sibi.*

3. *Equo meliore opum; aut gratiæ vecti, brauium honoris accipiunt.*

2. CROMERVS lib. 12. in Theatro: Lesco, inquit, Polonorum rege defuncto, statuerunt, vt ex ambientibus principatum, qui conscenso equo ad metam constitutam primus perueniret, is regnum obtineret. At Lescus quidam vnus ex competitoribus, viam, quâ currendum erat, sparsit muricibus ferreis acutis, sed minutissimis, vt visum oculorum effugerent, quibus equi aliorum offenderentur. ipse semitā diuersam ad cursum eligens, hoc astu ceteros vicit. at detectâ fraude, à populo discerptus est. Admiramur huiusmodi rē quasi insolitā ac nouā, cum tamen passim apud nos accidat. Cōcurrunt multi ad brauium alicuius officij, aut beneficij, & dignitatis. quot murices fraudum, adinuentionum, ac detractionum inspargunt sibi inuicē in via, vt alter alteri cursū impediant? Quot sunt qui his dolis alios præueniunt? Idem accidit in procis, aut riualibus sponsā vnā appetentibus. Visū penè effugiunt murices huiusmodi, ob fraudū & calūniarum subtilitatem. ideo Prælati, & alij, ad quos spectat brauiū cōcedere, debent in hac re cōspicilia plura adhibere, ne decipiantur à calūniatoribus huiusmodi, & discernere possint fraudum technas. 1. Machab. 7. Alcimus Dux iniquorum ex Israël volebat fieri sacerdos aduersus Iudā, & partes eius: idipsum & sui cupiebant, nempè illum cōstitui Pontificem. quid faciunt? ad Demetrium regem se conferentes accusauerunt Iudam, & asseclas eius dicentes: *Perdidit Iudas & fratres eius omnes amicos tuos*, &c. & ita Alcimus sacerdos effectus

[Margin notes: lib. 12. (beside line 1 of right column); 1. Machab. 7.; lib. 1]

ctus est à rege. *Alcimū impium*, inquit, *constituit in sacerdotium.*

3. Applicare itē potes descriptam narrationem de tribuentibus principatum equum præstantiorem habēti, stultitia Principum aut iudicum, qui honores, aut beneficia largiūtur non præstantiæ equitum, sed equorum. Vulgo dicimus de eo, qui diuitijs, vel fauoribus præualet, ille bono insidet equo *è ben à cauallo.* Igitur ille vincit, qui meliori sedet equo humani præsidij, nēpe pecuniæ aut fauoris. Nummi quidam in Italia vocantur, *caualli, e cauallotti* i.e. equi, ab impressâ equi figurâ. Qui hos currere facit præ ceteris competitoribus, sæpè vincit. Sicut ergo ille qui reiectus semel ob vestis vilitatē à conuiuio quodā, & deinde reuersus in pretioso indumento, exceptus benignè fuerat; in fine conuiuij depositā veste coram ceteris, Gratias inquit tibi ago: ita qui honorē recipit ab equo suo currenti; equo ipsi siue vero, siue metaphorico & aureo, gratias agere potest, plus quā collatori eius beneficij.

2. *Honores non valde æstimandi, cùm & asellis tribuantur. Imperitiam suā propalāt inepti in honore positi. Non oblatrandum prælatis licet imperitis.*

3. *Insipientes, sacci vacui. Ideo facilè leuari se ad honores sinunt. Secus sale pleni sapientiæ.*

4. *Iidem vt cæci, & infirmi facilè ad baculum conuolant, scilicet regiminis.*

lib 1. 2. Laertius libr. 8. ex Platonis Timæo: Flantibus, inquit, ventis vehementibus in frugum perniciem, Empedocles Agrigentinus collocari fecit super montium & collium fastigia vtres ex asininis pellibus confectos. & ita vēti cessarūnt: Quid discemus ab hac historia? Asini (nēpe imperiti ac fatui homines exaltati ad fastigia dignitatum) remedio esse debent & sunt flantibus nostræ superbiæ ventis, vt dedignemur tanto labore & periculo appetere quæ etiam asinis tribuuntur. Asinis dixi, imò vtribus asinorum, scilicet ipsis imperitis vēto ambitionis & superbiæ inflatis. Vtres isti, si humi & in conuallibus iacuissent, vel nihil, vel parum conspecti fuissent, atque etiam irrisi. Sed quia *non potest ciuitas abscondi supra montem posita,* ideo exaltatione sua propriam cunctis propalant stultitiam. Idem euenit imperitis. Prouerb. 30. 32. *Est qui stultus apparuit postquam eleuatus est in sublime. Si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.* Prou. 30. 32. Nam magistratus virum indicat, & asinum indicat. Aduerte insuper, ventos, qui tunc non sunt veriti homines, veritos esse asinos, seu pelles eorum, sed in alto collocatas. Quia qui per maledicta & murmurationem flare audent cōtra homines, sed subditos, & non in culmine constitutos; iidem neque contra asinos, hoc est stultos, & stolidos audent latrare, si videant eos in potestate, & sublimitate positos. Certè, prudentia, carnis est etiam bene dicere de Priore, quamuis esset iumentum: vel saltem silere. Obediendum præpositis *non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Ita non oblatrandum neque sapientibus, Hebr. 17 neque insipientibus. Discamus à canibus. Cōtra quosuis priùs latrabūt

 quam

quam contra dominos, siue sapientes sint, siue fatui. *Siluit terra in conspectu* Alexandri, cum rerum potitus est. Sileamus & nos. Stultus, si *intellexisset, ori suo imposuisset manum.* Sed si non imposuit manum stultus, imponat sapiens, ne sit stultus. Si non imposuit princeps, imponat subditus. Durũ est (dicebat quidam) scribere contra eum, qui potest proscribere.

1.Mac.1.

3. Accidit aliquãdo aut potest accidere, vt saccus sale plenus esse credatur, donec humi iaceat, & quiescat; vel dolium æstimetur plenum, dum similiter iacet. At si videamus saccum, & dolium facillimè & absque labore vllo à quopiam statim eleuari; colligimus saccum sale vacuum, & furfure vel aliâ leuissimâ materiâ esse refertum, sicut & agnoscimus dolium esse vacuum. Ita quidam aliquando videntur sapientiâ & grauitate animi pollere, minimeque esse leues & vani per ambitionem; videntur inquam Francisci, vel Hilariones, contemptores gloriæ omnis (in quo re verâ grauitas, & sapientia præsertim sita est) cum tamen ad primam vocem Principis vocantis eos ad sublimitatem honorum, videantur absque alia causa rationabili facillimè se permittere eleuari. saccus eorum non est plenus sale, hoc est sapientiâ; sed furfure leuitatis. Dolia sunt vacua, quod tamen iudicium non est faciendum, nisi constet hos absque rationabili causa, vt dixi, subito acquiescere honoribus. talis verò causa sæpè erit obedientia, vel alia quamuis nobis incognita, ita Prouerb. 30. 32. *Est qui stultus apparuit postquam eleuatus est in sublime; qui si intellexisset, ori suo imposuisset manum.* Hoc est, quieuisset immotus in loco suo, silere enim, est quiescere.

4. *Si intellexisset*, &c. si intellexisset quàm graue, & quàm periculosum onus sit prælatura. Cœci, & infirmi illicò manum extendunt ad baculum. sic ad sceptrum, & baculum pastorale cœci hi accurrunt facilè, quia haud bene discernunt eius pericula, & difficultates. infirmi etiam sunt, nempe insani. quia insani idem est ac non sani. vnde dictum illis, *nescitis quid petatis.* Qui lumen receperunt, vel valetudinem bonam; post cæcitatem, & ægritudinem, solent abijcere baculum: sic multi recepto lumine cœlesti, & ab infirmitate animi conualescentes per nouam vitæ rationem, relictis sceptris ad humilem vitam in monasterijs se contulerunt, sicut paulò ante narrauimus de Patriarcha illo. Pusilli, & infirmi animi signum est ambitio, vt omnes sapientes docent. ideo fœminæ plus quàm mares illâ afficiuntur. debiles enim & pusilli animo nõ putant se ipsos sustentare posse absque baculo prædicto, hoc est sceptro: nec securos esse sine illo, timent enim, cùm fulcra alia virtutis & constantiæ non habeant, se contemnendos & prosternendos ab omnibus, nisi præsint. Talis ergo stultus, dum exaltat se, suâ prodit fatuitatem: dũ se exaltat, humiliatur: & dum se humiliat exaltatur. hoc est reputatur sapiens, dum manet in loco suo.

2. *In falso se excusantes quod acceptum non ambierint honorem.*

3. *Honores turbant quietem.*

4. *Ambitio, Christi proditores efficit.*

2. Post-

2. POSTQVAM in sublime eleuatus est. excusat se stultus accepti honoris, dicens eleuatū se esse ab alio, non autem seipsum eleuasse. *vocatus* sum, inquit, *tamquam Aaron:* non me clarificaui, vt Pontifex fierem. at subditur: *si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum*, hoc est, non accepisset honorem, cur autem explicat repudium honoris, seu priuationem eius per manum ori impositam? Præter sensum ab alijs traditum huius loci, accipiamus & sequentem, vt non repugnantem litteræ, vel saltem, vt accommodatum, cum plerumque honores non tribuantur nisi annuentibus, & poscentibus illos: idem erit dicere, non accepisset dignitatem, ac dicere siluisset à petitione eius, vel potius de ea re neque verbum vllum fecisset, quando agebatur de illa ei conferenda; nunquam induci potuisset, vt aperiret os quasi ad contrahendum matrimonium, dicendo, *volo*, vel *assentior*. (a) *s'haueria fatto muto, per non apparir matto.* Ori suo imposuisset manum. Nos imponendo digitum ori, etiam volentibus loqui silentiū indicimus, idem ergo est, efficaciter nolle dignitatem, ac cùm quis de illâ nobis conferendâ, vel procurandâ, vel ambiēdâ loquitur, silentiū ei omnino indicere: districteque imperare, Ne amplius verbū facias mihi de hac re, si mihi amicus esse cupis, alioquin si vel vnum nobis patiamur excidere verbum, nisi velut gladio illicò incidamus tractatum; iam conclusum est negotium. nam vulgo aiunt, vrbem, quæ hosti fœdus, & compositionem proponenti aures adhibet, ferè perditam esse. *Si intellexisset* &c. silentium de ea re omnino imperasset. Tu frustra taceas, facias nisi quoque taceri; hoc est, ab alijs pro te petentibus.

Inclausū oris ō intrat fumus honoris.

(a) Fuisset mutus, ne appareret maccus i. e. stultus aut stolidus.

Ori suo imposuisset manum: hoc est, non accepisset regimen honoris, seu magistratum. Nam, vt dixi, idem est non loqui, quod non petere per se, vel per alium dignitatem, atque eam non obtinere. Rarissimum est hodie, & fortè inusitatum, vt Chartusianis prælaturæ tribuantur. id in duplici sensū verificatur. non solum nemo cogitur ad bibendum, sed nisi potum postulet, non solent pincernæ illi infundere. Quæstores olim dicti à quærendo, quod pecuniam publicam exigerent, & deinde distribuerent. Cicero 2. in Verrem. *Quæstura, inquit, primus gradus ad honores.* Ita dicendum de quæstura, hoc est de postulatione & perquisitione: sine quâ non solent inueniri honores, quæstura etiam opum, seu pecuniæ, est via ad honores tribuendos, hoc est postulatio, & venatio nummorum, vel quæstura & quæstus. Item quæstores, hoc est thesaurarij, qui multas collegerunt pecunias, facilè ad honores ascendunt. ergo *Quæstura est primus gradus ad honores.*

Chartusianis, hoc est propriè dictu, & vt sumūtur pro tameribus.

Adde, quod aiunt vulgo, (a) *Chi si stà, è lasciato stare.* Apud Venetos quidam iudices, *petitiones iudices* vocantur. Sed dic ferè omnes vbique iudices esse iudices petitionis. Aiunt ambitiosi; *qui dormit pisces non capit*, hoc est qui silet, non obtinet honores, at etiam *qui dormit saluus est*, facilè saluatur, si pisces non capit, nec ipse vt piscis capitur.

(a) Qui quiescit, quiescere finitur.

Si intellexisset, ori suo imposuisset manum, hoc est honorem non accepisset, vide quanta agant, & patiantur multi, qui sapientes putantur, vt honorem aliquem accipiant, tamen hic indicatur quod nisi homo stultus esset (hoc enim est, *si intelligeret*) ne os quidem aperiendum putaret pro quolibet regno obtinendo indignum est regnum, vt pro illo aperiatur os, si tamen intelligamus quid sit, *nescitis enim quid petatis*. Si intellexisset, ori suo imposuisset manum.

3. Dicere etiam possumus, cum manum siue digitum ori imponere, sit etiam silentium exposcentis, (quod præsertim facit, qui sibi non vult obstrepi, & suam quietem, vel proximum somnum turbari) Ideo idem est recusare prælationem & honorem; ac dicere, nolite meam à me auferre quietem. *Si intellexisset, manum ori imposuisset*: silentium indixisset vocantibus se ad honorem: quietem suam noluisset amittere, si iudicium haberet (loquar cum vulgo) iudex nollet fieri. (a) *Se hauesse senno, non vorria perder il suo sonno.* Ori suo manum imposuisset, dixisset, silete, ne interturbetis quietem meam, vocando me ad curas regiminis.

(a) Nisi iudicio careret, somno carere nollet.

4. Ponce in ser. 3. Dom. Quadr. dicit Augustinum exponere illud de contentione factâ inter discipulos, *quis eorum videretur esse maior*, non quod ex ambitione id fecerint, cum in tali schola exercitati non videantur tales debere æstimari: sed quia dictum illis fuerat, quod vnus ipsorum traditurus esset Christum; illi inquirebant, quis eorum regnandi cupiditatem habuisset quia hunc certo proditorem futurum iudicabant, ita Ponce. Verè dici potest dominandi gratiâ potissimum homines nullum scelus non commissuros, aiunt enim, & celebratum est axioma inter ambitiosos: *Si ius violandum est, regni causâ violandum est, in ceteris fidem serua.* Dominandi gratiâ etiam proderent Christum, proditur propter dominium Dominus, plures fierent Iudæ, vt essent Petri, hoc est Principes inter ceteros.

Fer. 3. Dom. 4. Quadr.

2. *Ambitiosus non patitur præferri sibi quemquam nec in bolo vno, aut apertione oris in mensa.*

3. *Idem dic de voraci homine ex gula.*

2. ECCLESIASTICI 31. 13. *supra mensam magnam sedisti; ne aperias faucem tuam prior, ne dicas si multa sunt quæ super illā sunt*: hoc (vt Iansenius exponit,) quia plura fercula apposita sunt, ideo præoccupare possum. nec enim timendum, cibos deficere posse alijs. Subdit idem Ecclesiasticus rationem, propter quam id cauere debeas, dicens, *memento quia malus est oculus nequam*, nequam, hoc est inuidus. nam inuidia à videndo, seu nimis videndo dicitur, videt enim bonum alterius & inuidet, ita exponit Iansenius, estque expositio simplex, & clara. Rursus subdit vers. 15. *Ne extendas manum tuam prior, ne inuidiâ contaminatus erubescas.* Animaduerte in viris istis, inuidiæ, ambitionisq; singularem magnitudinē, nam cum Prælati & Rectores apud plures familias Priorum titulo nuncupentur: tantum absunt ambitiosi isti, vt se pati possint suum priorem in omnibus, ac in vitæ regimine

Eccl. 31. 13.

vers. 15.

gimine; quod neque in bolo vno, seu boli vnius priorem sibi te tolerare queunt. Præcedentiam tibi non solum in loco, & honore, sed nec in manus extensione, nec in aperienda fauce concedere sustinent, & quamuis, vt sic loquar, prioritas ista sit potius inferioritas (nam incontinentiæ, vel præsumptionis animi est vitium) tamen neque in inferioritate volunt te habere super illos prioritatem, nec solum in honore, sed & primatum ipsi sibi volunt in vituperio: eo quod primatum (dummodo primatus sit) etiam honoratum putant in re nullius honoris.

Sed forsan dices, Quamuis ambitiosus inuideat mihi prioritatem in aperitione faucis, vel extensione manus; tamen haud multum torquebit ipsum talis inuidia, vt quæ sit rei tenuissimæ. Sed audi textum ipsum. cum enim dixerit, *non aperias faucem tuam prior*, & cet. *memento quoniam malus est oculus nequam*, hoc est inuidus; statim subdit, *nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie sua lacrymabitur, cum viderit.* hoc est adeo torquebitur hac æmulatione & inuidiâ prælationis vel vnius primi boli; vt inde lacrymetur: idque tam copiosè, vt non tantum ab oculis, sed *ab omni facie sua* videatur lacrymarum fontes emittere. quamuis enim præ pudore fortasse in mensa ipsa id non fecerit, nisi intrò in corde suo; tamen data facultate id postea præstabit. Verba illa, *cum viderit* aliqui, vt Iansenius; coniunctè ponũt cum verbis superioribus. quamuis Sixti vulgatâ, cum sequentibus ea coniungat. id tamen non tollit quod diximus appositè ad litteram nempe inuidum illum flere ob causam supradictam, vt patebit legenti textum & ipsum Iansenium. Cum inuidia à videndo dicta sit: & in videndo & obseruando te per inuidiam, tota facies illius inuidi in oculos conuersa dici possit, vel factam esse vnum oculum magnum; ideo *ab omni facie sua lacrymabitur.* Pollice & indice valde dilatatis dici solet, tanto, vel tam ingenti te intuetur oculo: *Si mira con tanto d'occhio.* i. e. tanto te inspicit oculo, quanta est eius facies. Apertio ergo oris tui super bolum, talis illi est, ac si super ipsius cor os tuum aperires: immo dentibus premeres ipsummet cor eius. extensio manus, & furcillæ ad carpendum bolum, est illi perinde ac si in eius viscera infigeres, ideo flet tam amarè. Animaduerte quam exiguus sit honor huius ambitiosi, & quam vilis, vt totum illum collocet in exiguo bolo, ac in frusto carnis, aut panis: adeò vt illum bolum edens, totum honorem eius in vno illo bolo deglutire videatur.

3. Quia verò & hæc inuidia potest exponi fortasse voracitatis esse; vt in tam copiosa mensa, vel ob vnum præceptum bolum tam doleat gulosus; quia animus erat in patinis: ideo cor suum (quia pusillum & vile) in illo bolo locatum deflet, quasi si cum eo voretur, & quasi furcillâ extensa in guttur siue in gulam eius infigatur.

LEGES, ET PRÆCEPTA.

2. *Leges parum à diuitibus implentur, sed potius à pauperibus.*



EGES, & præcepta nos vulgo dicimus (a)ordines, seu ordinationes, sicut ergo ordines Ecclesiæ conferuntur pauperibus,& aliquãdo etiam diuitibus,& potẽtibus: sed pauperes plerumque ipsos executioni mandant; vt videre est in ministris altaris eo quòd de altaris actuali seruitio viuant. diuites verò, & potentes, sæpè accidit, vt rarissimè eos exerceant,præsertim quando ordines minores sunt, vel non supremi, idque ex diuitijs, & fastu mollicieque eorum prouenit. eodem modo accidit in ordinibus, siue præceptis superiorum. omnibus enim imponuntur: sed diuites raro ea complent. Adde etiam quod valdè raro imponantur hæ ordinationes diuitibus,& potentibus, sæpè verò pauperibus. sicut & raro ordinationes illæ Ecclesiæ conferuntur prædictis diuitibus. Leges dictæ quod ligent, siue obligent. vincula sunt. Ecclesiasticus 6. de legibus sapientiæ ait: *Vincula illius, alligatura salutis* & faciliùs pauperes & ignobiles alligari videmus, quàm nobiles. Quod autem maiores parũ seruent præcepta; colligitur ex eo quod de præceptis Dei dicit Ier. 5. 5. *Ibo igitur ad Optimates, & loquar eis,* &c. *Ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula.* Hoc est magis quàm pauperes, de quibus dixerat: *Tauri pingues, equi incrassati confringere solent iugum, excutere sessorem.* Igitur *Tauri pingues obsederunt me*; dicitur de diuitibus. & diues populus, per incrassatum equum qui recalcitrauit, significatur Deuteronom. 32.

(a) Ordini, vel Ordinationi.

Ier. 5. 5.

Deuteronom 32.

Votum obedientiæ simul emitti solet cũ voto paupertatis, nõ enim facilè habitat obedientia cum diuitijs. imò Ecclesiastes 10. 19. ait. *Pecunia obediunt omnia.* Diuites non solum obedire nolunt Principibus; sed per pecuniam volunt principes obedire sibi, nam Ecclesiastici 8. 2. *Multos enim perdidit aurum, & argentum, & vsque ad cor regum extendit, & conuertit.* id est, etiam corda regum in suum flexit obsequium vnde nummus est Rex regũ, & Dominus dominantiũ.

Eccles. 10. 19.

Eccl. 8.

2. *Lex, mundi fundamentum.*
3. *Anima ciuitatis, & vita.*
4. *Sine lege homines omnibus feris peiores.*
5. *Pugnandum pro legibus.*
6. *Quantus abusus, legũ facilis abrogatio.*
7. *Et sequentibus afferuntur exempla de legum conseruatione,*

2. CICERO 3. de legibus ait: *Sine lege nec domus vlla, nec gens, nec ciuitas, nec vniuersum genus hominum stare, nec rerum natura omniũ, nec ipse mundus potest.*

3. Idem pro Cluentio, *Fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens, animus, consilium, & sententia ciuitatis posita est in legibus.* Ibidem. *Vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege suis partibus, & neruis, & sanguine & membris vti non potest.*

Plato 9.

Plato 9. Plato 9. de legibus de hominibus ait. *Si absque legibus viuerent, nihilo à feris atrocißimis discreparent.* vnde illud Aristotelis in Polit. *Sicut optimum animalium homo lege fruens, sic peßimum animalium est homo à lege, & iustitia separatus.* Arist. in Polit.

Serm. 41. Stobæus Serm. 41. cum dixerit legem iuxta Demostenem esse animam ciuitatis; subdit: *Quemadmodum corpus emoritur, anima si emittitur: sic ciuitas extinctis legibus.*

5. Heraclitus Ephesius, vt est in Apophthegmatibus virorum Illustrium, dicebat, ciues non minus oportere pugnare pro legibus, quam pro mœnibus. quod absque legibus nullo pacto esse possit ciuitas incolumis, absque mœnibus possit.

6. Si ergo leges sunt anima, & vita ciuitatum, basisque totius vniuersi, non absolutè quatenus leges sunt, sed quatenus obseruantur, quatenus ratæ, & firmæ habentur: vide quantus abusus, & quanta absurditas est, quotidie leges abrogari & cōfringi, quasi *telæ aranearum* essent. sic enim sapiens ille Anacharsis eas vocabat; eo qui diceret, ijs ligari exigua animalcula, seu muscas minores: sed irrumpi, & impunè pertransiri à muscis maioribus. muscas maiores, & minores intellige diuites, & pauperes. De his igitur, qui leges condunt, & ijs tantum premunt debiles, non autem potentes, dici potest adagiale
Isa. 59. 5. illud Scripturæ in Isai. 59. 5. *Telas araneæ texuerunt.* vide quam facilè quotidie nouæ telæ aranearum texantur, & quam facilè destruantur. quis neget ita fieri de legibus? vix enim in ciuitate, vel in congregatione exijt aliquod edictum; cum statim violari videtur non tam à subditis, quàm à prælatis ipsis. quia dum negligunt executionem pœnarum in reos, & transgressores; ipsimet legis destructores censendi sunt.

Heu miseri! legem ferunt, & statim legem feriunt. legislatores, & statim legis litores. delineant mente legem condendam, & paulò post calamo, vt ita dicam, lineant factam, hoc est protractis lineis delent.

Rectè lex vocatur *statutum*, quasi statutum significet, quod stat tutum. sed tamen culpa nostra non stat tutum: vel non stat totum. nam saltem ex parte citò perit. (a) *Li decreti son di creta.* & cum arbitremur legem (a) Decreta sunt ex cretâ. scripsisse atramento, scripsimus in atramento. Calami filia est lex. ideo sæpè parentem imitatur; scilicet vacua inuenitur & frustra condita. pennæ filia est, sed *qualis mater, talis filia.* hoc est volatica inuenitur, citò auolat. parum durat. Prou. 6. 23. *Mādatum lucerna est, & lex lux*, sed loquendo de legibus nostris sæpè lux sunt, at non solis, sed fulguris. Prou. 6. 23.

7. Demostenes contra Timocratem, id quod etiam Stob. Ser. 42. narrat, Serm. 42. ait apud Locrenses eum, qui de nouanda lege agere voluerit, inserto in laqueum collo cogi de ea re verba facere. si iudicio concilij videatur vtilior innouatio, seu abrogatio legis, ille impunè abit: si contrarium iudicetur, statim constricto laqueo necatur. Notum est & illud de Zaleuco principe, qui ne relaxaret legem latam à se de excussione oculorum ab adultero; cum filius eius in id cri-

men incidiſſet, alterum oculum ſibi, alterum filio excuti voluit, vt ita lex ſeruaretur, & filius non omninò excæcaretur.

Sed mirabilius eſt quod Celius lib.18.cap.19. de eodem ait Zaleuco. additâ pœna mortis idem vetuerat, ne quis in Senatum armatus veniret. ipſe tamen occaſione belli armatus, neque id animaduertens, illuc ingreſſus eſt. Succlamat quiſpiam, Zaleucus legem violauit. Subiecit ille: legem tuli, & legem impleo. hęc dicens, gladio ſe confodit,

Lib.18. cap.19.

Aldrouandus libro de quadrupedibus biſulcis, cap. de boue ex Celio, & Alexandro ab Alex. narrat Athenis lege vetitam fuiſſe occiſionem boum. Sed Erechthæo regnante, cum in ſacro quodam Dijs neceſſariè inſtaurando opus eſſet immolare bouem; ne lex frangeretur, iuſſerunt, vt percuſſo boue, percuſſor proiectâ ſecuri ſtatim è regione illa ſe ſubtraheret. quod & fecit. ipſi verò ſecurim in iudicium allatam ream conſtituerunt huius criminis: ne latam legem abrumperent etiam in neceſſitate, impunito tranſgreſſore.

Decernere aliquid lege, vulgo dicimus *ordinare*, & leges vulgò vocamus *Ordines*. Ordines verò ab ordiendo videntur dici. quia ordiens ſtamina, ea quaſi ordinat, & dirigit velut in agmine quodam ad texturam telæ conficiendam. verè igitur dum ordinamus, ordimur. ſemper enim ordimur; ſed non eſt qui telam pertexat. non eſt inquam qui exequatur quod lege diſpoſitum eſt. Sicut ordinationes (in alio ſenſu ſumpto hoc vocabulo) legimus ſolitas fieri menſe Decembri; ita hodie, in ſenſu ſupra allato huius verbi, fiunt ordinationes menſe Decembri non propriè, vt ibi; ſed metaphoricè, hoc eſt ordinationes frigidæ, & etiam inſulſæ: quæ ideo cum paulò vltra proceſſerint, ſtatim in via congelantur, & pereunt, nec progrediuntur vlteriùs.

2. *Legem infringens quaſi ſi appenſam legis chartam laceret.*

2. HABACVC 1.5. *Propter hoc lacerata eſt lex.* Si quis laceret chartam legis, ſeu edicti in foro appenſam, is quanta ſuſtinebit à Principe? Exemplo ſunt martyres, qui leguntur aliquando ſic egiſſe in edicta iniqua Imperatorum contra Christianos. tamen plurimi lacerant non chartam, ſed ipſam legem, & impunè id faciunt.

Habacuc 1.5.

2. *Legum inſtabilitas iterum improbata.*

2. IOB 10.19. inquit *Fuiſſem quaſi non eſſem de vtero tranſlatus ad tumulum.* ita miſera lex ephemera facta eſt, de vtero tranſlata ad tumulum; de tuba in tumbam. nam per tubam præconis euulgatur; & pro executione, habet exequias. Lex affigi ſolet columnis. inde diſcamus ſoliditatem, & firmitudinem eandem habere debere; & eſſe ciuitatis columnam.(a) *Sia la legge in carta, ma non di carta, acciò la Città non ſia di cartone.* Certè enim parum durabilis, & nullius momenti eſt regnum huiuſmodi. Soliditatem hanc, & durationem

Iob 10.19.

(a) Sit lex in papyro, ſed non ex papyro, ne ciuitas ſit papyracea.

rationem in legibus docuit Deus, dum suas leges in tabulis lapideis
Exod.32.16. sculptas esse voluit. Exodi 32.16. *Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.*

Plautus in Trinum. de legibus ait, *Ad parietem sunt fixa clauis ferreis, vbi malos mores adfigi nimio fuerat æquius.* nam eo tempore non in charta, sed fortasse in tabellis ligneis scribebatur. vnde nomen tabellarij à tabulis, in quibus scribebant. Affiguntur hodie columnis. Sed quod est columna legibus, id leges sunt vrbi, & orbi. vnde in Iob 9.13. iuxta aliquorum expositionem dicitur de principibus, qui legibus orbem sustinent ac gubernant,
Iob 9.13. *Sub quo curuantur qui portant orbem.* columna sustinet affixam legem, lex autem pendentem à se orbem. cum verò princeps Græcè vocetur *Basileus*, quod idem est ac basis, ideo vt basis columnæ huius censetur, nimirum legis, per quam sustentat regnum. Lex etiam *Statum* dicitur, & dicitur *Statui*, quia quasi super basem instar columnæ, aut statuæ solida statuatur. in tali principe fit *principatus super humerum eius*: & dum ipse prior portat legem, iuxta illud *Legem, quam tulisti, patere*; per illam quasi columnam facilè portat Rempublicam. Quia non est ex illis, *qui imponunt onera grauia*, & cæt.
Matt.23.4. *digito autem suo nolunt ea mouere.*

2. *Lex inconsultè edita, citò corruit.*

3. *Sit discreta, vt sit continua.*

4. *Pœnalis sit, vt seruetur.*

2. Quibusdam promulgantur edicta, & constitutiones, & paulò post reuocantur, vel corriguntur. Quod in ijs scribendis completorium est in literis, matutinum est in lituris. Ratio huius rei esse solet præcipitantia, & inconsulta facilitas condendi leges. (a) *Chi tosto si resolue, si pente à bel agio.* Lex vt citò non moriatur, non citò nascatur. Citò oritur fungus; sed citiùs perit, prouerbium est: *Citius pariente elephantes*; quia alij dicunt eos triennio, alij decennio in ventre matris detineri ante partum. Vt elephãtes nascuntur, seu generantur; at etiam vt elephantes viuunt, hoc est, (vt aiunt quidam) ducentis annis; cum fungi, & similia citò nascantur, & cito pereant.

(a) Qui cito decernit, cito cum pænitet.

Dicebat Seneca, *Omnia cum amico delibera: sed prius de ipso.* Ita dicendum: Omnia ad legem examina, sed prius ipsam. Quæ sunt alijs à te præscribenda, sunt tibi prælegenda. *Rescriptum* vocatur genus quoddam decreti ab Imperatore, aut Summo Pontifice promanans; cuiusmodi Decretales vocant. Dic ergo omne mandatum principis debere esse rescriptum in hoc sensu, quod non semel, sed iterum scribatur, & examinetur antequam promulgetur. *Iussio sit oculata, vt obedientia sit cæca.* Procedat princeps in scribendâ lege manu plumbeâ, vt procedat subditus in ea exequendâ manu argenti viui, siue celerrimâ & expeditâ. Iubeat præcipiendo, non præcipitando. Tardè iubeat, vt non tardè obediant ei.

3. Lex sit discreta, vt possit esse cõtinua.

tinua. Vt sit durabilis, non sit dura. Sit cum multo sale, vt seruetur incorrupta. Pœnæ, sunt penæ legis. Sine illis est velut auis implumis, ridicula, & præda fit omnibus. Penna facit legem legendam, sed pœna timendam. Illa scribit eam in chartis, hæc autem in cordibus.

4. Pittacus Mytileneus (vt ait Laer. li. 1. c. 5.) Crœso percontante quod esset maximum imperium? respondit, multi ligni. Hoc est multarum legum. Quia in lignis, seu tabulis inscribebantur. Sed ipse dicerem, imperium magnum esse mulctæ ligna, hoc est ligna, & baculos ad puniendum: vel multa ligna, nempe ligna furcæ, ligna patibuli, ligna compedum, ligna triremium. Vnde dicendum est homines magis parere militi, quàm imperatori: hoc est, plus timere ministros, & satellites, quàm principes; & plus obtemperare gladio carnificis, quàm sceptro regis.

Lib. 1. c. 5.

2. *Lex obseruatores suos Religiosos efficit.*
3. *Non seruantes legem non sunt legitimi, sed nothi.*
4. *Lex minans, nec puniens tonitruum sine fulmine.*

2. LEGEM ita dictam aiunt à ligando; eo quod omnes liget, & obliget. Quia aliqui stulti sunt; ideo omnes etiam sapientes ligantur; scilicet lege. Illi ligantur, quia stulti sunt, isti ne sint. Religiosos ita dici aiunt quasi religatos votorum vinculis. Lex ergo omnes religiosos efficit; quia ligatos reddit; & cum virtutem & religionem etiam præcipiat, omnes eam seruantes religiosos facit, hoc est religionis obseruatores, & cultores. Sed multi quasi feræ indomitæ clamant: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.*

Psal. 2.

3. Plures in mundo sunt illegitimi, & nothi, quàm legitimi. Nam Stoicorum dictum est apud Stob. ser. 42. de legib. *Legitimum eum virum esse, qui legem, & sequatur, & ea, quæ præcipiuntur ab ea, faciat. Neminem autem malum legitimum esse.* Mundus plenus est malis, plenus est mulis. Nam *muli* Italis vocantur illegitimi. Muli etiam mali sunt, Psalm. 31. 8. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.*

Serm 42.

Psal. 31.

4. Leges absque executione pœnarum, tonitrua sũt sine fulmine. At homines non timent cœlum, dum tonat; sed timent ipsum dum fulminat. Sicut autem rara tonitrua sunt, quæ fulmina secum habeant, sed imbrem, vel grandinem post se effundere solent: ita leges, & edicta quasi tonitrua terribili quidem sono minarum comminantur fulmina grauium pænarum; sed de facto postea non fulmen promissum, sed imbrem, aut grandinem alicuius castigationis mitioris tantummodo emittunt.

2. *Lex interdum solos ligat parietes, vnde pendet.*
3. *Lege latâ, fraus excogitata, ad eam sc. effugiendum.*
4. *Quam callidi exigantur legum conditores, ne irrita fiant leges.*

2. LEGEM diximus à ligando appellatam. Nam etiam lex Dei dicitur

Psal. 2. dicitur iugum, & vincula, Psalm. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum.* Cum autem à lege superiores, quando molesta videtur, plurimi se eximere conentur, & opere ipso se eximant; ille priuilegio obtento, hic fauore, alius pecuniâ, alius astuta interpretatione, vel aliis modis ipsam euadat; inde fit, vt misera lex solos parietes, aut columnas quibus affixa est, afficiat, cæteris ab ea solutis. vnde cum vinculum, & funis quidam sit, seu iugũ, & catena; mihi videtur similis vinculis, & catenis appensis ad Ecclesiæ interiores parietes ab his, qui de Turcarum aut piratarum manibus effugerunt. quæ vincula ibi neminem alligant, sed spectaculi & memoriæ gratiâ, ibi videntur. quod si vincula prædicta legum aliquid alligant; id non videtur esse, nisi columnæ, quibus affixa sunt, quæ nec fugere, nec furere possunt. cum furiosi, hoc est peccatores indomiti cordis, liberi ab eis discurrant. legem dicunt aliqui sic dici, eo quod legatur. id tantum obtinet; legitur.

(a) Factâ lege, reperta fraus. 3. Vulgo dicitur, (a) *Fatta la legge, trouata la malitia.* numquam deficit vulpi aliqua fouea, in qua se abscondens, subterfugiat venatorem. nam *vulpes foueas habent.* vincula ad capiendos homines sunt leges, & edicta. at, vt est in adagio, *Annosa vulpes non capitur laqueo.* annosæ vulpes abundant apud nos, quæ statim excogitant, quomodo elabantur à vinculo legis vel callidâ interpretatione eiusdẽ; vel idipsum efficiendo quod intentio legislatoris cauere voluit per legem, sed alia tamen ratione & via, quam illa sit, quam lex prohibet. exempla in praxi inuenire facilè potes in quotidianis edictis. dummodo, inquit vulpes nostra, tendam quo volebam, parum refert, quod mihi hanc, vel illam occluserit viam. nam vt aiunt, *multis viis Romam itur.* (a) *Scappan dalla rete della legge, e però fan le stesse scappate, cioè male, ò dannose opre à ben commune, che facean prima.* sic legislator, qui putabat capere, capitur. astutus hic à rete transit illæsus, venator remanet illusus. *laqueus,* inquit vulpes, *contritus est, & nos liberati sumus.* Lex vocatur etiam *Regula:* vnde religiosorum regulæ. sed, vt Iuristæ canunt *Regula in multis fallit.* adde tu in multis fallit, & à multis fallitur. scilicet à multis hominibus. regulæ istæ sunt vt regulæ Grammaticæ, quæ non molestant nisi pueros, hoc est minores, & simplices. exceptionem patiuntur in personis magnis, vt regulæ solent in rebus maioribus eam pati. (a) Legis retia euadunt, cũ interea ea committant, quæ ne fierent, lex condita est.

Bene (inquiunt) Anacharsis leges vocauit telas aranearum. quia solum muscas; hoc est minores, atque stolidos, & simplices capiunt. vnde dicitur, *Stolidior muscâ.* vincula sunt leges: sed inquiunt, non alligantur vinculis. nisi dementes, aut feræ. & ideo etiam iugum vocatur lex. sed Prou. 1. *Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.* Sed si fortè effugiunt hæc, non effugient vincula illa, de quibus dictum, *ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Prou. 1. Matt. 8. 12.

4. Vulpes fiunt omnes subditi, vt euadant retia legis. vnde ad excludendam ipsorum versutiam, plus mentis

mentis & acuminis debet habere legiſlator, quàm ſit verſutia omnium harum vulpium ſimul ad eludendam ipſam legē. nam *manus eius contra omnes, manus omnium contra eum.* ideo de magno & inſolito ingenio vulgo dicitur, *Ceruello da ſtatuti*, i. e. *ingenium ad ſtatuta condenda* ideo decreta Pontificia, quæ appellantur Breuia, cum debeant occurrere tot vulpinis adinuentionibus contra legem, non poſſunt eſſe breuia: vel dic fieri breuia longa, ſi ex centum foraminibus nonaginta nouem occluſis, vnum relinquatur apertum; ſat eſt, vt nauis demergatur, hoc eſt decretum. nam *ad deſtruendum ſufficit vnum.* Verè lex eſt tela aranearum, quatenus magna ſubtilitate, & artificio contexenda eſt, ne irrita reddatur. Vide quot cautelas apponant hodierna edicta. quot formulis, & clauſulis vtantur, & quam acutè, & ſubtiliter excogitatis, breuius dicam, tela aranearum eſſe debet, ne ſit tela aranearum. hoc eſt debet eſſe talis ingenio texturæ, ne ſit talis debilitate conſiſtentiæ.

2. *Legiſlatores leges non implentes.*

3. *Leges non facilè multiplicentur ſine neceſsitate.*

Luca 2. 1 2. EXIIT *edictum à Cæſare Augusto*, vt eſt Lucæ 2. Repræſentatur mihi in hac loquendi forma, quod leges ad ſubditos venientes exeant, & tranſeant à principibus. multi enim ex eis ſunt, qui *digito ſuo nolunt ea mouere.* tribus digitis eas ſcribunt, at ne vno quidem eas faciunt.

3. Pluralitas legum (quantum fieri poteſt) vitanda eſt, vt aiunt peritiores Politici. leges ſint raræ, vt ſint ratæ. Hodie in quibuſdam locis aut congregationibus tanta eſt legum ordinationumque multiplicitas, vt omnes ibi habitantes, quamuis baiuli ſint, cogantur fieri Legiſtæ, & Iuriſperiti, ad ipſas vel ſolo titulo, & nomine ſciendas. cogantur inquam ſtudio longi temporis fieri Legiſtæ omiſſo opere cuiuſlibet alterius facultatis, & profeſſionis propriæ. Dū conduntur leges ſuper leges, cum vincula ſint (vt dixi;) fiunt hominibus in laqueos. vnde, ſicut B. Antonius (ſi reuelatos haberemus oculos) forſitan mundum plenū laqueis videremus, qui conſcientias multorum illaqueant plus quàm ad ſalutem ligent.

Sed ſalus orbis non eſt in pluralitate legum ſita, ſed in obſeruatione, & reuerentiâ earum. tuba facit leges venire ad aures, gladius ad manus. nam, vt dixi, per præconem ſolent leges promulgari. Per tubam fit editio legis: quia tuba eſt ſignum in bello proximi gladij, vt & in caſu noſtro: nempe gladij principis. *non enim ſine cauſa gladium portat.* Denique ſicut ſupra ex Demoſthene dicebamus legem eſſe animā vrbis, & conſequenter etiam orbis, qui ex ciuitatibus conſtat: ideo ſicut decantatum eſt illud, *Fiat ius, & pereat mundus*; ita dicendum videtur, *Fiat ius, & non pereat mundus.* hoc eſt ſeruentur leges, & non peribit mundus.

EBRIETAS.

2. Ebrietatis effectus varij ex Bacchi imagine nudâ apparent.

D*ICITE cur Bacchum pinxerunt corpore nudo?*
An quia dant æstus feruida vina feros?
An quia qui liber, sine lege pudenda reuelat?
Nec rubet ex omni parte patere sinus?
An qui luxuriam, risus, atque otia lactat?
An puer in vanum ne iaculetur Amor?
An quia non dubitat vel Marti obsistere nudus?
An quia mentis inops mille secreta canit?

2. Rixas excitat, egenos facit.
3. Causa est maledictionis & egestatis in filios bibacis. immo & seruitutis.

DIVVS HIERONYM. de furore excitato à vino in ebrioso ait in cap. primum Epist. 1. ad Timoth. *Pocula in tela vertit.* Nonnumquam ebriosus miles, aut operarius arma, aut instrumenta diuendens, vt habeat vnde bibat, prius tela vertit in pocula, deinde pocula vertit in tela. Hor. 1. epist. ep. 5. de vino ait, *in prælia vertit inermem.* Non solum hoc verificatur in sensu Horatij, sed etiam quia cum arma distraxerit bibendo, ebrietas sua, seu vinum epotatum cogit militem inermem in prælia tendere qui etiam, vt dixi, pocula vertit in tela, dum furens ebrietate de poculis facit tela, cùm de telis venditis fecerit pocula.

In c. 1. Ep. 1. ad Timot.

Hor. 1 ep. epist. 5.

3. Genesis 9. 25. *Seruus seruorum erit fratribus suis.* Super qua re Ambros. de Helia, & ieiunio cap. 5. alludens ad maledictionem & seruitutem inflictam huiusmodi à Noë ait, *Antequam vinum inueniretur, manebat inconcussa libertas. Nemo sciebat à consorte naturæ suæ obsequia seruitutis exigere. Non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset.* Adinuento ergo vino, natâ ebrietate libertas interiit. Vinum, & Bacchus, qui pro vino sæpè accipitur, Liber vocatur. ergo nato Libero periit libertas. adde, cum Noë dixerit, *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis.* Nato vino, orta ebrietate simul natam esse maledictionem hominis in hominem. (Quantum ex Scriptura ipse memini,) ebrietas parentis etiam inculpabilis occasio fuit mediante derisione ipsi illatâ, maledictionis, & seruitutis nepotum, quæ aliquo modo redundabat in filium Cham. vt discamus ebrietatem parentum, sæpè maledictionem & seruitutem addicere filiis & successoribus, quatenus eos inopes relinquit, vnde seruire cogantur. quia Ecclesiastici 19. 1. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Sed addit subito, *& qui spernit modica, paulatim decidet.* Hoc est qui modica lucra spernit, inops fiet.

Gen. 9. 25.
Cap 5.
Eccls 19. 1

Possunt sæpè filij inopes relicti ea de causa dicere; vel etiam dum pater viuens, & in popinis omnia absumit, & deuorat, & ipsi interea fame

fame pereunt: *Patres nostri comederunt.* non *vuam acerbam*, vt erat adagium, sed vuam dulcem, seu bibebunt vinum dulce: *& dentes filiorum obstupescunt.* Quasi dicat impotentes effecti sunt, ad edendum præ inopiâ. Quamuis adagium prædictum etiam in sensu litterali conueniat rei nostræ, de pœnâ scilicet, quam patiuntur ob patrum culpam. Quot filios, vel nepotes inuenias, qui vinum acerbum, seu potius acescens, bibunt toto anno, eo quod patres sui dulce semper biberint. Vel patres biberunt vuam dulcem, hoc est voluptatibus, & epulis vacarunt: ideoque filijs dentes obstupescunt, hoc est tantumdem amaritudinis, & acerbæ frugalitatis sustinere coguntur, quia Prouerb. 21. 17. *Qui diligit epulas in egestate erit. Qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* Et consequenter filios reddit pauperes.

Prou.21. 17.

Olim primogenita vni filio tribuebantur. Ceteros relinquebant quasi seruos: dixi vni filio. Quamuis iuxta antiquos, qui vsi sunt in singulari *Liber* pro filio, per allusionem nominis (quo vinum Liber vocatur) dici potest bibacem hominem omnia sua tribuere vni Libero, quasi primogenito, & dilecto super alios, & ideo ceteros reddere seruos. Tandem quia bibaces vino seruiunt, Titi 2. 3. *non multo vino seruientes*. ideo possumus dicere, præsertim de artificibus vinosis; *cum patres seruiunt vino, filij seruiant pani.* Hoc est laborant, vel fortè etiam mendicant propter panem. *Filius esurit, quia pater ebrius est.*

Titi 2.3.

1. *Malum non est in potu, sed in potante.*
2. *Vinum immoderatum, luxuriæ est nutrimentum.*

1. OMNIA, quæ Deus fecerat, *erant valde bona.* Ideo stulti Manichæi: qui (vt August. ait lib. 21. 16. de moribus Manichæorum) putauerunt vinum esse fel dæmonis. Et Seueriani apud Epiphan. hæresi 45. dicebant vitem è semine diaboli in specie serpentis germinasse, cuius acini velut veneni guttæ sint; hinc vinum turbare mentem, & incitare ad Venerem: & ideo à vino penitus abstinebant. Quia dæmon serpens dicitur, & vitis intorta velut serpens apparet: ideo commenti sunt quod dixi. Tamen Augustinus supra ait, Manichæos vuis edendis non pepercisse. Hoc idem est ac habere scrupulum auferendi nummos solos ab aliquo, at licitum putare arcam cum nummis, seu sacculum eripere. Dic tu abutentes vino illud efficere fel diaboli in seipsis. Idem enim est fel ac amaritudo, & indignatio. Vnde & cholera, quæ est fellis nutrimentum, habet nomen commune cum ira. Lib.21.16.

Sic Act. 8. 23. *in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse*, hoc est in odio occulto rerum diuinarum istarum; ob quam causam eas contemnis, vendibiles iudicando. Ergo cum vinum nimis potatum gignat amaritudinem materialem in ventriculo, & choleram; & ipsi corpori velut venenum fit; potest dici de talibus abutentibus illo: Act.8.23.

Deut. 32. 10. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Nam ingreditur blandè; sed mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. at cum gignat indignationes, & rixas maximas; quia dicitur, *Cui rixæ, cui væ, cui sine causa vulnera? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Cum ira pessima vulgò dicatur ira diabolica, ideo potest dici vinum in talibus verti in fel diaboli, seu in fel aspidum. nam ebrius adeo efferatur irâ, vt filios etiam & quoslibet crudeliter obtruncet. Prou. 23.

Lib. 3. ca. 2. 20. Aristophanes apud Athen. lib. 3. cap. 20. dicebat, vinum esse lac Veneris. antiqui verò stultitiam hominis, qui malum sibi creat, designantes, pingebant ouem lactantem lupi catulum, qui mox nutricem suam vorabit. sic tu doles te à Venere infestari, & eam non solum vberibus, sed vberiùs lactare conaris: Et lac pretiosius, hoc est vinum vndecumque conquisitum illi porrigis. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Vulgò dicitur de eo, qui maximè gaudio colliquescit, ille lac sugit. sic cum tu vino nimis indulges, concupiscentia tua tunc lactatur, & similiter dæmon. est ergo vinum lac Veneris. immo etiam Sabbati, hoc est Saturni, vt olim ei dicatus fuit hic dies. quia vinum lac senum dicitur, quibus Saturnus dicitur dominari. lac senum, quia vt lactentes eos facit sine intellectu, &c.

Augustinus libro de pœnitentia, Ebriosus inquit, cum absorbet vinũ, absorbetur à vino, abominatur à Deo, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutibus, confunditur a dæmonibus, conculcatur ab omnibus. ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam. ita ille.

3. *Vinum cuiuscumque qualitatis homines infantes reddit.*

4. *Describitur tempestas rixarum ex vino orta. comparatur tempestati aëris.*

3. LAc Veneris vinum dictum ab Aristophane. sed adde, esse etiam lac ceterorum, qui planetarum nomine vocabantur. Solis (qui sapientis est symbolum, sicut Luna stulti, vel etiam stultitiæ. nam vt Ecclesiastici 27. 12. *Iustus in sapientia manet sicut Sol. nam stultus vt Luna mutatur.*) Lac igitur est Solis, hoc est sapientis; quia velut lactentem illum reddit, (si immoderatè bibatur) nempe absque rationis vsu. Lunæ; quia stultitiam, & impotentiam mẽtis maximè nutrit, & auget, vt videre est in stultis, & semifatuis vino repletis. Martis, quia rixas, & iram maximè accendit. quia Prouer. 23. 29 *Cui rixæ, cui foueæ, &c. Nonne his, qui commorãtur in vino, & student calicibus epotandis?* Mercurij; quia *Fœcundi calices, quem non fecere disertum?* Mercurius enim eloquentiæ Deus est habitus. Iouis; quia, sicut iouialitatem (vt Italicè dicimus) hoc est lætitiam gignit, ita nimiam remissionem causat,) si haud sobriè bibatur. Lac etiam est Saturni: quia hominem senem, vt antea dixi, & subtristẽ absque vlla senili grauitate velut pueru-

Ecclef. 27. 12. Prou. 23. 29. HORAT.

lum reddit iuxta illud: *Vinum etiam nolentem senem saltare compellit.* Saltat vinum in calice sursum emittendo spiritus: saltat potum, & postea saltat potans: vinum saltat, & postea saltare facit.

Prou.23. 4. *Cui rixæ, cui foueæ,* &c. *nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Rixas accendit vinũ, vociferationes, sanguinis effusiones: sicut enim humores ascendentes à mari, vel locis humentibus ad cœlum solem & lucem obscurant, aërẽ quasi iratũ, & turbatum reddunt adeo, vt ex hac ira exardeat crebris coruscationibus, insonet turbinibus, & tonitruis, quasi clamoribus iratis contra homines: & tandem effundat repente aquarum torrentes, currere faciat riuos, grandine percutiat fruges, & tecta, fulminibusque deijciat ædificia: ita vapores vini à loco humenti, stomacho scilicet, seu à vini pelago ascendentes ad caput (quod est cœlum mundi exigui, hoc est microcosmi, nempe hominis) ipsum turbant, & Solem mentis obscurant: vnde exardescens animus quasi coruscationibus ex oculis emissis, seu eiaculatis, & vociferationum, atque minarum, & iniuriarum tonitruis, tandem erumpit ira & sanguinem proximi quasi aquam effundit, torrentes facit fluere sanguinis, grandinem percussionum, & fulmina scloporum siue tormentorum æneorum, quæ concepto igne globos ferreos eiaculantur cum tonitru. Si enim vapores aquæ tantum incendium fulgurum, & fulminum in nubibus accendunt, tantumque iracundiæ vt ita dicam, & impetus, & ruinæ in inanitate aëris, & in nubium materia tam tenui: quid facient vapores vini, qui ignei sunt, in calido, & non inanis materiæ capite hominis? quid facient ijdem vapores transeuntes ad fornacem cordis ardentissimam? Iratus est instar sclopi, qui vbi recepit laguncula pulueris nitrati, id est, vini generosi, exardescit cholerâ, tonat verbis iniuriosis, fulminat & percutit obuios quosque sine vllo respectu. Neque enim minus consistit mors hominum lagunculâ vini, quam pulueris nitrati.

2. *Ebriosus in vno calice bibit animam, & cœlum.*
3. *Vinum detegit secreta sicut per aquam eâ scrutantur magi.*
4. *Dæmon confeßionem diabolicam per vinum extorquet à suis.*
5. *Vinum ignis est detegens litteras in charta nondum apparentes citri succo scriptas.*
6. *Quasi puluis accensus eiectat bombardæ internos globos.*
7. *Quidam non voraces, sed bibaces sunt.*
8. *Vinum parit turbationes.*

2. PSALM. 10. 6. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* Vulgo dicimus, eum ita odit, vt in vini calice ipsum sorbere optaret, vel in calice veneni ipsum biberet. Tam odit seipsum, qui se vino inebriat, vt in calice vini, seipsum ebibat, hoc est mentem suam, honorem suum, virtutes, gratiam, gloriam, denique salutem suam ipsumque Deum: hæc enim omnia bibendo perdit. Dixi in calice Psal.10.6.

calice vini, vel etiam veneni, nam aliquando contingit, vt vel vnicum vini poculum, si generosissimi liquoris sit, additum pluribus iam epotatis, ebrietatem afferat: dixi in calice veneni; quia nimiò potatum vinum, venenum fit homini: sic Prou. 23. 31. dicitur de eo; *In nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.*

Prou. 23. 31.

3. Hieronym. ad Oceanum: *Noë ad vnius horæ ebrietatem nudauit femoralia, quæ per sexcentos annos contexerat.* Magi quidam inter modos diuinationis ad perscrutanda secreta, quæ scire cupiunt, vtuntur præsertim aquæ phialis, in quibus per vmbras, & figuras intus apparentes dicunt se discere multa latentia, vt furta eorumque auctores, & alia huiusmodi; ideo dicendum est, vt alludamus prædictæ magiæ, homines nouo diuinandi genere per phialas vini, non aquæ, expiscari secreta etiam scelera à proximo: eo quòd ille velut Noë, etiam occultanda, & minus honesta sua, inebriatus effutiat. Sic Horat. in Poëtica:

Reges dicuntur multis vrgere culullis.
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitiâ dignus. ——

Ad illa verba Psalmi, *Scrutans corda & renes Deus*; ait quidam, vinum sæpe scrutari renes & corda potantium: *ideoque quis negabit Bacchum potatorum esse Deum:* Nam sicut nihil secretum est coram Deo; ita *nullum secretum est, vbi regnat ebrietas.* Prouerb. 31.

Prou. 31.

4. Quàm bene dixit quidam, (a) *la mensa è vna dolce colla; e vna dolce corda.* Scilicet, quia detinet, & torquendo exprimit secreta crimina. Demorsus à serpente regulo, hoc est basilisco, quia venenum eius velocem affert interitum, citò solet confiteri peccata sua: at dæmon, vt Deum æmuletur, diabolicam & ipse confessionem ab ebriosis extorquet, dum per regulum illos veneno afflauit, nẽpe ebrietate ex vino ortâ; de quo dixit sapiens quod *Sicut regulus venena diffundet*, cum præmisisset, quod *mordebit vt coluber.*

(a) Mensa est dulce quoddã gluten & suauis laqueus.

Confitetur peccata, hoc est vt Christiani morituri.

5. Plato 2. de legibus vetat dari vinum pueris, ne inquit, ignem igni addamus: & Ambros. 3. de virginibus, vinum ignem vocat: at scribendi quoddam genus est quod, fit succo mali citri aut alterius materiæ, quæ scripturam inuisibilem efficiat. scripturæ autem huiusmodi ignis approximatus, eam detegit, & secreta illi commissa extorquet. Sic ignis iste, dico vinum, ab ebrioso secreta educit. Sic Virg. opusculo de vino, & Venere. *Multos cæcus amor cogit secreta fateri: Secretum demens detegit ebrietas.* Quid mirum si secreta cordis extrahat, cum ipsum etiam cor cum ipsis educat? Ose. 4. 11. *Vinum & ebrietas auferunt cor.* Cartarius de Deorum imaginibus ait, picam loquacissimam auem Baccho dicatam fuisse: at pica quidquid audit domi, si edocta sit ad loquendum, id aliis passim effutire solet. Bacchus ergo bibaces picas reddit: ideoque picam illi dicarunt.

Plato 2. de leg.

D. Ambr. *3. de virg.*

Virg.

Ose. 4. 11.

6. Homo, quasi tormentum bellicum, cum vini ignem senserit, sta-

tim explodit ex imo pectore secreta: & quæcumque turpia, aut noxia cogitabat, velut pilas æneas de profundo quasi pectoris sui eiaculatur: vel dicas id facere, dum ex œnephoro, vel lagenâ vinum tanquam puluis nitratus largè sumptum, ignē deinde concipit: vnde homo totus inardescens, & mente alienatus, (cum ebrietas, breuis sit stultitia) facit, quod dicitur Prou. 29.11. *Totum spiritum suum profert stultus*, Prou. 31. 4. *Nullum secretum est vbi regnat ebrietas*. Ignem dixi ex Ambr. & Platone esse vinum. ignis supponitur noxiorum pedibus tanquam tortura, ad extorquenda secreta: at ignis vini supponitur capiti, siue cerebro, vt id ipsum efficiat.

Prou. 29. 11. Prou. 31. 4.

7. Bibacibus qui plurimum bibere, parum edere solent (vt plerumque accidit, eo quod dicant bibere esse virorum nobilium, edere autem baiulorum) euenit, quod narrat Sabellicus lib. 9. Enneade 4. Sacerdotes quidam Romani pullos gallinarum ex certo religionis ritu nutriebant, à quibus è cauea dimissis responsa quærebant duces ad bellum exituri de belli exitu, hoc modo. Pabulum illis offerebant; si ederent, fausta respondisse censebantur; si non ederent, aduersa. Quemdam autem Romanorum, Consulem bellaturum obtulisse pabulum; sed pullos ab illo abstinuisse. Vnde indignatus ille in mare eos mersit, dicens: Recusatis edere: ergo bibite. Ita dæmon si prędictis bibacibus non possit suadere crapulam, eos in mare quoddam vini præcipitans, hoc est in copiam eius liquoris, dicit, si non editis, vt volo; bibite, vt desidero. hoc dicendum est etiam ijs, qui ex ægritudine, vel etiam ex abstinentia, ieiunia sectantur; sed dicentes illud *potus non soluit ieiunium*. In vini gurgite ab ipso dæmone demerguntur. de his verificatur Isa. 28. 7. *Absorpti sunt à vino*. Dumque *fugiunt pruinam*; *aliquando irruit super eos nix*. Quantum consulunt corpori, seu animæ per abstinentiam cibi, tantum nocent per bibacitatem vini.

Lib. 9. Enneade 4. — Isa. 28. 7.

8. Philostratus apud Brusonium cap. de miraculis, apud Indos in arce quadam, vbi Indorum sapientes habitant, duo dolia esse ait, quorum altero aperto, fiebant nebulę, & imbres per totā Indiam, altero autē similiter aperto, venti. Cum vero volunt serenitatem, dolia occludunt. hæc Philostratus scribit, vt quæ suo tempore adhuc fierent. Dic etiam apud nos doliis occlusis serenitatem fieri, non solum in mente sobrij, sed etiam proximi eius, & familiæ, vel viciniæ. nā tranquillitas, & pax sentitur, vbi sobrietas habitat. at apertis doliis tempestates excitantur & rixæ, tonitrua vociferationum exaudiuntur. effunditur sæpè imber sanguinis, vęstique, & turbines contentionum exoriuntur in domibus, & pręsertim in locis conuiuiorū, & popinæ. Sic S. Augustinus ad sacras virgines apud Langium vocat ebrietatem tempestatem linguæ, procellam corporis, naufragiū castitatis: sic Prou. 23. 29. *Cui væ, cui rixæ, cui fouea; cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? nonne his, qui cōmorantur in vino & student calicibus epotandis?*

Pro. 34. — Prou. 23. 29.

2. *In mero, vt in mari, est suum Non plus vltra, ne naufragemur.*

2. BRODEVS in epigrammatibus Græcis, & Curtius libro 7. docent, columnas Herculeas, Bacchi columnas antea vocatas fuisse. Patris Liberi terminos eas ibi vocat Curtius. termini autem illi, quibus olim dicitur fuisse inscriptum, *Non plus vltra*; positi fuere ad coërcendos mortales, ne extra illos in apertissimum, & manifestissimum discrimen naufragij procederent ob profunditatem maris illius immensam, & tempestatibus obnoxiam. ita ergo dicendum tam in mari aquæ, quàm in mari, seu copiâ vini, seu tam in mari, quàm in mero, positos esse terminos Bacchi, in quibus sit suum *Non plus vltra*. Vltra quos ad manifestum procedatur naufragium, iuxta Augustini dictum paulò ante relatum, vbi vocat ebrietatem tempestatem linguæ, procellam corporis, naufragium castitatis. Prouerb. 13. 34. dicitur ebrioso. *Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Quasi naufragium faciens in hoc mari clauum amisit rationis, & dormit velut Iònas in tempestate, & imminente naufragio: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines.* Hoc præsertim in vino verificatur. est modus in vino, & certi denique fines.

Prou. 13. 34.

2. *Vinum neque parenti suo pepercit Noë.*

3. *Inuitans ad conuiuia ebrietatis, titulo amicitiæ; hostilitatem exercet in amicos, & enecat.*

4. *Amator vini obijt dolore ob vini vas effusum.*

5. *Epitaphium ebriosi pudendum.*

2. VVLGÒ dicimus de crudeli, & vindictæ appetentissimo, neque suo parceret parenti: *Non la perdoneria à suo padre, che l'ha fatto al mondo.* Tale est vinum. nam auctor, & inuentor eius fuit Noë. numquid ergo ipsi pepercit? Ambros. de Elia, & ieiunio cap. 5. Ante Noë, inquit, non aderat vini vsus. vinum tamen neque suo pepercit auctor. *De Elia, & ieiunio cap. 5.*

3. Idem Ambros. ibid. cap. 14. de illis, qui inuitant amicos ad conuiuia, vbi ad ebrietatem vsque bibitur, sic ait: Vocatis ad conuiuium vt amicos; & emittitis ut inimicos. inuitas ad iucunditatem; cogis ad mortem. inuitas ad prandium; efferre vis ad sepulchrum. cibos promittis; tormenta irrogas. vina prætendis; venena suffundis. Omne enim quod nocet, venenum est. tollit sensus; viscera exurit, somnum infestat, caput vexat. etiam maior vis vini, quàm veneni est, denique vino venenum excluditur, non vinum veneno. Meritò Deus non solum veneno, sed draconum veneno vinum comparauit, *vua eorum vua fellis, & ira aspidum insanabilis.* Et addidit, *insanabilis.* Multi enim serpentum reliquorum veneno curantur, nemo ebrietate. certè veneno caro vulneratur, vino mens. *Hæc Ambr.* Manibus, & pedibus videntur aliquando efferri homines è domo conuiuij. at quando peius exire possunt è domo inimici, quàm si hoc pacto velut mortui *D. Amb. Ibid. cap. 14.*

tui

tui efferantur? Verè ergo hoc eſt exire de domo hoſtis, prout hoc nomen Latinè, ſed & Italicè ſonat. amicus enim, ſiue caupo te ad ebrietatem perducens, hoſtis eſt tuus vtroque modo. (a) *Hoſte, ouer oſte ſignifica l'hoſtier, & il nemico.* verè *inimici hominis domeſtici eius.*

(a) Hoſtis enim Italicè hoſpitem & hoſtẽ ſignificat.

4. Quis explicabit vnquam quanto cordis affectu erga vinum ſint bibaces homines, cum ſe huic vitio ſuperfluè potandi addixerint ſemel? Giraldus apud Theatr. v. h. pag. 2241. Cratinus, inquit, Poëta ita vino deditus fuit, vt negaret, quemquam poſſe Poëtam fieri, niſi vini eſſet appetentior. quaſi cella vinaria eſſet muſarum ſcola, neque alibi illæ inueniri poſſent, quam ibi, (a) *& il cantar naſceſſe dalla cantina nel nome, e nell'effetto.* Si verum eſt, quod nonnulli auctores ſcribunt, vt idem Giraldus refert, quemdam aliquando vidiſſe vas vino refertum effundi, & tanto correptum dolore ob rei tam ſibi amatæ iacturam, vt inde obierit.

(a) Et Cantus tam re, quã nomine proueniret à cella vinaria ſeu Cantina.

Lib. 10. c. 11.

5. Athenæus ait lib. 10 ca. 11. apud Thea. Darius Hyſtaſpis Perſarum Rex, qui Magos de medio ſuſtulit, in ſepulchro ſuo inſcribi voluit hæc verba: *Vinum multum potare potui, idq; perferre.* Cum glorioſiora quæque in ſepulchri elogio ponantur; ille id poſuit, quaſi omnium honorum ſupremum. in hac enim re collocant gloriam fortitudinis & potentiæ, vel potius potantiæ. talibus videtur dici ab Iſa. 5.22. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & fortes ad miſcendam ebrietatem.* Hi peccatum ſuum, ſicut Sodoma, prædicauerunt. *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione;* hoc eſt, in re confuſione dignâ ſita eſt.

Iſa. 5.22.

Ad Philipp. 3.

2. *Olim bibebant pocula ad numerum annorum ſuorum.*
3. *Certamina bibendi quam noxia.*
4. *Demerſus eſt qui primus aquam vino miſcuit.*
5. *Mulier vinoſa ſæpè impudica.*

2. CITATVR Paulus Diaconus auctor, nimirum tempore Longobardorum quatuor ſenes certaſſe inter ſe bibendo (vt olim in vſu erat) annos ſuos, hoc eſt pocula ad annorum ſuorum numerum. vnus bibit 63. alius 58. tertius 87. quartus 92. & exinde ſcribit, legem latam fuiſſe, ne quis amplius annos ſuos biberet. Videmus & modo, plures nõ ſolum bibere, ſed etiam edere annos ſuos: cùm ex bibacitate & crapulâ annos, quibus quis victuri erant, perdunt, & ſe tandem occidunt & ſæpè æger incontinens in vno vini calice plures vitæ annos epotat. immo multi ſenes (cum bibacitas vitium ſit huius ætatis) quo plus viuũt, eo amplius bibunt. vnde ob hoc videntur bibere annos ſuos, hoc eſt proportione ad maturiorem ætatẽ. vnde Apſtol. ad Titum 2. *Senes vt ſobrij ſint,* & paulò poſt, *Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſeruientes.* Danielis 5. 1. de conuiuio Balthaſſaris dicitur; *Vnuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem.* Si vſus bibendi annos, tunc vigebat, (quamuis expoſitores, quos vidi, vt Pererius, & alij poſt eum, nõ meminerint huius expoſitionis) ea mihi

Eccle.

Ad Titum 2.

Dan. 5.

mihi expositio probabilior videretur: cum verò dicatur, quod *Baltassar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille*, certamen bibendi dici posset, quod inter tot bibentes consque deuenerit, vt ætates, & sæcula plurima in eo ebibita fuerint. ij plus volunt de vite, qui plus habent de vita, hoc est plus vixerunt. Cùm autem ibi dicatur, quod eadem nocte interfectus est idem Baltassar ab hostibus, qui obsidebant vrbem; credibileque sit, quod & cum illo alios ex optimatibus illis hostis necarit; ideo ipse rex cum illis ebibit annos suos. Si enim ea nocte vigilassent cum sobrietate non necati fuissent. Hostes facilè *Inuadunt vrbem somno, vinoque sepultam*. nocte enim vrbs est capta, & rex occisus.

Eccles. 31. 3. Bene igitur Ecclesiasticus 31. *Diligentes in vino noli prouocare. multos enim exterminauit vinum*. Exterminare ita dictum est, quòd fit extra terminos mittere. bene ergo perditio ebrij describitur per exterminationem, eo quòd ille in bibendo (vt dici solet) extra terminos, seu limites exeat: extra terminos inquam absolutè, non autem hos, vel illos. Nam vix possit credi quàm in immensum exeat vesania ista, & cupiditas vincendi in poculis, nisi & legeremus, & videremus. Recordare quod dixi de terminis Bacchi hoc est columnis Herculis. cùm enim extra hos terminos vinum adduxerit bibaces, iam de illis actum est. *Prouocare diligentes in vino*, Iansenius hic explicat strenuos in bibendo. Exterminat vinum homines. quia sicut extra terminos illos Bacchi, in immensitate illa Oceani non videntur limites aliqui esse, sed (quantum apparet) amplitudo cernitur absque termino, & etiam absque fundo: ita vinum adducit homines, vt finem nullum faciant suæ bibacitatis, seu bibendi, nisi cum morte, in quam sæpe incidant in actu bibendi, ne vincantur à compotoribus. In celebri certamine bibendi apud principem quendam triginta septem viros periisse legi. vnũ verò, qui victor extiterat, paulò post & ipsum mortuum esse. Vinum igitur homines perdit, ipsos extra terminos eijciendo: extra omnes scilicet terminos, & limites, & limites rationis, & mentis, honestatis, castitatis, modestiæ, humanitatis verecundiæ. nam per ebrietatem homo exuitur omnibus virtutibus, & ferè in omnia turpia, & vitiosa incurrit.

4. Lycurgus Trhacum rex à suis (teste Lactantio) in mare præcipitatus est, quod primus aquam mero miscuisset. ita Rauisius in officina, titulo, Præcipitati. Illud Prouerb. 17. 14. *Qui dimittit aquam caput est iurgiorum*, explicat Lyranus, (quamuis aliqui dicant sensu nimis humili id eum facere.) nempè qui dimittit aquam vino infundere: quia merum solet iurgia, & rixas excitare. at in casu descripto, potius qui non dimittit aquam, caput est iurgiorum. sic bibaces familiæ iurgia excitant in dominos miscentes aquam vino, vel in æconomos. Prou. 17. 14.

5. Auctor imperfecti operis in Matt. Ho. 1. ait, *Omnis mulier quæ vinolenta, & comessatrix est, eadem quoque meretrix est*. an exaggeran et id dicatur; Lectori, vel sapientibus dijudicandum Hom. 1.

candum mitto. certè scorta vocantur Lupæ; vnde lupanar. ergo deuoratrices, & consequenter potatrices magnæ. immo lupabus deteriores; quod illæ aquam bibant, istæ verò vinum. & fortasse tota merces meretricis olim erat in cibo, & victu illi præstito, quod Prou. 6. 26. dicatur, *Pretium scorti vix est vnius panis*. & de prodigo, quod deuorauit substantiam suam cum mulieribus.

Prou. 6. 26.

2. Potus vini vetitus feminis olim.
3. Morteq; punitus.
4. Postea eadem sine aqua.

2. VINVM, interdictum fuisse mulieribus Romanis scribunt passim, præsertim Tullius 3. de natura Deorum. Plin. verò libr. 14. Hist. naturalis, capit. 13. contrafacientes Legi, non minus, quàm adulteras, morte puniri solitas, probat multis exemplis.

Tullius 3. de nat. Deorum. Lib. 14. Hist. natural. c. 13

3. Tertullianus in Apolog. cap. 6. scribit etiam, quæ vinum attigissent, aut vini cellaria aperuissent, necatas fuisse. adeo vetitum vinum, inquit, *vt matronam ob resignatos cellæ vinariæ loculos, sui inedia necarint. sub Romulo verò, quæ vinum attigerat, impunè à Macennio marito necata sit*. Hæc ille.

TERTVL. In Apolog. c. 6.

4. Ambro. verò in epist. ad Colos. cap. 3. dicit, suo tempore mulieribus Romanis tam incognitum esse vsum aquæ, quàm olim fuerit vsus vini. Tit. 2. nu. 3. de vetulis ait. *Non multo vino seruientes*. vbi D. Hier. *Seruitus enim quedā est, & extrema conditio, vino sensus hominū occupari, & non suum esse, sed vini*. Quia verò multi bibaces, & siticulosi, sicut intemperantes sunt in hoc parte, ita non multum eis dominatur ciborum auiditas: cùm per panem in Scriptura passim intelligatur cibus in communi, dici potest de quopiam istorum, *iste est dominus sui panis, & seruus sui vini*.

In ep. ad Colos. c. 3. Tit. 2. n. 3. D. Hier.

Erubesceres vehementer cauponi, seu tabernario famulari & non erubescis seruire vino? Ideo Hieronym. vocat hanc *extremam conditionem*. seruiunt vino dum vinum bibunt sed multò magis postquam biberint. nempe illo dominante ipsis, & per ebrietatem ad omnia indigna cogente, vel saltem per superfluitatem ad iram, ad luxuriam, aliaque huiusmodi impellente. Rectè Bacchus, qui & Liber vocatur, pro vino sumi solet. quia vinum vult esse liberum, & vt sequaces sui sint eius serui. & tunc maximè homines serui sunt Liberi, quando ipsum in corpus suum (quasi incarcerando) magis videntur fecisse seruum. seruo seruiunt, nedum mortuo, hoc est vitæ atque sensûs experti, sed etiam tumulato in ventre eorum, & fœtenti, & ad corruptionem properanti, Sic enim vinum vsque ad ebrietatem potatum, tanquam tyrannus dominatur illis, eosque pro libitu agitat.

Bibaces seruiunt vino, quod turpius est, quàm seruire tabernario.

2. Venus ex mero magis quàm ex mari orta. vinum cum Venere incedit.

2. D. Hieron. ep. 83. ad Oceanum: *Venter mero æstuans citò despumat in libidines*. Vulgatum est illud Antiquorum. Venerem natam esse

D. Hier. Ep. 83. ad Oceanum.

esse ex spuma maris, vtique aliquo pacto æstuantis, sed dic, magis ex mero, quàm ex mari; magis ex vino, quàm ex aqua. Sed præsertim ex mari vini, hoc est dicere ex copia eius. vulgo enim dicimus, *vn mar di vino.* Hieronymus scribit prædicta ad Oceanum, quasi vellet dicere (si ad quod dixi, mentem fortè aduertisset) vide, ne & tu (cum Oceanus sis) non despumes Venerem; si Oceanus vini fias. Ephes. 5 8. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Ephes 5 8

Liberum vocatum fuisse virum, quatenus idem est cum Baccho, notum est. Sed thesauri linguæ, addunt, etiam Venerem iuxta aliquos Liberā fuisse dictā bene conueniunt nomine; quia conueniunt re. Liberum vocarunt vinum, quòd soluat hominē curis, & mæstitiā: vel quòd liberam, & licentiosam reddat linguam, vel manum, cum ergo cognomen hoc quasi familiæ appellationem habeat; non mirum, si filia eius Venus, seu libido, eādem appellatione nuncupetur. Tertull. ait, Libro de spectaculis cap. 10. *Veneri, & Libero conuenit: duo ista dæmonia conspirata, & coniurata inter se sunt, ebrietatis, & libidinis.* colligatæ sunt velut duo ad triremes damnati, & captiui; vel duo canes eādem catena colligati, quo vnus tendit, alterum secum trahit, seu volentem ducit, dum alter ex his dæmonijs equitat, alter post tergum alterius sedet in eodem equo. Addit Tertullianus: *Quam societatem Apostolus sciens, cum præmisisset, Non inebrietatibus, nec in comessationibus, adiunxit, Nec in cubilibus, & libidinibus.* Ita contra Psychios cap. 17.

Tert

cap. 17.

3. *Peior ebrietas comessatione.*

DETERIVS est se inebriare, quàm comessari. nam qui comessatur vt plurimum ingerit animalia in se: qui verò se inebriat, transfert seipsum in animal. ebrius est etiam ipsis bestijs vilior. nam bestia, ab alio facta est; ille autem est bestia factus à seipso: illa necessitatis, iste voluntatis.

Tres calices.

Præteritam primus, præsentem proximus haustus;
Venturam extinguat tertius iste sitim.

At contra hoc quidam alius ex iunioribus, in Æsclepiadem Philosophum (auctorem eius sententiæ, scilicet, quod ter bibendum sit in vno prandio) ait;

Potio prima viri sitientis, vita; secunda.
Lætitia; ebrietas, tertia; quarta, furor.
Hac Æsclepiades si vult me lege teneri;
Est mihi potandum calpare, non cyatho.

Per *calpar* intellige dolium. sed neque si hic frater esset illius, de quo dicitur, quod *fiduciam habet quod influat Iordanis in os eius*; maiora esset locutus. sed dicamus hyperbolicè, & per lusum dicta hæc ab illo fuisse. Iob. 40. 18.

4. *Inebrians se deterior eo, qui regnum bibit in vno calice:*

5. *Et Cleopatrâ sorbente margaritam pretij immensi.*

4 QVI per ebrietatem, vel aliàs per potum illicitum qui proximè inducat eum ad peccatum mortale, perdit regnum cœlorum: deterius facit Lysimaco illo rege, qui cessit hosti regnũ suum, vt posset bibere calicem aquæ, de hoc eleganter idem qui supra:

Quàm breuis heu faciet seruum de rege voluptas!
Singula prob quanti guttula constat aqua!
Oceani pars magna scypho concluditur vno:
Hâc miser ex paterâ flumina multa bibo.

Indicans in regno illius plura flumina & partem Oceani magnam contentam fuisse.

5. Sorbuit Cleopatra exiguo haustu thesaurum ingentẽ, scilicet margaritam toto orbe singularem inestimabilis pretij liquatam in vasculo. In eo vase integra obsorbuit ciuitatem. hâc enim gemmâ poterat emi ciuitas. at quantò magis hæc dici possunt, & maiora de Lysimaco, qui regnum ingens redegit in cyathum? Sed quid de eo, qui totũ cœlum, &c. in calice sorbet? Quanti constabit ei singula gutta? Hic vno haustu sorbet pretiosam margaritã regni cœlorum, pro qua omnia dantur.

IVVENTVS.

1. *Cani sunt sensus hominis, iuuenis senex.*
2. *Adolescentia cæca est, à cæco ducta Amore facilè cadit in foueam, quæ est meretrix.*
3. *Lasciuus vt bos Prou. 7. ideo tendit ad iuuencam, scilicet meretricem.*
4. *Senes auari, iuunes luxuriosi: in pluribus differunt.*

1. QVIDAM ad Oenum iuuenem eruditum sic scribit:

Esse videreris iuuenis, doctissime, si vel
Surdus ego, vel tu mutus Oëne-fores.
Te iuuenem credat nemo, nisi clauserit aures:
Te, si non claudat lumina, nemo senem.

Allusit ad Socraticum illud, *Loquere, vt te videam:* & quod *Cani sunt sensus hominis.*

2. Cæca est adolescentia, scilicet prudentiæ lumine orbata, & quæ impetu magis sensuum, quam oculorum ratione ducatur, adeo autem difficile est dijudicare de exitu cæci currentis, & furentis, vt & Salomon ipse id rem difficillimam pronuntiauerit. Ita Ambros. in Psal. 38. magna, inquit, custodiâ opus est in iuuẽtute, eo quod Salomon inter difficillima, & sibi incognita dixerit esse *viam viri in adolescentiâ.* Si tamen coniectari licet, valde timendum, ne cum cæcus sit adolescens; (ait enim *delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*;) alteri cæco se ducendum præbeat: & cum cæcus cæcum ducet, ambo in foueam cadant. alteri, inquam, cæco: nempe vano Amori, vel iuueni similiter per ætatem eandem, vel etiam per cupidineam passionem excæcato: & ambo in foueam cadant. nam Prou. 23. 27. *Fouea profunda est meretrix.*

Ambr. in ps. 38.
Prou. 23. 27.

3. Ma-

3. Magna similitudo inter hæc duo nomina, iuuenta, & iuuenca. iuuenca autem dicitur impudica mulier. vulgatum autem est illud, similitudo est causa amoris. Ecclesiastici 13 19. *Omne animal diligit simile sibi*, & paulò post, *Omnis caro ad similem sibi coniungetur*: facilè ergo iuuenta diligit iuuencam. Bos fit iuuenis per concupiscentiam. de iuuene propriè tali loquens Salomon Prou. 7. 22. sequente iuuencam huiusmodi, ait, *statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam.*

Eccl. 13. 19.

Prou. 7. 22.

4. Anni senectutis ducunt senes in foueam mortis; anni iuuentutis in foueam meretricis. finis iuuenum solet esse corruere in pulchrum, finis senum in sepulchrum. Iuuentuti dominatur Venus, senectuti Sabbathum, hoc est Saturnus, cui dies ille dicatus fuit. iuuenes fornicarij, senes (vt ita dicam) formicarij, nempe coaceruationi (vt formicæ) dediti. senes semper hamo, iuuenes vtuntur amore. illi cani senectâ, isti canes adolescentia; hoc est impudici. illi sepeliunt thesaurum in fouea auaritiæ, isti in fouea luxuriæ, nempe in meretrice. immo vtrique perdunt. nam Ecclesiastici 29. dicitur non abscondendam pecuniam sub lapide in perditionem. Vel dic, iuuenem sæpè extrahere pecuniam ex vna fouea, nempe patris auari iam mortui: & statim in aliâ foueâ tumulare; ex qua certè nō videbit illam resurgere sibi. nam de meretrice dicitur Ecclesiastes 7. 17. quod *vincula sunt manus illius*, quod *laqueus* est, quod *sagena*. quæ quamuis de capiendis viris intelligantur; tamen etiam de capiendis, & retinendis, ac non facile dimittendis nummis possunt dici.

Iuuenis lasciuus vt bos; ideo sequitur iuuencā.

Eccl 29.

Eccl. 7. 17.

1. *Vbi intemperans adolescentia, ibi erit senectus ægrota.*
2. *Vacans in iuuenta voluptatibus, in fine vt Prodigus conficitur egestate, & desiderijs.*
3. *Senectus hæres iuuentutis, relicta ab illâ tantum potest habere.*
4. *Senectus domus altera animæ, habet tātum, quæ iuuētus in eam trāsmittit.*
5. *Canities sine virtutibus mensa cum albo linteo sine cibis. vnde fame necatur senex in ea sedens, vt sequentibus etiam dicitur.*
6. *Senex euacuauit bona iuuentutis, non mala. bona scilicet temporalia, non mala animi, nec corporis.*
7. *Conuersio perfecta senum fere miraculum, quasi sterilis partus senilis.*

1. CICERO in Catone Maiore, siue de senectute ait: *Libidinosa, & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.* Ideo narrant, cum quidam vidisset senem extenuatum, & corpore arido, ac minimè succoso, quali in iuuentute, fuerat (quod tum ex præterita intemperantia, tum ex præsenti inopia, & fame illi accidebat) dixi de illo: (a) *Che merauiglia, che costui sia cosi secco, poiche in giouentu si e cauato tutti i suoi humori?* allusit ad intemperantiam, & prodigalitatem, quæ corpus exsiccarant. Ecclesiastici 25. 5. *Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?* si non potest inuenire quæ non congregasti, quomodo inuenies quæ in ea dispersisti? Cōgregare dispersa, labor est; vnde est iuuenum:

(a) Quid mirum quod ille tam siccus sit, eo quod in iuuentute omnem succum exhauserit.

Eccl. 25. 5.

senum verò est ex congregatis & præparatis accipere, ijsque frui.

2. Spongiam aridam plurimis oribus seu fistulis liquorem quemlibet absorbentem, concupiscentiæ symbolum faciunt. quid nimirum ergo, si spongia hæc adolescētiæ tuæ, quæ aquam diuitiarum atque virium corporis tui exsiccauit, & sorbuit; te in senecta aridum reliquit? (a) *Che meraniglia, che t'habbi lasciato in secco di robba, e di sanita?* Spongia spongiam facit: *Vna sponga fa l'altra.* Spongia iuuentutis, quæ ebria est, spongiam senectutis efficit, quæ esuriat. spōgia ebrietatis, facit spongiam ariditatis. Vetus & carnalis homo aquam voluptatum nouit sorbere, si potest; cōcupiscere (vt spōgia sicca) nō potest. vetus homo est tum ætate, tum spiritu ille, de quo loquimur. Dicebat quidam: Pater meus reliquit me pecuniosum, & gulosum. transijt pecunia; sed remansit gula. Idē euenit in senibus, qui in iuuentute delitijs, & vitijs dediti sua prodigebant. trāsit, & effluit liquor ab his spongijs, sed spongiæ remanēt cum omnibus oribus, seu fistulis hoc est appetitionibus suis. immo illæ expressæ à copia humoris pristini, non solum nō constringunt ora, sed ea latiùs dilatant, quàm antea; quasi abundantiori potui inhiātes. id ipsum accidit senibus istis; tum quia fames, & inopia acuūt concupiscentiam; tum quia nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata. *Desideria occidunt pigrum* (in senectute) *noluerunt enim manus eius quidquā operari in adolescētia*, non cōgregarunt iuuenes: ideo non inueniunt congregata senes. Quod dixi de egestate corporis, applica etiā egestati animæ suo modo. Desideria ergo torquēt, & enecant dolore, pigros olim iuuenes.

(a) Quid mirum si te reliquerit in sicco, id est, nudatum bonis & sanitate.

Prou 21. 25.

3. *Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?* Eccl. 25. 5

Iuuentutis est parare sibi cum [illegible], senectæ, parare sibi tumulum. Quamuis in diuersitate personarum iuuentus videatur dicenda filia senectutis; tamen in eodem homine senectus, cum succedat ipsi iuuentæ quasi iam inueteratæ, & emortuæ, dicenda est filia, seu neposillius. dixi nepos, si virilitatem, quasi matrem immediatam, à iuuentute distinguere voluerimus. sicut ergo filius, qui nobilis est, & operari non solet, non inuenit, nisi congregata, & relicta sibi à parente, vel ab auo emortuo; ita nec senectus inuenit nisi congregata à iuuentute. non enim ipsa senectus solet operari. *Insere Daphni piros, carpent tua poma nepotes* dicitur apud Poëtam. dic ergo iuuentuti: Insere quasi mater fructuosas arbores; fructus carpent nepotes, hoc est senectus, decrepita, & mors, immo & vita post mortem futura. hæc enim neque potest operari, hoc est mereri. quando enim erimus in meta, tunc tantum poterimus metere, nec valebimus seminare, sed tantum seminata colligere. Tu qui dicis, Non habeo filios, nec nepotes, cur ergo laborabo? cui fraudabo animam meam? ecce ostendi tibi, quod habeas plures filios, seu nepotes, immo & plus quàm filios, plus quàm nepotes: quia tibi coniunctiores sunt. Hæc dixerim de cōgregatis, præsertim quoad virtutem, & bonos mores.

4. Quæ

(a) Noua domus est: qui nihil apportat nihil inueniet.

4. *Qua in iuuentute tua non congregasti*, & cæt. Vulgò dicitur, (a) *casa noua, chi non ne porta, non ne truua.* Cùm de iuuentute in senectam transis, in nouam domum commigras. est illa simul domus vetusta & noua. quæ ergo non affers de domo priori, in hanc posteriorem, quomodo ibi inuenies? inuenies quidem scopis mundatam, sed non ornatam (b) *Fatto vecchio, doppiamente restarai in bianco, cioè per la canitie & per pouertà di beni temporali, è spirituali acquistati.* Dicitur iuuentus, quia iuuat: habet enim vires, quibus opem ferat. quando autem non das operam, vt iuuentute ipsum iuuet; efficis, vt iuuentus tibi non sit iuuentus.

(b) Senex factus duplici modo poneris in albis, sine puris naturalibus, per Canitiem scilicet & ægestatem tam in corporalibus quā spiritualibus.

5. Vulgo dicunt: (c) *Altro ci vuol per la cena, che la touaglia bianca su la mēsa.* Cana senectus est mensa albo linteo contecta. sed ad cœnam, siue ad nutrimentum tam corporis, quàm animæ, heu quàm parum sufficit; nisi iuuentus quasi ministra afferat cibos bonorum corporis & animæ. Sapiētia autem & boni mores præsertim ab his possideri solent, qui iuuentute tales extiterunt. Pulchra certè apparet oculis mensa, & ad videndum delectabilis, cū mappa referta est cibis. ita subdit ibi Sapiens statim post verba illa. *Quæ in iuuentute tua*, &c. *Quàm speciosum canitiei iudiciū, & presbyteris cognoscere consilium!* & paulò infra: *Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* En tibi quæ mēsam reddunt gloriosam, & nobile conuiuium, atque vitam nutriunt, & roborant. en quæ ornant linteum canitiei. *Senectus enim venerabilis est, non diuturna*, &c. Cibi operum, & virtutum ornāt candidam mappam. Assidens ergo huic mensæ senex, fame & desiderijs necatur.

(c) Plus in cœnā requiritur, quā mappa candida.

Prou. 25. 6.

Desideria occidunt pigrum senem; *quia noluerunt manus eius quidquam operari*, cum esset iuuenis. Desideria etiam superfluitatum, & voluptatum, nedum fames, & sitis, & similia, ipsum enecant. quia ex assuetudine, vt loquitur Seneca, quæ erant superflua, facta sunt ei necessaria. vnde sine his putat se mori, & fortasse aliquandò moritur, ex immoderato scilicet animi dolore quòd ijs carere debeat. Qui in iuuentute non est agens, in senecta erit egens: qui tibi non erit faciens, hic erit patiēs. imò eo quòd patiens sit, erit impatiens. non enim patientiam congregauit in iuuentute. non *portauit iugum ab adolescentia sua*, vt dicitur Thr. 3. 27. Quia ex pigritia, & dormitatione sæpè os aperiut, oscitando; aperiet in senectute esuriendo. sed quia prodigè viuendo deuorauit aurum, in senecta vorabit auram. nam si tunc fuit Camelus, nempe diues; deinde erit Cameleon.

Prou. 21.

Thr. 3 27.

6. *Quando factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* 1. Cor. 13. 11. Sæpè hoc vsurpat prodigus non de moribus, quæ in pueritia possidebat, sed factus vir, inuenit se ea prodegisse. ita & senex factus *euacuaui* (dicere potest) quæ erant iuuenis, vel paruuli. euacuaui, & non euacuaui. nam euacuaui bona, non autē mala illius ætatis; corporis scilicet & animi. In senectâ etiam retinent, quæ sunt paruuli. nam, Bis pueri senes. senex, puer centum annorum. Quæ ergo in iuuentute non congregauit, in sene-

1. Cor. 13. 11.

ctute inuenit. hoc verum eſt etiam de malis multis iuuentutis, quæ niſi in ea congregata eſſent, non inuenirentur in ſenectute. mala inquā corporis,& animæ. nam, vt dixi, Intemperans adoleſcētia effœtum corpus tradit ſenectuti. Mala iſta ſunt veluti dæmones in energumeno, cui ſi manus vel pedes amputentur, illi dæmones ſeſe retrahunt ad reliquas partes. ita quamuis pueritia vel iuuentus amputetur à vitâ hominis, dum deficiunt; mala prædicta ſeſe colligunt ſuper ſenectutem. in eam ſe recipiunt: quod ſæpè fit etiam in malis & ægritudinibus,quæ cum ætate maiora fiunt in ſene.

Intemperans adoleſcentia, vt dixi ex Catone Ciceronis, *tradit ſenectuti effœtum corpus.* Effœtum ſignificat propriè corpus, quod emiſit ex ſe fœtum, ac etiam quod fœtare deſijt,ſeu concipere. ita habent theſauri Latinæ linguæ. *Tradit* ergo *ſenectuti corpus effœtum* etiam in hoc ſenſu, nempe non grauidum, nec plenum cibo; ſed exinanitum fame propter præteritum luxum,& prodigalitatem. tradit effœtum corpus,& animam effœtam, ſiue effœtum hominem;fructum nempe nullum amplius parientem (filij enim ſunt fructus, item opera) nullum inquam fructum temporalem, vel ſpiritualem.(a) *Volle ſgrauidarſi di tutto ciò,che li venia voglia, che merauiglia, ſe poſcia più ſgrauidato, ò ſgrauato, che non vorrebbe.* grauidatio dicitur quaſi grauatio. grauida quaſi grauis. ideo ethimologiæ prædictæ innituntur ea, quæ diximus. In ſenectute aliquem filium, & præſertim multos gignere (qui vocantur fructus, & quaſi opera parentum) pro miraculo ferè habetur; & ſæpè apud nos incredibile videtur. præſertim ſi prius ſteriles erant. Hæc in Scripturâ ſacrâ dona Dei magna, & peculiaria fuerunt. ita miraculum videtur ſenex, qui fructus operum producat, cum iam fuerit ſterilis in iuuentute. quæ enim non congregauit in iuuentute opera quaſi filios,vix videtur poſſe inuenire in ſenecta. correctio ergo ſenis aliquo modo miraculum dici poteſt:& ſterilitas eius in fœcunditatem conuerſa.

(a) Exonerare ſe voluit multiplici cōcupiſcentiâ quâ grauis erat;quid mirum ſi nunc ſe leuiorē inueniat quàm vellet?

Cum inter religioſos aliqui choro deputati ſint,aliqui miniſterijs laborum,hi vulgo dicuntur, *conuerſi.* ex illis aliqui etiam ſenes ingrediuntur clauſtrum. ſed vix inuenias ſenes aliquos, (vt vocant) Conuerſos fieri. ob labores enim ſubeundos inepti reputantur ad illum ſtatum. Ita raros videbis in ſenectute,qui verè cōuerſi ſint,hoc eſt à priori vita, & inueteratis moribus. licet enim multi pœnitentiam agant, tamen quaſdam malas conſuetudines vix vnquā deponere ſciunt. Conuerti in ſcriptura dicuntur, qui à via ſuſcepta retrorſum redeunt. *Conuertimini à vijs veſtris peßimis.* at Prou.22.6.dicitur. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit,non recedet ab ea.* Hoc eſt non conuertetur. *Prou. 22. 6.*

2. *A ſene dentibus imminutis* reprobabitur amygdala, *pœnitentia ſcilicet.*

3. *Homo dat Deo quod diſplicet ſibi, annos triſtes, & dona reproba. ita cum Deo agit,vt cum diabolo.*

4. *Bene*

4. Bene vult facere, cum non potest male.

5. Senex dicat templum Deo cum iam diruitur, scilicet corpus suum.

2. INTER incommoda senectutis, de quibus Ecclesiastes ca. 12. copiosè loquitur, vnum est quod tunc *florebit amygdalus*. quod communiter exponunt de canitie capillorum, quòd in colore sit ei flori similis. Caietanus tamen legit: *Reprobabitur amygdala.* & exponit eum fructũ à valde sene reijci, eo quod eodem cap. num. 3. inter incommoda eiusdem ætatis dicatur, *Et otiosæ erunt molentes in minuto numero.* quod exponitur de dentibus, qui debilitati, & in paruo numero, non poterunt fungi officio suo, præsertim erga prædures cibos, vt est amygdala in cortice inclusa. Sed moraliter dic, senem reprobare amygdalam, hoc est duritiam pœnitentiæ, & *vias duras*, quas Dauid dicebat, se custodisse propter verba mandatorum Dei. Vulgo dicitur. (*a*) *Dio dà le noci, ma non le rompe*, id est, vult nos fructũ, seu amygdalam virtutis ex cortice laboris præduro eruere. at senex dentium debilitatem & paucitatem excusant: vel etiam difficultatem allegat bene agendi, ob malam nempe contrariam consuetudinem. idcirco reprobat amygdalam operum pœnitentiæ, & mortificationis corporalis, vel etiã opera virtutis. dici & soli (*b*) *Che questi non son ossa per i tuoi denti.* Si Deus, si confessarius vult senem edere salutis cibum, vt satisfactionem in cõfessione impositam; oportet, vt ei faciant, quam vulgo vocant, panatellam siue pultem (*c*) *Bisogna che Dio le rompa le noci, & anco gliele mastichi.* Hoc etiam modo senex iterum trãsit in infantem. vt infans panem mollitum siue pultem, quærit, sic senex. Senes etiam dicuntur, quasi segnes i.e. abhorrentes à laboribus.

cap. 12.

Psa. 16. 4.

(*a*) Deus dat quidem nuces, sed non frangit corticem.

(*b*) Hæc ossa dentibus tuis non conueniunt.

(*c*) Oportet vt Deus ipsi nuces frangat & insuper masticet.

Cum ergo quis in iuuentute hortantibus se ad pœnitentiæ opera dicit, Nunc non est tempus, sed in senectute hæc faciam; idem est, ac si dicat porrigenti sibi amygdalas ad frangendum, Modò nequeo, sed in senectute id præstabo. Dicendum ergo iuueni; vt dicitur à Salomone *Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent*, hoc est anni senectutis, atque mortis, vt communiter exponunt antequam veniet tempus quo dentes tibi imminuantur, & infirmentur, vnde & reprobes amygdalam.

Eccles. 12.

3. *Et appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent.* Homo agit cum Deo de seipso, siue de annis suis, sicut & de reliquis rebus. Panis apponitur tibi prædurus, & niger. exclamas, panis hic panis caninus est, panis diaboli. non mihi placet. Soles qualibet hebdomadâ panem Fratri Mendicanti porrigere. dicis ergo, detur fratri, detur Deo. nam, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Dicebas panem esse canis, esse diaboli, *vn pan da can, vn pan del diauolo*; & concludis modo esse dandum Deo: quasi Deum honores (vt ita dicam) eum tractando quasi canem, quasi diabolum? Diaboli panes sunt lapides, quales porrexit

rexit Christo in panem conuertendos. idem ferè tu facis, cum durissimum panem, qui potius lapis dicendus est, Christo in paupere porrigis, dicendo: *Dic vt lapides isti panes fiant*; hoc est ipsos comedendo fac, vt panes tibi sint. Adde, quod etiam Deo dare disponis annos, qui non tibi placebunt, nempe senectutis. non placent tibi, & vis eos placere Deo? Sed tamen, si iuuenis cum fuisti, non meministi Dei, placebunt ei & anni, qui tibi non placent? sed ne in discrimen adducas te ipsum: *Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ antequam veniat tempus*, &c.

Quid sunt anni isti, de quibus dices, *non mihi placent*; mihi Anni, seu tempus istud afflictionis, nisi anni mali, dies mali? Sic enim Iacob dicebat annos suos paucos, & malos. Cum igitur cuilibet etiam baiulo tibi obuianti, & salutanti, sæpè, vt vulgo loquimur, (a) *dij il buon dì, & il buon Anno*; quomodo soli Deo, tibi salutem non verbis sed opere præbenti, non bonos dies, seu bonos annos, sed malos non verbis solum, sed factis audebis dare? Imò neque hos aliqui præstare volunt. Volumus, & petimus à Deo bonos dies, bonos annos, & dare illi malos dies, malos annos. si tamen illi etiam prabeamus nostros malos annos, euadent boni anni.

(a) Precaris bonum diē & bonū annum.

4 Quia ergo homines in iuuentute parum solent reminisci Dei, sed id differre in senium; ideo ait hic, *Memento Creatoris tui*, &c. antequam veniant anni isti mali. Sed vbi Vulgata legit. *De quibus dicas, non mihi placent*, alia lectio apud Pinedam habet: *Quibus dicas non est mihi in eis voluptas*, quando præ senectute non vales oberrare; vt solebas, per plateas, vel per domos sodalium, &c. quia inualidis es tibijs: neque voluptate musicæ afficeris, neque confabulari potes, neque comœdias audire quia surdaster es: neque cōuiuijs, & tabernis vacare; quia laboras stomacho 2. Reg. 19. 35 Berzallai octogenarius ait. *Nunquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus, & potus? vel audire possum vltra vocem cantorum, atque cantatricum?* Chald. pro verbis illis: *Non mihi placent*, habet. *In illis nullam voluptatem cupio.* Igitur cum non est tibi voluptas in his annis aliquo, tunc cogitas de Deo seruiendo, & offerre illi vis annos, in quibus non est tibi voluptas. Annos, qui naribus tuis fœtent, hos vis naribus Dei admouere: Cùm antequam præ vetustate feteant carnes tuæ, possis eas ipsi conuiuanti apponere? Vuam acerbam senectutem expertus es. cœperunt enim dentes tui ex ea obstupescere. & quia dicis, Non mihi placet; illam promittis Deo? De vino vitæ tuæ per vetustatem in acetum conuerso propinare iterum vis Christo Crucifixo? Sic facis de vino deprauato, & in acetum conuerso, cum illud Christo in paupere existenti das. sic facis & de annorum tuorum aceto. *Memento ergo Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis*, & cet. Vis (vt dicebam supra) Deum tibi nuces, seu amygdalas confringere, & nucleum exhibere: cum tu tantum cortices & ossa (nempe tuæ vitæ dies duros,

2. Reg. 19. 35.

duros, & exſuccos) ei velis dare? Imò medullam & nucleum diabolo; oſſa,& cortices vacuos Deo.cum ipſe vtrumque velit? Dic ergo illi: *Holocausta medullata offeram tibi*, offeram tibi iuuentutis, & proſperitatis medullam cum oſſe duro ſenectutis, & dierum malorum.

1.Cor.6. 5. Ait Apoſt. 1.Cor.6 *Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti.* Cum verò templa ſtatim ac perfecta ſunt, dedicari ſoleant Deo; quam abſurdum, expectare vt templum iam prę vetuſtate ruat,& tunc ruentem conſecrare Eccleſiam? Templum collabens eſt ſenex, præſertim morti proximus: diruere illud cœpit mors, vel quaſi diruere compleuit: diruit enim iuuentutem,& virilitatẽ: diruit ex maiori parte hoc templum, dum vitæ maiorem partem aboleuit; dum ſenſus, & vires magna ex parte iam abſtulit. ideo D. Thomas dicit, hominem in primo inſtanti rationis,& cognitionis ſufficientis teneri conuerti ad Deum. *Memento ergo Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ,* & cetera. Ridiculum eſt aduocare Epiſcopum ad conſecrandum templum, cum actu miniſtri illud diruunt, & ferè totum ſolo æquarunt.

2. *Iuuenis fruſtra reſipiſcet.*
3. *Mens haud in barba.*

2. ADAGIORVM collector, vt refert Theatrum Vitæ Humanæ. tomo 1. lib. 1. ait Apud Hollãdos quidam in cõuiuio igni vicinior accumbebat: veſtiſque eius ora comburi cœpit. ſodalis eius, habeo, inquit, tibi aliquid indicare. ille, ſi iucundum eſt, inquit, dic; non enim conuiuio niſi læta immiſcenda. ſiluit ergo amicus. in fine menſæ, ait ille, nunc narra quod volebas. alter oſtensâ ipſi veſte enormiter combuſta, dicit id ſe voluiſſe indicare. Cogita tecum, an non voluiſſet de ea re admoneri prius: & ſi tum ſibi, tum amico indignatus eſt. O miſer iuuenis: quia in iuuenilibus voluptatibus, & in iucunda ætate verſaris quaſi in læto conuiuio; parentum & amicorum reſpuis audire admonitiones, præſertim de igne concupiſcentiæ, quæ te,& opes tuas comburere cœpit. nam vt Eccleſiaſtici 9.9. dicitur, *Concupiſcentia ſicut ignis exardeſcit.* Italicè vocabulum hoc: *La robba*, & veſtis genus, & rem familiarẽ ſignificat, quia (vt Greg.) terrena omnia ſunt quædam corporis indumenta, at cum bona tua enormiter conſumpta cernes, quaſi filius prodigus, cum deueneris ad glandes, reſipiſces. Ita Prouer.5 8. deterrens Salomon iuuenem à muliere meretricium exercente ait: *Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena, & gemas in nouiſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas, Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me?* Ideo Seneca aiebat, *Dic amicis quod nolunt audire, vellent autem poſtea ſemper audiſſe.* Non vis audire, veſtem tuam aduri, at audiſſe poſtea voles.

Eccl.9.9. Prou.5.8. Sen.

3. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata:* Sap.4.

cani autem sunt sensus hominis, hoc est prudentia, & sapientia. Correzetus de dictis, & factis memorabilibus: Cum, inquit, ad Fridericum Tertium Imperatorem duo Legati Venetorum iuuenes venissent, & ille iuuentute ipsorum offensus, eos audire negaret; illi tandem impetrato aditu ad ipsum, dixerunt: Si sapientia in barba, & in canis sita esset, Senatus ad te misisset duos hircos egregiè barbatos. Venerabilem facit virum non barba menti, sed barba mentis.

Correz.

Ita de Herode Sophista legitur apud multos, quod cum barbatum quendam, & pallio Philosophico indutum non agnosceret, atque ille diceret; an non vides me esse Philosophum? respondisse Herodem: Barbam & pallium video, Philosophum non video. quasi diceret non video sapientiam, hoc enim sonat Philosophia.

1. *Tres instituit & docet, qui puerum vnum docet.*
2. *Iuuenis probus, quasi miraculum vituli ferentis iugum.*
3. *Hoc Dei opus præcipuum est.*
4. *In iuuenta stat summa rerum.*

1. QVIDAM præceptori filium suum etiamnum puerum minori mercede litteris instituendũ tradere volebat, quàm soleret præceptor exigere pro alijs ætate prouectis. eo quod minus laboris sit in tenera illa ætate imbuenda litteris, quàm in his maturioribus annis. Sed respondit magister se tribus mercedibus dignum esse, easque velle pro adolescente solo, addens hos quasi versus, Qui iuuenem docet, homines tres docet in vno. namque docẽs puerum, docet virumque senemque. hoc est, eâ doctrinâ & vir factus, & senex ornatus apparet. idem dicendum de institutione & doctrina morum. nam Prou. 22. 6. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Prou. 22. 6.

2. Vitulum portare iugum, & arare, ferè miraculum esset. lasciuiens, & otiosus, sicut etiam pulli equorum cibo, & vagis discursibus vacare solent. Sic miraculum ferè est, & opus Dei rarum, si vitulum nempe adolescentem faciat portare iugum legis diuinæ, atque modestiæ. de quo dictum Thren. 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescẽtia sua.* Ambros. ad hunc locum, cum dixisset multos in senecta conuersos esse, addit; *rarus autem, qui in iuuentute graue iugum seria sobrietate portauerit.* Thren. 3. AMBR. in hunc loc.

3. Pullum, qui vult liber esse ab omni iugo & onere, vult Christus ascendere. verè in hoc facto ostensũ videtur, opus Christi proprium esse, vt iuuenis iugum ferat, Christum. Triumphus Christi fuit, & gloria, cum super pullum equitauit intrans in ciuitatem; vt simul ostendatur, triumphum Christi esse, & victoriã insignem, ætatem iuuenilem domare, vt iugum ferat. & de pullo dicitur, *quem adhuc nemo sedit hominum.* quem non valet subiugare homo; nempe opus hoc est proprium virtutis Dei. non valet homo alius, non valet ipse homo suam domare iuuẽtutem, at valet Deus. Adde in amore iuuenum triumphat Christus præ gau-

gaudio, & gloriam æstimat iugum suum imponere pullo.

4. Iob ipse, vt placet Olympiodoro Philippo, & alijs apud Lorinum in Psal. 24. peccauit in adolescentia, & ideo dicit, *consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*; licet in ætate perfecta nil mortale commiserit. *Vita iuuentutis mors est, aut vita salutis, illeque beatus, qui hanc transit immaculatus.* Miraculum ferè est habere iuueniles annos, non iuueniles animos. Damnationem iuuentus emit, senectus scilicet per mortẽ soluit. *La giouentu la fà, la vecchiezza la da.* Ligna viridia sunt iuuenes: tamen plerumque arida ligna sunt, scilicet quoad peccatum, & præsertim ad concipiendum ignem iræ, & luxuriæ. iuueni dictum ab Ecclesiaste 11. 10. quod *amoueat iram à corde, & malitiam à carne*, scilicet luxuriam. vel alludendo ad viriditatem ætatis, dic ligna hæc præsertim apta esse ad ignem inferni nutriendum, illumque fouere; quia obscurus est, & fumo plenus. id præstant ligna virẽtia, cum ardent.

Psal. 24.
Iob 13.
Eccl. 11. 10.

FRATRES.

2. *Amicitia respectu fraternitatis est vmbra respectu Solis.*
3. *Fraternitas commendatur à titulis conglobatis, & effectibus varijs.*
4. *Eadem corona est vrbis, & familiæ, quas reginas constituit.*

2. 
Am arctum, & naturale est fraternitatis Vinculum, tantaque coniunctio fraternitatis, vt veraciter quidam sapiens dixerit, amicitiam nihil aliud esse, quam imaginẽ quandam & vmbram fraternitatis. Sed Ciceronis dialogo de amicitia decantatum est illud, *Solem de mundo tollunt, qui amicitiã de vita tollunt.* Si ergo amicitia quæ Sol est mundi, tamẽ vmbra est respectu fraternitatis. vnde qualis erit Sol ipse fraternitatis, & quã illustrabit, lætificabitq; terrarũ orbẽ, cũ Sol alius nox sit, & tenebra respectu illius? Vmbra imago est, & similitudo rei, cuius est vmbra. imago autem dicitur esse quasi, vel sicut res, cuius est imago, sicut etiã de vmbra idẽ dicitur. sic Dauid Psal. 34. 14. volens dicere, se tanquam amicũ habuisse eũ, de quo loquebatur, ait: *Quasi proximum, & quasi fratrem nostrũ sic complacebam, hoc est amicè ipsum tractaui instar fratris.* Psal 34. 14.

3. Quid est fraterna virtus, & beneuolentia, nisi gaudium patrum, solatium matrũ, lætitia propinquorum, iucunditas amicorum, ædificatio ciuium, consolatio proximorum, approbatio Dei, & Angelorum? Vnde paucis verbis hęc comprehendit Ecclesiasticus 25. 2. dicens, *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus*, primum verò posuit, concordiam fratrum. Fraterna concordia, est coniunctio naturæ, consortium gratiæ, acquisitio gloriæ. est paritas in vna fide, conspiratio in vna spe, colligatio in vna charitate. conformitas in cogitatione, concordantia in verbo, congruentia in opere. Multitudinis fratrũ, qui veri sunt fratres, est cor vnũ, & anima vna. anima vna in multis corporibus, mens vna in multis ani- Eccles 25. 2.

 mabus,

mabus, cogitatio vna in multis mentibus, sensus vnus in multis cogitationibus. Fraternitas multorum est fulcimentum domus, ornamentum famuli, fundamentum magnæ sobolis, augumentum consanguinitatis, amicorum protectio, inimicorũ metus. In vrbibus potentia, in concilijs auctoritas, in bellis fulmen, in pace iucũditas. augumẽtũ boni vtilis, dulcedo delectabilis, illustratio honesti.

4. *Ecce*, igitur, *quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnũ*. Quænam est & qualis illa familia, quam concordia multorum fratrum exornat, nisi regina ciuitatis, regina familiarum? Omnibus enim antefertur per hoc, omnibus præpollet. vnitas ipsorum fratrum est corona eius. an nescitis coronam, eo quòd in idipsum suo gyro redeat, neque diuisionem, aut terminum admittat, aut varietatem, esse symbolum vnionis? Ecclesiastici 50. 13. dicitur de Onia summo sacerdote, *Circa illum corona fratrum*. hoc est de eadem stirpe Aaron cum illo. ita dici potest, circa illam scilicet familiam, corona fratrum.

Eccl. 50. 13.

2. *Fratrum vnio malum punicum pluribus granis.*
3. *Flores multi in Heliotropio:*
4. *Stellæ in firmamento.*
5. *Carmina vnius Strophe, vulgo.* stanza di versi.
6. *Christus fratrum diuisionem respuit.*
7. *Vnio fratrum echo multarum vocum.*

2. ECce *quam bonum, & quam iucundum*, &c. quid sunt fratres multi in vno habitantes, charitate ardentes, nisi tot grana Mali punici in vno malo rubentes quasi amore, & tam miro ordine in vnũ coniuncti? Hæc grana proximè super se coronã habent: quia, vt dixi, familia & multitudo in se ipsa valde concors, facilè vbique præpollet ceteris, & omnibus dominatur. sed etiam quia charitati & concordiæ de proximo instat corona gloriæ cælestis. quia *nos scimus*, inquit, Ioan. 1. 3. *quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum videre in aperto Malo punico tot illa grana, inter se aptè disposita. idem, & multò magis dicendum de fratribus, vt supra.

Ioan. 13.

3. In Genesi 37. Ioseph vidit per propheticum somnium, fratres suos per stellas designari, *& stellas vndecim adorare me*. Quid ergo est familia multorũ fratrum inuicem se amantium, nisi Firmamentum ipsum stellarum? Verè firmamentum est; *quia funiculus multiplex difficilè rumpitur*. quam ergo bonum, & quàm iucundum respicere cœlum stellatũ, vbi tanto ordine, & pacis silentio tot emicãt stellę: tã bonũ & iucundũ est videre copiam huiusmodi fratrũ in eadẽ domo. Iudicum 5. 20. dicũtur *stellæ manentes in ordine suo*. Apud Poëtas etiam dicũtur stellæ choreas ducere, ratione motûs ordinati. quæ indicant eas concordiæ symbolum esse.

Genes. 37.

Iudic. 5. 20.

4. Quidam Heliotropium, plures flores habens quasi fratres eiusdem formæ pingebat, omnes ad solem conuersos vnanimiter, addens verba hæc: *Multitudinis fratrum anima vna*. quia etiam materialiter anima vna est in illis omnibus, & quasi cor vnum,

vnum, cū vnica sit planta, & vnanimiter in vnum tendunt. Eâ re explicabat illud *multitudinis cor vnum & anima vna*; hoc est fratrum in casu nostro, qui velut helitropij flores vnā habentes animam in vnam rem incumbunt, in vnum finem, scilicet in bonum familiæ, vel potius in solem iustitiæ, Deum: in quem directos semper in omni actu suo habent mentis oculos. (Act. 4. 32.)

5. Strophe aliquot carminum certi numeri Italicè dicitur *stanza*, quod vocabulum significat & domum. in hac ergo domo continentur multi versus, qui præter paritatem syllabarum, quâ similes sunt; & quòd in vnâ strophe vniuntur, etiam sibi inuicem cōsonant similiter desinēdo. quod tamen in vulgaribus carminibus tantum fit. Huiusmodi ergo domus versuum, latinè *Strophe*, est Symbolum domûs fratrum, seu aliorum, quos concordia, & habitatio coniunxit. Versus enim illi, quasi fratres eiusdem partûs similes, sibique per omnia concinentes & concordes, & ad inuicem per hanc consonantiam quasi vnanimitatem colligati, & in vnam domum redacti, repræsentant fratres animo, & corpore similes, sibi inuicem cōsentientes, vinculo concordiæ colligatos, & in eadem domo manentes. Quàm iucundum est audire huiusmodi versus ita in vnam domum coëuntes, ita inuicem concinentes: tam iucundum est spectare huiusmodi fratres, aut socios habitare in vnum. *ecce* ergo *quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnū.* Carminum melodia suauis est: & grata Deo, & hominibus; ita fratres eo pacto vnanimes melodiā efficiūt Deo, hominibusque iucundam. vnde supra ait Sapiens, concordiam fratrum probatam esse coram Deo, & hominibus. Hi laudant Deum *in chordis, & organo.* nam veluti chordæ vnius citharæ inuicem concordant: veluti fistulæ vnius organi multæ sunt, sed vno & eodem spiritu, hoc est flatu, quasi eâdem animâ inspiratæ, concentum concordem reddunt: ita multitudinis concors spiritus, & anima vna in omni operatione & sermone ipsorum. Vnanimes fratres, simul habitantes diximus esse carmina inuicem sibi consonantia in Dei laudem. ergo sunt psalmus quidam. ergo finis eorū, sicut & psalmi, erit *Gloria*. Sunt psalmus, seu hymnus in silentio, & opere, sicut vita fratrū spiritualium est perpetuus psalmus etiam in sermone. nam apud illos Horæ Ecclesiasticæ non aliud sunt, quam psalmi diuisi, & decantati. 6. Luc. 12. Christus petentem fratrem, vt se à fratre diuideret, abiecit. Beda hîc, ait, id fecisse, quia Christus vnitatis magister nō debuit adhiberi ad diuisionem. adde tu, præsertim fratrum. ergo diuisio fratrum sæpè fit à diabolo, magis quam à Deo, scilicet diuisio hereditatis. immo sicut Synagogā in fraterna charitate Moysis & Aaronis, ita Ecclesiam Deus fundauit in vnitate Petri, & Andreæ. Chrys. Homilia huius loci: *Super charitatem fraternitatis posuit Ecclesiæ fundamenta.* (6. Luc. 12.)

7. In quibusdam locis, siue arte, siue naturâ ita constructis, echo ita resonat, vt ad vnicam vocem & dictionem prolatam ciuitates variæ

eius loci eandem dictionem omnes repetant vnanimiter. videntur repræsentare concordes fratres, qui *idipsum dicunt omnes, & nō sunt in eis scismata* Echo res plane iucunda, & mirabilis. An non ostendit Propheta talem esse fratrum concordiam, & vnanimem sententiam, cùm (quasi ad rem nouam) vtitur particula, *Ecce*, dicendo, *ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum!* scilicet, non tam per habitationem quam per beneuolentiam coniunctos.

2. *Domus fratrum margarita est.*
3. *Quisque illorum Hercule fortior.*
4. *Adde, & ingentis animi, cùm plura corda, animasque gerat.*

2. HABITARE *fratres in vnum.* quid est in vnum, nisi in vnione? Sed veraciter habitant in vnione fratres vnanimes; quia per cōcordiam, quā paruæ res crescunt, citò illustrantur, & ditantur familiæ. domus ipsorum tota *vnio* erit, hoc est ingens margarita. talis inquam fiet ob diuitias, & splendorem comparatum per concordiam fratrum. Societas ista *communio* etiā appellatur. communio dici potest: quia communit. & hoc ipso, quod fratres inuicem conformantur, inuicem cōfirmantur. tunc hostes eorum erunt crepātes, cū illi nō erunt discrepātes.
3. Antiquum, & notum est adagiū. *Ne Hercules quidem contra duos*: intellige simul vnitos. Cū ergo fratres duo concordes sunt, eò quòd per concordiam fiant cor vnum, & anima vna, quòd est dicere fiat vnus vir (nam vnitas ab vnitate formæ, & animæ in homine desumitur) idcirco vnusquisq; fratrū ita inuicē vnitorū fortior est, quàm Hercules. quot fratres ergo vnanimes domus habet, tot Hercule maiores viros habet.
4. Ingentis animi, ingentis cordis, & ausus contra quoscumque solent esset fratres, cum vnanimes inter se fiunt. quid mirum? cùm ex pluribus animabus & cordibus in eis conflata sit vna anima, conflatum vnum cor! cor inquā, quod totū est in singulis tāquam membris. nam anima est tota in toto, & in omni parte: & in eis factum est cor vnum, & anima vna.

2. *Fratres vnanimes vix inueniūtur aliqui.*
3. *Tales sunt cœli sydera.*
4. *Casus mirabilis dissidentium fratrum.*
5. *Ruina dissidentium, seu etiam aleā altercantium, aut litibus.*
6. *Hereditatis diuisio, vestiū pulchra laceratio.*
7. *Sororum se amantium casus mirus.*

2. SYDERA illa duo, quæ dicuntur Gemini, quorum alter lucet post occasum alterius, aiunt Prisci esse Castorem, & Pollucem, qui à Dijs obtinuerunt, vt vitā mutuo inter se diuiderent: moriente altero, qui erat immortalis, & interim resurgente altero pro illo, vt ita semper ambo viuerent: symbolum amoris fraterni sunt. Ad hos alludens, ait quidam:

Concordes duo sunt in cœlo sydera fratres:
In terrā vnanimes vix reor esse duos.

3. Dic, per id denotari duos fratres vnanimes hic in terra esse duo sydera: esse velut in cœlo, viuere

in

in Paradiso, esse beatos, esse cęlestes homines: ab omnibus suspici, & lumen honesti exempli fraternæ charitatis mundo effundere quasi stellas. Vel dic in cœlo esse hos concordes fratres: quasi doceamur, in cœlo, nō in terrâ inueniri solidos fratres valde sibi consentientes: *Fratrum quoque gratia rara est*, inquit, Ouid. Met. 1. Ideo Ecclesiasticus 25. 1. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus; concordia fratrum*, &c. hoc primum posuit.

Oui. Met. 1.

Eccl. 25. 1.

4. *Concordia fratrum.* &c. Sabellicus lib. 7. Ene. 9. inquit: Anno salutis 1260. duo fratres defuncto Tartarorum rege eorū fratre, de regno inter se belliū gerentes super fluuiū gelu concretum pugnam cum exercitibus vtrimq; inierunt. dum ardet prælium, glacies soluta est & flumen absorbuit ad triginta millia vtriusq; exercitus. sicque terminus pugnæ est impositus. Tam miserabili casu terremur. Sed vtinam terreamur. Opus enim diuinæ iustitiæ extitit. vt discamus, quanta punitio maneat fratrum odijs, & dissidijs mutuis. *Facit hæc iudicia in terra, vt discant iustitiam habitatores orbis.*

lib. 7. Ene. 9.

5. In dissidijs, & litibus fratrum quamuis aliquando alter vincere videatur; tamen docuit nos Deus casu prædicto, re verâ vtrumque Vinci (siue cum vulgo loquar) perditorem fieri, & ab abysso aquarum, hoc est odij, & peccati ac damnationis sæpè absorberi. Adde etiam absorberi ab aqua inopiæ, & calamitatis. nam (vt etiam Tullius aiebat) *concordiâ parua res crescunt, discordiâ maxima dilabuntur.* Vulgò aiunt: Inter duos litigantes tertius gaudet. gaudet hic dæmon, qui *fiduciam habet, vt influat Iordanis in os eius.* dæmon inquam, qui vtrumq; sic dimicantem absorbet ex siti magna, quâ ardet animarum. Dum etiam non fratres secundum carnem, sed secundum fidem (quâ dicimus, Pater noster, & ex vno primo parente exorti sumus) dum inquam duo sic litigant, & rixantur, potest aptari eisdem conceptus enarratus. Idem dum duo litigant in foro quasi in flumine conglaciato; vel litigant aleâ ludentes: dici potest, quod inter duos litigantes tertius gaudet, hoc est, quod neuter eorum vincat, sed vincatur vterque. tertius verò, qui gaudet, & vincit, est ipsum forum litigantium: quod forum ratione ministrorum litibus seruientiū, absorbet facultates vtriusque litigatoris. Sicut & locus aleæ ratione ministrorū, & expensarum in chartis, lucernis, muneribusque datis in prosperis iactibus aleæ, &c. est fluuius, vel potius charybdis deuorans vtriusque aleatoris opes. cum verò plures ministri sint tam in fluuio fori, quàm etiā aleæ in cōuentibus celebrioribus huius ludi; ideo dici potest, inter duos litigantes gaudet tertius, gaudet quartus, gaudet quintus. Sed vt redeamus ad dissidia vel lites inter fratres, si alter eorū victus est; victus est, quia alter eum vicit. Si victor extitit; etiam sic victus est: quia debet cogitare vt 2. Mach. 5. dicitur *prosperitatem aduersus cognatos malum esse maximum.* quænam victoria est ista? acquirere per litem, vel contentionem bonum minimum, & pati malum maximum?

Tull.

2. Mach. 5.

6. Theatr.

Theatr. vit. hum. vol. 7. lib. 2.

6. Theatr. vit. hum. vol. 7. lib. 2. Cùm, inquit, Saxoniæ principes, & fratres de diuidenda inter ipsos regione agerent, quidam ipsorum morio, Nicolaus nomine, coram ipsis nobili veste indutus in consessum procerum ingressus est, & Fredericũ Ducem interrogauit, Num ei placeret illud vestimentum? affirmauit dux. tum morio sese inde retrahens, vestem forfice detruncauit, & iterum in conspectum ducis rediens, interrogat, an ita placeret? indignatus Princeps vestis abscissionem, verberibus, inquit, flagellandus es, qui tam pulchram deformaueris vestem. tum morio: Optimè inquit; iudicasti. sed tu ipse prior flagellandus es iuxta tuam sententiam, qui vestem longè hac nobiliorem detruncare paras. Bona terræ, & hereditates sunt quædam vestes, quæ corpus familiæ contegentes decorant, iuxta illud Greg. quid enim sũt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? vnde Iob re familiari spoliatus, dicebat, *nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* quapropter eæ familiæ quasi fatuæ, & ridiculæ fiunt detruncatis sibi vestibus; & fratres eiusdem familiæ dimidiâ in veste irridentur. non enim ex charitate, vt Martinus, sed potius sæpè contra charitatem eas diuidunt.

Theatr. vol. 2 lib. 7.

7. Fraterna charitas magna, ac singularis est in quibusdam. Theat. vol. 2. lib. 7. titulo mortui ob captiuitatẽ refert: Cum Turcæ victo exercitu Michaelis Comneni Paleologi captiuos diuideret, & duę sorores multa charitate coniunctæ in diuersa loca, seu regiones diuiderẽtur, post multas lacrymas, & eiulatus, ambæ in mutuo complexu expirarunt.

2. *Vnus oculus tribus concordibus sororibus satis fuit.*
3. *Hoc explicatur, & accidit in fratribus religiosis communiter viuentibus.*
4. *Quilibet fratrum est ciuitas integra.*
5. *Amore in vnum corpus coalescunt.*
6. *Chimera videtur inueniri fratres perfectè vnitos.*
7. *Rari gemelli corpore, sic rari mente.*
8. *Monstrum est fratrum dissensio.*
9. *Superbia eos diuidit.*

2. THEAT. pag. 2136. Prisci Auctores inquit, ferunt, tres filias Phorci non habuisse inter se plus quàm vnum oculum, & vnum dentem, quibus tamen cunctæ vicissim vtebantur: (tanta inter illas erat coniunctio amoris.) Inde discamus, quod vbi adest charitas, & communicatiò bonorum inter fratres, vel sorores etiamsi ita inopes essent, vt vnum solummodò oculum, vnum dentem inter se haberent; tamen adhuc sustentare se possent.

3. Apud fratres religiosos & cõmuniter viuẽtes arctiori instituto, quãuis magna inopia sit; tamen ob hanc communicationem minus illis est, quàm multis diuitibus. quia pauperes huiusmodi sunt *nihil habentes, & omnia possidentes.* vna domus, vnus ignis, vnus minister ciborum, vna supellex, & sæpè etiam vnicum pallium pluribus sufficit. *ecce ergo quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Charitas sufficit, vt vnus oculus, vt dixi, pluribus sufficiat.

ficiat. nam oculus fui cæco, inquit, Iobus, & pes claudo. Prouerbium, est (a) *Tre fratelli, tre castelli.*

(a) Tres fratres tria castra.

4. Dic, quid mihi tribuas, si cum vnus sis, & inualidus, tibi vires multorum millium virorum impertiam? Si ex vno viro te constituam ciuitatem integram virorum, atque munitam? Prouerb. 19. 18. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, ecce, quod spopondi, tibi reddo. Adagium relatum facit fratrem fratri coniunctum, esse oppidum seu castrum: at Salomonis prouerbium facit ciuitatem munitam. *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Vide, quot per charitatem, & concordiam miracula facis. per te enim *cæci vident*, *claudi ambulant.* Erant in vnâ syluâ simul cæcus & claudus. cæcus nesciens inde exire, nec itidem valentem egredi claudum sine pedibus truncatum imposuit sibi in humeros, qui viam sibi indicaret. sicque claudo cæcum regente, cæco claudum gestante ambo è sylua exire potuerūt. de illis cecinit Alciatus: *Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.*

Prou. 19. 18.

Iob 29.

6. Natalis Comes lib. 9. cap. 3. historiæ, seu fabulæ Deorum ex Priscis auctoribus narrat, Chymeram fuisse mulierem, quæ Liciæ imperauit. quæ quia fratres habebat geminos, alterum Draconem, alterum Leonem nomine, cum quibus amore erat coniunctissima: finxerunt, eam habere caput leonis, pectus draconis, & ventrem capræ. Dic ergo monstrum, & Chimeram creditam esse coniunctionem maximam fratrum, & sororis inter se. quia tam insolita res hæc semper fuit, & vtinam hodie non sit; vt monstrum videatur si inueniantur fratres & sorores magnâ coniuncti charitate: immo mera chimera, & fictio, seu res, quæ magis in mente, quàm in re inueniatur, existimetur. Ideo dolebat Ouidius 1. Meth. dicens, *Fratrum quoque gratia rara est.* Adagium etiam est (a) *Cento d'vn ventre, e ciascun di sua mēte.*

Lib. 9. c. 3.

Ouid. 1 Meth.

(a) Centū ex vno ventre, suâ quisque præditus mente i. e. diuersa sentiens.

7. Sicut rari inueniuntur fratres gemini qui in omnibus, & per omnia quoad corporis formam & habitu ijdem ferè videantur: ita rarius est inueniri duos fratres huiusmodi quo ad animam & voluntatem. Fratrum gratia, & concordia rara. ideo inter tria quæ præ ceteris placebant Sapienti, primum est *Concordia fratrum.* Sicut enim dulce, & iucundum est, videre duos geminos perfectè similes in corpore, ita dulcius est apud sapientes, videre duos fratres ita vniformes in animo. *ecce enim quam bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, non tam habitatione corporis, quam vnanimitate mentis.

8. Fabulam olim putaui, seu putassem, quæ de Comitissa illa Hollandiæ à multis fide dignis narratur, nimirum quod vno partu trecentos, & sexaginta sex proles viuentes ediderit; nisi legissem apud Aristotelem fœtum mulieris, cùm anima rationali animari incipit, esse magnitudine muscæ, seu formicæ maiusculæ, quod & ipse experientiâ comperi in abortu quodam. Cum ergo tot fratres tanta pace, & quiete in exiguo ventre longo temporis spatio manserint: vide quod monstrum sit, quod nec duo ex illis maiores effecti in

ampla domo habitare queant. immo vix defuncto parente, proprias sibi quærant domos. vnde quasi rem admirandam, & quasi monstrum. (nam *monstrum* dicitur à monstrãdo, quod omnis quasi digito illud commonstrent.) Propheta per particulam *ecce* ostendit nobis quam pulchra res ac rara sit vnio fratrum in vna domo. dicens: *Ecce quàm bonũm, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* monstrum est amoris: monstrum pulchritudinis. ideo dicebam chimeram, & monstrum visum esse amorem fraternum, vt supra.

9. Ratio autem cur fratres per dissensionẽ non queant habitare simul, est; quia maiores effecti ætate, & veneno serpentis, hoc est diaboli, qui est rex super omnes filios superbiæ, infecti adeo inflantur superbiæ morbo, vt non solum duo ex eis in eadem domo, sed aliquando etiam nec in eadem vrbe, aut regno capi possint. Nonne toties legimus in historiis, duos fratres regni competitores non potuisse pacificè in eodẽ regno consistere: vnde alterum ab altero inde expulsum, vel de medio sublatum? Immo nec vniuersus orbis capere potuit aliquando duos huiusmodi inflatos. vnde alter alterum de hoc mundo tollere nitebatur, ne tumori suo tumor alterius angustias faceret, Prouerbior. 13. 10. *Inter superbos semper iurgia sunt.* & quando ædificatur turris Babel (quam vsque ad cœlum pertingere volebant, quæ typus est superbiæ) tunc diuiduntur homines in vniuersas terras. quid mirum ergo, si vbi superbia, ibi diuisio? Nonne ex tumore, & inflatione sequitur diruptio in partes, & crepitus? ita ex inflatione superbiæ diruptio charitatis, & strepitus rixarum: *Vidi Satanam tamquam fulgur de cœlo cadentem.* Fulgur cadens, quæ maximè solida sunt, hoc est quæ partes inuicem valde compactas habent, & coiunctas, vt sunt lapides, & similia, dissoluit in minutas particulas, & in puluerem. Fulgur idem, cum ignis sit, diuidit compositum quod accendit, in elementa, vnde constabat, vnde ex eo præsertim remanet cinis, quia ex terra præcipuè compositum erat. aqua & aër, ac ignis per ipsum ignem in fumum, & mox in aërem conuertuntur. separatur enim humor à ligno combusto, & terra, quæ ab illo glutinabatur cinis fit, & in minuta dispergitur. dæmon ergo, cum fulgur sit, & ignis odij, & dissensionis (sicut Deus charitas est, & vnionis pater,) proprium habet diuidere, maximè coniunctos & fratres. Sed sicut in fulguris ictu idem est diuisio, & destructio, quam facit: ita simul incedunt discordia, seu diuisio. & desolatio rei, seu familiæ diuisæ. nam *Omne Regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.*

Prou. 13. 10.

Luc. 10. 18.

Matt. 11. 25.

2. *Dæmon spiritus est inter vnita se inserit, diuiditq; fratres.*

2. DÆMON spiritus est. vnde sicut ventus, qui etiam spiritus dicitur, ob subtilitatem suam etiam intra coniuncta quæque se inserit: ita multò magis spiritus malignus. Vulgo aiunt dæmonem in omnia

.10,

nsa caudam suam immittere, cum serpens sit;& teretem, atque acutam caudam serpentes habeant; quid mirum si inter valde coniunctos,quales sunt fratres ,eam ingerat, cosque & quasi spiritus, & quasi caudatus diuidat? coniunctissimi ergo viuite fratres,& ita *nolite locum dare diabolo.* si enim vel leuis iniuria , aut tenuis dissensio inter vos admittatur; hoc dæmoni sufficit.introducta enim est eius cauda; & paulatim etiam totum seipsum inseret inter vos. sæpè enim ex leui occasione , & iniuria ortum habuerunt dissidia maxima.Qui magis coniuncti erant, quam angeli in cælo ? tamen quia dæmon, seu serpens intra illos caudam immisit,cauda deinde tertiam partem inde detraxit. Angeli qui ciciderunt, non autem alij admiserunt caudam,ideo illi soli detracti sunt.

Ephes.4. 17.

3. *Auaritia , præsertim in hereditate diuidenda fratres hostes mutuo facit.*

3. ALIA radix diuisionis inter fratres est auaritia, & cupiditas. Ferunt Prisci fabulatores ex dentibus serpentis à Cadmo seminatis,turbam fratrum enatam,quę sese mutuo gladijs confoderit, eundem Cadmum scriptores faciunt aurum eruendi auctorem primum. da mihi parentem, qui aurum eruerit, & congesserit, & ecce filij ab eo sati mutuis contentionibus, & rixis ob huiusmodi aurum, hoc est diuitias, seipsos conficient, præsertim in diuidenda hereditate. licet enim raro se interimant facto, id sæpissimè efficiunt desiderio quo mortem aliis fratribus concupiscant. *vnde enim bella,& lites in vobis?* & cet. (a) *I figli nel partir l'hereditade, diuidono li studi con le spade.* Hereditas cibus quidam est lautus, mensæ fratrum appositus. at assidentes mensæ statim educunt gladium siue cultrum ad discindendum , seu diuidendum cibum. ita ad hereditatem diuidendam gladiis litium , & rixarum vtuntur. Cum autem simultates oriuntur inter fratres , eæ deteriores sunt ceteris. (a) *Le peggior risse,e li peggior duelli son quelli tra parenti , e tra fratelli.* vnde adagium est. Ira fratrum, ira dæmonum.

tt.12,

(a) Filij diuidentes hereditatem, gladio partiuntur charitatem.

(a) Pessimæ rixæ & pugnæ sunt inter cognatos & fratres.

2. *Nummus præponitur fratri.*
3. *Facit fratres inter se longinquos, ac si tantum fratres forent per Adam.*
4. *Maiores fratres rem minorum dilapidant,eis se dominos exhibent.*
5. *Familia fratrum bonorum, congregatio quædam fratrum religiosorum suo modo seruat vota*
6 *Religiones præsertim institutæ ad reparandam fraternam collapsam charitatem. per exemplum , id probatur sequentib.n.7.& 8.*

2. (a) O*VE la borsa si fa innanti, ogni parentela si fa indietro , è voce delli auari, anzi prouerbio, Mi toccan piu i miei denti,che i miei parenti.* Ait auarus, frater est mihi frater, sed nummus est pater. nam vitam mihi tribuit, frater est ex meo sanguine, sed nummus est meus sanguis. nam *sanguis est hominibus pecunia.* Prouerbior. 27. 10. *Melior est vicinus iuxta, quàm frater procul.* hoc est, qui pa-

(a) Crumena præponitur omni parentelę. prouerbium auarorum est: Propinquiores sunt mihi mei dentes, quam parentes.

Prou.27. 10.

ratus sit ad opem tibi ferendam, is melior est quàm propinquus affectu alienus. tamen potest dici frater procul, hoc est non propriâ & arctâ fraternitate iunctus: sicut vulgò dicimus, consanguineus procul, seu à longè. *parente da lontano.* frater autem à longè dici potest, qui solum ex Adami origine communi, nobis frater est. Qui ergo cum frater sit iuxta rationem naturæ longe abest ab adiuuando eo, cuius est frater; is ex fratre iuxta, fit frater procul. quid mirum ergo, si nil, vel parum adiuuet fratrem, quem à se ita elongauit?

3. Legi, quendam nuncium misisse ad Imperatorem. (excidit nomen) qui ei nunciaret, fratrem eius aduenisse scilicet Imperatoris. introductus ad ipsum ait, se filium Adami esse sicut & Imperator ipse. tunc Princeps artem arte delusit, iubens quadrantem dari fratri suo. conquerenti verò de doni tenuitate, ait: Si tantumdem tribuerem cuilibet fratri meo huiusmodi, inops citissimè fierē. Ita ergo cum Princeps ille frater esset ludibundo illi, sed frater procul, & à longe; tantillum ei tribuit. ita etiam, qui veri fratris sui se facit fratrem procul; aut nil, aut exiguum huiusmodi præbet fratri suo. vel dic, quod dum fratri modicum quid tantummodo erogat, ipsum facit sibi fratrem procul.

4. Sæpè filij maiores natu prodigunt suam, ac etiam minorum fratrum ac puerorum portionem. Minor filius prodigus fuit in parabola: at sæpè prodigus est maior in historia. vituperamus eum, qui suam tantum consumpsit substantiam; at quid agemus de illo, qui etiam consumit alienam? Cum frater ætate se videt primum in domo, vult etiam primatum in dominio, & cum sit natu primogenitus, primogenituram, si non accipit, arripit, & vult esse *Dominus fratrum suorum, & vt ante se incuruentur filij matris suæ.* Gen. Ideo sæpè videas maiores fratres in domo pretiosis vestib. ornatos ac rebus omnibus affluere: fratres verò ipsorum minores vident seruos & seminudos incedere. quot sorores habent, tot habent famulas, nisi quod aliæ famulæ data mercede famulantur, illæ verò gratis, & solo victu misero contentæ. dixi minores fratres videri seruos, & mancipia. sed vtinam videantur tantum. at sæpè tales sunt visu, verbo, & opere, fratres autem sola natiuitate. Ait Ecclesiasticus 32.1. *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Eccle. 32. 1. Hinc leguntur multi Reges, & Rectores animi moderatione cum subditis quasi cum fratribus esse conuersati. immo & hodie non desunt. Domini ergo se exhibent fratres: fratres se exhibent dominos. fratres subditorum, dominos fratrum. Sed vtinam se exhiberent dominos, aut tyrannos tantum. sæpè se exhibent feras & leones. Ecclesiastici 4. 35. *Noli esse sicut leo in domo tua euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* Eccles. 4. 35.

5. Cum audis, religiosorū familiam vocari *Familiam fratrum*, ne putes nomen hoc esse omnino æquiuocum ad ipsos, & ad fratres, de quibus loquimur. nam etiam hi fratres secundum carnem, sunt, seu esse debent,

velut

velut familia monachorum. debent enim seruare paupertatem, dum adhuc sub parente, vel tutore viuunt, ita vt pater administrationem habeat bonorum, illi verò in communi viuant, ea tantum habentes, quæ ipsis opus sunt. castitatem etiam; & obedientiam erga parentem, vel patrem familias quasi ipsorum prælatum seruare habent. ideo ait Apost. Tim. 3. *Filios habentem subditos in omni castitate*, vbi de subiectione & castitate simul loquitur. Taceo etiam, quod simul cohabitare pacificè debent more fratrum religiosorum, ac Deo seruire iuxta conditionem status sui.

6. At sicut, cùm progressus temporis religiosorum fratrum cætus, languente disciplinâ, ab auita perfectione, statuque suo optimo declinauit; renouari, ac reformari solet mediante studio prælatorum Ecclesiæ: ita cùm status fratrum naturaliũ valde declinasset ab integritate, & obligatione suæ conditionis: cùm nullam ferè paupertatem, castitatem, obedientiamque seruaret; immo nec vnitatem: Spiritus Christi, vt deformatam nobiliori modo repararet fraternitatem, instituit in Ecclesia congregationes fratrum spiritualiũ. qui prędicta omnia, in quibus fratres secundum carnem defecerant, multò perfectiùs seruãtes, exẽplo essent familiis vt eadem, saltem pro conditione ipsorum, præstarent. quamuis & aliis sublimioribus de causis societates prædictæ institutæ fuerint.

7. Spiritus Dei dum tot fratrum familias instituit, & seruat; videtur alloqui fratrum naturalium cætus, huncin modum: Vos filij, & fratres causamini, nõ posse vos seruare paupertatem quamuis in sericâ veste, ac splendidâ mensa, vnde & suffuramini à parentibus, vel etiam illis mortem concupiscitis, vt domini rerum sitis. item non posse seruare castitatẽ, siue in pueritiâ, siue in adolescentia, siue inito matrimonio. non posse seruare obedientiam, quamuis erga parentes piè atque optima ratione præscriptam. non posse seruare vnitatem in concordia & cohabitatione, quamuis cum fratribus eiusdem ventris, præsertim parente defuncto. En quot fratrum sunt societates, qui paupertatem etiam vsque ad mendicitatem seruant, cum plurimi ex iis diuites essent, immo multi etiam Principes. castitatem & continentiam etiam extra matrimonium in omni vita colunt. obedientiam exactè præstant non solum patribus; sed aliquando proprijs etiam filijs, & fratribus, vel (quod maius est) extraneis; & cum ipsi sæpè nobiles, & docti sint, idiotæ & seruo. immo non vni ex his, sed pluribus, & vsque ad senectam, & obitum. Duo ex vobis, qui fratres ex eodem vtero prodiistis, eâdem in domo aliti, sub eodem parente & præceptore educati & edocti estis; vix patre demortuo, in ampla domo simul habitare non sustinetis. ecce tot homines statũs conditione, regionis qualitate, ac morum diuersi distincti; relictis amplis domibus in exiguam cellulam se includentes pacificè simul cum plurimis aliis viuunt, & moriuntur; & fiunt cor vnum, & anima vna.

8. Ob contentiones, & dissidio-

rum occasiones, inquiunt, hodie non est bonum, neque iucundum habitare fratres in vnum: & melius est esse amicos procul, quàm inimicos prope. Sed heus tu, qui hæc dicis, audi quæ dicat Deus: Non possunt fratres eodẽ ex vtero nati simul habitare & in pace degere? efficiam ego, vt lupi cum agnis, pardi cum hœdis, vituli cum leonibus & vrsis simul innoxiè, & pacificè habitent. quod est dicere faciam vt leones & lupi cum vitulis, & agnis fratres inuicem fiant, nedum mansueti homi-
Isa. 11.6. nes. Isai. 11. 6. descripto Messiæ aduentu inter alia eius opera hoc habetur, *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. vitulus, & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum.* Per huiusmodi feras intelliguntur homines efferati, & barbari, vel etiam tyranni, & latrones, hostesque proximi sui, qui conuenerunt in vnum pacificè in Christi religione, sed præsertim in religionibus fratrum, & monachorum per mutationem dexteræ excelsi, & pacificè vixerunt cum iis, quibus antea infesti, & hostes erant, sicut lupi aut leones agnis, & vitulis. Per puerum paruulum, qui minabit eos, puto intelligi posse hominẽ imbellem, & aliquando etiam illitteratum, qui illos facillimè regeret. Hinc Antonij, Hylariones, Benedicti, Francisci, vide quot leones ac vrsos domârint, & una cum agnis & vitulis facilè rexerint.

2. *Frater fratrem defunctum, aut monachum cupit.*
3. *Vt aues non cohabitant, nisi dum paruæ sunt & implumes in nido parentum.*
4. *Et inter cohabitantes dissidia.*
5. *Exemplis probatur, maiores fratres minores persequi.* 6. *Et* 7. *describuntur vitia fratrum malorum.*

2. LVPI ergo fratres fiunt agnis: fratres, lupi fiunt fratribus. nam occidunt sæpè illos saltem desiderio, vt soli potiantur hereditate. *Tradet frater fratrem in mortem.* id dictũ est de odio infidelium aduersus Fideles. Sed hodie impletur de fidelibus in fideles, cum mortem eorũ concupiscunt, vt sæpè accidit. Alij autem si fratres non cupiunt ad sepulchrum efferri; cupiunt mortuos viuere, scilicet mortuos sæculo, & in religionem ingredi. cupiunt fratres esse dupliciter fratres. cupiunt fratres se tradere Deo, vt ipsi possint amplius se tradere diabolo. quantùm flent parentes ob mortem, vel ingressum in religione filiorum; tantũ ob id lætantur fratres vnde domum hanc adire; simul est ire ad domum luctûs, & ad domum conuiuij. quod si fratres tristitiam exhibent, sæpè in eis contingit iuxta adagium: *fletus hæredis, fletus est sub persona.* i. e. fictus. 1. Reg.

3. Doles, fratres non diligere vnitatem? immo diligunt; quia sæpè quisque illorum, optaret esse vnicus. cupit esse singularis. in filiatione, vt sit singularis in dissipatione. quæritur fratrem alium esse prodigum, quia timet sibi defuturum quod ipse prodigat. Vix defuncto parente, diuiduntur fratres: *percutiam pastorem, & dispergentur oues.* velut pulli auium,

nium; dum paruuli sunt, in eodem nido simul sedent: at maiores effecti in diuersa auolant, neque amplius fratres fratres agnoscunt, ab aliisque discernunt ita & fratres faciunt.

4. Si fratres simul viuunt, non desunt inter eos dissidia: si diuiduntur, inopes fiunt. Si dũ cohabitant simul, aliquis maior est inter ceteros; sæpè alios opprimit, aut contemnit: Si quis minor est, maiori inuidet. Si aliquis eorum vxorem duxit, non deerunt lites ratione vxoris, & filiorum cum fratribus ceteris. Deinde quilibet eorum in sua ratiocinatione se ostẽdere nititur parciorem ceteris fuisse fratribus in expensis, vtiliorem in beneficiis &c.

5. Quod maiores fratres sæpè minores opprimant, & mali bonos persequantur, ab initio mundi id factitari cœptum est. Caim maior occidit Abelem minorem, malus bonum. Esau maior, odio habuit Iacob. fratres maiores Iosephum vendidêre. Frater Dauidis natu maior Eliab, cum ad eum venisset Dauid iussu patris; quid dixerit Dauidi,
1.Reg.17. vide 1.Reg. 17. & agnosces qualiter ipsum inhonorarit.

6. Axioma Philosophorum est, Quo melior rei est generatio, cò deterior est corruptio eiusdẽ. vnde sicut nihil melius aut iucundius est probis fratribus siue religione, siue natiuitate: ita nil tam abominabile, quàm jidem, si velut vinum optimum degenerent in acetum. Quid sunt fratres huiusmodi? (de sæcularibus loquor) inobedientes patribus, non obsequentes matribus, pugnantes cum fratribus, molesti sororibus, tyranni cum seruis, dracones cum ancillis, equi recalcitrantes cum pædagogis, muli obstinati cum magistris. Contristantes consanguineos, offendentes amicos, iniuriis lacessentes sodales, turbantes proximos, scandalizantes vniuersos. Tumultu frequenti turbantes domum, clamoribus viciniam, litibus vniuersam cognatorum propinquitatem, malo exemplo vrbem, sæpè etiam scelestis facinoribus prouinciam.

7. Ad admonitiones surdi, ad preces lapidei, in castigando ferrei, in comminando efferati. Fratres in malo, diffidentes in bono. coniuncti per naturam, non vniti per gratiam. vniti per muros, disiuncti per mores. fratres carnalitate potius, quàm carne. per conditionem filij, per luxuriam patres. Omnes volunt esse in domo, domini. vnde non inueniuntur, qui cum illis manere per patientiam possint serui. In mutua altercatione & oblatratione canes, in suffurando à patribus feles, in mensa lupi, in schola ad discendum asini. sexu fratres, effeminatione sorores. Si vnus vult cœnare, alij volunt ludere. si illi in villam secedere, isti manere in ciuitate. si vnus imperat seruo rem vnam, alius imperat contrariam, Si vnus seruus domi fit, si vnum vehiculum, singuli eodem tempore vti volunt. Chaos Ouidij est domus istorum non Respub. Platonis per communitatem, sed Platonis per dissensionem.

MVLIERVM CONSORTIA.

1. *Visitatio matris propter eius famulas filio periculosa,*
2. *Amor mulierum occultè in corde viri hæret, nisi sit cautus earum aspectum vitando.*
3. *Etiam Apostolus tentatus à carne. ergo nos omnem occasionem tollamus à nobis.*

Hier. 1.  IERONYMVS ad Rusticum: *Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus. ancillulas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis: quia quantò vilior earum conditio, tantò facilior earum ruina est.* Hæc ille Rustico monacho præcipit. quod si aliquando inuisere matrem periculum est monacho probatæ vitæ, qualis erat Rusticus: quid dicendum de sæcularibus, qui cum matribus ancillas tales domi alentibus habitant?

2. Ne(inquit) *tacitum viuat sub pectore vulnus.* Rectè *tacitum.* Vulnera corporea, loquuntur. sunt enim quædam ora aperta in carne: quorum verba sunt emissus sanguis, & hominis vulnerati gemitus. at vulnera. Amoris lasciui, sicut non sunt ora aperta, seu plagæ apertæ in homine, sed occultæ; ita neque emittunt talia verba, & muta sunt. Vel dic, Amorem adhuc infantem recenter natum non loqui: vel ab initio tacitum esse, quia furtiuè intrauit. intrauit enim per fenestras, vt fur; *vt occidat, & mactet:* ideo intrauit cum spongijs sub pedibus. & tacitus manet, ne tu eum in te sentias, & occidas. ideo Ecclesiastici 42. libido Eccles. 42. comparatur tineæ, quia occultè, & tacitè rodit & ferit. *In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.*

3. Subdit Hieronymus eidem Rustico loquens: *Si scandalizat te oculus,* Hier. *pes, manus tua; proijce ea, nulli parcas, vt soli parcas animæ. Quis gloriabitur castum se habere cor? Astra non sunt munda in conspectu Domini, quantò magis homines, quorum vita tentatio est?* & paucis interiectis, ait. *Vas electionis, in cuius ore Christus resonat, macerat corpus suum, & subijcit seruituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorem repugnare suæ sententiæ, vt quod non vult, hoc agere compellatur. & tu arbitraris absque lapsu & vulnere posse transire, nisi omni custodia seruaueris cor tuum, cum Saluatore dixeris, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei, &c. crudelitas ista pietas est. immo quid tam pium, quàm sanctæ matri sanctum custodire filium? optat illa te viuere, & non videre te ad tempus, vt semper cum Christo te videat. Anna Samuelem non sibi, sed tabernaculo genuit,* Hæc ibi Hyeronymus Vides, quis nostrum tutus erit cohabitando cum mulieribus, si inuisere matrem tam periculosum facit Hieronymus ob allatam rationem ancillarum?

1. *Amor feminæ ordinaria est causa pecti in homine.*

1. Idem

1. IDem Hieron. ad Oceanum scribens: *Prima tentamenta Clericorum sunt mulierum frequẽtes accessus. Nociuum genus femina, ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, stipula, quæ ignẽ accendit, exuritque fundamenta montium.* Hæc ille. nota, dici portam & viam diaboli, & peccati. sicut enim porta & via sunt media ordinaria eundi & intrandi in aliquem locum, ita femina & consortium eius est mẽdium cõmunissimum & primarium peccati; eo quòd si vir peccet, hoc potissimum peccet peccato, & per hoc in alia postea incurrat. Sicut per ianuam domus, ducimur ad varias domus partes, & cubicula: & per portas Vrbis in Varios Vicos & angiportus ita Ecclesiasticus 42. 13. Eccl. 42. 13. *In medio mulierum noli commorari. de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* quasi dicat ordinariè procedit, vt tinea solet à vestibus.

Scorpionis, inquit, est percussio. sicut enim scorpio videtur apertis brachijs tibi occurrere, vt in amoris signum te complectatur; at caudâ te vulnerat: sic *fauus distillans labia meretricis,* &c. *nouissima verò eius amara quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps.* vt est Prouer. 5. 4. Prou. 5. 4.

Stipula ignem accendit, exuritque fundamẽta montium. quis vnquam putaret, stipulam accendere non dico fœnum & arbores, seu syluas montium, sed etiam fundamenta eorum? sic sæpè vna muliercula nedũ multos homines leues, & ligna arida, hoc est peccatores; sed etiã fundamenta mõtium, hoc est viros sanctos, & solidissimæ virtutis, repugnantiam habentes magnam ad ardendũ, vt habent fundamenta montium ad ignem. eo quod mulier, & luxuria *ignis* sit *vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina,* Iob 31. 12. quod Iob testatur loquẽs adulterio. at hic dicitur aliquid amplius, scilicet, quod præter arbores, etiam montem, in quo sunt, comburat.

Pergit Hieron. ibi: *ego iudico, si cum viris feminæ habitent, non deerit viscarium diabolo.* *Mulier dæmonũ viscus.* In spectaculis Romanorum etiam vrsi, & leones visco capi visi sunt à populo. auiculas capi hoc modo non mirum. at quam ridiculum, animalia prædicta capta videre prædicto modo? & quantam visci copiam credendum est huic rei inseruisse? At nos quotidie non ridemus homines, & sæpè animo & corpore fortissimos ita capi à dæmone? Conqueruntur sæpè homines, se à dæmone tanquam aucupe captos esse, & tamen ipsi dæmoni viscum pararunt & exhibuerunt, quo caperentur: scilicet per cohabitationem mulierum. tales sunt veluti turdi, de quibus dicit adagium, quod mortem sibi gignunt: ex stercore enim eorum fit viscus, quo etiam ipsi capiuntur.

Vincent. in Spec. Hist. lib. 11. c. 15. *Spec. Hist. lib. 11. cap. 15.* tribuit Origeni de singularitate Clericorum ea, quæ sequuntur de cohabitatione cum feminis: *Nimis certè præceps est, qui transire contendit vbi aliũ cecidisse conspexerit.* & paulò post ait: est impossibilis liberatio, flammis circumdari, nec ardere. Addit: difficile est, vt venenum quis bibat, & viuat: vel dormiat in ripa, & non cadat in flumen. in hac parte expedit bene timere, quam male fidere: & vtilius est vt infirmum se agnoscat homo *Degens inter mulieres ignẽ venenũ que innoxia sibi putat.*

homo, vt fortis exiſtat; quàm fortis videri velit, & infirmus emergat. Hæc ille.

Mulier aculeus apis peccati & calcar dæmonis libidinoſo equitantis.

Peccatum eſt velut apis: quæ non poteſt ferire niſi aculeum habeat. ſic peccatũ plerumq; videtur non poſſe multos homines ferire, cum caret aculeo, ſcilicet tentatione feminarũ. multi enim alijs peccatis reſiſtunt, ſed huic neſciũt reſiſtere. Si equus tuus currere detrectat, quid facis? aſſumis calcaria, vel ſtimulo illum pungis. tunc in quolibet etiam præcipitium ruet, ſi lateri infixũ habet hunc aculeum. ſic dęmon cum videt hominem tardum eſſe ad malum, aſſumit hunc aculeum. ait enim Origenes de ſingularitate clericorum: *aculeus peccati eſt feminea forma.* ſic Ieremias 8. 6. *Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, ſicut equus impetu vadens in prælium.* at quid magis impellit hos equos, quàm aculeus? Vnde dicendum, *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*, propter difficultatem, quæ ineſt in reſiſtendo huic peccato. maximè cum libidinoſi equis comparentur. dicitur Hieremiæ cap. 5. *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* hoc ſtimulo adactus equus amatorius, hoc eſt homo libidinoſus, ruit in quæcumque peccata. dicitur enim: Sæuus amor, quid non mortalia pectora cogis? Hic aculeus eſt iaculum, quod dicitur ab Amore iaci. (a) *Quãtumq; debil freno à mezo il corſo animoſo diſtrier ſpeſſo raccolga: raro è però che di ragione il morſo libidinoſa furia adietro volga.*

Ierem. 8. 6.

Hierem. cap. 5.

(a) Quãtumcũque debile frœnum equum generoſũ medio in curſu ſæpius detinet, rarum eſt furioſa libido freno rationis retorqueatur.

Sic Hier. ad Oceanum ſcribẽs ait: *Germinant feminæ ſpinas cum viris habitantes.* feminæ ob pulchritudinem roſis cõparantur a Poëtis. vnde Anacreon, & Catullus, & noſtri Itali has ſæpe adhibent cõparationes. at roſa ſimul habet ſpinas, quibus pungit, & inflãmat punctione: itẽ habet ſpinas, quibus quaſi per vim attrahit, (vt mulier illa Ioſephũ) hoc eſt per veſtes. inflãmant etiã punctione; quia ardorem cantis excitant: & cùm alia vitia alliciant hominem, hoc vitium quaſi trahit. voluptati enim tribuitur attractio: quæ in amore cum magna ſit, ideo præcipuè de illa poteſt dici, *Trahit ſua quemq; voluptas.* Iacula Cupidinis quid ſunt, niſi ſpinæ iſtæ circa roſam, hoc eſt circa pulchram mulierem? Quia, vt ait ſupra Origenes, aculeus peccati facta eſt forma feminea.

Formoſa tamen vt roſa eſt ſpinæ eius iacula cupidinis.

Adagium eſt: *Infixo fugere aculeo.* Sic femina, cum à te videtur, aculeum ſuæ formæ, quaſi apis quæ te vulnerauit, in te relinquit. quia, vt ait Hieronymus ad Ruſticum: *Matrẽ ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarũ vultus cordi tuo hæreant, & tacitũ viuat ſub pectore vulnus.* Ecce quomodo relinquant aculeum, ſeu ſpinã; ideo Orig. loco cit. ait, aſpectus femineus ſubito & in tranſitu occurrens, velut ſagittas alienis oculis iactat.

Mulier affixo fugit aculeo malo me Galatæa petit laſciua puella, & fugit ad ſalices.

Ait ibidem Origenes, quod alij Cypriano adſcribũt: Quanti, & quales Epiſcopi & Clerici, & laici poſt magnalia, & ſigna mirabilia, poſt victoriarum certamina, noſcũtur cum his omnibus naufragaſſe, dum volũt in naui fragili nauigare. Quantos leones domuit infirmitas delicata, quæ licet ſit vtilis & miſera, de magnis efficit prædam. hęc ille. Prou. 7. 26.

Martyria qui ſubibant, miraculaq; patrabãt, à mulieribus victi.

Prou. 6. 26.

26. *Fortißimi quoque interfecti sunt ab ea.*

Aliæ occasiones peccandi ab homine petunt velut sibi donari assensum ad crimen: at propinquitas feminæ assensu ad peccandū non petit & impetrat, sed rapit & extorquet. Vnde ibi pergit Origenes: O quam inordinabilis feminæ propinquitas, cuius vicinum est delictorum latrociniū. de carbonibus scintillæ dissiliunt, morbos aspides sibilant, de vestimētis procedunt tineæ. ita Origenes. mulieres vicinas *latrones* vocat, quasi consensum ferè rapiant. vocat *carbones*, & *aspides*, quia vrant, & mordeant vicinos.

Consortia mulierū quasi quadam violentia ad peccandū.

Paucis interiectis subditis ibidē: Sed hæc est semper humanæ duritiæ incredulitas, vt non solum audiendo, sed etiam videndo non credat alios interijsse, nisi & semetipsum videat interire.

Cur diabolus tam plenus malitiâ, & arte ad fallendū, tamen tam longo circuitu verborum, & arte suasoriâ opus habuit ad suadendum mulieri, vt ederet vetitum pomum: cùm illa virum se fortiorē nō legatur, multis verbis hortata? Dicitur enim de illa, *Comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Respondetur, quia longè maior est tentatio per feminam, quàm per diabolum, vel etiam quia vbi adsunt exempla, non multum opus est verbis. illa autem dicitur comedisse, ideo facilè suasit vt ederet.

Mulier fortior diabolo in viros.

Gen. 3. 6.

Chrys. ait in Sermone de Ioseph Patriarcha 1. tomo; *Iob diabolum quidē videns accedentem, non fugit: sed mansit sicut leo viribus fidens: virgine autem visâ non stetit, neque moratus in cōtuenda pulchritudine, sed statim secessit*, alludit ad illud Iob 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Præstat ergo diabolum videre, quàm feminam. immo & inuenies alios Sanctos, qui non timuerint visis dæmonibus, vt de D. Antonio legitur: qui non vidit solum, sed & contempsit. & Dominicus cum diabolo securè, & familiariter locutus est: cùm tamen sciamus tam hos, quàm alios Sāctos à mulieribus semper timuisse, nec ad eas ea securitate accessisse. immo legi, quosdam ijs visis in fugā cōuersos: quod nō legi fecisse ex ipsis aliquos viso diabolo. Rectè sanè. nā visus diabolus efficit, vt diabolum horreamus; visa mulier efficit, vt diabolum amemus. diabolus est diabolus qui visus pugnat contra se; at mulier est diabolus, qui visus pugnat contra te.

1. tom. Magis à muliere, quàm à dæmone fugiendū.

Iob. 31.

Plato in Dialogo amoris: *Morbus est cōtagiosus amor, & quasi febris hectica, quæ solo vestis contactu inficit, & corpori adhæret quasi pestis.* ideo lōgè à mulieribus standū. ideo Ioseph tanquam peste infectum palliū dimisit mulieri pestilenti, quæ ipsum contigerat.

Amor lascinus cōtagiosus morbus, facilè adhæret.

Basil. de vera virginitate; pag. 2. *Sicut enim secretißima naturæ in magnete lapide nouimus, non ipsum ad ferrū duci, sed ad se potius ferrum attrahere: ita & femineum corpus aduersus masculum ineffabilem accipit vim, per quam fermè dixerim, ignorante animâ quæ in ipso est, viri corpus vltro ad cōcubitum pertrahit.* vide ergo quæ stultitia, & temeritas admouere ferrum magneti: virum scilicet ad mulierem accedere, & non temere ne ad eam rapiatur?

Basil. pag 2. Mulier ex Basil. est magnes viri.

Optimè quidam de muliere quadam sic cecinit:

Spectator quicũq; venit, discedit amator.

Et alius: (*a*) *Contra beltà non val ingegno, od arte.*

Chi viene spettator; amante parte.

(*a*) Contra pulchritudinem non ars valet, non ingenium: quispectator accedit, amans discedit. Eccl. 9.

Potest etiam dici in similitudinem carminis, Raro per obtutus ibis à fœmina tutus. formosam spectare, noli si non vis amare. Ecclesiastici 9. cum dixisset, *Ne circumspicias speciem alienam*; subdit, *Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* hoc est dicere, inde accenditur amor.

VIRG. *Omnia vincit amor.*

CVM *Paris electus diuis tribus arbiter esset,*
Nec præferret vtram, sciret, vtrique magis;
Maiestas tandem Veneri Iunonia cessit,
Palladis & virtus: Omnia vincit amor.

* QVI *Amorem ponit ante se, omnia ponit post se.*

Commissum est, vt aiunt *arbitrio boni viri*, hoc est Paridis, (qui iustissimus eo tẽpore habitus est,) iudicium trium Dearum. tamen formam Veneris ille prætulit opibus, & regnis, quæ sperare potuit à Iunone; item virtuti ac sapientiæ, & fortitudini, quæ à Pallade consecutus esset. quæ res conficta est à Poëtis, vt docerent, etiam bonum virum, & ex millibus electum atq; iustissimum, vbi agitur de pulchritudine, spretis opibus, & imperijs, sapientiâ, & fortitudine, sępè à forma vinci, & corrupto iudicij vsu eam præferre cunctis rebus.

* *Fugiendæ mulieres, quia libidinosæ.*

Propertius libro 2.

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu;
Quàm facere vt nostræ nolint peccare puellæ.
Is mos Saturno regna tenente fuit.
Et cum Deucalionis aquæ fluxere per orbẽ,
Et post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi quis potuit lectũ seruare pudicũ?
Quæ Dea cum solo viuere sola Deo?

Noli dicere: mulier, cum qua habito, vel quæ familiaris est mihi, est proba, est sancta. detur tibi, etiam esse Deam; non esse terrenam, sed cœlestem: dummodo in carne sit, dicam sicut ait auctor allatus: *Dic mihi quando quæ potuit lectum seruare pudicum, Quæ Dea cum solo viuere sola Deo?* Quæ tamen exaggerationis gratiâ dicta sint. scitum enim Deas falsas illas fuisse. Sed vtinam non & apud nos nos falsæ diuæ, seu Sanctæ sint, quæ cum tales Vulgò putantur; nõ viuũt cum solo Deo, sed etiam cum diabolo: hoc est in foro exteriori cum Deo, at in foro conscientiæ cum diabolo. vel Deo dent dies, diabolo noctes. in ecclesia Agnetes, in cubiculo Veneres. Mineruæ in Sole, sed Floræ in solitudine: sanctitatis habentes figuram, sed peccati substantiam. De illis verè dicendum: *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupæ rapaces.* nam *lupæ* apud Latinos meretrices vocantur. vnde verbũ lupanar. Lupæ sunt, quę agnos, hoc est simplices hoc astu illaqueare, & vocare tentant: dum velut modestas, & virgines illi eas amant, & consequuntur. hæc mulier *laqueus venatorum est.* vnde iuuenis sequitur eam *quasi agnus lasciuiens, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur.* diximus laqueum esse agnorum lupam hanc sub ouinâ pelle. agni enim ad oues currunt.

Ne fidat deuotioni mulierum, vt cum eis fis. Aliquando hipocrytæ sunt vt te capiant.

Fin-

Fingunt se virgines, vt quam non habent, virginitatem, pluribus vendant. vt magis lupinam exerceant rapacitatē in hoc mercimonio; mercem tam malam pro pretiosa vendentes, turpitudinem inquam pluribus prostitutam loco integerrimæ virginitatis. imitantur Hebræos quosdam, qui & ipsi lupi rapaces in ouium vestitu, vt magis raperent, in varijs locis baptismum suscipiūt, & subinde nouos Christicolas se iactant vt bonam inde stipem colligant, Christianis illudant.

2. *Mulier vitanda, quia in libidinem facilis.*
3. *Dæmon paulatim conuersantem cum mulieribus inducit ad peccatum.*
4. *Cum nullâ omnino tuti sumus: id per inductionem probatur.*
5. *Raræ sunt veræ castæ, si impugnentur validè.*

2. NON dicas, casta est mulier. Si casta est, mulier est. mulier à mollitie dicta fertur à sapiētibus. mulier, inquiunt, quasi mollis aër. Vide quid tibi opus sit ad mouēdum aërem. vno flatu id præstas: & illa sæpè vni verbo vel paucis cessit quasi aër. quid sunt verba nisi flatus? Audet Ouid. primo Elegiarum dicere: *Casta est, quam nemo rogauit.* stat aër in quem nemo insuflauit. Casta est, sed femina est. feminam dici à femore pleriq; aiūt, vt ait Tiraquellus in legem 9. connubialem, num. 81. eo quod propēsa sit in luxuriam, quæ sedem habet in femoribus, vt in Script. femur pro generationis principio ponitur, *& dux de femore eius.* Nomine ergo ipso mulieris, & feminæ te moneri voluit Deus, & velut signo apposito (vt fit in bestiâ cornupetâ) indicare, vt caueas.

Ouid. 1.

Tiraq. in leg. 9. num. 81.

Dedit mouentibus se significationem, vt fugiāt à facie arcus Amoris. Ouid 1.

Idem Ouid. 1. de arte, *Prima tuæ menti veniat fiducia, cunctas posse capi: capiens tu modo tende plagas. Vere prius volucres taceant, æstate cicadæ, Menalius lepori det sua terga canis; femina quam iuueni blandè tentata repugnet: hæc quoque, quam poteris credere nollet.* Plutarc. in præceptis connubialibus prouerbium refert, *Sublatâ lucernâ mulier omnis eadem.* hoc est sublato rubore, & testibus.

Plutarc.

3. Ne cohabites mulieri, quam amare nolis. qui dæmon fecit tibi cū ea communem domum, faciet deinde cōmune cubiculum. quam habes in domo, facilè habebis in dominio; & quæ ex tuâ est familiâ, fiet familiaris. Arist. in Phys. Materia, inquit, appetit formam sicut femina virum. si vicina est materia formæ, facilè fit compositum. quod tamen in concione non puto dicendū. Materia nullam respuit formam nobilem, vel ignobilem; Sic Arist. in Oecon. ait; Omne masculum excipiet mulier. Peccatum tenebrarum & noctis, per dormitionem significatur, *Dormi mecum*, aiebat illa Iosepho. Amor cœcus est; ideo indiscriminatim, cum aliter nequeat, femina omnem virum, & vir omnem excipit feminam. Passio illa excæcat. ideo de femina dicitur Ecclesiastici 26. 25. quod *ab omni aqua proximâ bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittam aperiet pharetrā.* his metaphoris vniuersalem luxuriā

Arist. in Phys.

Arist. in Oecon.

Eccl. 26. 25.

eius deſcribit.de viro autem dicitur Eccleſiaſtici 23. 24. *Homini fornicario omnis panis dulcis.* Ne ergo fidat vir mulieri, nec mulier viro, quamuis virtute,quamuis caſtitate emineant: licet grandæui, licet coniuncti ſanguine, licet inuenuſti formâ. *Omnia vincit Amor.* non tantum omnes, ſed omnia: etiamſi ſine ſenſu ſis,&(vt ita dicam) non homo, ſed fera ſed ferrum; omnia vincit amor.etiam feras trahit & ipſum ferrum præ amore ad amicam trahit magnetem. *Omnia vincit.* vincire eſt ligare. vincit ergo dupliciter:quia ſuperat,& ligat.Itali aiunt,(a) *Vn orbe, & vn Orbo tien imprigionato il mondo.* Orbis nẽpe cœli omnia claudens,& vinciens:& orbus, hoc eſt cœcus & orbatus oculis, Amor. ille præſertim mundum maiorem, hic minorem vincit, hoc eſt ligat, orbis id efficit ſua concauitate cingens; orbus, ſcilicet Amor, ſuis vinculis.

Eccl. 23. 24.

(a) Vno orbe & vno orbo omnia concludi ſiue illigari.

Fugite fornicationem,inquit, Apoſt. 2.Cor.6.18. fugite fornicem,vt fugiatis fornicationem.hæc enim inde deriuata dicitur;quia ſub fornicibus lupanaria olim fuere, hoc eſt ſub locis concameratis. Hoc volo.fugiendus locus, & occaſio peccati huius, vt fugiatur peccatum. Prouer.5.dicitur, *non appropiandum foribus domus eius,longè faciendam ab ea viam noſtram.*

2.Cor.6. 18.

Prou.5.

4. Cum nullâ cohabites, nulli te familiarem efficias. nulli fidas. ſi pulchra eſt, amabitur: ſi deformis, ipſa fortè amabit. ſi domina, facilè tibi dominabitur, facilè imperabit: ſicut illa imperatiuè dixit, *Dormi mecum*, (niſi te Ioſephum æſtimas alterum, qui tamen coactus eſt fugere.) ſi ſerua, facilè tibi ſeruiet. ſi diues, quia ab ea ſperas tu; ſi pauper, quia à te ſperat illa. ſi extranea,quia conſanguinitas non impedit: ſi conſanguinea, quia conſanguinitas peccatum, vt non credatur, tegit. ſi tibi propitia; fuge quia *melior eſt iniquitas viri,quàm mulier benefaciens*, nempe tibi benefaciens.(ſi tibi benefaciet,facilè cum illa malè facies.) ſi tibi aduerſa; fuge, quia nitimur in vetitum. ſi vxoratus es; fuge, quia *aquæ furtiuæ dulciores ſunt*, aiebat illa impudica de hac re loquens,Prouer.9.17. ſi cœlebs; fuge, quia priuatio generat appetitum.ſi iuuenis es,quia Eccleſiaſt.11. *Adoleſcentia & voluptas vana ſunt*: idemque eſt apud Antiquos adoleſcentiari, & ſcortari. ſi ſenex, quia etiam ſub niue ignis ardet in Æthnâ;etiam canes albi canes ſunt, ſcilicet libidinoſi. ſi bona eſt;fuge,vt bonam ipſam eſſe ſinas:ſi mala; ne te quoque efficiat malum.ſi bona; quia quantò magis ab hoc eam auertit bonitas,tantò amplius eam diabolus inſtigat. ſi tu,& ipſa caſti & virgines eſtis;memento quod diximus ex Ariſt. materia appetit formam ſicut femina virum.materia & forma cum priuatione ſunt principia generationis. & id fortaſſe non eſt (niſi mutato aliquo vocabulo) vſurpandum à concionatore. Tandem neque pictæ mulieri, vel effigiatæ fidendum. inueniuntur enim qui, & ob has peccarint.neque fidendum mortuæ iuxta illud decantatum à Græco Poëta: *Mulieri ne credas,ne mortua quidem.* quorundam enim libido nec à mortuis quidẽ mulieribus ſe ſe cohibere potuit. non fidendum ergo etiam mor-

Prou.9. 17.

Eccl.11.

Ariſt.

Antiphon. apud Stob. mortuæ. at Antiphon apud Stob. ait, id vnum credo mulieri, non resurrecturam post mortem id vnum ergo mortuæ crede mulieri.

5. Iterum ne dicas: casta est mulier, proba est, quâ cum conuersatio, vel domus communis mihi est: & quæ de mulierum libidine dixisti ex Poëtis, Poëtica sunt. nam mirãda canunt, sed non credenda. audi Salom. in Ecclesiaste 7. 29. *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* *Salomon. Eccl. 7.29* Thaumaturgus, & Hieron. apud Lorinum hoc loco, ita explicant: *Thaum. Hieron.* dum quærit virum bonum, vix vnum de mille inuenisse: dum vero quærit mulierem rectam, vt Hieron. loquitur, (Thaumat. inquit, requirendo *castam*) nullam inuenisse pudicam, sed omnes, inquit Hieron. quas inuenit, ipsum ad luxuriam deduxerunt. *Hieron. Thaum. Hieron.* Adde ex verbis præcedẽtibus huius loci, & versionibus varijs earundem, colligi id, quod expresse ait Thaumaturgus, nẽpe Salomonem diu experimentis inuestigasse, num inter mulieres inueniret aliquas castas, & non inuenisse vllam. *Thaum Salomon.* Non ideo tamen negatur aliquas fuisse tales, sed tantum dicitur, ipsum nullam huiusmodi inuenisse. Facit huc logogryphus:

Nascitur in dumis, quæ scribitur octo figuris:
Si caudam abstuleris, nullam de mille videbis.

Octo figuris, hoc est octo litteris, nempe *castanea*, cui si caudam, hoc est partem posteriorem demas, nullam de mille videbis, hoc est dicere, in mulieribus nullam inuenies, nempe quæ *casta* sit.

Etiam si mulier tua, nempe tibi familiaris, esset sancta, esset pudica, esset fortis; time; quia si talis est, nescis qualis erit, & fortè ignorans qualis fuerit. nec forsitan affirmare potes, quod talis est. nam dum hoc affirmas, fortasse talis amplius non est. quomodo hoc? An nescis decantatũ illud 4. Æneid. *Varium & mutabile semper femina?* *4. Æneid.* Si *semper variũ*, ergo nõ facilè potes asserere, quod non sit mutata ab eo statu, in quo eam reliquisti paulò ante. Mulier, (si alludimus ad formationem illam primæ feminæ) habet quidem viri *costam*, sed non viri *constantiam*. ædificata fuit ex osse, sed sæpè destruitur à carne, Prou. 31. 10. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius* *Prou. 31. 10.*

OCCASIO PECCATI VITANDA.

2. *Facilius cõtinemus ab occasione, quàm in occasione.*
3. *Occasio ianua peccati; eo quod eius grauida sit.*
4. *Occasio occasus, scilicet homini.*
5. *Diabolus opportunitatem quærit veniendi, adeo excipitur libenter.*
6. *Occasio rem facit facilem, imò iam factam.*
7. *Tentatio vt alea plures perdit, quàm ditet. tutius est vtramque vitare.*
8. *Pugnandum pedibus, scilicet fuga.*
9. *Armatos habemus humeros, nuda pectora.*

2. Dice-

2. ICEBAT quidam, nolle se cũ aduersarijs altercari, ne modum excederet. facilius enim, inquit, est continere se à pugnâ, quã in pugnâ. Eadem ratio monet vitandam occasionem crapulæ. faciliùs enim est continere se à mensâ, quàm in mensâ. Ita facilius est continere animum à voluptatibus, quàm in voluptatibus: à dignitatibus, quàm in dignitatibus: à diuitijs, quàm in diuitijs. (a) *Non è gran cosa in ballo non entrare, ma chi v'è entrato gli conuien ballare*, Ecclesiastici 3. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit.*

(a) Facile est non intrare in chorũ saltãtiũ: sed vbi intraueris, tibi saltandũ erit. Eccl. 3. 27 Gen. 21.

3. Est occasio porta malorum. Ostia si claudis, hostes intrasse non audis. Grauida peccati fuerat occasio nati. Si fugis infantem tu ne sequare prægnantem, Gen. 21. *Ejce ancillam hanc, & filium eius.* peccatum cum occasione fugiendum ac fugandum docemur.

In verbo *discrimen* includitur crimen: quasi periculum. Seu occasio peccati grauida sint, & in ventre retineant crimen. Eijce ancillã & filium eius. fuge discrimen, & fugies crimen. Sic & *periculum* à pereundo dictum est. ergo iterum dicamus, qui amat periculum in illo peribit. *in illo*, in illius corpore inueniet *perire*, seu vnde pereat.

Eccl. 9. 18 4. Ecclesiastici 9. 18. *Longè esto ab homine potestatẽ habente occidendi. & non suspicaberis timorẽ mortis.* Mysticè talis homo est occasio, seu periculum peccati. qui dicit occasionem, dicit occisionem. (loquimur autem de occasione peccati.) parum enim distant sicut in nomine, ita in re illa duo: vnde vnum facilè in aliud transit. occasio peccati, est occasus peccatoris. occasio quasi occasus, occasio quasi occisio.

5. Etiam amicus, si intempestiuè veniat ad te, haud bene excipitur. importunitas enim temporis, vel rerum aliarum efficit, vt minus gratus adueniat. Contrarium omnino accidit ei, qui opportunus aduenit. is læ tanter excipitur, & quæcunque cupiebat, à te facilè obtinet. Diabolus etiam (aiunt peccatores) bene venit, si opportunus venit. ij enim commodâ occasione, & opportunitate aptâ hoc vel illud peccatum patrandi, facilè, & libenter diabolum recipiunt, hoc est eius incitamẽta, & inductiones in peccata ipsa. (b) *Se à tempo dicon è venuto, fin il diauol' è ben venuto.* sic vulgo aiũt, *bene veniat* seu *bene venerit*, cum libenter aliquem recipere se ostendunt. Ideo dæmon opportunitatem obseruat veniendi ad nos, vt excipiatur. occasiones inquirit, vt nos perdat. de illo dicere potest Christianus, 4. Regum. 5. *Videte quod occasiones quærat aduersum me.* quærit occasionem: venit opportuno tempore, vt ita à te excipiatur, & obtineat à te quod petit. dum assides lautæ mensæ; aduenit, vt te facilè impellat in crapulam, atque in remissam lætitiã, & loquacitatem. dum altercaris cũ proximo; hanc censet perpulchram occasionem inducendi te ad conuitia, ad vulnera, &c.

(b) Opportuno tẽpore venerit, vel ipse Diabolus gratus erit.

2. Reg. 5.

Occasio, & opportunitas peccandi adeo facilitat peccatum, vt quod turpe est, pulchrum efficiat peccatori; quod difficilè, non solum facilè effi-

efficiat, sed iam quasi factum, antequam fiat. Quid turpius furto, & fure? tamen in opportunitate commodâ furandi, vulgus æstimat pulchrum, vocat pulchrum ipsum furtum. aiunt enim, (a) *Il bel rubbar fa l'huomo ladro.* vocat bellum; quod est opportunum. At etiam quod est difficilè, facit, vt iam de se factum videatur. aiunt enim (b) *Mi venno fatto il rubbarli molti scudi, cioè mi venne commodo.* commodum ergo, & facilè vocat iam factum. occasio ergo non solum rem reddit facilem, sed iam factam antequam fiat. sic vulgò dicunt, postquam opportunitatem rei faciendæ eis indicaueris: si ita est, res iam effecta est. *La cosa è bell', è fatta.*

(a) Bella furandi commoditas facit furẽ.
(b) Rem factam habeo vel habebam.

Prou. 9. 9. 7. At dices, Prou. 9. 9. *Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia.* alea quædam est periculum, & tentatio: qui non ludit, non lucratur. (c) *chi non risiga, non rosiga.* sed adde, bene esse aleam. nam sicut, communiter loquendo, alea non ditat homines, sed plerumque denudat, & perdit. ita accidit plerumque exponentibus animæ thesaurum aleæ periculi, (d) *chi non risiga non rosiga, ma ne manco è rosigato. chi non gioca non guadagna, ma ne manco è guadagnato.* Adagium pulchrum est etiam aleæ nostræ mysticæ congruens: *Felicißimus teßerarum iactus est, eas non iacere.*

(c) Qui non tentat siue experitur, non rodit. i. e. nõ lucratur quod rodat.
(d) Qui non tentat, non rodit; sed nec roditur. Qui non ludit non lucratur, sed nec perdit.

8. Aiebat Nicolaus Piccininus, sed belli dux maximus: Malo homines dicere, se in tutũ recepit Nicolaus, quam deuictus est Nicolaus. Certè in militia Christiana hoc verum est. vnde dicitur, seu accommodatur nobis illud Ier. 48. 6. *Fugite, saluate animas vestras.* Prouerbium Græcum apud Gruterum: *Vir fugiens iterum pugnabit.* Vita nostra fuga est, nempe à morte nos insequente. & *fugit velut vmbra*, inquit, Iob de homine. tãdiu viuimus, quamdiu fugimus. etiam vulgò viuere nostrum dicitur (e) *campare, ò scampare.* Hoc rectius verificatur de vita animæ. tamdiu enim viuimus quamdiu fugimus occasiones mortis, hoc est peccati. quia qui amat periculum in illo peribit. Simul hæc duo incadunt, *fugite, & saluate.*

Ier. 48. 6.

(e) Euadere.

9. *Fugite, & saluate animas vestras.* Polieneus lib. 4. Alexander, inquit, semithoraces militibus dedit, vt fugiendo terga nudata hosti offerrent, atque ex eo timore abstineret̃ à fuga. at Deus cum militibus suis secus facit: arma enim tribuit eis ad armandos humeros, & nudum sæpè relinquit pectus: nempe quòd audaces, & nolentes fugere occasiones peccati, cum possunt, & debent; sæpè debiles relinquit, vtque vulnerentur ab hostibus permittit. *lib.* 4.

2. *Infirmi in bono extra occasiones puluis sunt extra ventum.*
3. *Tentatio vt Lyra Orphei etiam saxa, hoc est immobiles moueri facit.*
4. *Adagium est: Melior paupertas in terra, quàm opes in mari. Occasiones, mare sunt periculorum.*

2. AVGVST. 1. de Genesi cap. 15. contra Manich. ait, montem Olympum adeo sublimem esse, vt transcendat aëris regionem, in qua venti & pluuiæ gignuntur. adeo

AVGST. 1. Gen. c. 15. contra Manic.

vt litteræ in cinere, vel puluere impressæ, intactæ etiam anno sequenti visantur. quòd ibi nec venti, nec pluuiæ fiant. Ita qui extra occasiones & flatus tentationum, imbriumque pericula positi sunt, (quantum, & quamdiu id fieri potest in hac vita, quæ est tentatio) quamuis infirmi sint animo, & quasi puluis respectu venti; tamen immoti persistunt facilè in bono; & proposita boni operis, quasi caracteres semel in se impressos, diu conseruant. *Fugite ergo, & saluate animas vestras.* Peccator est tamquam *puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Cur hoc? nisi quia, cùm se sciat esse puluerem; non super Olympum (hoc est extra occasiones) se recipit, non in clausis locis (vt sunt religionum claustra) se collocat: sed in aperto aëre, & campo periculorum, in quo perflant iniqui spiritus, residere solet?

3. Sicut autem infirmi, extra pericula, & tentamenta sæpè fortes; ita fortes, in procellis cõstituti sæpè apparent infirmi. quamuis alioqui validi putarentur absente tentatione. Parum est si non saltes, quamdiu nemo lyrâ aut musico alio instrumento tibi canit. Solinus lib. 10. & Brusonius de miraculis aiunt, in Helesina regione fontem esse, qui aliàs quietus, dum tibiæ insonant, saltat. *lib. 10.* Maiolus, qui & ipse hãc refert historiam, ait, tibiarum flatum ipsum inflare, fontemque saltationis cuiusdã speciem præbere illis flantibus. Quis vnquam crederet, insensatum fontem saltare? tamen, si insonent tibiæ, & ipse saltare videtur. Verùm hæc nihil ad Orphei lyram. nisi quod illa fabulosa est, sed tamen veritatis causâ conficta. aiunt enim lapides, & arbores ipsum traxisse & ad lyræ cantum saltare fecisse: vt docerent, etiam obstinatos animos, & præduras mentes, rationum & verborum incitamentis moueri, & (vt ita dicam) saltare ad modos eis decantatos, & ad desideria nostra. Persuasiones esse cantum quendam tibiarum, qui saltare faciat, hoc est obtemperantes sibi reddat audiẽtes, ex Luca 7. colligitur, *Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis.* *Luc. 7.* Ergo & qui nũquam crederentur saltaturi ante auditum cantum; si illum audiant, sæpè cum admiratione saltant. Ecclesiastici 34. 9. *Qui non est tentatus quid scit?* *Eccl. 34. 9.* Quis putasset Dauidem, quis Salomonem saltaturos? Nonne ille lapis erat fortitudine? Nonne hic lignũ plantatum secus decursus aquarũ? At cecinit eis tibiâ, seu lyrâ diabolus, nempe per mulieres; & ambos traxit ad se, ambos saltare fecit.

4. Plutarchus apud Mondognet. l. 3. epi. de Attalo Philosopho ait, ipsum, cum Spartæ viueret, quæ à fluuio interfluente in duas partes diuidebatur, nunquam flumen voluisse pertransire, dicẽs terram hominibus productam fuisse, aquam piscibus, aërem auibus. cũ pisces, & aues in terrã se cõtulerint, tunc demũ & ego aquę me immiscebo. ita ille. *Mondog. lib. 3. epis.* Sæcularẽ vitã esse mare apud Scriptores passim inuenies ob procellas tẽtationũ, & discriminum animæ, quæ in illa sunt. de illo potest dici Ecclesiastici 43. 26. *Qui nauigãt mare, enarrent pericula eius.* *Eccl. 43. 26.* Apud collectorẽ adagiorum hoc inter alia habetur, *Præstat paupe-*

rem esse in terra, quàm in mari diuitem. Alius sapiens, cũ sermo esset de viuis, & defunctis, nauigantes nec in viuis, nec in mortuis numerabat, eo quod diceret inter vitã & mortẽ eos pendere huic secũdæ esse proximos. Qui in claustris vitæ religiosæ viuũt, vel in huiusmodi statu, ij sunt in terra: qui verò mare amant, qui amant periculum, in illo peribunt.

2. *Vulpis exemplo seruandum illud Matth.* 18. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde. *hoc est si tibi est occasio mali.*

3. *Gladio pœna comminata truncanda membra hæc.*

Psalm. 2. THOMAS Anglicus in Psal. in illud, *In laqueo ipso, quem absconderunt comprehensus est pes eorum*, dicit ex libro de naturis rerum: vulpem, si pes eius laqueo captus sit, nec aliter possit euadere, dentibus pedem sibi abrodendo detruncare, eoque relicto abire. Illud meminerimus Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te. bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis.* hoc est dicere, vt D. Hieron. & alij communiter exponunt, si aliquis, vel res aliqua tibi est ad peccãdum scandalum, teque pertrahit ad mortem animæ: quamuis ita cara, & coniuncta esset, vt manus, pes, oculus; gladio, quem ego veni mittere in terram, abscinde, & proijce à te vt in vitam serues æternam. Hoc discamus à vulpe.

Matt. 18.

D. Hier.

3. Herodotus apud Theatrum volumine 8. lib. 5. narrat Hegesistratum, vt à vinculis se erueret, pedem colligatum sibi truncasse. fortasse mortem expectabat, nisi id fecisset. Locus ille, *Si manus tua, vel pes tuus*, & cet. cum illâ sententia congruit, *Non veni pacem mittere, sed gladium. veni enim separare hominem* & cet. Dubrauius lib. 7. ait; Vlatislaus Princeps Lucensis exercitum comparaturus contra hostes, ensem manu cõstrictũ per totam Lucensem regionẽ circumferri iussit, edicto promulgato, vt quicumque staturâ æquaret magnitudinẽ eius gladij, relictis rebus, omnibus ad bellum veniret, alioqui eo gladio interimẽdus. ita per illum gladium separabat hominem à patre, patrem à fratre, pedem à corpore, oculum à capite. Ita Christus bellum dæmoni, & vitijs illaturus misit gladium verbi, & præcepti sui per totum regnum suum, vt separaret homines à coniunctis, & à rebus quæ sibi scandalo essent: alioquin, si coniunctiones & affectus huiusmodi sint occasio proxima peccati mortalis, & teneãtur talia relinquere strictâ obligatione, eodem gladio interficiẽdi, scilicet æternâ morte, Nõ *veni pacem mittere, sed gladium. veni enim separare hominem*, & cet.

Vol 8. l. 5.

lib. 7.

Prou. 23. *Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende quæ posita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Iam diximus gladio opus esse in occasione proximâ amputandâ, non verbis, non gemitibus, aut propositis infirmæ voluntatis, quæ non vult deuenire ad gladium, i. e. ad separationem rei amatæ siue illa sit mulier adamata, siue aliena pecunia, Prou. 23.

aut officium, aut sodalitas pertrahens ad gehennam. Puta prædicta omnia tibi adeo amata, esse cibos suaues tibi appositos. vt te cohibeas ab his, *statue cultrũ in gutture tuo.* quod dico de ceteris rebus, magis litteraliter locum habet in voracitate cohibenda in occasione proxima. Vide quàm difficilis morbus iste gulæ & edacitatis, vt homo non videatur aliter se posse reprimere, nisi statuendo cultrum in guttur suum; non aliter mederi vulneri, nisi aliud efficiendo vulnus. quæ tamen mysticè intelligenda, & per similitudinem ad exprimendam difficultatem prædictam.

VESTES.

2. *Parsimonia in vestibus non sit ob auaritiam.*
3. *Vestitus nec delitias, nec sanctitatis iactantiam redoleat.*
4. *Ostendunt se decore, & forma nudas, quæ hæc à vestibus mendicant.*
5. *Vestis superba interdum signum est & causa peccati, & rapacitatis.*
6. *Etiam prodigalitatis & dissipatæ substantiæ.*
7. *Etiam luxuriæ, & iactantiæ.*

D. Hier. tomo I. epist. I. 13. 2.  .HIERONYMVS tomo I. epist. 2. ad Nepotianum notat auaros, qui, vt ita dicã, pallium, & alias vestes inclusa tenẽt in marsupio, cõtenti, vt ipsorum persona sit nuda, ne bursa sit vacua. itaque ait: *Non, absque amictu lineo incedere, sed pretium vestium lineatum non habere laudabile est. alioquin ridiculũ, & plenũ dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium, orariumque non habeas gloriari.* ita Hieron. Hier.

Dicerem de istis, quod detegunt vnum altare, vt aliud contegant: hoc est carnem suam (quæ est pars tẽpli Dei, quod estis vos, & est quasi vnũ ex eius altaribus) vt operiant altare auaritiæ, quæ est idolum. est enim *auaritia idolorum seruitus.*

3. Hieron. ibidem ait: *Vestes pullas æque deuita, ac candidas. ornatus & sordes pari modo fugiendæ sunt. quia alterum delitias, alterum gloriam redolet.* quasi dicat, tam à nigro, quàm ab albo fama tua denigrabitur. tam gypsum, quàm carbo solent tingere, & notam inurere. Hier.

Bell' ò brutto il vestir non si richiede:
Ne far l'Hilarion, ne'l Ganimede.

hoc est vestitus nec delicatus sit, nec vilis aut sordidus: ne te ostendas Hilarionem, nec Ganymedem. & id, quod ait Hieronymus, *alterum redolere delitias, alterum gloriam*; posse in multis describi hoc pacto: alterum redolere ignem, alterum fumũ. amor enim, seu concupiscentia mũdana ignis est. *concupiscentia sicut ignis exardescit*, ait Ecclesiasticus. & nomine delitiarum sæpè intelliguntur similia. vt *vidua, quæ in delitijs est, viuens mortua est.* fumum verò redolere, est gloriam & iactantiam quærere. Hier. Ecclesiast.

4. Bernar. Epist. I. 13. ad Sophiam virginem, ait, *Filiæ Belial, filiæ Babylonis induuntur purpura, & bysso, & subinde conscientia pannosa iacet. fulgent monilibus, moribus sordent. è contra tu foris* Bern. Epi. I. 13.

pan-

pannosa, intus speciosa; resplendes, sed diuinis aspectibus, non humanis. Decor, qui cum veste induitur, & cum veste deponitur; vestis proculdubio est, non vestiti. Tu ergo noli æmulari in mendicatibus pulchritudinem alienam. vbi perdiderint suam. Natiuo quippe se produnt decore nudas, quæ tanto studio, & pretio satagūt, vt oculis insipientium appareant speciosæ. Indignum tibi iudica, formam à pellibus murium, & operibus vermium mutuari, tua tibi sufficiat, optimus & optabilis valde ornatus iste, qui & Angelis possit esse inuidiosus. Angelus habet virginitatem, sed non carnem, sanè fælicior, quàm fortior in hac parte. ita Bern.

Gen.27. 15. Perer. 5. Gen. 27. 15. *Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.* Pererius super hunc locum interpretatur, vestes pretiosas fuisse. Id potissimum erit, si vnguentis odoratis ex floribus delibutæ erant, iuxta id, quod dicitur, quod *vt sensit vestimentorum illius fragrantiam*, & cet. dic ergo, Esau figuram fuisse peccatoris, & mundani hominis, sicut Iacob iusti, & spiritualis. vt ergo Iacob videretur Esau, vestes valde bonas, pretiosasque induit, & odoribus imbutas suauissimis; eo quòd huiusmodi vestes videantur propriæ Esau, non Iacob; mundani hominis, non spiritualis; peccatoris, non iusti; dummodo personæ gradus eas non exigat. Sæpè hæ vestes sunt propriæ Esau, eius nimirum, qui pilosas manus habet, scilicet rapacis hominis, vel (quod ferè idē est) qui asperè tractat eos, qui (vt vulgò dicimus) (a) *Gli passan per le mani.* tales sunt multi diuites, qui, vt pompis vestium, & odoribus magnificè & splendidè se gerant, Esau se faciunt in manuum pilositate. Idem dicendum de his, qui cum inopes sint, eodem modo indui volunt. vnde ob id Esau se exhibent, pilosasque manus assumunt.

(a) Transeunt per manus ipsius.

6. *Sicut odor agri pleni.* huiusmodi vestes pretiosæ (quales vult Peretius hic intelligi per *valde bonas*) & redolentes, omissis alijs rationibus, dicam, posse agro pleno comparari; quia naribus iudicij sæpè agrum redolent, dum in prodigo iuuene, ex agro vendito comparatæ sunt. vel possunt dici ager in potentiâ, quatenus pretio earum pater eius agrum emisset, vel potuisset emere. Si bonas haberemus nares, multas (præsertim mulierum) vestes agrum, & villas redolere sentiremus. de quibus posset dicere pater, *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.*

7. Plin. lib. 16. pariunt (inquit) arbores, cum florent. additque, eas tūc *luxuriare.* vestes ergo pulchrę, & odoriferæ hominem quasi florentem arborem, agrumue germinantem reddunt; redolent germinationem, & luxuriam. vnde Philo libro de nobilitate. vocat Esau hominem addictum libidini. id redolent vestes, præsertim superfluæ, quales erant istæ quas in arca seruatas habebat apud matrem. *Sicut odor agri pleni.* prodigalitatem significat ager effundens vndique thesauros germinum, & fructuum suorum. (a) *I campi, e li alberi gettan fuori,* quasi iactent opes. sic dicunt Latinè *gemmas vitium*, prima germina, & *gemmare vites.* ergo quasi gemma

Plin. lib. 16. Philo lib. de nob.

(a) Campi & arbores germinant, siue, protrudunt

quasi gemmas prodigè spargunt. Vel dicendum est, agros in vere nouis & odoratis indui vestibus. ideo indutus vestibus delicatis, & odoriferis, dicendus est redolere agrum plenum, nempe prodigalitatem, vel etiam ver iuuentutis, flores vanitatis, gaudij, ac iactantię cuiusdam. hæc enim omnia apud Scriptores per flores, & agros florentes significantur. quod autem ager florens luxuriam luxumve significet, apparet ex Sap.
Sap. 2. 8. 2. 8. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.*

2. *Annuli lapis aliquibus petra scandali est, ob id scil. retinentibus aliena.*
3. *Tam pretiosus est, vt ob id digitus gerentis nobilior sit toto corpore eius.*
4. *Hic posset vno digito vrbem ruentem sustinere, nec vult.*
5. *Vnico annulo potest multas facere catenas aureas.*
6. *Vno lapide, gemmaque seminata, innumeras metet.*
7. *Quærendus non est honor à vestibus.*

Basil. 2. Basilivs oratione de auaritia, eum, qui dicit, non valeo pauperes ad ianuam meam accedentes pascere vniuersos, dicit à sua propriâ manu mendacij conuinci. *La sua mangli dà la mentita.* nam, inquit, annulum gestat, atque in eo gemmam, qua multas pauperum domos possis reficere, & multos ære alieno liberare. Addamus nos verba Lucæ 4. Christo post ieiunium
Luc. 4. dicta: *Dic lapidi huic, vt panis fiat*: scilicet pauperibus diuidendus. sed dices, Hæc est tentatio, & verba diaboli sunt. At depone scrupulum. hoc loco verba diaboli implendo, cœlũ acquires. quod si plures annulos, & gemmas in digitis feras: dicetur, *dic vt lapides isti panes fiant.* Sed inquis, *non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Dominus prouidebit his pauperibus, qui implet omne animal benedictione. Sed sicut verba diaboli tibi sunt verba Dei, ita verba Dei tu facis esse verba diaboli. dicis, Tentatio est, suadere, vt tam pulchrum lapidem abijciam à digito meo. sed dico, si interea desistis à debita charitate in pauperes, vel à solutione debitorum, ille lapis est tibi *lapis offensionis, & petra scandali.* tibi? immo & omnibus, qui id viderint, & tuam nouerint auaritiam, & iustitiam. conscientia cor tuum pungeret, si communem lapidem posuisses in offendiculum transeuntibus; at quid interest, an per pretiosum, vel vilem lapidem id feceris? non solum annulum à digito, sed cum annulo digitum, & cum digito manum abscindere à te debes; si scandalizat te, iuxta illud, *si manus tua scandalizat te*, & cet. vis scire quomodo, & quo te cadere faciat ille lapis propter quem aliena detines, vel inopes debito fraudas auxilio? dico, quod licet exiguus videatur ille lapis, maioris est ponderis, quàm *mola asinaria*, lapisque moralis. nam cum per illum scandalizes alios, & te ipsum; *expedit tibi, vt suspendatur mola asinaria in collo tuo, & demergaris in profundum maris.* cur ita, nisi quia ab illo pretioso detraheris in profundum inferni, quod peius est, quàm in mare mergi? Neque ipsa terra potest retardare te cadentem, dum

Potius quàm peccare, abscindere debet manum, hoc est pati, vt abscindatur, vel id exponendum. vt exponitur illud in Euangelio.

dum tanto pondere illo detraheris inferius, quin ad profundum descendas. Domus multæ pauperum sunt, quas gemma illa posset ædificare; vel ager totus venditus, vt hæc emeretur, in eâ sunt. quid mirum si tanti ponderis existat?

3. Annulum, & pretiosam gemmam geris; cum propterea, & ob similes pompas, aliena non restituas, vel moreris reddere, & pauperes ope fraudes. Vt vnus digitus tibi fulgeat, multorum corpora nuda videntur. Sed inquis, virtus est in lapidibus, & meus magnam virtutem habet. plus ergo valet digitus tuus, quam tu. tu ipse totus non tanti vales, quãti tuus digitus. nam mauis te totum esse sine virtute, quam digitum tuum. hãc virtutem habet ille lapis, vt te virtute omni expoliet, nempe per peccatum. habet virtutem trahendi te ad inferos. grossior est digitus tuus, quàm tu, vt dicebat Roboam de suo digito collato cum Salomone. nam plus expendisti adornãdum, & quasi induendum illum, quàm reliquũ corporis simul & vt digitus tuus princeps appareat, vt verò digiti seruus. ex pretio enim ornatus & vestium, colligi solet conditio personarum. cum ergo tantum insumas in cultum digiti, ostendis te ipsum neque vni digito posse æquari.

4. Nonne crudelis esses, si vno digito, vnico lapide posses vniuersam ædificare ciuitatem, & tamen id recusares, ne vnus tibi digitus minus fulgeret? at cũ spiritus plus sit, quam corpus, & distribuendo pauperibus valorem annuli diuenditi, totam possis vrbem ædificare spiritualiter,

Ædificare, hoc est bono exemplo.

sicut scandalo destruxeras (quod definitur esse occasio ruinæ. nam vt ait Apost. 1. Cor. 8. *Charitas ædificat*) cum inquam hæc ita sint, nonne crudeliter agis, si id renuis facere? Si pro eo, quod digitus tibi lucet annulo, è contrario plurimi te vituperãt, quod ob id alijs immisericordem, vel etiã iniustum exhibeas te ipsum; (a) *per vn dito di splendor, ò di honor (poiche in vn dito hai tal ornamento) hauerai mille braccia, ò pertiche di vituperio?*

Apost. 1. Cor. 8.

(a) Pro digito vel paululo honoris, habebis vlnas vel Decempedas vituperij?

5. Times digiti tui nuditatem, si annulum, & gemmam, in pauperes insumas? Spondeo, te per mirabilem alchymiam ex annullo digitum circumdante, diadema, capiti tuo effectum esse. & vbi digitus tuus, quasi coronâ aurea coronatus, rex tuus apparebat, & digiti seruus, è contrario tu, non solum digiti rex, sed & rex hominum euades, illique tibi serui fient. id probatur per Prou. 22. 7. vbi de liberalitate in pauperes dicitur, quod per hanc, *Diues pauperibus imperat, & qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis.* Sed non solum seruos. Verùm & captiuos catenis vinctos sibi homines reddit. non solum diadema capitis facit ex annello, sed catenas aureas plurimas: catenas scilicet amoris, quibus deuincit sibi hominum animos. Quis vnquam ex vno annulo cãtenam potuit conficere? at hic conficit multas. immo tam ingentem catenam conficit, vt Deum quoque ipsum, & cœlum sibi obliget. nam obligare dictum est, quasi ligare. obligat sibi Deum, & quasi (si dici liceat) ipse Deus se in seruum hominis liberalis in pauperes patitur computari per sua ipsius

Prou. 22. 7.

ipsius verba. Cum enim verba eius sint, *qui accipit mutuum seruus est fœnerantis*; & Prou. 19. 27. dicatur: *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis*: cōsequēs planè est quod iam diximus. *Fœneratur Domino.* dat annulū & recipit annulorum catenā: nempe gratiam in hoc mundo quâ sibi obligat ipsum Deum possidendum in futuro sæculo per gloriam. Item recipit ab hominibus catenas annulorū multorum, scilicet catenas obligationis, quibus eos trahat quocumq; voluerit. vulgo enim dicimus, (a) *Gli si fanno schiaui in catena.* in omnibus sunt ei ad obtemperandū parati. ita impletur illud, quod ait Christus, quod *qui reliquerit domū aut, fratres, aut agros propter nomen meū centuplū accipiet*, hoc est in præsenti sæculo multò plura, *& vitam æternam possidebit.* Lucas 18. 30. *Nemo est qui reliquit domum,* &c. *& non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.*

Prou. 19. 27.

(a) Ei se reddunt mancipia catenata.

Luc 18. 30.

Eccl. 3. 5. 7. Ecclesiastes 3. 5. *Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.* Lorinus in hunc locum affert expositionem etiam de lapidibus pretiosis spargendis. verè ergo sparguntur, hoc est seminantur, cum in pios vsus distrahuntur: & statim messes illorum multiplicata oritur dum in catenas, seu potius monilia, modo supra indicato efformantur. sic pro vno lapide fiet in homine quod dicitur. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*, hoc est de lapidibus hâc colliget messem primo in hac vita, & postea in alia. Stellæ cœli passim ab auctoribus gemmæ, & carbunculi fulgentes vocantur. Dic ergo, si terra nostra adeo fœcūda est, vt aliquādo reddat fructum centuplum, quàm fæcundior erit terra cælestis? vel si tam fertilis est terra, quantò erit fertilius cœlum? nam pro vno lapide pretioso tot possidendos tribuet, & tantos, quot sunt, & quantæ sunt stellæ cæli. verè enim possidebit eas pius seminator gemmarum. nam possessio dicta est quasi *pedum positio*, quod fiat pedum positione. calcabit ergo cœlestes gemmas, qui calcauit terrestres: calcabit, & possidebit innumeras pro vnâ. Tēpus ergo spargendi lapides nunc est, iuxta illud, *Dispersit dedit pauperibus*: & tēpus colligendi erit postea, cùm ad eam veniemus vrbē, de qua dicitur, *Lapides pretiosi omnes muri tui, & turres Ierusalē gēmis ædificabuntur.* iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloria. en tibi tempus colligendi. quia *dispersit dedit pauperibus*, cum erat tempus spargendi.

Psal. 20.

7. Ecclesiastici 11. 4. *In vestitu ne glorieris vnquam, & in die honoris tui ne extollaris.* quasi dicat: in die honoris, quando gloriosis vestibus indutus, prædicti honoris causâ, appares; ne quæras honorem, & gloriam ex vestibus. honor quidem dignitatis requirit congruentes sibi vestes, vt magistratus purpuram: sed vestes nō debent quærere honorem. quidam enim statim ac purpureo amictu induti sunt, se Reges vel quasi Reges putant, & tamen, (a) *Per esser Cardinale, altro ci vuol che la berretta rossa.* Optimè tamen indutus, statim vulgò quasi princeps, vel proximus excipitur & æstimatur. ideo dicunt ei illud Isa. 3. num. 6. *Vestimentum tibi est, princeps esto noster.* Matt. 16. 2. *Facto*

Eccl. 11. 4.

(a) Vt quis sit Cardinalis, aliud requiritur præter pileū rubeum.

Isa. 3. n. 6.

Matt. 16. 2.

Facto vespere dicitis, serenum erit. rubicundum est enim cœlum, sic si quis sit purpurâ indutus, hoc est splendidè; (purpurea enim vestis cum pretiosa sit, simul significat nobile indumentum. vnde de illo dicitur, quod *induebatur purpura, & bysso*) si quis inquam hodie vespere sit in purpurâ, dicimus crás habiturum serenitatem, hoc est futurum Principem, & Regem. serenitas enim titulus est regum & magnorum Principum. quia diuitibus & optimè indutis facilè conceduntur dignitates. præterquam quod ipsæ diuitiæ statim eum, qui diues est regem faciunt. nam *Diues pauperibus imperat, & qui accipit mutuum seruus est fœnerantis*. Dicendum tamen, *in vestitu ne glorieris*, ne quæras honorem ex vestibus. sed iuxta supradicta,

Quærat honor vestes, non vestis quærat honorem.

2. *Gloriabundi ob vestes gloriantur se similes esse brutis.*

3. *Et edere reliquias mensæ illorum.*

Lib. de Elia, & ieiun. c. 4. 2. BASIL. libro de Elia, & ieiunio, c. 4. dicit, Adamum ouinâ pelle indutum fuisse, vt ostenderetur, quod is, qui sicut Deus esse voluerat, oui similis effectus erat. facit quod Plut. narrat in Laconum sententiis. Demonax videns quendam insolentius ostentantem purpuram, quam gestabat, illi in aurem dixit, heus tu, hoc ouis ante te gessit. Erubescit homo de veste, quam cum diu gestasset diues homo, vel etiam herus suus, tandem sibi gerendam concessit, vel vendidit: & gloriatur de veste, quam ouis, cum diu tulerit, tandem vt sibi inutilem, & grauem, illi dimisit; vel mediante pastore, & textore vẽdidit. ergo iuxta Ecclesiasticum supra. *In vestitu ne glorieris vnquam*. D. Franciscus, vt habetur in vita eius, visa oue detonsa, ait, hæc impleuit monitum, *qui habet duas tunicas de non habenti*, Ab oue ergo accepisti vestem.

Sed quia Patres exponunt de homine in peccatum collapso in Paradiso illud, *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. ideo homines (vt hæc magis locum habeant in eis) non satis ducunt, si oui assimilentur, in eius pellem & lanam sese inuoluentes; sed erubescunt, nisi, vt ita dicam, quasi in omnes bestias sese commutent, eorum pellibus, & coriis vtendo in vestitu. vix enim aliquod animal est, cuius corium aliqua in regione non cedat in hominis indumentum. Immò vt magis in bruta transire videamur, quidquid in eis est nobis aptamus. carnes ferè omnium animalium aliqua in regione leguntur comedi, hoc est aliæ apud vnam nationem barbarorum, aliæ apùd aliam. Ingeruntur in nos carnes, imponuntur circa nos pelles earum, & in animas nostras, seu in ingenia, transire videntur (vt ita loquar) eorundem animæ, & brutalia ingenia, superbia leonum, astutia vulpium, voracitas luporum, luxuria canum, & cet. nam per *iumenta*, vt communiter explicant ibi, bestiæ intelliguntur in communi. itaque homo per tantam multiplicitatem vestium, pelliumque, videtur se fateri bestiam

Canes, serpentes, & alias bestias in cibũ alicubi venire passim scribunt auctores. Hæc dicuntur non ad damnandum vsum, sed abusum, & nimietatem vestium ex animalib. collectarum.

bestiam visu, verbo, & opere; nimirum superaddendo moribus brutorum ipsasmet eorum pelles, pila, lanam, coria, & cet. quasi timeat videri hypocrita, aliud intus, aliud foris habens. ergo *in vestitu ne glorieris unquam*. gloriaris enim, quod similem bestiis plurimis te facis. gloriaris, quod gloriam pristini status perdidisti. quia homo cum *in honore esset, non intellexit*, & cet. Erubescit nobilis auferre vestes à cadauere occisi hominis: & gloriatur, si indutus est exuuiis occisi bruti, vt pellibus murium diuersi generis, felium, luporum, & cet.? Ergo sicut aiebat Augustus de Herode (qui cum parceret suibus vt Iudæus, occidit filium cum ceteris Innocentibus) nimirum, Apud Herodem melius est esse porcum, quàm filium: ita dicendum est, apud nobiles melius est esse omne brutum, quàm hominem. quia erubescit indui vestibus hominis mortui, non verò bruti.

Tritum est etiam apud Ethnicos scriptores, hominem voluptatibus deditum iudicari belluam, quæ tantum hominis externam speciem habeat. at cum huiusmodi homo in vestimentis, pellibusque bestiarum est, nequidē laruam hominis retinet, (a) *s'è cauata la maschera di huomo, & hauendo nel carneuale delle crapule e carnalità suo giocato ogni cosa humana, e ragioneuole; in vn resto sù andar anche la maschera da huomo, che portaua.* & quasi Nabuchodonosor, tanquam bos apparet externa facie. *In vestitu ergo ne glorieris vnquam*. nam si prædictus voluptatum sectator de illis est, quorum Deus venter est; rectè id ei congruet, quod sequitur, *Et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*. hoc est gloria eorum in vituperio, & erubescentia (quæ est confusio, & ignominia) sita est. gloriantur enim, quod nedum interius, sed etiam exterius brutis similes sunt, & apparent bestiæ aspectu verbo, & opere.

(a) De ponit personam hominis, & postquam in Bacchanalibus Crapulâ & luxuriâ decoxit omne quod habebat humanū & rationale, tandem etiā perdit laruam hominis quam gerebat.

3. Cum animalia, quorum pellibus pretiosis vtuntur diuites, plerumque homini in cibum non cedant in nostris regionibus; ideo dicendum est, principes, nedum nobiles prædam sæpè partiri horum animalium cum lupis, & canibus, aut quod peius est, cum putredine, & vermibus: ita vt carnem ipsæ bestiæ & vermes sibi sumant, relinquant autem pelles hominibus, ita si lupus, aut canis occiderit & vorauerit aliquas ex iis bestiis; diuites pro beneficio obtinent, immo certabunt, vt coria, & pelles relictas ab eis consequantur. cumque dicantur canes edere de micis, quæ cadunt de mensa dominorum, vtique de superfluis, & reiectamentis; ipsi domini, per ea quæ dixi, fiunt canes canum suorum, colligentes ad pascendam famem suæ ambitionis, & ad fomentum corporis, quod de mensa canum suorum cecidit, vel de mensa luporum, aut aliarum bestiarum.

Iud. 1. 7 Septuaginta reges, &c. *Colligebant sub mensa mea ciborum reliquias*. non feræ, & lupi hæc possunt dicere ve ba? Cum verò sericum non sit nisi sputum vermium ex præterita crapula; nonne fames ambitionis, hianti ore, illo se pascit bolo. ergo, *In vestitu ne glorieris vnquam*. quia gloria tua erit

Iud. 1. 7.

in confusionem, gloriosum duces edere superfluitatem, & micas cadentes de mensa vermium, nisi sputa velis dicere, verecundiæ gratiâ, cum tamen vbi quid improbatur, re: hores laudent si abiectissimis conferatur rebus.

2. *Mulieres vestibus suffocantur, vt Deo non fructificent.*

3. *Similiter & viri.*

Luc.8.14. 2. QVOD *autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* at inter has sollicitudines, & voluptates magna certè est cura vestium, pretiositas, & multiplicitas earum, præsertim in nobilibus mulieribus, deuotionis spiritum in eis suffocant, seu potius (vt loquamur iuxta formam verborum Lucæ) ipsas suffocant mulieres. sic Parthenius in Amatoriis apud Theatrum vitæ hu. narrat puellam quandam nescio quâ ratione Naxios ab obsidione liberasse. illos autem certatim ipsam honorare, eique benefacere cupientes, vittas, & vestes tanto in numero in ipsam proiecisse, vt eam penitus suffocarint. Sic mundus, sic maritus specie beneuolentiæ, plurimas copiâ vestium suffocant in sensu allato. Contingit autem occasione nuptiarum, sæpè id fieri. Ac tum in ipsis mulieribus, euenit non raro, quod accidit viris, nempe *vxorem duxi, & ideo non possum venire.* virum accepi, & ideo nō possum venire. *mulier innupta cogitat quæ Domini sunt*, & cet. *quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi.* vt dicitur in prima ad Corint. Igitur à sollicitudinibus & diuitiis, & voluptatibus, vitæ euntes *suffocantur, & non referunt fructum.*

Parth. in Amat. apud Theatr. vit. hu.

Cor. 1.

3. Simili modo quando virorum ambitio in vestibus causa est, vt debita non soluant, vel alia iniqua operentur; tunc ipsæ vestes illos suffocant quoad animam, ita vt fructus non ferant. Sic Celius lib. 10. cap. 6. Lib.10. c.6. narrat, populum iratum in Draconem Atheniensium legislatorem, iniectis pileis, & omni genere vestium illum suffocasse. Sicut ergo ille suffocatus est vestibus se aggrauantibus, ita multi aggrauante conscientiam & animam ipsorum copiâ vestium (quæ alienæ dici possunt, quia earum pretium non est solutum) suffocantur. vel etiam cum in vnâ pretiosâ, quam gerunt, insint multæ vestes pauperum, quatenus illius valore multos tenentur & possent induere; illos ideo censentur spoliare. idcirco euntes suffocantur à multis vestibus populi.

Ne glorieris in vestitu vnquam, supra Ecclesiastici 11. nu. 4. Si gloriam Eccle. 11. nu. 4. ponis in veste: ergo, cùm vestis sit extrinseca tibi, ibi incipit gloria tua, vbi desinis tu. & quia vestis pretiosa sæpè est ex pelle animalium, tunc intras in honorem, cum intras in belluam, cùm exis ab homine, à teipso. iam, vt dixi, vbi desinit corpus tuum, ibi incipit vestis, & consequenter honor tuus. ibi te ostendis virum nobilem, vbi etiam exis ab homine. ideo Plut. in Laconum dictis, dicit, Agesilaum Lacedæmonum Principem exposuisse venales captiuos barbaros, sed vestibus pretiosis,

tiosis, quas gerebant, nudatos; quia verò ipsi captiui molles erant corpore, & parum, vel nihil vtiles futuri ementibus; ideo emptores non inueniebant, & contemnebantur. at vestes ipsorum cum admiratione aspiciebantur à Lacedæmonibus, & multos habebant emptores. ita Plut. adde quod idem Plut. refert, Platonem demirantibus quibusdam vestes pretiosas, similium barbarorum, dixisse, Præstiterat ipsos esse multi pretij, quàm possidere pretiosa.

2. *Vestis superba signum superbiæ.*
3. *Superbia pix est, ideo fœtor est.*

2. NE *glorieris in vestitu.* homo induitur præsertim, ne lædatur (vt inquiunt) ab ambiente aëre, at si gloriatur in vestitu; læditur ab ambiente aërem: nempe à seipso, per hoc aërem vanitatis, auramque popularem captante, & ambiente. induitur, ne corpus nigrescat sole, & dicere cogatur, *decolorauit me Sol*: sed interea anima denigratur fumo, nempe eiusdem ambitionis. vide ergo si mirabile est homines istos tenuissimis sæpè vti vestibus, nam vt
BERN. Bernardus ait, *Non quod vtilius, sed quod subtilius quærunt.* non mirum inquam hoc, cum velint has vestes fieri retia aëris, & fumi, quæ sunt res adeo tenues. quid mirum, si Eccle-
Eccles 13. nu. 1. siastici 13. nu. 1. dicatur, *Qui communicauerit superbo induet superbiam?* vbi superbia, cum indui dicatur, ostenditur esse quædam vestis; quia præsertim in veste solet esse superbia. Vestis est vexillum ipsius superbiæ. induitur homo veste nobili quasi superbiâ, vt ea defendat se ab humilitate, quasi à frigore.

3. Pix est superbia, seu vestis superbiæ: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiã.* cum quis pice inquinatus est, & quasi iudutus, quodlibet vestimentum, quod superinduet, picem olebit, quid mirum ergo, si superbiam oleant omnes vestes superbi? sed cum superbia, & iactantia fœtor sit: vulgo enim dicimus, (a) *egli mena gran puzza, ha gran puzza nel naso, è vno spuzzetta.* vide ergo quid proficiat superbus tot impensis in vestes collatis. id enim tantum acquirit, vt picem oleat, fœtoremque omnibus effundat. Sæpè accidit, vt mundanus homo, vel mulier vestiũ pompa præbeant signũ, quod mortui sint Deo per peccatũ; quod ideo dicitur mortale. Sicut enim mortui sæpè in arcis ligneis pice linitis inclusi, picem redolent, ita illi mortui in veste superba, quasi arca linitâ pice superbiæ olent eandem picem.

(a) Multum fœtoris secum trahit totus odor est malus scilicet & molestus.

2. *Ignobiles in vestitu æmulantur magnos. equi & parietes vincunt homines in indumentis.*

2. DICIT Bernardus: *Ex eodem panno miles clamydem, monachus sibi diuidunt, cucullam.* vt ostendat vanitatem monachorum quorumdam in vestitu. at deterius est, quod Princeps ex eodem panno atque equus tollunt sibi: ille ad pallium, hic ad epippium. immo aliquando aliqui dedignantur epippia hæc equis conficere ex eadem materia, qua multi nobiles, & Princi- BERN.
pes

pes induti videntur. adeo pompa excreuit in equis auro, gemmisque ornandis. vel id dicere potes de operimento, quod vulgo dicitur, (a) *la gualdrapa.* ita si plebeium arguas, quod viris nobilibus in vestitu se æquare præsumat; quomodo arguendus sum inquit, qui etiam in hoc vincor ab equis, & mulis? vestes, & operimenta inter se diuidunt muri, nedum muli, & nobiles viri, & hi sæpè inuident lapidibus, peiora dicerem, nisi timerem nominare abiectiora quæque sordida, quæ mollibus, & luxus amatoribus inseruiunt, quæ sericis, & aureis operimentis ipsos non pudet contecta habere; vt etiam nobiles inuidere cogantur in hoc iis, quæ neque absque rubore appellare audent. eodem modo si arguatur aliquis operarius de cibi lautitiè, ego inquit, cùm canibus diuisi prandium. nominatque canes cuiusdam diuitis, vel alterius prodigi. canino inquit, cibo vescor. vide an peius dici queat? vel comedo ait, ex his quæ cadunt de mensâ canum scilicet Regiorum.

(a) Stratũ equi ad terram vsque dependens.

2. *Pompa, & copia vestium reprobis potius congruit.*
3. *Item superbis.*
4. *Alij nudi, & alij nimis induti sunt.*

2. NOTVM est apud scriptores passim, eos, qui de Ægypto ad terram promissionis tendebant, figuram fuisse eorum, qui ad cœlum properant. illi autem audierunt quod experti sunt, Deuter. 29. 5. *Adduxi vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* item *manducauerunt manna in deserto.* dic ergo, eos, qui contendunt ad terram promissam, nempe Paradisi, non solere crebro vestes mutare, neque ciborum varietate vti. hocque signum esse, quod ad terram illam properent: cùm qui secus faciunt, contraria omnia agant. Quod operatus est Deus per miraculum in vestibus & cibis prædictorum; modò aliquo pacto operatur paupertas, & humilitas, simplicitasque & sobrietas iustorum, vt æterna, vt ita dicam vestimenta sua reddant: vt quæ sint ex flamine non tenuioris byssi, aut mollis materiæ; sed simplicioris, & solidioris, rudiorisque, & durabilioris.

Deut. 29. 5.

3. *Qui communicauerit superbo induet superbiam.* quibus adhæsit pix ex veste picata quam prius attigerant; illis statim fœtet quæcumque vestis quã induerint, statimque immunda videtur. sed verè non aliud, quam pix, nempe superbia sua illam maculosam, & malè olentem videri facit, etiã si ea talis non esset. sic legitur de quibusdam Imperatoribus, qui numquam bis eadem veste vsi sunt. Statim talibus fœtet vestis, subindeque alias sumunt; quia pice, scilicet superbiâ infecti sunt.

4. Verè mundus, seu vita præsens comedia est, & fabula: vt est iam in multorum sermone. ideo in illa sæpè sæpius homines vestes mutãt. verè bacchanalia agimus. Sed sicut dũ aliqui carnisprivium agunt, alij (licet alio loco) Quadragesimam celebrãt; nempe dum nos initium ieiunij

Quadragesimalis aggredimur, alibi adhuc carnisprluium agunt multa cum crapula: ita & in hac vita dum alius esurit, alius ebrius est, (a) *vno fa carneual, l'altro quaresima*. adde, quod in carnisprluio vestibus cōsuetis nouas alias superinduunt, *si traueslono, ò straueslono*, cum alij, qui Quadragesimam agunt vix aliqua operiuntur & simplici veste, vel etiam pœnitentiam agunt in cinere, & cilicio: ita accidit in hac vita, vt quidam vestibus quasi suffocentur nimiis, alij verò frigescant, & sacco induti appareant. Canes quosdam videmus naturâ suâ pinguissimos; alios verò (vt leporarij sunt) extenuatos: alios villosos valde, & quasi duplici veste opertos; alios verò (qui ab India, seu longinquis regionibus adducuntur) ferè nuda cute semper frigescunt, quasi priores illi sibi vestes istorum sumpserint. hæc Deus fecisse videtur in brutis, vt essent exemplum eorum, quæ videmus in hominibus: nempe, quod tam in cibo, quàm in veste, *Alius esurit, alius ebrius est*. ergo in hac vita, dum aliqui carnisprluium agunt alij Quadragesimam agunt in vestitu, & victu.

(a) Hic celebrat Bacchanalia, ille quadragesimam.

2. *Christi vestis vsu non detrita. mutatio crebra vestium mundani propria.*

2. SABELLICVS libr. 2. cap. 8. exempl. apud Theatrum dicit, vestem Christi inconsutilem non esse vnquam vsu detritam, & auctā esse illi, aucto corpore. Corpus Christi sunt & membra eius, iusti viri, ergo dum ex contemptu superfluitatis, & ambitionis, non ex tenui & molli materia, sed solidā & vulgari, atque adeo durabili induuntur; & eâdem de causa vix vnquam vestem commutant, quasi perpetua illa foret; hoc signo etiam indicant esse se per gratiam Christi membra, & in Christi corpore. sic Deus induit primos parentes vestibus ex pelle confectis: quasi doceret, durabiles, & quasi incommutabiles vestes à Deo nobis suppeditari: à nobis ipsis autē, & à peccato procedere vestes tenuioris, & fragilioris materiæ, siue crebram vestium mutationem. Nam post peccatum prædicti parentes à semetipsis excogitarunt vestes ex foliis ficus. quid autem his vestibus minus durabile, quā sæpè coacti essent vestes commutare? Ergo non miranda hæc propensio conficiendi vestes ex materia fragili, & eas sæpè mutandi: cùm quasi per originem à primis parentibus eam trahere videamur.

Lib. 2. cap. 8.

3. *Magnates vestes, quasi cibos, vix delibatas suis relinquunt. Aliqui in hoc sunt Antichristi.*

3. CVM victus, & vestitus quasi gemini fratres dici possint; ideo hoc faciunt magnates in vestitu, quod in victu. nam sicut in victu & conuiuijs vix delibant dapes appositas, & statim eas dimittunt, aulicis & seruis (quia ob copiā epularū, ex sola delibatione saturantur.) ita etiā multi ex illis vix semel vestem gesserunt aliquam, cum eius saturi seruis eam relinquunt. Iure potuit Caligula, siue alius is fuerit, dici Antichristus, quia,

quia, cum eandem vestem numquã bis induerit, vt scribunt, contrarium Christo se præbuit. Antichristi hac de causa sunt multi Christiani in hac re, hoc est contrarij Christo, iuxta dicta de veste eius.

Clem. Alex. Lib. 2. c. 10. Clem. Alex. lib. 2. cap. 10. ait, *Cau* (scilicet pictorum antiquum) *iure approbo, qui virtutis, & improbitatis aptas depingit imagines: virtutem fecit simpliciter stantem indutam candidâ veste, & sola verecundiâ ornatam: improbitatem contra inducit superfluâ quidem, & variâ veste indutam, alieno autẽ colore exultantẽ.* hæc ille. Dic tu hodie; virtutem sæpenumero solo rubore indutam videri, quatenus derelicta in amatoribus suis, non habet vnde se operiat: cum è contrario improbitas (quia diues est, quia fouetur à multis potentibus in persona adulatorum, & similiũ) optimè induta cernatur. sic cecinit antiquus Poëta, *Probitas laudatur, & alget.* sic alius ex nostris (a) *Pouera & nuda vai Filosofia.*

(a) Pauper & nuda incedis Philosophia.

Adde dictis paulò ante ex Clemente Alex. magnates supradictos, non solum se ostendere seruos seruorum suorum: (quatenus se constituunt, prægustatores illorum in victu, dum ex dapum copia vix aliquid delibant.) sed cum etiam in vestibus venenum possit exhiberi principibus, idipsum faciunt in vestibus. Mutant semper habitum seruo, nimirum corpori: numquam malum veteremque habitum mutant domino nempe animo.

Diuites serui seruorum sunt, nẽpe prægustatores eorum in victu & vestitu.

Ecclesi. 11. 4. Ecclesiastici 11. 4. *In vestitu ne glorieris vnquam, & in die honoris tui ne extollaris.* dies honoris sui videtur esse ei, qui optimè indutus est, quãdo ita se videt ornatum. Vide quàm leuis sit gloriabundus homo. nã cum pauo plurimis magnisque plumis indutus sit, vix tamen potest se aliquantulum per eas subleuare à terra. at videbis agricolam, aut plebeium militem duas tantum eius animalis plumas in pileo gestantem, & tamen sese per eas adeo in altum extollere, vt non solum præ lætitia, & inanitate mentis (vt vulgo dicimus) solum non tangat, quasi volet, non ambulet; sed etiam cœlum digito tangere sibi videatur, vt est in adagio. Extollitur ergo *in die honoris sui.* ita sæpè fiet, vt iis plumis, quibus vix se attollit aliquando vnus pauo, sese extollant viginti magni homines, scilicet qui eius plumas inter se diuisas gestantes, superbiunt. Superbire enim est super ire. singuli viri isti duabus plumis rotam vanitatis magnam explicant, eâque se iactant, quod Italicè dicimus, Pauonizant. *Si pauoneggian*; cum pauo vix omnibus plumis vnam efficiat. vel dic tot inesse plumas vanitatis in prædictis hominibus, vt duabus tantum exteriùs additis, possint implere quæ diximus.

In vestitu ne glorieris vnquam, & in die honoris tui ne extollaris. hæc duo coniungit, vestitum gloriosum, & diem honoris. nempe quòd dies pretiosæ vestis, simul soleat esse homini dies eius honoris. quia pro vestium qualitate homines à mundanis magis minusve honorentur, sic Theatr. v. h. pag. 2636. inquit, Ioannes de Lignano Iurista celeberrimus, cum ad nuptias inuitatus, ob vestes haud valde pretiosas locum parum honorificum obtinuisset, statim

tim per famulum optimam vestem afferri fecit: eâque in loco conuiuij sibi assignato collocatâ, abiit, dicens, Vestem voluistis, vestem habete. Indicauit illos vesti, non vestito, locum deputasse. ideoque illam reliquit quasi conuiuium ipsi deberetur, non sibi. Dies ergo gloriosæ vestis est homini plerumque dies honoris. ergo *In vestitu ne glorieris,* &c.

Theatr.pag.2637. inquit, Gasparus Bruschius Poëta laureatus Basileæ stipe corrogatâ à vicinis Abbatibus, veste præclarâ sibi comparatâ & imposita, in publicum processit. cumque antea nemo ferè ipsum salutaret, ecce plurimas passim salutationes à plebe accipit. id ille indignè ferens, quod non sibi, neque sapientiæ, sed vesti, atque diuitiarum opinioni honor exhiberetur; domum rediit, vestesque sibi detractas conscidit, eo quod honorem à se in ipsas detersisse diceret. hîc ergo etiam dies vestis gloriosæ fuit dies honoris.

Ambo abiecerunt honorem tributum sibi propter vestes, illumque in vestes ipsas refuderunt: seruaruntque monitum Ecclesiastici, *Ne glorieris in vestitu*, &c. At multi è contra honorem tributum vestibus suis, in seipsos deriuant, i. e. honorem tributum diuitiis, vel potentiæ sibi assumunt: quod est gloriari in vestibus. nam vt Gregor. ait, Quid sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Si haud bonis vestibus indutus sis, nempe diuitiarum; in conuiuio, hoc est in ciuitate aut aulâ infimum locum sortieris. si repentè, etiamsi per mendicata suffragia (sicut fecit de veste memorata Bruschius prædictus) diuitias comparaueris; statim honores, ac salutationes aceruatim ad te concurrerent. Sed tamen diuites huiusmodi vestibus opum non solum non indignantur, non solum illos non abiiciunt, non relinquunt, pauperibusque non distribuunt: sed stultos æstimāt, qui id fecerint. immo ipsis vestibus honorem exhibent, à quibus & ipsi honorati sunt.

D.Gre.

2. *Honorantes homines propter vestes, similes medicis sunt.*

2. SALVTATIONES apud Latinos *salutes* dicuntur. sic in litteris *salutem* ab initio *dicunt*. Sicut ergo si in medicos incidat multos æger aliquis morbo difficillimo laborans, ac veste etiam malè sanâ, & scissuris vulneratâ; nullus ferè ex iis illi salutem dabit, (*a*) hoc est de salute recuperanda certum faciet: sed deploratum morbum illius prædicabunt, vel (sicut est) difficillimum. at si paulò post alius insigni veste indutus, eodem ferè morbo detentus, in eosdem medicos incurrat: videas multos ex iis salutem illi dare, atque illicò pronuntiare, Bono animo esto, infirmitas hæc non est ad mortem: Sic videntur ferè omnes homines agere, & esse medici. Nam, vt in casu allato vidimus, vix est qui salutem dicat inopi, & trita veste induto, cum optimè induto omnes salutem plurimam, seu salutes plurimas dicant. Dant salutem diuiti, vt ad eius curam assumantur. iactāt eum verbis, vt emungant factis. at non

(*a*) *Vulgò dicunt*: i dā vita lūga e sanità, *cioè* prometto.

non ita in pauperem se gerunt, cuius vber, nempe marsupium, emunctum est à paupertate. quæ tamen non de medicis probis, sed de nimis auidis intelligenda. Ad sternutamentum diuitis in platea plurimos audis salutem apprecari, plurimos caput detegere. at ad sternutamentum pauperis vix inuenias ex tanta multitudine, qui semel salutem ei dicat. immo pro salute, si bis efficiat sternutamentum, maledictionem tanquam in importunum multi congerunt. (a) *mandano il canchero, ò la peste per salute.* Idem proportionaliter de salute, hoc est de salutatione, & honore, qui fit soli diuiti (cum pauperibus pro his rebus potius contumeliæ tribuantur) dicendum est. idem etiã de falsis promissionibus, & adulationibus medicorum, quos supra dixi salutes dare diuitibus, nõ ita pauperibus. hos tanquã morituros cogere ad confessionẽ; illos, vanâ spe lactando ducere ad mortem temporalem, & æternam, pœnitentiæ dilatione.

(a) Imprecãtur Canchrũ aut pestẽ pro sanitate.

2. *Alphonsi dictum de modestia vestium.*
3. *Gentilium est vacare sollicitè vestium pompæ, & ciborum.*
4. *Nostrorum luxus in cingulis pileorum.*

2. MAGNVS Alphonsus cognomento Sapiens (vt habet Æneas Siluius de eius dictis & factis scribens) admonitus à quodam, vt regio & non vulgari habitu indutus incederet: Malo, inquit, moribus, & auctoritate quam diademate, & purpurâ meos antecedere. Si

Æneas Siluius de eius dict. & fact.

spectes indumenta & supellectilem antiquorum, plerumque hæc omnia respectu hodierni luxus humilia sũt, sed sicut antiqua purpura respectu hodiernæ erubescit, nempe pudore potius, quàm colore; ita moderni respectu antiquorum erubescunt purpurati. Maiores nostri, maiores fuerunt *actu* nos autem *habitu*. (a) sed habitus in nobis minoris momenti est, quàm actus. illi honorarunt vestes, nos honoramur à vestibus.

(a) Alludit ad nomen *habitus*, quo & Verus designatur.

3. Pete à nobilibus cur tam solliciti sint de splendido vestitu, atque mẽsa, iuxta morem diuitis illius, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè: Respondebunt, id cogimur facere; quia nobiles sumus: conditio nostra id poscit. *Lo facciamo; perche siam gentil' huomini.* Gentiles viri, vocantur nobiles apud nos. veritatem nolentes fatentur, dum dicunt, gentilium hominum esse pretiosis vestibus indui. nam cum Christus Matt. 6. dixisset, *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*, & cet. postea concludit, *hæc enim omnia gentes inquirunt.* Id tamen dictũ nolumus ad damnandum splendorem victus & vestitus in illustribus viris, sed abusum & ambitionem: *Gentes hæc inquirunt*, hoc est Gentiles homines. *Matt. 6.*

4. Etiam mediocris fortunæ homines, hodie in pompis reges se ostendere gestiunt. regio indumento aliqui vtuntur vt diues, *qui induebatur purpurâ*, quæ propria regum semper fuit. regiè epulantur. nam vt in Scriptura de quibusdã dicitur, fece-

runt conuiuium; *quasi conuiuium regis.* quod de Absalone 2. Reg. 13. præsertim memini. & fortasse alibi similia inuenies. vnum deerat ad culmen superbiæ huius, nimirum, vt etiam regiam coronam in capite gestarent. sed & hoc inuenit astuta ambitio nostri temporis. nam cingulo quodam, seu potius diademate circa pileum vtuntur ex auro, & sæpè etiam ex gemmis contexto, vt diadematibus regum pretio aliquando non cedat. hoc vnum distat inter regem, & diuitē ita coronatum, quod ille habet coronam dignitatis, iste superbiæ. vnde optimè ei quadrat. illud Isaiæ 28. *Væ coronæ superbiæ ebriorum Ephraim.*

2. Reg. 13.

Isa. 28.

Aut dicamus de his cingulis aureis, & gemmeis pileorum, quod hoc differunt à regibus, (a) *che li Re portan coronato il capo, & questi il capello.* nolentes ostendunt se (sicut dici solet) habere cerebrum super pileum, siue biretum. nam *vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* idem dic de gerentibus plumas magni pretij super pileos. Hodie in aulis magnatum videbis multos reges, hoc est coronatis pileis, qui (saltem methaphorico sensu) *colligunt reliquias ciborum sub mensa dominorum,* hoc est viuūt de superfluis ipsorum. prædicti potentes gaudent, se habere seruos reges, & qui obsequij gratiâ mittant *coronas suas ante thronum domini sui.*

(a) Quod Reges habeant caput coronatum, illi pileum.

Vt vnus ornetur pileus, sæpè plura nudantur corpora, nempe pauperum, vel creditorum, quibus ob id denegatur vnde induantur. & coronæ illæ magis sunt coronæ tyrannorum, quàm regum. Impendunt mille aureos ad coronadum pileum, & non tradunt duos ex his ad coronandum caput, nempe coronâ illa, de qua dicitur illud Psal. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* non inquam duos aureos insumunt pro salute animæ, ac regno cælesti.

Psal.

Nonne superbiæ portenta sunt ista, vt pluris constet cingulum pilei, quàm vniuersa corporis indumenta? & plurimis aureis velit homo malè sanum verticem ligare capitis, quem funiculo cannabis vnius oboli melius ligaret?

Videas aliquando aliquos viros, præsertim aliquarum nationum, pompæ indumentorum peculiariter seruientium, & ad cetera nihil morantium; qui aurum habebunt in pileis, in vestibus, in chirothecis, aliquando etiam in calceis, seu in calceorum subligaculis. si autem marsupium ipsorum exquiras, & excutias, neque obolus inde exibit. sic dici potest, multi aurum habent vbique præterquam in sacculo. quod est dicere, præterquam in loco suo. locus auri enim est sacculus nummorum. Spiritaliter etiam quidam exterius in actibus splendet auro honestorum operum: at non habet illud in marsupio, hoc est in conscientia, quæ est locus proprius auri. ideo de vtroque dicendum est illud Ecclesiastici 18. 3. 2.

Eccl. 18. 3. 2.

Ne oblecteris in turbis, & immodicis. Sic legit Ians. hic, exponens, Ne delecteris magnificari in turbis, & ne delecteris immodicis expensis,

Vulgata habet, in modicis.

ſis, & pompis. additur: *Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & eſt tibi nihil in ſacculo.* hoc eſt, Ne tenuis fias, & pauper ex ſumptione ad vſuram, vt te conſerues in tali luxu. & interim *nihil eſt tibi in ſacculo.* hoc myſticè dicendum de prædicto etiã ſectatore externæ apparentiæ, quæ per veſtimenta ſignificatur: (nam *veniunt in veſtimentis ouium*) & quod foris oſtenditur, intus à mercede euacuatur; vt Gregor. ait.

Acutè quidam feminam quæ plumas ſuper pileum geſtabat, ait, *Pluma ſuper caput eſt, & ſub pede ſuber; vtrumque*
A capite ad calcem te probat eſſe leuem.

Stultus vt luna mutatur. narrant matrem Lunæ exoratam, vt filię veſtem conficeret, dixiſſe Lunæ, fruſtra id fecerim, cũ tu perpetuò muteris. vnde conſtructa veſtis paulò poſt tibi minimè congruet. Hodie plurimæ lunæ ſunt; viri ſcilicet & mulieres, quę, ſi nõ corporis magnitudine & formâ, ſaltem animi affectione mutantur: adeo vt veſtes & earum forma, quæ hodie illis quadrat, paulò poſt nouo ritu indumenti in vrbem ſuborto, haud amplius eis congruat.

AVARITIA.

1. *Opes ſub pedibus tenendæ. verbis eas ſpernimus, factis amamus.*
2. *Auarus conuerſus, eſt camelus tranſiens per foramen acus, & factus auis.*
3. *Auaritia rabidum, & intolerabilem familiæ hominem reddit.*
4. *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.*

1. IERONYMVS epiſ. 22. ad Virginem Euſtochium, *ponebant pretia ad pedes Apoſtolorum, vt oſtenderent diuitias eſſe calcandas.* Sed dicunt mundani, Si conculcaremus noſtra, conculcaremur nos. tam pulchros nolumus calceos. *Hier. epiſ. 22. ad Euſt.*

Idem ad Acheruciam de Monogamia: *Nos verò ardemus auaritiâ, & contra pecuniam diſputantes, auro ſinum expandimus.* Adde: optatum in conuiuio fœdamus cibum, vt totum nobis relinquatur, vt paraſiti faciunt. Vituperat, qui vult emere. *ad Acher. de Monog.*

2. Quid mirabilius, & difficilius quàm Camelum tranſire per foramen acus, vel aſſumere pennas, & volare velutque auem fieri? At hoc fit, cùm auarus conuerſus deponit ſarcinam opum, & Chriſto adhæret. ſic Hieron. epiſ. 9. ad Saluinam de conuerſione talium ait: *Didicimus quomodo Camelus introire poſſit per foramen acus, & quomodo animal tortuoſum aſſumat ſibi pennas columbæ depoſito pondere ſarcinarum, & requieſcat in ramis arboris, quæ de ſemente ſinapis ſuccreuit.* ita ille. *Hier. epiſ. 9.*

3. Da mihi patremfamilias auarum, & ſordidum. ſi videat filium in menſâ vnum bolum amplius quàm ipſe vellet, comedentem; vel vxorem fruſtum panis filiolo porrigentem; vel duos carbones in ignẽ proijcientem; ſtatim vociferatur, ac rabie tantum non corripitur adeo vt famuli & ancillæ (quibus itidem

molestius est) si cum vicinis colloquatur. per querimoniam dicat, Noster dominus rabidus est, & conturbat totam domū. Cùm enim auaritia sit quædā fames habendi. (*auri sacra fames*) & iuxta adagium, fames bilem & rabiem irritet (vnde auarus dicitur, (a) *villan affamato mezo arrabbiato*) idcircò talis auarus rabidum cunctis se ostendit. vnde Orig. hom. 6. in Leuit, ait, *Cupiditates, & auaritia non solum ebrium, & rapidum, sed etiam rabidum hominem reddunt.*

(a) Auarus famelicus semifuriosus vel rabidus. *Orig. ho. 6. in Leuit.*

Quoties euenit canē in aliqua domo rabidum fieri, & per illam cursitare: videas omnes ab eo territos fugere, & omnes, si possint, velle eum occidere. dicimus nos, *à cane rabbioso ogn' vn grida dalli, dalli.* id est, cane rabido quisque clamat, percute, percute. sic ergo de tali auaro fame auaritiæ rabido, & efferato, quiuis de familia, & de vicinia clamat, percute, percute, hoc est omnes mortuum cupiunt. item sicut canis rabidus percurrens domum conturbat familiam: sic & auarus. vnde Prou. 15. dicitur, *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam.* Ad canis rabidi discursum per domum omnes fugiunt de domo, & illa vento plena remanet, hoc est vacua. sic nec filij, nec serui possunt cohabitare tali auaro ob rabiem eius, & morositatem. sic dicitur, *qui conturbat domum suam, possidebit ventos.* quod autem omnes clament contra auarum prædictum quasi canem, ostendit illud, *Qui abscondit frumenta*; Prouerbiorum 11. *maledicetur in populis.* sicut è contra dicitur, *Confitebuntur tibi cum benefeceris ei.* Ille abscondit frumenta, dum panem claudit domi, traditque eum sepulturæ, ne sui ex illo habeant vitam.

Prou. 15.

Prou. 11.

Quidam legunt locum prædictū: *Conturbat domum suam concupiscens cōcupiscentiam.* Vitium solet esse auari vt sub specie frugalitatis concupiscat in domesticis concupiscentiam, hoc est auaritiam, vt ita parcant rebus ipsius. voces sunt vsitatæ auari, si videat liberaliùs merum infundi, vel modica aqua infusa aliquem bibere, Heu: nemo in hac domo miseretur aliqualiter rei familiari: Nemo aliquid amoris habet erga eam, & concupiscendo in eis hanc concupiscentiam conturbat domum suam, hoc est omnibus est molestissimus.

4. Vel dic, idem esse sectari auaritiam, & concupiscere concupiscentiam. cur ita? nonne *auarus* dicitur, quasi *auidus æris*, non autem auiditatis, & concupiscentiæ? Verùm quia res optatæ, & nummi, secum afferunt concupiscentiam; idcircò optando eas, tantum abest, vt optet satietatem, vt verè potius optet famem nouam, nam vt dicitur alibi, *concupiscentia sicut ignis exardescit*, & si in hunc ignē desiderij plura ligna conijcias, vt eum frigeres, è contrario ille magis augebitur, plura ligna optabit, vt nutriatur. sic etiam concupiscentia, &c. est enim ignis, qui numquam dicit sufficit. *Eccl. 9.*

Apostolus etiam ait, *qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum diaboli*, scilicet in auaritiam, & subdit, *& in desideria multa.* nonne sufficiebat dixisse in auaritiam? sed quia auari- *1. Tim. 3.*

tia

tia excitat plura desideria post se; idcircò posuit desideria post auaritiam. Idcircò D. Thom. de regimine Principum lib. 1. ca. 1. vocat diuitias aquam marinam, quæ dum sitim videtur extinguere, auget.

D. Tho. lib. 1. c. 1. de reg. Princ. num. 3.

Supra num. 3. dixi auarum fieri ex auaritia quasi canem rabidum, vulgò enim auaritia sitis habendi reputatur. & sicut canis in feruore æstatis rabidus fieri solet, & tunc os apertum & linguam exertam maximè tenet: sic auarus rabidus ex siti auaritiæ. & quoniam incidit in laqueũ diaboli; vt mos est laqueo suffocatorum de furcâ pendentium, qui tunc maximè os apertum & linguam exertam ostẽtant; sic ipse talem se exhibet, vt indicet de furca & laqueo diaboli se pendere. ideo postquam dixit auarum incidere in laqueũ diaboli; subdit eundem incidere in desideria multa, quasi in sitim maiorem; quâ vt canis rabidus, vel suspensus reus hianti ore apparet.

2. *Auarus ignorat auaritiam suam esse morbum.*
3. *Lucrum vulpes est. astutia scilicet adhibetur ad ipsum captandum.*
4. *Adorarunt Deos Lucros, Æsculanum, Argentinum: æris, scilicet & argenti.*
5. *Primum quærunt regnum Dei sui, scilicet nummos.*
6. *Ab hoc Deo se beatos fieri putant.*
7. *Hæc verò opinio est puerorum ex Platone. at mundus talibus plenus.*
8. *Et sequentibus probatur nummos esse Deum auari iuxta eius sensum.*

2. ARISTIPPVS referente Plutarcho de amore diuitiarũ ita aiebat, is qui multum edit & bibit, nec vnquam satiatur, quærit medicos: postulat ab eis causam morbi, remediumque, quo possit sanari. quod si quinque habens lectos, decẽ quærat; & cui multum est agri, argentique, non tamen satietur; & ad alia plura contendat, & noctes traducat insomnes, & nullis expleatur bonis; hic medico se egere non arbitratur, à quo curetur, à quo doceatur, quomodo sanari possit? Prou. 13. 25. *Venter impiorum insaturabilis.* acquisitio opum enim est quædam comestio. homo æstimat morbum, si multis non satietur granis, non verò si multis non satietur horreis. ait enim *destruam horrea mea.* Lucæ 12. 18.

Plut. de amor. diuit. *Id ipsum ait Hor. lib. 1. epis. Epist. 2.* *Prou. 13. 25.* *Luca 12. 18.*

3. Apud Græcos vocabulum idẽ significat vulpẽ, & lucrum: eo quòd astutiâ & fraudulentiâ in pecunia comparanda maximè vtantur mortales. ita Bisciola tom. 2. hor. subcisiuarum lib. 13. cap. 10. Adde tu, vulpis colorem in tergore, aurum; in ventre, argentum quodammodo repræsentare: eo quòd lucrum, cum in his duobus ferè consistat, vulpes sit nos decipiens ad effectum inducendi in culpas, vt senes vulpibus valde delectantur, sic ostendunt se delectari lucris, & auaritiâ significata per vestes pelliceas ex vulpibus confectas, quibus illi vtuntur.

Bisciola to. 2. hor. l. 13. c. 10.

4. Deos Lucros & deam pecuniã antiqui adorauêre. Lucros scilicet; quia lucris præpositi essent. Ita August. 4. de Ciu. c. 21. narrat, Romanos solitos commendare nascentes filios Deæ pecuniæ, vt pecuniosi essent: Æsculano, & filio Argentino, vt haberent æream, & argenteam.

August. 4. de Ciu. c. 21.

Deus Æsculanus, ab ære scilicet à pecunia, quæ æris prius erat, dictus est; quia illi erat præpositus, vt Argentinus argenteæ. August.

nam ideo patrem Argentini Æsculanum posuerunt ; quia prius ærea pecunia in vsu esse cœpit, postea argentea. *Miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum. quia & aura subsecuta est; quem Deum isti si haberent, sicut Saturno Iouem, ita & patri Argentino, & auo Æsculano Aurinum præponerent.* Hæc August. Dic tu etiam multos Christianos, id quod primum & maximè precari solent liberis à Deo, esse diuitias, & similia. vnde dum putant, se ridere Gentiles, rident seipsos. congruit prædictis id, quod ait Iuuenalis:

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis.
Diuitiæ vt crescant.

hoc est id primum sibi, id liberis precantur.

5. Sicut dicitur. *pecuniæ obediunt omnia*: ita indicatur hoc dicto, homines pecuniam fecisse Deum, cui cuncta pareant. auaritia enim est idolorum seruitus, & sicut dicitur à Christo, *Quærite primum regnum* Dei; ita mundus dicit suis, quærite primum regnum Dei, hoc est pecuniæ. Horat. primo epist. epist. primâ refert hoc mundi dictum: Horat. I. epist. epis.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos. sic Ianus summus ab imò
Perdocet: hæc recinunt iuuenes dictata, senesque.

Deum æstimant pecuniam : quia Deus dicitur à dando. hinc Menander, apud Stob. ser. 128. Stob. ser. 128.

Epicharmus esse dicit hos quidem Deos,
Ventum, solem, terram, ignem, stellas, aquam.
Ego vtiles verò Deos esse arbitror
Nostros, & argentũ, & aurũ maximè.
Istos quidem si deduces tua in domo;
Quidquid voles roges, tibi omnia aderunt,
Ager, domus, seruique, & argyromata suppellex (hoc est argentea.)
Testes amici, iudices: tantum dato,
Ipsos habebis vel ministrantes Deos:

6. Et quia Dei proprium est facere homines beatos : hoc quoque mundani attribuunt Deo isti, scilicet pecuniæ. Sic Ambr. 2. offic. ca. 31. Hoc malum, inquit, iamdudum humanis influxit mentibus, vt pecunia honori sit, & animi hominum diuitiarum amore capiantur, & beatum quoque faciunt vulgi opinione pecuniarum diuitiæ. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* ita Ambros. Ambr. 2. offic. cap. 31. Ambr.

7. At Plato episto. ad familiares Dionysij regis, ait, orationem planè miseram esse, quæ diuites nominat beatos, esseque mulierum ac puerorum. congruit illud Cicer. primo offic. *Nihil est tam angusti, tamque parui animi, quàm amare diuitias.* Plato. Cicer. I.

Scribunt quidam, quod probabile sit post diem iudicij mundum hũc replendum fore pueris illis, qui sine Baptismo obierunt, & nunc degunt in lymbo puerorum: & ita inferni locum dilatãdum, vt capiat tot corpora damnatorum. omitto iudicium de hac opinione, quæ & affirmat hos pueros resurrecturos in ætate virili, vt ceteros: & dico, Hodie etiam mũdum esse repletum pueris, qui tamẽ habent ætatem virilem, vt illi habebunt. pueris inquam multorum annorum; & ideo dicitur, *dixerunt*, loquendo indefinitè. *beatum dixerunt*

populum, cui hæc sunt. quasi dicat,hęc vox est plurimorum. ideo etiam senes amant pecuniam super alios:quia bis pueri,& pueri centum annorum morientur. Aliquam regionem fuisse aiunt, in qua omnes ferè essent mulieres,viri paucissimi,vt in regione Amazonum.at hodie totus mundus est regio prędicta,quia ferè omnes prædicant beatos diuites. ferè omnes ergo nunc sunt pueri,& mulieres iuxta Platonis dictum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus cuius Dominus Deus eius, iam dixi, Deum esse hominibus pecuniam, & homines habere Deum Argentinum, & confitentur, *quia beatus populus cuius dominus Deus eius.* sed quia ęstimant Deum suum pecuniam, beatum putant eum,qui hunc Deum habent.

8. Sed prosequamur inceptum, quòd pecunia Deus sit auaris, & mundanis.nam Deus dat hominibus animam,& vitam, & motum, & inspirationem, & omnia. *Si Deus est animus nobis, vt carmina dicunt*, inquit Cato. cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem,& omnia. & de eodem dicitur, *in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* sic ergo mundani putant pecuniam, Deum scilicet ipsorum, præstare illis vitam. sic Aristotelem ferunt dixisse,pecuniam animam esse mortalibus,& Antiphanes apud Stob. ait, Argentum est sanguis, & anima mortalibus, qui verò hoc non habet,aut possidet,hic cum viuis mortuus ambulat.putant ergo pecuniam dare animam,vitam, & spiritum,& motum.

Act.7.

Arist. Antiph. apud. Stob.

Deus omnia mouet. *in ipso mouemur,& sumus*: at mundani, & hunc honorem, & potentiam constituunt in Deo suo.sic Seneca in Thieste actu 3.de rege pronunciat, *Anxius sceptrum tenet, & mouentes cuncta diuitias.* (a)quod autem pecunia det esse ipsis probant illo Hora.l.1.ser.Sat.1. *Sen. in Thie. actu 3.* (a) Alij legunt: cuncta diuinat mentitq; casus.

Nil satis est, inquit; quia tanti, quantum habeas, sis.

Item nerui sunt principium motũ, & adagium vulgatum est, & vsurpatum à plurimis, pecunias neruos esse Reipub. hoc ait Lucius Florus,& Vespasianus apud Dionem Xiphilini, Cicer. pro lege Manilia. & Petronius Arbiter in Satyrico ait, quemadmodum medici negant sine neruis homines ambulare posse, ita sine pecunia nil possunt gerere. hoc igitur videtur dicere pecunia Deus mundanorum ipsis mundanis, quod Deus dixit suis: *sine me nihil potestis facere.* Item de Deo dicitur, *omnia per ipsum facta sunt*: & de pecuniâ dicunt, omnia per pecuniam facta sunt: dictumque est,pecuniæ obediunt omnia. *Horat.l.1. ser. Sat.1.* *Luc.Flor. Vesp. apud Dion. Cic. pro leg. Man. Pet. Arb. in Satyric.*

Dicit auarus Deo suo pecuniæ *Deus à quo bona cuncta procedunt.* sic Aristophanes in Pluto ait,si quid est splendidum,& pulchrum,aut gratum hominibus; per te fit ô Pecunia, &c. & subdit: Nonne res omnes per te cõficiuntur?Sic Gallicum prouerbium ait, *Argent, faict tout*, scilicet habe argentum, & omnia facies. Sicut in triremibus statim ac gubernator aliquid imperauit remigibus, omnes respondent, *fate*, hoc est, factum est, quasi ille sit Deus, qui dixit & facta sunt: sic Pecunia statim ac aliquid imperat, statim auditur, seu videtur, *Arist. in Plut.*

factum

factum est. ideo idem Aristophanes ibi subdit causam, seu rationem, cur dixerit, omnia fieri per pecuniam; nimirum quia omnia pecuniæ parêt. ergo pecunia dixit, & facta sunt.

Dei voluntati nihil resistit: ipse omnia quãuis difficilia vincit. & hoc etiam mundani tribuunt Deo suo. sic Philippo Macedoni petenti ab Oraculo, quomodo vinceret, ait: *Argenteis pugna lanceis, & omnia vinces*. quod ita ipse perfecit, vt diceretur non Philippum, sed Philippi aurum Græciam subegisse. & cum aliquando oppugnaret locum quendam difficillimum captu, & situ, vt ferebatur inaccessibili, petijt, nũ asellus auro onustus illuc posset ascendere? quod cum affirmarêt posse; ait: ergo locus noster est. & Cic. l. 1. ad Atticum ep. 15. ait, Philippum dicere solitũ, Nullum locum non expugnari posse, ad quem posset asellus auro onustus intrare. & B. Petrus Dam. l. 1. ep. vlt. ait: Vt aiunt rustici, pugillum aureũ frangit murum ferreum.

Cic. l. 1. ad Atticum ep. 15.

B. Petrus Dam. l. 1. ep. vlt.

Christus Deus noster portas æreas, & vectes ferreos cõfregit, rupit portas inferni. Sic Menander ait, *aurum omnia aperit, etiam portas inferorum*. Æneas vt intraret in infernum impunè, & omnia monstra placaret, ne nocerent sibi, vel impedirent iter; ramum aureum de syluâ illâ iussus est secum tollere (nimirum à Sybilla, vt Virgilius ait) quo ostenso huic, vel illi mõstro, vel furiæ, omnia placabat, quasi esset Deus. sic Aurum quasi Deus hominum mundi omnia placat sibi aduersantia, vt iram terribilium iudicum, quamuis illi essent furiæ infernales, & infernus ipse.

Hæc omnia accipienda ad probandã auaritiã idololatriam & quod auari nũmum faciunt numen, & Deum.

Omnia humana satietatem afferunt homini, at Deus nunquam affert satietatem ipsis hominibus, hoc est beatis. *qui edunt illum adhuc esurient, & qui illum bibunt adhuc sitient*. satietatem sumpsi pro fastidio. Sic ait Menander de Deo auari, hoc est de pecunia. Reliquarum rerum omnium est satietas; de te autem nunquàm satiatur vllus.

2. *Auarus, & alij peccatores etiam in alia vita vellent peccare.*

2. MIRVM est quod quidam referunt de Ioanne Hus, qui cum extitisset magnus bellator, & hostium persecutor, iussit moriẽs ex sua pelle tympanum fieri, quo vtentes sui in prælio contra inimicos, eos terrerent. in qua re se quasi lupum ostendit, cuius ex pelle tympanum factũ obsurdescere facit tympana ex pelle agnorum, si eodem tempore quo illa pulsantur, & ipsum pulsetur: adeo vt ipsa coram tympano lupi non audiantur, vt scribunt auctores apud Gesnerum de animalibus, tractatu de lupo. in qua re ostenditur, lupum, vt ita dicam, etiam mortuum, odium seruare contra animalia sibi inimica.

Gesn. de anim. de Tra. lupo.

His auditis, aiunt auarum quendã dixisse, Et ego de pelle mea post mortem volo fieri aliquot marsupia, vt etiam mortuus nummis replear. Ambitiosum verò dixisse, Et ego de mea statuo fieri pilam magnam, coriaceam vento inflatam. quia prærterquam quod aëre inflabor valde, etiam in altum sæpè tollar, strepitumque excitabo. Gulosum verò dixisse, Ego de pelle mea volo fieri

vtrem

vtrem ad reponendum in eo vinum, de luto autem & terra corporis volo fieri ollã, vt sic vino, & cibis sæpè replear. Inde apparet peccatores meritò pœnis perpetuis deputari, eo quod vellent, si possent, perpetuò peccare.

2. *Auidi pecuniæ, à deuoratione non cessant per derisiones, aut monita: vt nec parasiti in conuiuijs.*
3. *Auarus diues, ex insania se mendicum putabat. tales multi.*
4. *Auari argentatas deuorant pillulas amaritudinum.*

2. AVARITIA in actu exercito, vt aiunt, est quædam deuoratio rerum concupitarum, seu opum iuxta illud Iob 20. *Diuitias, quas deuorauit euomet*, &c. vnde auari sũt velut parasiti, & cõessatores, qui vbique absque rubore vllo quælibet deuorant. præcipuè similes sunt ijs, qui inuitantur & adhibentur ad conuiuia, præsertim diuitum, vt per scurrilitatem suam, & turpem ciborum ingestionem, atque contumelias, & derisiones, quas patiuntur à conuiuis, risui omnium sint. Hos autem quidam dixit debere multas habere conditiones: nimirum frontem meretricis, erubescere nescientem vultum, coloremque stabilem, & vt de risu super se facto ridere didicerint. sed super omnia vt indefessam maxillam nacti sint. Eodem modo auarus & sordidus deuorator opum, cum & ipse vbique, & ab omnibus tamquam sordibus, & turpiter ingluuiem suam pascens, irridetur; oportet, vt habeat prædictas conditiones. sicut eum depingit, qui ita eum loquentem inducit: *Populus me sibilat, at mihi plaudo Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.* quantumuis enim videant eum deuorantem; tamen, vt Itali dicimus, *Coruo carogna non lascia per vergogna*, id est, Coruus cadauer præ rubore nõ relinquit. Imò in hoc casu, auari secum loquentes vsurpant adagium illud: Canis latrat, at bos pascitur. Similitudine desumpta ab eo, quod aliquando videmus catulos oblatrantes bobus in agro pascentibus, quorum catulorum latratu (quasi non audirent) nil retardantur boues à pastu suo. eodem modo, cum Cõcionatores à Gregorio canum nomine in Scriptura dicantur significari; sæpè euenit, vt illud impleatur prouerbium, nimirum, vt quantumuis contra auarorum voracitatem latrent, tamen ipsi non desistant penitus à maxillis agitandis, sed potius rideant canes ipsos. Quid mirum autem si derideant canem, cum etiam deriserint Pastorem? Lucæ 16. Cum Iesus prædicaret contra auaritiam, dicit Euangelista: *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi* (qui erant auari) *& deridebant illum.*

Iob 20. Greg. Luc. 16.

3. Ioãnes Nider tomo primo Mallei maleficarum, libro dicto Formicario, cap. 12. de maleficis deceptionibus, dicit, se cognouisse diuitem maximum, qui obatræ bilis humorẽ verè putabat se vnum ex mendicis. ostendebant illi suam plurimam pecuniam, & tamen non deponebat errorẽ. ostendebant ei domos eius, dicentes quomodo mendicus es, nonne omnes istæ domus tuæ sunt? Nihil tamen profecerunt, sed semper dicebat,

Ioan. Nid. to. 1. mal. malef. libr. For. c. 12. cap. 12.

bat, ego mendicus sũ. & in hac stultitia mortuus est. O quot diuites inuenias auaros, qui simili laborãt stultitia? &, veluti Alexander, deflent, quando considerant plurimas in mũdo esse opes, quarum comparatione suæ minimæ sint: sicut ille fleuit, putans se mendicum; eo quod audisset dari plurimos alios mundos, cum ipse nedum vnius esset dominus. Si accedat pauper petens eleemosynam à diuite auaro, vel filius petens vestẽ, vel creditor exigens debitum; heu quot suspiria emittit! statim respõdet: Mihi crede, non possum: si scires quales expensas cogar facere, mihi compatereris: pauper sum, mendicus sum ostẽdit tibi vestem lacerã, excutit bursam, quam de industria vacuã gestat. Sed quàm sæpè præ nimia habẽdi cupiditate, vt dicebam, se verè æstimant pauperes, ita vt de ijs dici possit: *Diuites eguerunt, & esurierunt.*

Deflebat ille diues, putans se mẽdicum esse, vt dixi, propter stultitiã. ne obolum quidem expendebat. imò stultitia sua illum priuauit dominio, & fruitione bonorum, sicut solet fieri in emotæ mentis hominibus. Nõne auaritia stultitia est, cum dicatur apud Lucam illi auaro; *Stulte hac nocte repetent animã tuam à te, & hæc quæ parasti, cuius erunt?* Quid ergo differt auarus à stulto illo maniâ laborante, cum etiam ipsum stultitia sua priuauerint dominio, & fruitione suorum bonorum? nam: *tam deest auaro quod habet, quam, quod non habet*, vt est in Prouerbio. *Est quasi diues, cum nihil habeat, est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit.* Prou. 13. Prou. 13.

4. Bene dictum fuit, dæmonem auaris exhibere amarissimas pillulas, (loquendo de his, quæ patiuntur ob auaritiæ tenacitatem) sed ipsos illas deglutire, eo quod argento aliquo contectas porrigat, vt solent pharmacopolę: argento inquam alicuius lucri sperati. hæ tamen pillulæ non ad euacuãdam, sed ad sistendam aluum auaritiæ, & tenacitatis assumuntur. Ita de eis verificatur illud Ecclesiastæ 12. *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* Eccl. 12.

4. *Auarus mori mauult, quàm restituere.*
5. *Auarus vas fundo carens. hoc verò vt inutile in immunda abycitur: si vitreum sit, in fornacem. sic ille in infernum.*
6. *Innocentia, & rubor perduntur, vt acquirantur nummi.*
7. *Filius auari, prodigus illo mortuo.*

4. SCRIPTVRA vocat peccatores filios eius peccati, quo infecti sunt. vt superbos filios superbiæ, alios filios diffidẽtiæ, & cet. ergo auarus filius est auaritiæ. Sicut ergo auaritia præsertim in tenacitate cõsistit: quod semel arrepta nunquam dimittat: (auarus enim in hoc sensu *apprehendit immobiliter*) ita de quolibet scuto aureo, quod mater sua ei tradat, id ei dicit, quod Lacena illa insignis apud auctores, dixit filio suo, scutum porrigens ipsi in bellũ eunti, (alludẽdo nimirum turpitudini, quæ censebatur tunc esse in abijciendo scuto ex timore) nimirum, *Fili, aut cum hoc, aut in hoc.* mortui enim in prælio, in scutis deportabantur. Sic vult auaritia, vt filij sui animam suam venalem habeant, vt Ecclesiastici 10. Eccl. 10.

stici 10. dicitur: quod apud Iansenium etiam de vita temporali intelligitur, iuxta phrasim consuetam Scripturę, qua etiam vitam sæpè animam vocat. Sic Seneca epist. 115. citat decantatam sententiam inter auaros. nempe. *Bene moritur quisquis lucrando perit.* Mater auari ergo Auaritia, tradens scutum aliquod, scilicet aureum, auaro; nolensque eum dimittere vmquam ipsum scutum; ait illi: fili aut cum hoc, aut in hoc. hoc est, aut serua nummum hunc, aut morere.

Sen. epist. 115.

5. Statim ac aliquod vas perforatum fuerit, vel aliter inexplebile redditum; si fictile sit, vel vitreum, iam abijcitur inter immunda, & inutilia, nec cōputatur in vasis. sic inter adagia Græca apud Gruterum est hoc, *Fundo carens calix non infertur mensa.* Sed cùm auarus vas fictile sit, seu vitreum. (nam & ipse *habet thesaurum in vase fictili*) cumque inexplebile sit (quia, vt ait Poëta, *semper auarus eget. Auarus non implebitur pecunia*, vt ait Ecclesi. 5.9) ideo inutile est in mundo huiusmodi vas, & inter immūditias sepulchri procijciendum. vulgò quidem dicitur: Auarus nunquam bene facit, nisi cum moritur. Fundo carens calix non aptus est, nisi vt in fornacem ignis mittatur, vbi confracta vasa vitrea reijciuntur. in fornacem dico inferni. non est aptus, vt inferatur mensæ Dei in cœlo.

Eccl. 5.9.

In antiquis prouerbijs Gruteri est hoc, quod ab auaris videtur vsurpatum: *Laudato iustum, ceterum lucro hæreas.* nos laudationem significantes, dicimus, laudatorem, incēsū seu thuris fumum alteri exhibere: *dar incensare.* Sed sicut, qui thus ita exhibet, interea thuribulum argenteum, siue etiam æreum, (nam æs pecuniam significat apud Latinos.) thuribulum inquam manibus constrictum tenere non cessat: ita auarus quamuis aliquando, vt bonus appareat, incensum porrigat iusto; hoc est iustitiæ, laudando æquitatem (quæ vt eam definiunt Doctores, reddit vnicuiq; suum) vel iusto, hoe est iusto & pio homini, ac liberali in pauperes; tamen interea hæret manibus argētū, quasi thuribulum idq; magna arctitudine. Videt diues & mundanus monachum arctioris instituti pauperem, ac sacco indutum. ad eum conuersus, si notus illi sit, ô inquit te beatum, ô beatam paupertatem tuā! laudat paupertatem, incēsum illi exhibet: sed thuribulum arcta manu ipse tenet. non enim subit ipsum cogitatio imitandi ipsum monachum in eo instituto derelinquendi sua. Laudanda est virtus, sed ita, *vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* laudant deinde pauperem, laudant eremitam, sed nihil ei tradunt. ita accidit quod ait Poëta ille antiquus, *Probitas laudatur, & alget.*

6. Color albus, item & color rubeūs addi solent rei deaurandæ ante aurum, vt illis suppositis aurum faciliùs adhærescat: sed in adeptione auri sæpè contrariū accidit. vt enim habet versus Phædri, *semper auiditas est diues, at pauper pudor.* sæpè enim deperditur album innocentię, & rubeū verecundiæ; vt acquiratur aurum opulentiæ. ideo vt supra dixi Prouer. 28. *Qui festinat ditari, non erit innocens.* vulgò dicunt, (*a*) *Vtile, e vergogna non*

Prou. 28. (a) Vtile & pudor

capiscon in vn sacco: facit versus Euripidis, vbi auarus loquitur, *Sine me vocari pessimum, vt diues vocer. Qui festinat ditari non erit innocens.* repente ditatus torrens est, qui subitò solet augeri: vnde & fluere solet aquâ non mundâ. *Discite, quod mundâ torrens non turget ab vndâ.* Italicè, (a) *I riui, no i torrenti corron di puri argenti.*

sunt incompatibilia.

(a) Riui, non torrētes, argenteis i. e. nitidis vndis fluunt.

7. Fingit quidam visum esse filiū, qui mortuo parente diuite & auaro, statim caudam seruorum, & obsequentium post se trahebat. cum autem eo loco moris esset (vt est apud Venetos nostros) vt filij mortuo parente, vel simili consanguineo, caudata pallia post se trahant: Vestis autē dicatur Italis *la robba*; quæ vox & rem familiarem significat: mirante igitur quodam; quod filius, qui antea solus incedebat, & parcè expēdebat rem familiarē, modo ea sic malè, & prodigè insumeret, quod apud nos est (b) *strappazzar la robba*: respondit quidam, alludendo ad mortem prædictum vestiēdi in funere parentum, quid miraris si caudam trahat, (c) *e se strapazzi assai la robba poiche li è morto il padre?* Ecclesiast. 4. de auaro dicitur. *Et in bonis illius alius luxuriabitur.*

(b) Et togam per lutum trahere: quæ phrasis etiam significat. Rem familiarem perdere.

(c) Et togâ humū verrat quandoquidem pater eius obierit. Eccles. 4.

MERETRICES.

2. *Gorgones sunt in lapidem vertentes viros:*
3. *Præcipitium sunt voluntarium viris:*
4. *Item venenum scienter assumptum:*
5. *Vinum inebrians.*
6. *Oscula meretricis venenata, vt & cuiusdam, qui veneno alebatur.*
7. *Oscula bas oscula Iudæ ad lucrum.*
8. *Ægyptij feretrum ante lupanar locabant, vt mortis monitorem intranti.*

2. ISIDORVS apud Vinc. l. 1. Spec. Historialis, ca. 94. dicit Gorgones, quæ dictæ sunt, se intuentes in statuas lapideas vertisse, fuisse meretrices, ad significandum, quod per suam pulchritudinem, intuentes sine sensu, quasi lapides, reddebant: sic legitur quod *ebrietas, & fornicatio auferunt cor.* quod est reddere homines ferè sine sensu, nedū sine intellectu. nam est principium sensus & motus: & sicut ebrietas ratione somni reddit hominem sine actibus sensuum; vt lapis & mortuus videatur: ita etiam Venus id præstat, & ideo Propheta hæc duo vniuit.

Vinc. l. 1. Spec. Hist. ca. 94. Osea 4. 11. de form. mul.

3. Et Chrysostomus de forma muliebri ait: *est præcipitium patens, venenū inspicientibus præparatum.* nota verba Doctoris. sæpè enim amator scit, se, dum sectatur meretricem, præcipitaturum in multa mala: & tamen quasi coactus, viso præcipitio, & fatendo, quod tale sit, se in illud proijcit.

Chrys.

Sic Pōtanus in dialogis narrat de quodam Galeacio armigero, qui inuenit amatam suam super pontem Ticini, cū esset Papiæ; quę ait illi, Si tu me verè amares, te de ponte proijceres. quod vt audiuit, statim, vt erat sedens in equo, se præcipitem dedit. Id sæpè faciunt amantes, seu amentes. dicunt enim, scio istam meretricem esse in ruinam mihi: sed nō possum me cohibere, quin in tale baratrum me præcipitē. sic Prou. 23. dicitur, *fouea profunda est meretrix, & puteus*

Pont. in dial. Prou. 23.

puteus angustus aliena: & tamen in hanc foueam se sponte deijciunt.

Idcircò dicebat antiquus ille Poëta, & amator, qui amatam suam tamquam præcipitium suum agnoscens, non poterat ex vna parte non odisse, at ex alia parte à concupiscentia abstractus, non poterat, (vt ita dicam) non amare ob pulchritudinem. dicebat ergo: *Odi, & amo. quare id faciam fortasse requiris? Nescio, sed fieri sentio, & excrucior.*

D. Hi. 4. Adde exemplum allatum à D. Hieronymo, quod etiam habetur in adagijs Manutij, & transijt in Prouerbium. scilicet. medici interdixerant cuidam coitum cum vxore, dicendo, quod si iterum eam cognosceret perderet omnino lumen quod exiguum habebat, oculorum. at ille correptus concupiscentiâ: & aggrediens rursus vsum coniugij, dixit illa verba, quæ in adagium transiere: *Vale amicum lumen.* At cùm amor mulieris hominis excæcet; vt ideo dicatur amor cæcus: quot sunt, qui sectando mulieres dicunt, *Vale amicum lumen?* Ideo bene Chrysostomus ait, esse *venenum inspicientibus præparatum.* nam licet sciant, eam meretricem futuram sibi perniciosam, & videant oculis suis plura eâ de re exempla, immo videant se quotidie propter eam decoquere, & perire, (a) *Andar in mal'hora:* tamen non cessant haurire venenum sibi propinatum ob gulositatem vini, hoc est formæ mulieris, in qua est tale venenum. ideo sapientes dicunt formam mulieris esse lætale mulsum, & dulce venenum. Et quia quidam auctores afferunt prædictum exemplum non in fornicario, sed in homine bibaci, cui interdictum fuerat potus vini, nisi vellet omnino excæcari: & tamen ille attollens cyathum ad os, dixerit illa verba, *Vale amicum lumen.* idcircò potest & hoc modo accommodari amatoribus, bibentibus hoc venenum luxuriæ in vino sibi paratum. De hoc vino mysticè loquitur Salomon Prou. 23. 31. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius.* &c. quasi dicat, noli intueri meretricem, cum pulchra est. amor enim eius incipit ab inspectione eius formæ. addit, *cum splenduerit in vitro color eius.* cur in vitro, nisi quia, vt ait Poëta, forma bonum fragile est, est vitrea? addit, *ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* en tibi venenum. huc facit illud, *Fauus distillans labia meretricis,* &c. *extrema autem eius amara, & acuta vt gladius.*

Chrys.

(a) Pessū ire, dilabi.

Prou. 23. 31.

5. Quod autem frui meretrice sit vino ingurgitari, & inebriari; patet Prou. 7. 18. vbi ait meretrix amanti, *veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus.* Hebraicè pro vberibus, est, amoribus.

Prou. 7. 18.

Hinc Chrys. 5. aduersus Iudæos ait, Etenim qui alienæ mulieris tenetur amore; qui scortis vacat, ebrius est, & quemadmodum is, qui multum ebibit merum, seseque ingurgitauit, illiberales voces effundit, aliud pro alio videt: sic & hic veluti mero quopiam sua cupiditate repletus, neque sana profert verba, sed obscena, sed illiberalia, risusque plena. aliaque pro alijs videt, cæcutiens ad ea, quæ cernuntur. Hæc ille.

Chrys. 5.

6. Vt autem scias venenum esse tibi in tali vino præparatum, voluit Deus etiam corporale venenum ebibi à meretricis osculis, vt ex illo discamus, quale venenum bibatur ab anima. nam per sola oscula meretricis olim contrahebatur morbus Gallicus, & humor venenosus, quo paulò post miserabiliter homines etiam deperibant, nisi adiuuarētur. sic Clemens Alex. Pædag. cap. 11. de veneno animæ per oscula captato ait: *An nescitis, quod etiam phalangia si ore tangat, graues dolores hominibus afferat? oscula impudica virus immittunt.* Sic ille.

Clem Alex. Pædag. cap. 11.

Ferunt de rege in India regnante, qui veneno nutritus diu fuerat: quē si musca tetigisset, statim mortua cadebat. hic, si aliquē osculatus esset, eum venenabat, dum videretur amare. Sic *fauus distillans labia meretricis*, sed osculando te necant: nam *nouissima eius amara quasi absinthium.* sic maleficæ infantibus dicuntur adhærere; & dum oscul ri fingunt, eos inficere. Sanctus Bas. libro de vera virginitate, Oscula, inquit, cauere oportet, non secus, quam animalium venenatorum morsus. diffunditur enim virus ex osculo per omne corpus. De quadam puella legitur apud plurimos pro magno ostento, quod veneno paulatim sese assuefaciens, illo tamquam pane nutriebatur. hæc si quempiam oscularetur, cum poterat videri amare, at potius venenabat. At hodie tot puellæ veneno luxuriæ enutritę id faciunt, nec homines id mirantur, eo quod venenum infusum non statim afferat perniciem suam. *nam fauus distillās labia eius* &c. quibus scilicet labijs osculatur, at nouissima eius gladius biceps. Si non in hac vita, saltē in nouissimis, hoc est in morte, iudicio, inferno, venenum sentietur. At etiam temporaliter nocet ante mortem.

Sanctus Basil. libro de vera virg.

7. Inde Chrysost. Hom. 14. ad pop. verba prędicta Salomonis sic expendit, dicens, *meretrix amare nescit, sed insidiatur, tantum venenum habet illius osculum, & toxicum os perniciosum.* dictu, talia, oscula esse oscula Iudæ. illius enim osculum erat mercatura ad lucrandos nummos venditionis: sic oscula præbet mulier, vt lucretur à te. illius osculum erat signum, quod statim Iesus in manus Iudæorum venturus esset, *osculo filium hominis tradis?* & hæc oscula sunt signum, quod paulò post hic amator veniet in potestatem Iudæorum, scilicet ratione suæ supellectilis, quam cōgetur eis vendere, vel fieri eorum debitor, & quasi seruus ob vsuras cum eis contractas, & debita. Ait quidam Poëta.

Chrys. Homil. 14. ad pop.

Samsonem rigidis spoliauit crinibus vxor:
Hoc nostro multæ tempore sunt Dalilæ.

Spoliant crinibus, & induunt criminibus, te excipiunt expolitum, expellunt expilatum.

8. Alius ex recentioribus sic habet de meretricum damno

Feretra vendebantur apud lupanaria.

Sancta Aegyptiaci decreta tulere, feretrum.
Vt venale omne ad Veneris consisteret ædes;
Cuius ad aspectum ingrediens lasciua iuuentus
Luxuriam sponte horresceret.

Ita non solum per feretrum, id est, mor-

mortem animæ sed sæpè etiam corporis, transitur, vt ad meretricem perueniatur. Italicè dicerem, (a) *quanti per venir al letto vengon ad cataletto?* Vt irent ad pulchrum, venerunt ad sepulchrum. De aliena & meretrice Prou. 2. 18. *Inclinata est enim ad mortem domus eius; & ad inferos semita ipsius. omnes, qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* feretrum ante domum meretricis, potest etiam indicare luxuriam breuis vitæ causam esse; & meretricem, seu lectum eius, esse feretrum ferens libidinosum ad mortem. feretrum illud dicebat tacitè, *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

(a) Quot vt veniãt ad thalamum, perueniũt ad tumulum.

Prou. 2. 18.

2. *Lupanar hoc tempore fulmine ictum est.*

3. *Meretrix scopa ex herba dicta Beluedere domos verrit vacuando.*

4. *In ordine septem peccatorum capitalium exit ab auaritia, qui venit ad luxuriam. ita sua prodigit ob hoc crimen.*

5. *Meretrix totum esse suum habet à forma, abiecta sit illa perdita.*

6. *In precibus publicis quidam populi, vt augerentur scorta, orabant.*

Theat. volum. 9. lib. 3.

2. THEATRVM vitæ humanæ, volum. 9. l. 3. ait, deficiente paulatim Basileæ publico lupanari, quosdam, vt delicatiùs scortarentur, erexisse nouum, atque nobilius. Sed anno 1526. fulmẽ, inquit, turrim loco illi vicinam, ac puluere bombardico refertam, feriens, ipsam simul cum nouo lupanari deiecit. quo facto territus magistratus, non est ausus reficere prostibulum. Tanta enim iniquitas consummatur in his locis, vt more Sodomæ, ignem de cœlo super se ipsos trahant. adeo vt *veniat mors super illos*, nempe scortatores, & quasi *descendant in infernum viuentes*: incipiantque hic ignem pati; vt damnati sint, antequam damnati. si qui enim in eo lupanari erant, facilè fuerit, vt igne perierint, vel ruinâ. (b) *Tali sono quintana, ò calamita di fulmini.*

(b) Tales sunt scopus, siue etiam magnetes fulminũ.

3. Quædam herba apud nos est, quâ scopæ confici solent, quæ à pulchritudine, quam agro, vbi frondescit, præstat, siue à delectatione, quam intuentibus exhibet, dicitur vulgò (c) *beluedere.* dic ergo pulchritudinem mulieris præsertim meretricis, quæ tota est in cultu suo, vt pulchrum sui spectaculum faciat, non aliud esse, quam herbam huiusmodi. nam *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni.* Huiusmodi igitur speciositas scopa est, quæ domũ euerrit amantium omni substantiâ, quam denique intrans fornicarius, quasi dæmon. *inuenit* quidem vacantem, & *scopis mundatam*, minimè verò ornatam. sic meretrices filium prodigum expoliarunt vsque ad annulum, & calceos.

(c) Pulcher aspectus.

4. Adde, meretrices, vt aiunt communiter, dici à merendo: eò quod mercede se ipsas locent, & mereantur mercedem locati corporis. vnde sicut in ordine septem peccatorum capitalium, si numerentur; per auaritiam statim venitur ad luxuriam: sic per hoc significari videtur propter hãc auaritiã à feminis veniri ad luxuriã. Hispanicũ adagiũ est, (d) *alla casta pobrezza le haze hazer fezza.*

(d) Paupertas ex castâ facit incestam.

sed manendo in ordine præfato peccatorum septem mortalium, dic, Vt in nominibus eorum recensendis, ita in re, eum virum, qui velit transire ad luxuriam, debere exire ab auaritiâ. sic fecit filius prodigus, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus. Qui vult esse porcus (sic vocatur immundus) desinat esse parcus. suem esse huiusmodi hominem etiam Horatius dixit de illo, qui *Sub dominâ meretrice*, vt ille loquitur, *Vixisset canis immundus, & amica luto sus*. quod animal, quia tales denotabat, vetitum erat in lege. Dictum de quodam: hic valde esset vitiosus, nisi haberet magnum vitium, hoc est, auaritiam. Aiunt, (a) *vn diauol caccia l'altro*. Auaritia impedit luxuriam, & alia quædam mala.

(a) Vnus dæmon alterum pellit.

5. Meretrix est illa herba, quam dixi *pulchram visu* nuncupatam. at sicut illa viriditate, & pulchritudine citò deperdita cum paulò ante spectaculū suaue esset omnibus postea scopa effecta in abiecto illo ministerio cogitur operari, & consumi, vsq; dum absumpta fuerit. Sic mulier, quæ per breue spatium floris, & pulchritudinis suæ vixit chara in oculis omnium; paulò post per ætatem, ac etiam per corporis florem, & decorē ex luxuriâ, crebrâ decussum, valde mutata à pristina specie (præsertim accedente ignominia, & fortasse etiā ægritudine ex Venere contracta) cogitur per inopiam victum emendicare seruiēdo alienæ domui, & quasi scopa verrendo ipsam, & alia huiusmodi humilia opera exercendo. ita vt possit dicere, *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt*. Quod miseræ istæ faciunt iuuenibus (nempe consumptis eorum opibus) eos commutando in famulos, sicut filium prodigum; hoc reddit illis Deus consumptâ eorum pulchritudine quia: *quæ seminauerit homo, hæc & metet*. *Forma dat esse rei*, & dat etiam esse reæ, hoc est iniquæ meretrici. nam sine illâ potest dicere, ad nihilum redacta sum: & sine formâ perdit etiam materiam. quod est dicere perdit lucrum, amantes, & omnia.

6. Cum tam noxia mundo sit meretrix atque fornicatio; commota est Ecclesia, vt in solemnibus precibus clamet: *A spiritu fornicationis libera nos Domine*. (immo ni fallor in Quadragesimali S. Antonini) quendam Florentinæ in Ecclesia Sanctæ Liberatæ inter Litanias decātandas addidisse: *A mala muliere libera nos Domine*. quæ autem magis mala mulier, quam meretrix? vulgò etiam *mulier mala* intelligitur sæpè absque alia explicatione de impudicâ. Nihilominus fuit quorumdam tanta libido, vt Theatrum, pag. 2289. ex Athen. dicat Corinthios in solemnioribus precibus addi solitum, *vt Dij numerum meretricum augerent*. id verò factum ait auctor, ob magnum honorem, qui ibi tribuebatur meretricibus.

Thea. pag. 2289 ex Athen.

2. *Meretrix bestia multiplex est: præsertim te deuorando, lupa est, & equa, & iuuenca:*
2. *Et Siren:*
4. *Et Harpia.*

2. LIVIVS lib. 1. decade 1. ait, nutricem Romuli, & Remi meretricem

Livivs lib. 1. decade 1.

retricem fuisse, & *lupam* appellatam ob insatiabilitatem lucri, quod ab amatoribus exigebat. inde lupæ vocantur aliæ meretrices à Latinis. inde *lupanaria*, vt dicebam alibi. lupæ tam voraces, vt deuorent hominis opes, prædia, domos, famam, animā, & sæpè etiam corpus, dum mortis illius sūt causa. Sic de prodigo dicitur, quod *deuorauit substantiam suam cum meretricibus*. Vulgò etiam iuuencæ vocantur, immo Celius lib.13.c.8. illud de equis, seu potius equabus Diomedis (qui dictus est apponere hospites suos edendos ipsis equis) ita confictum refert; quia filias meretrices haberet, quæ ad se venientes ad inopiam redigebant. Meretricem ergo cùm dicis, non vnam tantum sed dicis multiplicem bestiam: & in vnâ tibi plures bestiæ alendæ sunt: plures te deuorant. sunt enim lupæ, equæ, & iuuencæ, vt diximus domusque meretricis non tantum est lupanar, sed stabulum plurium bestiarum. non mirum ergo, si homo *deuorat omnem substantiam suam cum meretricibus*.

Celius Lib.13. c. 8.

3. Sirenes (vt est apud Theatrum, pag.2316.) fuerunt tres meretrices; quæ, quia illuc transeuntes depauperabant, dictæ sunt naufragia transeuntibus facere, & homines deuorare cantu suaui antea detentos. Quarta igitur etiam bestia est meretrix: immo monstrum marinum. & tali nomine dignæ sunt, vt ostendatur, insatiabilitatem ipsorum non contentam esse hominibus terræ, nisi etiam mare nauigantes deuoret. *Deuorauit ergo omnem substantiam suam cum meretricibus*. Dum dicitur Prou.5.3. *Fauus distillans labia meretricis*, &c. Sirenes quasi describuntur, quæ post cantum deuorant.

Theat. pag.2316

Prou.5. 3.

4. Natalis Comes lib.8.cap.11. fabularum antiquarum ait, duos filios Boreæ ad Phineum venisse, & mensam eius ab Harpijs infestantibus illam liberasse, dictum ab auctoribus; quia illi abduxerunt ab ipso filias eius meretrices. en ergo etiam quinta bestia est meretrix. sunt Sirenes, & simul Harpiæ. (a) *han l'arpa in bocca, e nelle man l'harpia*. Deuorauit ergo omnem substantiam suam cum meretricibus. Igitur meretrix est bellua non solùm multorum capitum, sed multos habens vētres. Multæ bestiæ sunt in vna meretrice. Putabas te illam tantum nutriturum, at sæpè & matrem bestiæ, & catulos, & lenas, & fratrem ipsius bestiæ, qui omnes de præsepi eius aluntur: sæpè etiam tauros ipsos amatores iuuencæ, vel potius amatos à iuuenca, & riuales tuos cogeris inuitus, & nescius nutrire. Putabas iuuencā, & alere debes mandram i. e. ingentem gregem.

Nat. Comes Lib.8.ca. 11.

(a) Harpam ore gestant, manibus Harpyas.

2. *Amator meretricis femina fit, eique subditur. illa fit vir super eum.*

2. SIc Ecclesiastici 9. 2. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris.* propriè & ad litteram, vt Iansenius etiam ait, *ne illa ingrediatur*, hoc est incedat, & viuat ornata opibus tuis. *Virtus* enim sæpè facultates, & potentiam significat. quia potentia in opibus sita. etiam nos prædia vocamus *poderi*, i. e. potentias vel facultates. quid sunt terrena omnia, inquit Gregor., nisi quædam

Eccle.9 2. Emēdata Biblia vulgata habent. in virtutem sed Iansf. legit in virtute vulgatam sui temporis.

corporis indumenta? cum ergo vir det potestatem mulieri super se, ipsam virum suum constituit, & se effeminatum, immo feminam facit. nam mulieri dictum, *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*: cùm hic vir illam sui dominam faciat. vnde etiam apud nos pellices vocantur dominæ absque additamēto aliquo meretricis, vel mulieris. sicut autem vir iste induitur habitu interno mulieris amatæ, hoc est habitu animi, & mentis: quia effeminatur per affectum animi, & quia amor eum in amatam transformat: ita è contrario mulier quasi vir effecta indui vult vestibus viri, hoc est opibus. Id quasi repræsentatum ab Hercule, qui feminæ suæ veste indutus, fila ducebat: at illa pelle leonis eiusdem induta, & armis videbatur. Ne, inquit Iansenius, incedat opibus tuis ornata & armis: *& confundaris*. quænam confusio virum nubere vxori? quæ confusio Grammaticæ, Hæc vir, Hic mulier? Sed maiorem confusionem cernere quæritis? respicite ad filium prodigum absque calceis etiam porcos pascentem.

Gen. 38. Iudas dedit Genes. 38. Thamar, quam meretricem putauit, annulum, armillam, & baculum. Cum annulo & armillâ, quasi cum opibus, vir tradit *baculum*, hoc est sceptrum mulieri super se. illaque deinde ingreditur, & egreditur in virtute viri, in potentia eius, locum domini obtinet. (nam etiam hoc modo potest accipi illud, *in virtute*, vt puto) Græca apud Iansenium habet, *Non des mulieri animam tuam, vt ascendat ipsa supra vires tuas.* per vires, vt indicauimus, facultates intelligi possunt. vide ergo si domina fiat earū (cum possessio, vt Iuristæ aiunt, capiatur pedum positione; calcando nempe locum, cuius possessionem capis) an non ascendēdo super opes, & prædia tua, ostendat se dominam fieri earum. sed nec malus est sensus, vt dicatur, ne ipsa potentior te ipso fiat super te. *Ne des*, inquit, *mulieri animam tuam.* Suum paradisum vocant amatam, eiusque faciem. sic amatores Poëtæ sæpè solent. quid mirum si animam in ea collocent? Cui autem dant etiam animam, & cor, quomodo aliquid negabunt? Qui dat quod est, quomodo negabit quod habet? Qui dat se, quomodo non suam? Ne ascendat super vires tuas. *acciò non ti ponga il piè sù la gola*: ne pedem super ceruicem tibi ponat. In sensu autem priore de opibus ablatis, *ne illa incedat gloriosa indumentis tuis, & tu nudus remaneas plenus confusione, & rubore*, ita vt ex amante videaris factus Amor ipse nudus: pro pennis tamen habens pœnas. Amor fies, sed qui alijs malo tuo dissuadeas amare, & qui odio prosequaris Amorem, scilicet cum didiceris ex his, quæ passus fueris.

Amator dicit, meretrices sic vocamini quasi mei rectrices.

3. *Meretrix vt prægnans, insolita cupit.*
4. *Spina est; & spongia te exsiccans.*

3. SEQVITVR ibidem: *Ne respicias in mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos illius.* Græcè est *in mulierem meretricem*, eo quod semper multarum rerum sit cupida non videt vestis genus, non monilis, non alterius ornamenti, quin statim eius cupiditate quasi grauida fiat, semper est talium rerum prægnans, sicut num-

numquam liberorum. Vt verò prægnantes plura, ac rerum insolitarum desideria patiuntur; vulgò *voglie*; & tamen non ipsæ, sed fætus, expetitarum rerum maculas, & imagines in se recipit: ita mulier vult, & desiderat; vir autem hæc cogitur desideria pati, nempe euacuato marsupio. Vel dic illum nisi cupiditatibus eius prægnantis satisfaciat, in se maculas, & damna recipere, nempe odij, & contumeliæ; vel etiam eiectionis è domo; sicut aiunt aliqui in infante gigni ea damna, nisi mater saturetur concupitis rebus.

Plaut. in Truc. Ita Plautus in Trucul. *meretricem sentibus similem esse condecet.* Sanguinem tibi spinæ eliciunt, non ab vnâ parte, sed ab innumeris, si in illas incidas. sic illæ (a) *ti salassan da mille parti.* Spongiæ sunt, quę non vno, sed innumeris oribus semper à te petunt, & tuum exsugunt sanguinem. Hoc est esse *mulierem multiuolam*, de qua paulò ante. Non mirum si multiuola. Amor eorum, dicitur Cupido. quid mirum si cupiat? Harpia est meretrix, quid mirum si capiat? *Multiuola.* modo vestes, modo cibos, modo vult domi cātilenas, & saltationes, modo conuiuia. Exire vult? quærenda est illi lectica. nauigare? cymba. in villam secedere? locus inueniendus delitiarum. heu quot spinæ! omnia illa ex tuo eruenda sacculo. immo sacco. non enim marsupiis, sed cum talibus, plenis ludendum est arcis. Veraciter voluptates spinæ sunt in Euangelio, quæ pungunt, ac etiam sanguinem eliciunt secundum; etiam sæpè primum. tales sunt pellices per auaritiam, & per occasionem rixarū.

(a) te vexant ab omni parte.

Funiculus purpureus fenestrę Rahab meretricis appensus, salus eius fuit, & eorum, qui erant in eius domo quasi per id indicaretur mysticè, (cum verbum illud *funiculus* Hebraicè etiam filum significet, vt Gislerius ait hoc loco) salutem meretricis, & eorum, qui ad illam veniunt, à filo pendere. sic dicimus de re periculosa, quod de filo pendet. Apocal. 22. *Foris canes*, hoc est libidinosi. hi præsertim excludi dicuntur à Cælo. canes enim apud omnes, Symbolum sunt huiusmodi immūdorum. Item, vt ostendatur ingens Dei misericordia erga peccatorem, affertur exemplum scortatoris, nempe filij prodigi, quasi difficillimè hi soleant conuerti. in ea enim parabola valde misericordem se Deus ostendit sub persona patris in filium.

Scortantium salus quam periculosa. vulgò aiunt de pericolosare, pēde da vn filo.
Apoc. 22.

2. *Meretrix, & medicus impunè necant.*

3. *Illa latronum est maxima, vt mulier in ludo latrunculorum.*

4. *Meretrices se castas fingunt, vt sic attrahant.*

5. *Dolosæ sunt; omnis generis viros aucupantur.*

6. *Scortari signum reprobationis.*

7. *Scorta omnia à te tollunt vsque ad stipitem vnum.*

8. *Paulatim fiunt viris vt coniuges, & dominæ.*

9. *Fortes effeminant.*

10. *Sudores tuos exhauriunt.*

2. GENESIS 38. Thamar, meretricem se simulans, conditiones meretricum in multis exprimit rebus. Primo dicitur, *sedit in biuio*, sic ostendit publica scorta non aliud esse, quam latrones viarum. iuxta vias olim meretrices sedisse obser- *Gen. 38.*

obseruant docti, iuxta diuersoria, in quæ viatores declinantes cum illis peccarent. Huic rei fortè alluditur Prou. 23. 28. Prou.23.28 *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit interficiet.* Sicut latrones spoliant, & aliquando insuper necant: sic illæ spoliant, & insuper necant in animâ, sæpè etiam in corpore per morbos immissos, aut rixas occasione amorum excitatas. *Residuum erucæ comedit bruchus.* scortantium reliquias à meretricibus sibi relictas, micasque de mensa earum cadentes comedunt, deinde medici curantes morbos seu plagas prædictas. Hi canes excoriatos iterum excoriant, & per ignorantiam interficiunt. Duo mihi vidētur quasi publici hostes coiisse aduersus homines, vt eos publicè, & impunè occiderent, scilicet medici, & meretrices; illi corpora, istæ animas sibi assumentes ad necem. (loquimur autem de imperitis medicis.) At tam illæ, quam isti hodie deteriùs exercent latrocinium; quia in mediis vrbibus, & impunè illud exercent; cum alij latrones non ita excerceant. Lupi in syluis deuorant viros, at lupæ etiam inter domesticos parietes. Lupas diximus vocari scorta. Miseri scortatores ex lupanari non tam ob inopiam, quàm ob morbos contractos ad hospitale confugiunt, vt foueantur, & curētur. at hic sæpè inexpertos, & iuuenes (vt in more est) medicos inueniunt; qui quos meretrices vulnerarunt, ipsi interimant; quod illæ cœperant, isti compleant. ita fugientes à latronibus in alios incidunt latrones. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus*, vt est Amos 5. 19. Maneat ergo, quod expresse de meretrice loquens ait, *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit interficiet.* Amos 5. 19.

3. Milites lignei, in ludo scacchorum, *latrunculi* vocantur. at quæ mulier vocatur in eo ludo, cùm regina sit, & primaria inter latrūculos; latro magnus est. hic latro magnus insidiatur maximè parti aduersæ, vt incautos deuincat, & incogitantes repentè prosternat. vulgò dicimus, (a) *per dare scacco matto.* in hoc enim ludo plerūque ex insidijs occultis huius hostis, & inaduertentiâ vincimur nostrâ. ergo *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit interficiet.* (a) *Da scacco matto nell'anima, nella robba, nella sanità.* Hæc mulier verè est regina latrūculorū, & latro magnus ob rationes supra allatas: quia latrones alij sunt latrunculi respectu eius, atq; minimi. illa verò maior omnium latronum; quia illi nō nisi marsupia, & quæ tecum habes auferunt; at illa etiā opes omnes. illi interdum vulnerant corpus, hæc necat animam, aufert cœlū, & beatitudinem. Maiora damna facit mulier, quàm omnes latrunculi in eo ludo: sic & in casu nostro.

(a) Vt ad incitas redigat.

(a) Exitium adfert in anima, in opibus & in sanitate.

Et quos incautos viderit interficiet. Insidiatur blanditiis, & confictis erga miseros amoribus. sed esca fallaci capit pisces veros, hoc est lucra veracia. Incautos interficit. *Al matto dà scacco matto.* Interficit etiam per immoderatam libidinem, & per morbi cōtagia, vt dixi. primo tibi meretrices sūt carnales, postea carnifices. dic Italicè *se nō darai à loro il vale, esse torranno à te la valetudine.* nisi Vale eis dixeris, valere à te auferent (a) *Se l'aggiunta della buona*

(a) Si copula licicata tam

tristis est, nempe matrimonij. (a) Vide qualia erit fornicaria.

buona carne è sì trista, (*cioè del matrimonio*(nam tribulationẽ carnis habebũt huiusmodi) (*a*) *vedi qual sarà la giunta della cattiua, cioè della fornicatione.*

4. Thamar deinde *operuit vultũ suũ*, ne agnosceretur. mos multarũ pellicum in hoc ostenditur, quod cũ norint multos sibi ab ipsis cauere, quia publica, & vilia sint scorta; vt decipiant, & attrahant etiam diuites, operiunt conditionem, & prostitutionẽ propriam, simulantes se honestas mulieres, vel etiam virgines illibatas. sic vt ibidem dicitur, *Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.* fouea profunda dici potest ob cordis profunditatem, quæ sicut in profunda fouea non facilè deprehendi potest, sicut *puteus angustus*: quia vix aliquis potest penetrare vafritiem, & parum vestigabilẽ eius malitiam & fraudẽ. vnde statim subdit. *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit interficiet.* latrones etiam sæpè, ne deterreantur viatores à via sua, & nõ procedant vlteriùs, vbi sociorum cohors latitat ad prædam; simulant se milites, vel peregrinos, & ita iunguntur itinerantibus, ducuntque eos ad muscipulam. simulãt se probos, vt scorta, quæ diximus. *Operuit vultum suum.* Apud nos linteo operto vultu incedũt more virginum nostrarum. operiunt vultum fucis, laruam laruę sic superponunt.

Legitur, nõnullos venatores foueas contegere frondibus, ac stipitibus: atque ita feras deceptas operimento, intus ruere, & capi sic meretrix cum fouea sit, se contegit, vt insidietur, capiatque incautos.

5. *Sedit* Thamar vt meretrix *in biuio*; eo quòd meretrix doli, & duplicitatis plena sit: peccatrix ambulãs duabus viis, dũ simulat se deperire hũc, & deperire etiam illum: cumque singulis solos se iuret amare, & hunc, & illum, & ita omnes lucrifacit: vel potius omnia ab omnibus. Vel *in biuio sedet*; quia ambulantes per hanc, & illam viam, hoc est huius, vel illius etiam professionis homines meretrix solet attrahere. ita vt mulier, sicut generalis mater est virorum, ita & generalis carnifex, & parricida ipsorũ quoad animã. mulier vna *peruia cœli porta manet*: & multæ manent portæ peruiæ inferni. de huiusmodi ad litteram Prou. 7. 27. *Via inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.* Prou. 7. 27.

6. Prima verba huius (quæ meretricem repræsentare vult) ad accedentem ad ipsam, *Quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo?* statim super datiuo te aggreditur pellex. *Promisit hœdum de gregibus.* signum quod hœdus sis, & non ouis, si à Iuda, hoc est à concupiscentia tradaris in prædam meretrici, & fornicationi sis deditus. raro enim ab hoc vitio conualescere solent homines, & multi cum semel admissa pellice viuere vsque ad horam candelarum i. e. vitæ finẽ: Amos 5. 4. *Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum; quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Amos 5.4. Hœdus symbolum reprobi in Euangelio, significat etiam lasciuum & lasciuientem, vt Doctores docent. hunc vult meretrix. Idem ferè lasciuus, & reprobus. *pasce hædos tuos*, hoc est carnales sensus in Cant. cap. 1. vt exponunt. Cant. c. 1.

7. Postulauit deinde *arrhabonem*

donec mitteret quod pollicitus erat. Coguntur id facere aliquando meretrices, eo quod multi scrupulũ haud faciant, si eis mercedem negent, quam merentur consummatâ operâ. docti enim aiunt, dici meretrices à merendo. *Annulum, armillam, & baculum loco pignoris tradidit Iudas.* Indicari potest per hoc, concupiscentiâ eo adduci homines, vt sæpè, vt ei obsequi possint, annulos digitorum, ornamenta corporis, immo omnia, ita vt neque lignum remaneat in domo eorum; omnia inquam oppignorent, vel distrahant vsque ad stipitem, seu baculum vnum.

Dedit annulum, armillam, & baculum. cum intrat iuuenis ad scortum, sæpè annulis, aliisque ornamentis aureis ornatus apparet. cum exit, seu recedit ab ea; videbis, vt in Iuda accidit, absque annulis, absque armillis, etiam baculo eius non pepercit. Sic vide qualis intrauit prodigus filius, & qualis exiit. annulum ab illo, ac etiam calceamenta tulerunt, & aliquam etiam vestem. nam à patre data est ei stola prima, annulus, & calceamenta etiam præstita. vnde videtur supponi, fuisse his spoliatum. Nonne ergo meretrix latro in via? immo omni deterior latrone, quæ neque calceamenta relinquit viatori, neque baculum. hodie nõ solum despoliant miseros, sed plagis morbi impositis abeunt, vel ipsum eiiciunt. *abeunt semiuiuo relicto.*

8. Annulum petiit illa, quæ scortum se simulat; quia meretrix petulantiâ suâ quasi vxor in domo viri vult agere: quasi annulum desponsationis ab illo obtinuerit. & si accessit vt amica; perseuerante amicitia, ei fit tanquam vxor. vnde & baculũ regiminis ab eo aufert; quia ex amica fit super eum domina. vnde illud allatum, *non des mulieri potestatem animæ tuæ.* vel dic, baculũ posse significare sustentationem vitæ, & necessaria alimenta, quæ etiam homo carnalis impendit in scorta.

Potest etiam dici, Iudam tertio loco baculum dedisse scorto; quia amatores postquam tradiderint amatis annulos, & armillas, hoc est ornamenta aurea, & cet. tandem saturati ipsis, quas corruperunt, eis baculum tradunt, hoc est malè habent ipsas, & eiiciunt à se, vt Ammon sororem violatam.

Pagninus loco annuli dati legit, *sigillum.* in annulis enim sigilli imprimi solent. traditione autem annuli solet tradi potestas. Sic Genesis 41. *Gen. 41.* Pharao tradito annulo Iosepho præpositum fecit Ægypti. ita ergo accedens ad meretricem, tradito annulo ostendit eam fieri dominam amantium.

9. Tradidit armillam. i. e. brachij ornamentum. Donatum ab Imperatoribus ornamentum huiusmodi, dicebatur *armilla*: donatum inquam militibus, sic appellabatur ab armis. Ita ostenditur milites, & fortes viros adhærentes feminis perdere ornamenta militaria, hoc est fortitudinem consuetam, & gloriam, & effeminatos militare Veneri, & ignauię, non autem amplius vacare honestæ militiæ: arma templi parietibus appendere, vt dici solet.

10. Pro armilla, Chaldæa habet, *suda-*

ſudarium. ſic vocatur à ſudoribus, qui in eo colliguntur. dic, verè ſudores ſuos virum tradere meretrici, & id per hoc ſignificatum. nec linteum tibi relinquit metretrix, quo poſſis lacrymas extergere. quas effundes velut filius prodigus, cum ab illa eiectus miſerum te conſpicies, & pauperem.

Thea vit. h. vol. 5. lib 3. Theatrum vitæ humanæ, vol. 5. li. 3. narrat, Ioanni Menardo medico celeberrimo prædictum, quod in fouea periturus eſſet. ille (vt addit hiſtoricus) omnes cauebat foueas. at vxore ductâ in ſenectute ſua obiit; dictumque eſt de illo, vxorem ei fuiſſe foueam. Quantò magis meretrix amatori ſæpè eſt talis? nam fouea *Prou. 23.* profunda eſt meretrix; vt eſt Prou. 23. Pulchrum, nempe mulierum ſæpè multis eſt ſepulchrum. à multis etiam cum h. ſcribitur.

41.

2. *Pellex morte peior.*
3. *Etiam diabolo.*
4. *Eſt ſagena ex omni genere piſcium congregans.*
5. *Et laqueus ſingularis dæmonum omnium ad omnes capiendos.*

Eccleſ. 7. 2. ECCLESIASTES 7. dicit, *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius; vincula ſunt manus illius.* quia mors animam auellit à corpore, mulier autem hæc cor ab anima, & animam à Deo; ideo amarior eſt morte. *Laqueus venatorum, & ſagena.* laqueus venatorum pertinet propriè ad capturam terreſtrium animalium, ſagena ad capturam aquatilium. meretrix autem eſt vtrumque, quia captat, amatores per mare per terras.

Sagena cor eius. ſagena eſt omnium amantium: quia dicit omnibus, quod eos in corde ſuo gerat, & in viſceribus claudat: cum reuerà complectatur eos vt ſagena, hoc eſt veluti piſces in retis ſinu, hoc eſt in aſtutia, atque inſidijs illecebrarum, & mendaciorum ſuorum: quibus tot congregat amatores, quibus ſeipſam tanquam piſcibus impinguet; quos igni tradat, & coquat, igne inquam amoris ſui, vt deinde ſuauiùs edat (vulgò aiunt, (a) *Egli è cotto.* hoc eſt, actum eſt de illo, iam in prædam traditus eſt) vel vt tradat igni inferni. *(a) Coctus eſt.*

3. Talis mulier diabolo nequior. ille enim ait, *circuiui terram*; at hæc vt capiat animas circuit mare, & aridam. eſt enim, vt indicaui, laqueus terreſtribus, ſagena maritimis. Maritimi viri ſunt ſpecialiter Venerei. nam ſalſugo Veneris incitamentum. vnde Venus orta mari dicitur. ſic plus capit ſagena, quàm laqueus. Vel dic melius, per piſces molles, intelligi luxurioſos, qui natant in aquis voluptatum, & molles ſunt, & effeminati. piſces enim quia excremento abundant, valde generationi ſeruiũt, & plurimos fœtus generant. vnde ſunt carnalium ſymbolum. inde etiam Venus orta dicitur mari. Ad hos ergo capiendos cor meretricis ſagena eſt, plurimos congregans. at in eos, qui non in aqua rerum fluxarum & inſtabilium, ſiue voluptatum verſantur; ſed in ſoliditate rerum, & ſtudiorum grauium, quaſi in terra agunt; eſt veluti laqueus, raros enim

ex

ex his capit. multos capit molliter viuētes in delitiis: raros autē inopiæ, aut pœnitētiæ aſperitate maceratos.

4. Mundus vniuerſus ratione hominum, ſimilis eſt ſagenæ ex omni genere piſcium congreganti. Sagena eſt mulier huiuſmodi: eo quod vellet mundum vniuerſum ad ſuam congregare luxuriam & lucrum, & bonos ſimul & malos. nam de ſimili muliere Eccleſiaſtici 26. dicitur, quod

Eccleſ. 26. *ab omni aquâ proximâ bibet, & ad omnem ſagittam aperiet pharetram.* Laqueus eſt venatorum dæmonum, & ſagena. conuiuium lautum parat dæmoni ex carnibus, vt ita dicam, & piſcibus, nempe ex his, qui, vt dixi, ſuper ſolida ambulant, ac ex his, qui ſuper fluxa, & vana. illos laqueo, vt dixi, hos ſagenâ capit.

Laqueus eſt venatorum, deinde ſagena: quia ab initio mulier, cum incipit proſtitui, paucos, vel vnum aliquem capit, vni ſe proſtituit. at deinde innumeris expoſita & publicum ſcortum, ſagena fit ex omni genere piſcium congregans, ex omni ſtatu, & conditione, coniugatorum, & ſolutorum à coniugio, clericorum & laicorum, & cet. Vel dic, quod laqueus eſt, quoad capiendi actum; ſed ſagena cor eius quoad capiendi deſiderium. Si anguſtiantur in ea vaſa carnis, dilatantur ſpatia peſſimæ charitatis (ſi ita loqui liceat) vel potius nefarij amoris.

Laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius. quia ſufficit dæmonibus ipſam ſemel effeciſſe laqueum ſuum ad capiendum aliquem, cui ſemel ſe proſtituat, & in quo ſemel pudorem exuat; ita vt frons meretricis facta ſit ei, nā poſteà ipſa ſibi diabolus efficitur, & abſque diaboli tentatione aliâ cor ſuum ſagena fit concupiſcendo plures, immo totum mundum. quia etiam (vt dicere ſolemus) mundum libidinis & auaritiæ in ſe retinet: quaſi illum mundum concupiſcentiæ nonniſi alter mundus extinguere, vel potius refrigerare poſſit. Vulgò meretrix dicitur (a) *donna di mondo, donna publica.* illam enim totus mundus poſſidet, illaque totum mundum.

(a) Mulier mūdana, mulier publica.

Sagena cor eius. Dici etiam poteſt non tam pulchritudinem eius & gratiam, quàm cor, hoc eſt aſtutias & muſcipulas mentis ſiue ingenij, fictaſque blanditias & mellita verba eſſe rete, quo capit multitudinem piſcium. Sæpè enim meretrix haud ſpecioſa, haud floridæ ætatis, viros abſtrahit his artibus ab vxoribus perpulchris. Sagena miſſa in mare ex omni genere piſcium congregans eſt regnum cælorum, hoc eſt Eccleſia. dæmon æmulator Dei, ſed peruersâ ratione, voluit vt & regnum inferni, ſynagogaque ſua eſſet ſagena talis ex omni genere piſcium congregans.

4. *Laqueus venatorum* eſt meretrix. ſi tot venatores ſunt dæmones, ſi tot laqueos tendunt, & ad diuerſa crimina inducere parant homines; quomodo mulier dicitur laqueus venatorum in communi, & non venatoris vnius; nempe illius dæmonis, qui ſe dixit eſſe ſpiritum fornicationis, ſed dicitur laqueus omniū? Reſpondendum eſt mulierem (ſi omnes alij laquei deficiāt) ſufficere poſſet dæmonibus omnibus, vt per eam ad omnia

mala

mala trahant animas. quid enim mali non agat homo ob amorem mulieris? *Quid non mortalia pectora cogis sauus amor?* Per mulierem ab initio dæmon mortales omnes spoliauit Dei donis. illa ergo etiam laqueus venatorum optimus iam tunc fuit; & miraris, si etiamnum tali libenter vtantur laqueo? Laqueus venatorum est illa etiam per excellentiam: sicut licet multi Philosophi sint, tamen Aristoteles vocatur absolutè Philosophus.

2 *Miraculo simile est, semel firme adhærentem mulieri ab eâ separari.*
3. *Dæmon per feminas piscatur, vt Christus per viros.*

2. LAQVEVS *venatorum est, & sagena cor eius.* Cur laqueus, cur sagena? quia illa non solum capit, sed retinet captos, vt laqueus & sagena solent. quia, vt mirabile & insolitum est, auem laqueo semel perfectè captam, piscē reti solido benè conclusum, inde erui: ita mirabile est, & quasi miraculū, semel validè captum laqueo mulieris ab eo erui. hic potest iure canere, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis;* si inde euasit.

Opus præcipuum potentiæ Saluatoris est, eruere pisces ex hac sagena. Notum est versatis in recentioribus historijs de piscibus, piscem quendam inueniri cognomento *Saluator*; eo quòd captus cum ceteris, omnes liberet: siue reti confracto; siue per occultam proprietatem debilitatis manibus piscatoris, ita vt nequeat rete constringere; siue aliâ ratione. Verè in hoc figuratur Saluator noster suâ peculiari potentiâ, & gratiâ eruens captos de sagena hac, de laqueo hoc. vt possit cantare quod supra.

Laqueus venatorum est, &c. non solet erui passer de laqueo, nisi fortè dirumpatur laqueus. sic cum mulier illa laqueus sit, non facilè solet vir liberari ab illa, nisi illa moriatur, quod est dirumpi laqueum. non solet liberari nisi illa dirumpatur, vel eius laqueus. ita vt dicat Psal. 123. *Psal. 123.* *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Addat etiam *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram.* hoc est, adiutorium, quo sic liberatus sum, fuit potentissimum, vt quod omnipotentis creatoris fuerit. Agnosce ergo vim & tenacitatem huius laquei siue peccati.

3 Vniuersi homines pisces sunt, ideoque capiuntur. Hab. 1 *Facies homines quasi pisces maris. Faciam vos fieri piscatores hominum.* *Hab. 1.* Dæmon Deum æmulatur. ille voluit homines piscari per viros, iste vult piscari eos per feminas. ille vt pisces deferat in cœlū iste vt coquendos deferat in infernū.

Sagena cor eius. de obstinatione vsque ad mortem, in hoc peccato exponi potest, quod tunc tantum piscis à sagenâ eruatur, cùm igni tradendus est paulò post, vt coquatur. Sic separatur homo à femina, cum per mortem prope est, vt igni inferni tradatur. 1. Cor. 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. erunt, inquit, duo in carne vna.* *1. Cor. 6.* Vulgò etiam dicimus de duobus inuicem amore valde coniunctis, sunt anima & cor-

corpus. Sicut ergo nō diuiditur ſpiritus à carne, niſi per mortē: ita ſæpè contingit, vt vir & amata eius, ille ſpiritus, hæc caro, non diuidantur niſi per mortem. & ſi agatur de ijs ſeparandis, videntur præ dolore non poſſe viuere vlteriùs.

Laqueus venatorum eſt, capit, & retinet, ne ſe qui captus eſt expedire queat ab illa. ſic quidam ait, meretrices dici, quaſi meras tricas meræ tricæ ſunt, homines (vt ita dicam) intricantes, ne ſe extricare ſciant ab eis. Ideo Plautus in Trucul. ait, ipſas eſſe vepres. vnde te retinent, etiam per veſtem trahentes, vt mulier Ioſephum. Amor vanus iaculis ſuis transfigit, & configit amantem cum amata, vnit eos his ſagittis. vnde ſine dolore ſeparari non poſſunt.

Plaut. in Truc.

Laqueus venatorum eſt, hoc eſt laqueus communis omnibus dæmonibus inſeruiens ad peculiares ipſorum venationes cuiuſlibet generis ſint. Non ſufficit meretrici eſſe communem omnibus hominibus, niſi etiam ſit talis omnibus dæmonibus abutentibus eius opera. Omnia ferè, quæ poteſt luſor latrunculorum per hunc, vel illum latrunculum, poteſt & multò meliùs per latrunculum, qui dicitur mulier. ita dæmon noſcens quàm optimus latrunculus ſit iſte, ab initio mundi cœpit illo ludere; & ideo vicit, & vincet. (a) *Diede, è darà tanti ſcacchi matti.* Omnia enim quæ poteſt per alia media, poteſt multò magis per mulierem. Per mulierem ſpiritus ſeu dæmon fornicationis vincit plurimos: ſpiritus homicidij vincit Dauidem: ſpiritus impietatis vincit Salomonem, vt idola coleret.

(a) Adegit, & adiget multos ad iucitas.

2. *Exemplū miru probatur confuſio viri, qui ſe mulieri ſubdit.*
3. *Scortantium opes quomodo prodigantur à ſcortis.*
4. *Alexander regnum dedit ſcorto. Chriſtianus ob id. regnum cœli perdit*

2. RVRSVS memento loci allati Eccleſiaſtici capite 9. num. 2. *Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ*, & cet. *ne confundaris.* Garzonius in Platea ſua ait, præter id quod communiter fertur de Hercule ſeruiente mulieri amatæ, de quo ſuprà: Legatos ad illum venientes inueniſſe eum in gremio mulieris ſuæ ſedentem, & eius calceum ſuper caput habentem, illam verò ipſius Herculis coronam geſtantem circa tempora. hoc eſt quod Græca lectio illius loci clarius explicat: *non des mulieri animam tuam, vt aſcendat ipſa ſupra vires tuas, & confundaris.* vt ſe oſtenderet dominam Herculis, quaſi calceo ſuo aſcenderat ſuper caput eius. *impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* at deterius eſt, impoſuiſti feminas, impoſuiſti iuuencas. calceus erat illi pro corona. hoc eſt illud, *ne confundaris.* nonne fuit illa confuſio tanto viro? nonne confuſio fuit Samſoni dediſſe poteſtatē mulieri ſuper ſe? (a) *Italicè dicamus, Egli legato più volte da lei fu legato à tutti, cioè noncio che ſempre auiſarà che non ſi diamo in poter di donna, ſe non vogliam reſtar confuſi.*

Eccl. c. 9. num. 2.
Garz. in plat.
Tabula habetur iſta de Hercule, tamen per eam ſignificarunt viros etiam magnos ad huiuſmodi abiectiones trahi à mulieribus.
(a) Samſon multimodis à muliere ligatus, Legatus fuit ad omnes vt moneret ſingulos ne ſe darent in poteſtatem feminæ, ni ſi vellent confundi.

Ibidem Garzonius ait, Themiſtoclem illum celebrem Athenienſem adeo cuiuſdam feminæ amore arſiſſe,

arsisse, vt cùm illa valetudinis gratiá corpus per pharmaca & sanguinis missionem purgaret, ipse quoque pariter suum purgaret corpus; & sanguine qui ab ea effluxerat, quasi aquâ rosaceâ faciem suam asspergeret. An non hæc confusio magna & ingens dedecus? Ne ergo des mulieri animam tuam, ne confundaris.

Athenæus lib. 12. cap. 22. 3. Atheneus lib. 12. cap. 22. scribit Phrynem meretricem corporis quęstu tantas opes collegisse, vt spoponderit se muros Thebarum ædificaturam, si facultas ei fieret inscribendi in illis, *Alexander diruit, Phrines meretrix reparauit*. quid mirum si hæc lapides tam copiosos haberet, vt ciuitatem posset magnam muris circumdare, cum tot domos miserorum amantium diruerit? Vide quo abeant malè parta, turpiter inquam acquisita. tátum enim thesaurum vt quatuor verba obtineret, voluit impédere: ita vt singuli caracteres plurium familiarum facultatibus illi cõstitissent. Videte miseri scortatores quo eant sudores vestri & labores tãtoque studio paratas opes sanguiné, & vitam, ac honorem liberorum vestrorum, vxorũ, & familiæ quomodo meretrix vna, vel altera per ludũ & animi gratiâ dilapidet: procorum, vel potius porcorũ gregi edenda in cõuiuijs apponat; aut in alias vanitates dispergat. *Prou 6.* Prouerbiorum. capit. 5 suadens recedendum à muliere aliena, hanc quam tulimus rationem affert: *Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena.*

4. Sed non tam voracitas luparum huiusmodi quàm furor nedum prodigalitas id facit scortantium. Iustinus Historicus narrat Alexandrum *Iust. Hist.* Magnum à regina Cleophi ablatum regnum illi deinde reddidisse in pretium prostitutæ sibi pudicitiæ. quis tantam non miretur profusionem *Prouerb. 6.* Regnum in pretiũ scorti; cùm Prouerb. 6. dicatur, *Pretium scorti vix est vnius panis*. sed heu monstra maiora quotidie videmus. non cogitandum quantum, sed ex quanto. longè maius sæpè est a ciue traditũ meretrici marsupium, quàm ab Alxandro regnum. plurima regna Alexandro supererãt; plura prope erat vt lucraretur at pete ab hoc & illo, qui etiam vnicum pecuniæ sacculũ in scortum effudit, vel deuorauit cum prodigo omnem substantiam suam cum meretricibus quot sacculi, quę alia substantia sibi supersit? parum est hoc; prodigunt animã ipsam, prodigunt regnũ cæleste vt semel ad vile scortum accedant. *Pretium scorti vix est vnius panis mulier autem viri pretiosam animam capit*. *Prou. 6.* aufert illa à te animam, aufert regnum cælorum pro re vilissima: & derides Alexandrum regnum vnum ex multis terrenis pro re huiusmodi profundentem? Rides eum, qui regnum reginæ tradidit, & non defles te, qui tradis vili mancipio? Sed quid dico tradis cæli regnum in pretium scorti, cum præter exhibitum pretium deinde cælum ipsum, & animam gratis velut additamentum tribuas? gratis, & pro nihilo cælum tradis. verè *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*. rides ergo Alexandrum dantem regnum in pretium reginæ, & non rides dantem in supererogationem scorto?

2. *Ditans scortum, ab eo deinde abijcitur factus inops.*
3. *Scortatio potißima causa damnationis.*
4. *Meretrix in fine se solam non amantes ligasse; & decepisse inueniet.*

2. NON *des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris.* aut iuxta Græcam, *ne ascendat, super vires tuas, & confundaris.* Verbum hoc *Donna*, Italicè significat mulierem, & simul etiam dominam, quam & vocant *Madonna.* Si ergo vxorem ducis, multò magis si meretrici iungeris, tunc fac, quæ Italicè dicam (alludendo ad prædicta,) (a) *Pigliar bisogna donna per femina, è non pigliar femina per donna, ò vero non far di donna madonna, se non vuoi che di messere ti faccia fere.* hoc est dicere, ne ascendat super vires tuas, ne confundaris. Vide commutationem dignam, dat illi potestatem animæ, ut illa det sibi potestatem corporis.

(a) Cape Dominam pro muliere, non mulierem pro Domina. vel Non facias ex mueliere dominam si non vis vt te faciat ex domino seruum

Ingressus est ericius in cauernam serpentis. sed quia angusta erat, Heu, inquit serpens, compungor à te. at ericius: Qui hic manere non valet, abeat. Sic si mulier, si meretrix subintret in virtutem tuam, hoc est quasi domina effecta domûs tuæ, & opum tuarum in possessionem earum ingrediatur: (nam diximus per fortitudinem litteraliter intelligi opes, in quibus sita videtur hominis potentia) tunc inquam quia angustum est stratum, & duos capere non potest, te expellit à se quasi Dalila Samsonē crinibus fortitudinis spoliatum, qui crines repræsentant opes, quia superfluitas quædam sunt. Sic August. per crines pedes Christi tergentes, exponit mysticè superflua erogata pauperibus. Ita ergo tu confunderis eiectus ab illâ, inops iam effectus. Initio amasia in fine apparet pellex, quasi pellens iam expilatos.

Illa faciet, quod diues agit cum paupere, ad quem Ecclesiasticus 13. 5. *Si largitus fueris assumet te; & si non habueris, derelinquet te. si habes conuiuet tecum, & euacuabit te.* & in fine addit, *& in nouissimo deridebit te, & postea videns derelinquet te, & caput suum mouebit ad te.* acceptus illi eris, dum illa à te erit accipiens. (b) *Per il tuo dono sara tua donna*, quasi malum Medicum, seu malum aureum, donec succum inde exprimat, non dimittet. dimittet autem cum succum vniuersum expresserit, abijciet inter immunda, nempe quasi rem abiectam, & reprobam. Si largitus fueris, assumet te. assumet te, donec sumet à te. Faciunt meretrices quod petentes mutuum, Ecclesiastici 29. *donec accipiant, osculantur manus dantis.* osculantur manus, osculantur munus. osculantur manus: immo & faciem. At quando instar Monachi cogeris profiteri paupertatem; cogit te & profiteri castitatem, sicut antea præstitisti obedientiam. nam, vt diximus, dant potestatem mulieri animæ suæ. en ergo in fine confusio ei, qui dat animam pellici.

(b) Per donum tuum euadet tua domina.

Eccl. 29.

Non des potestatem mulieri animæ tuæ.

tua. Græca quod sequitur habet, *vt ascendat ipsa supra vires tuas.* meretrix ergo est ascendens, immo est transcendens. luxuria enim eius, & auaritia non sistit in vno prædicamento, hoc est in vno virorum genere, neque in facultatibus vnius; sed per omnes vagatur, ac per facultates omnium: quia ab omnibus accipit, omnes spoliat. Loquendo iuxta Astrologos dicet aliquis, ascendens meretricis est *Sagittarius*, nempe Amor, cuius telis hæ pellices viros in sui cõcupiscentiam pelliciunt. Eius ascendens est *Canis*, nempe luxuria. his enim duobus adipiscuntur opes, vnde ascendunt in famam, & opulentiam, vel in possessionem rerum alienarum. Transcendens est luxuria pellicis. vnde supra vidimus, quod *de omni aqua proxima bibet, & ad omnem sagittam aperiet pharetram.* Ascendit hæc mulier, sed supra vires tuas. opes tuæ fiunt ei scabellum pedum. plumæ, quas euellit à te, fiunt eius alæ quibus euolat in sublime: cum tu ex alto decidas velut auis deplumata; vnde confundaris: vnde illa derideat te, & moueat super te caput suum.

3. Nihil est quod magis detrudat animas in tartara, quàm pellices, & fornicatio. Iure *lupæ* vocantur à Latinis, vt diximus. quid enim magis destruit gregem quàm lupi? quid gregem Dei magis quàm lupæ? nonne iusti oues? at quid destruit oues, seu magis persequitur quàm lupi, & lupæ? Canes dicuntur Concionatores à doctoribus nonnullis, in illo loco de canibus lingentibus vlcera Lazari. contra has lupas maximè illis est latrandum. At non solum in lupas, sed & in canes, nempe impudicos debent latrare. *foris canes, & venefici, & impudici.* vt est Apoc.22. hoc *Apoc.22.* est non intrent in cœlum.

A bellis excluduntur pueri, excluduntur feminæ. at in vitâ, quæ *militia est super terrã*, neruus militiæ mundi est vnus puer, & vna femina, Amor scilicet, & Venus, seu Amor, & quæuis femina. His omnia vincet Dæmon. *Omnia vincit Amor: Satan omnes vincit amore.* Amor iuxta Ethnicos est Deorum maximus, & minimus: scilicet illud potentiâ, hoc staturâ.

4. Ecclesiastes 7. de muliere ait, *Ecclesiastes 7.* *Vincula sũt manus eius.* Hebraicè apud Lorinum hoc loco, *Vincti sunt manus eius.* illi, qui ligati sunt ab illâ vinculis amoris sunt velut eius manus. nempe non minus illi obtemperantes ad hoc, vel illud agendum, ac si manus ipsius essent. *Vincti eius sunt, quos illa capit cum sit laqueus venatorum, & sagena.* Vide quàm promptæ manus tuæ ad omnia, quæ cupis bona, & mala, quæ nec vocem, aut nutum tuum expectant. nonne manus amatæ erat Hercules, cum iubente illâ stamina duceret? volente, vt feminili indueretur habitu, eo induebatur? Alia voluit Alexandrum incendere Persepolim, & incendit. alia, Salomonem ædificare templum idolis, & ædificauit. alia Herodem necare Ioannem, & necauit. *Vincti* ergo *sunt manus eius.* iubet illũ interimere procum alium, interimit. poscit ab alio vt monile vxoris suæ sibi tradat, tradit. dicit huic vade, & vadit, veni, & venit; seruo suo fac hoc, & facit. qui ergo adhæret meretrici vna caro fit cum

ea, vnum corpus. fit enim manus eius atque etiã manus, ut dicimus, dextera.

Alio modo, *vincti sunt manus eius*, hoc est, cùm multos ceperit & deceperit eo quòd, est laqueus, & sagena; tamen in fine seipsam, captam & manibus ligatam inueniet: cùm ligatis manibus, & pedibus mittetur in tenebras exteriores. Huc facit quod alij supra legunt, *vinctæ sunt manus eius*. congruit hoc cum narratione illa de vsurario, qui calculos in vrnam miserat iuxta numerũ eorum hominum. quibus mutuum dederat, seu quos deceperat: qui in fine vnum tantum inuenit calculum, vt disceret se vnum tantum decepisse, seu læsisse, nempe se ipsum.

2. *Pellex in puncto mortis scortatori amarior morte.*

3. *Fugere mulierem, & non peccare cum ea idem*

Eccles. 7. 2. INVENI *amariorem morte mulierem*. quia positus in mortis articulo cum fueris, magis amarum tibi erit impudicè vixisse cum scorto illo, quàm ipsamet imminens mors: quæ non fit amara nisi peccatoribus ob timorem ex peccatis cõceptum. nam *mors peccatorum pessima* Illa mulier olim tã dilecta, amarior tibi erit morte: erit gladius cor pertransiens. Crede hoc Deo. Prou. 5 *Fauus distillans labia meretricis. at nouissima eius amara quasi absinthyum, & acuta quasi gladius biceps.* Prou. 5.

3. Additur de eadem muliere ibi, *Qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa.* Cur non ait liber erit, seu euadet ab illa? quia fugiendo ab illâ, se incolumen reddit. qui autẽ peccator est, eo quod amet periculũ, peribit in illo. Vide stultitiam. Vulgò aiunt, tibias, seu pedes habeat, qui cerebro caret. *Chi non ha ceruello, ò chi non ha core habbia gambe.* cum autem peccator fatuus sit iuxta illud, *stultorum infinitus est numerus*; & iustus sit sapiens; tamen hic crura habet, hoc est fugit, non autem ille. Quis magis à foueis abesse debet quàm cæcus; & tamen peccator, cum cæcus sit (nam vt cæci ambulant, qui à Domino peccauerunt) haud fugit à fouearũ periculo. nam fouea profunda est meretrix. Opponit Salomon quasi cõtraria, effugere mulierẽ, & capi ab ea: eo quod nõ fugere eã, sit capi ab illa: & capi ab illâ, sit non effugere, & nõ fugere ipsam.

4. *Pellex tumulus, plus morte, corpori etiam nocens.*

4. AMARIOR morte est mulier impudica, sit fouea. at fouea, seu tumulus magis sæuit in corpus hominis, quàm mors: nã carnes eius consumit, & deuorat, immo & ossa ipsa corrodit. ante hæc autẽ fœtere facit cunctis ipsum corpus. sic Prou. 5. 8. *Longè fac ab ea viam tuam*, & cet. & rationem reddit post alias, *ne gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum.* consumit impudica nimiâ ex Venere corpus nunc verò etiam tabe, & morbo ossibus non parcente id facit, fœtoremque infamiæ ac mali exempli reddit hæc fouea libidinoso. ergo mulier hæc, cum fouea sit, nocentior morte; est eâdem amarior. Prou. 5. 8.

2. Me-

2. *Meretrix dæmonis satelles.*
3. *Merces morborum emit, & rursus vendit.*

2. ADDITVR loco citato Ecclesiastis 7. de eadem muliere, *Vincula sunt manus illius.* non dixit habent, sed *sunt.* Vide quantus diaboli satelles ad capiendos homines, vt siue edat, siue bibat, siue dormiat, siue etiam mortua sit, & sepulta, semper tamen vincula ad prædam prædictam ostendat, & secum habeat. Cetera satellitum vincula etiam ferrea, nisi circum circa vinciant hominem, ipsum non colligant. at vincula hæc, si vel tetigerint solum etiam fortissimos, iam illigarunt, immo aliquando solummodo de proximo inspecta id efficiunt. Vide quàm ferus satelles, qui cum vinculis etiam natus est, & vincula de ventre matris detulit. Vide quanta stultitia immiscere se his satellitibus, cum reum te agnoscas, & eos tibi scias insidiari ita dicitur ibidem, *Qui peccator est, capietur ab eâ* & de hoc genere Satellitum dictum, quod sicut latro insidiatur in via.

Ecclesiast. 7.

3. Ab Indis nostri asportarunt gēmas, & aurum. at ab ijsdem etiam, vt auctores docent, morbum Venereum detulerunt. Ita impudicæ (initio præsertim prostitutionis suæ) aurum, & gemmas, vestesque lucrantur à viris, at ab ijsdem etiam lucrantur contagiosam illam mercem, quā postea alijs ipsæ diuendant. & sicut opes Naaman, ita & lepra eius adhæret illis.

ALEA.

1. *In religiosis quam nefaria.*
2. *Plebeij aut aleâ, aut crapulâ absumunt nummos.*
3. *Totum studium, & doctrina aleatorum in chartis.*
4. *Charta eis pereunte, & aduersante, blasphemant.*
5. *Opes in chartis sitæ sunt duplicis generis. ideo fragiles.*

1. PETRVS Dam. lib. 1. epist. 10. Episcopo Florētino præter seueram reprehēsionē, eo quod tantum latrunculis luserat. pœnitentiam iniunxit, vt eleemosynā duodecim pauperibus impertiret, & eis pedes lauaret, & ter totū psalterium recitaret, quod ille humiliter adimpleuit. vide quid facturus erat in ludentem aleâ?

Dam. lib. 1. epist. 10.

2. Rogatus quispiam, quid ageret quidam plebeius de nummis suis; respondit, Quod felis de captis muribus; aut ludit, aut deuorat.

3. Quia multi quātò rudiores sunt in omni doctrina, vel artibus honestis, tanto peritiores, & studiosiores sūt in chartis aleæ; ideo de his chartis dici potest quo ad huius farinæ homines; Si charta cadit iam tota scientia vadit.

Vel quia statim ac iuuenes sese tradunt ludo huiusmodi, solent terga vertere studijs prioribus litterarum, earumque penitus obliuisci. ideo & in alio sensu illud adagium verificatur; nimirum, si charta cadit (hoc est, si hæc alea iacitur, si ludere cæperunt) tota scientia vadit.

Ludus litterarum vocatur schola, ac dici etiam potest *ludus chartarum* propter libros. ergo relinquunt ludum, propter ludum, chartas propter chartas; libros, vt vocant, ligatos, propter libros solutos, immo dissolutos.

Iuuen sat. 1. 4. Cadere chartam potes dicere in alea, sicut Iuuen. satyra prima vocat aleæ ludum, casum tabulæ. ait enim, *neque enim loculis comitantibus itur ad casum tabulæ; plenâ sed luditur arcâ* & quia sæpè in alea aleatores pessimi fiunt ratione blasphemiarum, & aliorum peccatorum, quæ consequi solent hoc vitium, præcipuè cum indignabundi in Deum, & Sanctos excitantur, vbi aliqua charta ipsis perit, vnde lucrari sperabant; ideo non solum si cadit, tota scientia vadit, sed etiam si charta cadit, tota conscientia vadit.

5. Vilitas & inconstantia opum humanarum ex hoc inter alia cognoscitur, quòd consistere soleant in chartis, vt testamentorum, vel chirographorum, adeo vt amissio vnius chartæ sæpè secum ferat amissionem possessionis per eam acquisitæ. Videmus & mercatores ditiores plerumque plura habere in credito siue libris rationum & consequenter in chartis: eosdemque mercatores negotiari per scripturas, & litteras cambij, & recambij; adeoquè eos ferè omnia habere in chartis, & hanc mutuam litterarum transmissionem inter ipsos esse velut ludum chartarum. Cum igitur ex hoc colligatur, vt dixi, vilitas, & inconstantia, ac periculum opum humanarum, quæ sunt diuitiæ papiraceæ; quia in chartis sunt: ideo non solum dici potest: *Si charta cadit tota scientia vadit*; sed si charta cadit, tota substantia vadit, hoc est omnes opes, quæ substantia vocantur, pereunt pereuntibus chartis diuitum, siue mercatorum.

Verùm tamen quasi non videantur satis insanire homines, dum ponunt opes suas in re tam fragili, vt sunt chartæ scripturarum; cum possent eas collocare in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit: dum tales opes exponunt iterum alijs chartis, nempe aleæ, per hoc dupliciter se insanire ostendunt. Si antea erant stulti, modo archistulti sunt. si erant stulti vt dicitur, in vno solario, modo sunt in duobus. & cum aliquando (vt notat Iuuenalis supra) homines vna vice exponant aleæ vniuersos nummos, quos habent, adeo vt si charta illis pereat, hoc est infeliciter cadat, seu iactetur, tota summa nummorum perdatur; loquendo conformiter huic Poëtæ, qui vocat *casum tabulæ* aleam sui tẽporis, dicere possumus si charta cadit tota pecunia vadit, hoc est, si luditur chartis, vel potius si charta vna perit, perit vniuersa pecunia.

1. *Principes aleæ dediti, papiracei sunt reges, sine opibus titulo gaudentes.*

2. AD rem propositam facit hæc narratio. Quidam mediocris fortunæ homo à quibusdam diuitibus ad colludendum vocatus recusauit, ait illi, Cur times ludere? nos certè nihil in hoc timemus, Respon-

ſpondit ille, ego ſum tenuis conditionis homuncio, at vos eſtis reges reſpectu mei. Subdidit quidam alius ipſorum familiaris: At reges, qui ſunt inter chartas, non ſunt niſi reges papiracei. ſic notauit ipſos, qui cũ inter chartas ſolerent plerumque verſari, non haberent dignitatem, neque opes ſtabiles, alicuius æſtimationis, & quaſi reges papiracei deberent æſtimari ob periculum faciliter perpendi omnia. Præcipuè, cum & ipſi principes aleæ dediti ſoleant ſæpiſſimè nominetenus eſſe Principes, at reuerâ eſſe mendici ob allatam cauſam, nimirum conſumptionis opum in alea, iuxta illud, *eſt quaſi diues cum nihil habeat.* Prouerb. 13 7.

Prou. 13. 7.

3. *Spes lucri per aleam depauperat luſorem.*

4. *Alea pugna eſt cæcurum, ſcilicet ſortium duorum colluſorum. ſortes cæcæ.*

5. *Stultum iudicem rei ſuæ facit aleator ludens.*

6. *In nulla re magis oculati, & magis cæci ſunt homines, quàm in nummis.*

3 QVIDAM, cum pauculos nummos lucratus eſſet, eos aleæ exponere parabat. Cur (inquit ei ſocius eius ipſo prudentior) diſcrimini exponis peculium tuum, cum non habeas quod mãduces? cui ille, Immo quia non habeo quod edam, ludere volo: nam iuxta prouerbiũ, *Chi non riſica, non roſica*: hoc eſt, qui ſe diſcrimini non obijcit & ſorti, nõ rodit, videlicet non manducat, non lucratur. Luſit, & perdidit. Veſpere, cum nihil haberet, quod ederet, oſſa quædam arrodebat. Aduenit amicus prædictus, & viſo ſpectaculo acclamat illi adagium iam dictum, ſuis eum armis vulnerat, dicens: (a) *Chi non riſica, non roſica.* Fabula prædicta ſæpè tranſit in veram hiſtoriam. Multi ſæpè primum celebrant vigiliam, & deinde feſtum: at iſti, cum ludendo tota nocte fecerint vigiliã vigilando, ſequenti die faciunt vigiliam abſtinendo: primam oculis apertis, ſecundam oribus clauſis. Vel dic Italice (b) *Che hauendo eſſi à i lor denari fatto la feſta, egliuo fanno à loro far la vigilia.* Feſtũ agere alicui perſonæ, vel rei per ironiam, vulgo dicimus, eam perſonam, vel rem malè perdere, vel conſumere.

(a) Qui ſe diſcrimini non exponit, non arrodit oſſa

(b) Poſtquam nummis ſuis Feſtum dederint illi his rependũt agendam Vigiliã.

4. Tritũ eſt quod de Andabatis fertur, quod videlicet clauſis oculis pugnarent. Sors Petri, & ſors Ioannis, quæ ambæ cæcæ ſunt, pugnant alia aduerſus aliam in aleâ. pugna cæcorum, pugna Andabatarum iſta eſt. abſque vlla arte, abſque vlla ratione dimicãt. Fortunæ nomine ſors vocari ſolet. pugnant ergo fortunæ duorum cæcæ. vnde & fortunæ ipſorum (ſic appellantur opes) vulnerantur, & necantur. Ad populi voluptatem, & riſum ſolet aliquando exhiberi in theatro, vel in foro cæcorum pugna. at in caſu noſtro vbique exhibentur pugnæ cæcarũ ſortium, ſeu cæcorum aleatorum, qui abſque oculis peritiæ, ſed ſola temeritate caſus inuicem certant. & tamen ad hoc ſpectaculum non ridemus, vel potius non ploramus: nõ euadimus omnes Heracliti, & Democriti.

5. Dicebat Themiſtocles, aut alius quidam ſapiẽs, Numquam, ſi liceret,

 iudi-

iudicium fori fubirèm,etiamfi mater mea iudex de me futura effet. quis fcit enim an fortè nigrum calculum lòco albi illa non poneret? Renuit fapiens iudicium,quod poffit errare. & aleatores amant iudicium, quod non poteft non errare, nempe ca-
Prou.18. fum. nam Prou. 18. *Contradictiones comprimit fors, & inter potentes quoque dijudicat.* fubeunt arbitrium iudicis, cuius iudicium eft abfque iudicio, cuius in iudicando lex & ratio eft, nullam feruare legem, nullam fequi rationem.

6. Vulgò dicimus, homines cafu, & temerè fe gerere in omnibus, præterquam in nummis. At confiderato aleæ ludo, quod eft meri cafus & fortis, dico, eos nihil cafu, & temerè tractare præterquam nummos. adeo auaritia fibi ipfi contraria eft. ficut enim homo fit Argus aurum cuftodiendo; ita fit talpa, mediante aleâ & forte cæcâ ipfum exquirendo.

2. *Aurum aleatoris quanto in difcrimine.*
3. *Clerici quando peccent mortaliter ob aleam.*

2. ADAGIVM eft, (a) *è meglio vn fanello in gabbia; che vn falcon sù la frafca.* falco fuper frondem eft lucrum in leuitate, & inconftantia fortis, & aleæ collocatum. idem eft dicere fuper frōdem, ac fuper folia. folia enim funt chartæ. vnde *charta folium* dicimus.

(a) Melior eft auicula in cauea quam falco fuper folia.

Stultum eft, res, vt dici folet, in puncto collocare, vt à puncto dependeant efficere. dicimus enim, (b) *La cofa ftà in vn punto. pēde da vn punto,* hoc eft, verfatur in sūmo difcrimine. at aleator fua collocat in mille punctis; facit; vt ā mille pendeant punctis. Sic enim vocantur numeri in chartis, aut aleâ. in mille ergo collocat periculis, in mille punctis fucceffiuè, modo in vno, modo in alio, & fæpè in pluribus fimul.

(b) Res confiftit in puncto ab vno puncto.

3. Innocentius Tertius, cap. penul. de vita & honeft. clericorum, vetat clericis ludum aleæ, & taxillorum. immo & tali ludo intereffe. fic Salas ibi dub. 24. qui addit, effe omnium fententiam Doctorum, feu vt ille loquitur, omnes conuenire in hoc, vt clerici beneficiarij, vel in facris conftituti peccent mortaliter, fi ludum alearum in confuetudinem ducant & quamuis Gloffa diftinct. 55. Leffius lib. 2. cap. 26. dub. 1. & alij quidam docti viri dicant; quod fi rarò ludant, non peccare mortaliter; tamē Antoninus par. 2. tit. cap. 23. docet, ludentem, etiam femel quantitatem notabilem mortaliter peccare. intellige de clericis fupradictis in facris, vel beneficiarijs. idem habet Sotus 4. de iuftitia. quæftione 5. articul. 2. Toletus libro 5. cap. 27. & alij.

Innoc. 3. c. pen. de vit. & honeft. Cleric. Sal. ibid. dub. 24.

Nauarrus autem Syl. q. 4. & alij dicunt, fi in ludo principaliter intendatur remiffio animi, non effe mortale. addit tamen ipfe Salas, *Sed credo etiam effe peccatum mortale ludere afsidue etiam propter recreationem.*

Vt clericus priuetur beneficio obtento, vel fufpendatur eo quòd fit publicus aleator; debet prius moneri, vt abftineat ab aleâ, iuxta cap. primum dift. 35. Vt verò arceatur ab obtinendo beneficio; fufficit,

cit, vt sit aleator publicus, etiam si non sit admonitus, iuxta dictum cap. inter dilectos, vt ait Panorm. cap. penult. de vita, & honest. cleric. & alij.

2. *Tria promittentia & illudentia.*
3. *Charta malus liber.*
4. *Ludere significat perdere.*
5. *Alea in ludo qui perdit, vincit. Nouitijs exijt religionem, non valens desistere ab alea consueta.*
6. *Receptatores aleatorum in pœnam impunè necabantur.*
7. *Ludentes perditis nummis variè se necabant.*
8. *Blasphemijs aleatorem aër efficitur pestilens.*
9. *Receptatores aleatorum peiores ipsis.*
10. *Aduocati olim infames per aleam.*
11. *Aleator oculos crucifixi eruit.*
12. *Alea pessimus inter cæteros abusus.*

2. TRIA A. ingentia promittunt homini, sed ferè semper ipsum decipiũt, & egentem, miserumque relinquunt, *Alea, Astrologia, & Alchimia.* vix enim ex his, qui eas sectati sunt artes, inuenias, qui non tandem miser & egenus decesserit, quamuis lucra ingentia homini promittant. quod facit præcipuè Astrologia. nam vulgo dicitur. *(a) Famini indouino, che ti farò ricco:* haud malè dictum est, *Lusor incipit in alea,* incipit in lucta aleæ, definit in lecto paleæ.

(a) Fac me diuinatorem & ego te faciam diuitem.

3. Cum libri ex litteris constent; ex pessimo alphabeto, seu ex malis elementis litterarum, non nisi pessimus liber confici potest, nempe chartarum cõgeries ad aleæ ludum. Prima littera huius alphabeti est A, scilicet aleæ: B. blasphemiæ: C. contentio: D. doli; E egestas. F. furtum & facinora, ad quæ impellitur, qui per aleam aduersam inops effectus est. cetera mala ex alea prodeuntia sic ex ceteris litteris facilè colligi poterunt. sed ista nobis satis sint.

4. Adeo propria est aleæ opum iactura, vt ipsum ludere aliquid, seu de aliquo, idem sit atque illud perdere. vulgò dicimus lusit omnia bona sua, hoc est ludo perdidit. Felix iactus tesserarum est, quo iactantur in flumen.

Verum est adagium prædictum *(b) Chi non risica, non rosica.* Videas enim sæpè aleatorem in ludo repentè rabie corripi in chartam sibi aduersantem, eam dentibus mordere, & rodere. Videas digitos aliquãdo arrodere sibi præ ira. Tandem vulgò dicimus, Rodere ossa, ad significandam impatientiam, quâ quis iniquè aliquid fert: & ita omnes aleatores ossa sæpè rodunt, id est aleas osseas. rodunt & ossa, nempe per aleam amissâ carne, inopesque effecti.

(b) Qui non obijcit se periculo non rodit.

Canes rodunt, lacerantque, si possunt, eas res, quibus aliquis eos percutit, cum ipsum nequeant rodere percutientem. Sic aliquando aleatores ita rodunt dentibus chartam, quâ à Deo se percuti clamant; vt si possent (quod dictu horrendum est) ipsummet Deum lacerarent. quod cum nequeant præstare factis, sæpè præstant verbis, lacerando nimirum eius honorem impiâ den-

tium detractione. Ipsimet damnum sibi creant exponendo se sorti, & deinde Deum accusare non erubescunt. sic Prouerb 13,3 *Stultitia hominis supplantat gressus eius, & contra Deū feruet animo suo.* canes mordent dentibus saxa, quibus impetiti sunt. quid verò sunt tesseræ, siue aleæ nisi ossa quædam? has rodunt dentibus naturæ, & dentibus maledicentiæ, de quibus dictum Gal. 5. 15. *Si inuicem mordetis, & comeditis.*

Prou. 13. 3.

Gal 5. 15.

Multi scribunt inuentum aliquando aleatorem, qui tandem vxorem lusit, hoc est eius castitatem. atque alium, qui dentes. at non de vno, aut altero, sed de natione Germanorum antiquorum sic habet Cornelius Tacitus: Aleam sobrij inter seria exercebant tanta lucrandi, perdendive temeritate, vt cū omnia defecerint, extremo ac nouissimo iactu de libertate, & de corpore contendant. victus voluntariam subiat seruitutē. & quamuis iunior & robustior, alligari tamen se, & venumdari patitur. sic ille. Ecclesiastici 10. 10. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. hic enim & animam suam venalem habet.* anima potest litteraliter accipi pro vita, ex more Scripturæ: *Bonus pastor animam suam dat, pro ouibus. petiuit animæ suæ, vt moreretur.* auarus aleator lucri spe etiam vitam suam vendit, siue venditionis sorti exponit.

Eccl. 10. 10.

Subdit statim causam dicens, *Quoniam in vita sua proiecit intima sua.* in casu nostro, cùm auidus aleator in tabulam, vt ita dicam, proiecit ludendo intima sua simul cum nummis ludo expositis, vel simul cum chartis seu tesseris, (hoc est, cùm proiecerit cor mentem cōscientiam. eo quòd hæc omnia in ipsa alea per affectum, & in ipsa pecunia locata haberet, quia *vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*) cùm inquam hæc omnia proiecerit, perdideritque; non mirum, si in vltimo iactu & animam iaciat. animam proponat, hoc est vitam venalem, collusori.

5. Nouitius D. Bernardi, vt habetur in vita eiusdem Sancti, assuetus ludo in sæculo, D. Bernardum conuenit, dicens: Pace tua pater, ad sæculum redeo. quare, inquit, Sanctus? quia respondit ille, ex quo abstineo à ludo, cui valde addictus eram, numquam lætam vitam duxi. Tunc Abbas, centum drachmas illi numerari fecit, dicens, lude, & abi, eo pacto, vt mecū lucrum partiaris. abijt, & statim ludendo omnem pecuniam perdidit. id Bernardo per orationem petente. Ille vere Dei in hoc sentiens manum, ad monasterium redibat. videt eum pater redeuntem, & vestis sinum expandens, ait, effunde fili, effunde huc lucra nostra. tunc ille, ô Pater, amisi totum. ait Bernardus, ô fili nihil amisisti, sed omnia lucratus es. nam si ludus fortunatior tibi contigisset, Deum perdidisses. quia scilicet non redijsset ad religionem, & probam vitæ rationem, neque à vitio ludendi destitisset. Ergo ipsa victoria in ludo damnosior est, quàm amissio. *Perdit perdendo, nummum; vincendo, Numen.* Simile quid contingit in prosperitate aleæ rerum humanarum, quæ causa est, vt si bona affluant, velimus cor apponere, & ijs quasi visco detineri. O quot inuenias, qui cùm

cùm ludo, bello, mari plurima amisissent, inde agnita vanitate mundi, valedixerunt vitæ priori, ad meliora conuersi. Certa ludi species est, quæ dicitur, *Qui vincit perdit, aut qui perdit vincit.* At ego dico omnem aleæ ludum talem esse, in sensu enarrati exempli.

Paris de Put. tra. de lud. to. 7. tra. 6. Paris de Puteo tractatu de ludo, qui habetur to. 7. Tractatuum, ait aleam vt malorum plurimorum causam adeo ab Imperatoribus vetitam fuisse, vt ex lege receptator ludi domi propriæ posset impunè lædi, & percuti. quod dicit haberi in lege prima & secunda de alea. Ait autem, eos hunc ludum vetuisse; quia adolescentes amissis fortunis efficiebantur sacrilegi, falsarij, fures, non honestè viuentes, vt etiam refert Hostiensis in Summa de excessu prælatorum.

Authent. 7. Rationem prohibitionis affert Imperator in Authent. Alearum vsus, *eo quod multis in lacrymas prodijt.* quod Hostiensis explicat loco citato: quia quidam perditis substantijs desperati veneno necarunt, alij laqueo, alij chirographo dato, se dæmoni tradiderunt.

Ioan. Bap. Cac. to. 7. tract. Ioannes Baptista Caccialupus tomo septimo Tractatuum similia refert de aleæ damno, & addit, in pœnam receptatoris ludi huiusmodi ex legibus non dari actionem ad furta facta in domo receptatoris prædicti, nec ad pœnam, nec ad res ablatas. ex qua re colligitur quantum mali in alea sit, quamuis fortasse alicubi sint abrogatæ contrariâ consuetudine istæ leges.

Paris. ibi. num. 2. 8. Facit quod addit Paris. ibi. nu. 2. quod Imperator in Auth. dicta vetuit ludum aleæ, præsentiens, *quod per illum ad blasphemias venitur: vnde etiam cœlum efficitur pestilens.* *Auth.* Nota blasphemiæ enormitatem, quæ pestilentiam inducere dicitur. ora blasphemantium adeo pestilentem exhalant flatum, vt ipsum aërem, totamque regionem peste inficiat. ecce fructus aleæ.

9. Idem Paris ibid. nu. 2. ait, quod secundùm Odoffredum in lege 1. de aleatoribus receptator aleatorũ est velut hostis publicus, quia vult homines suis spoliari bonis, & consequenter fures fieri, & falsarios. eo quòd sæpè interferat taxillos falsos, & adulterinam pecuniam exhibeat, probam retinendo. Baldus in lege 3. titulo de aleatoribus ait, maius delictum patrare receptatorem aleatorum, quàm aleatores ipsos. *Paris ibi. nu. 2. sec. Odroffr. in lege 1.* *Baldus in lege 3. Tit de aleat.*

10. Idem ibidem numer. 11. ait, quod Andreas de Iser. in constitutione, quæ incipit Regni moras, inquit, Doctores tesseris ludentes infames fieri. quæ lex, ait Paris, facta est propter Aduocatos, & Doctores, qui per occupationem ludi prædicti ab vsu officij sui retardari, & amoueri solent, cum iacturâ clientum, & causarum. *Ibi n. 11. Andr. de Iser.*

11. Ibidem num. 62. ait, tempore suo quendam perditis aleâ nummis præ rabie oculos Crucifixi eruisse, idque Capuę accidisse ait. additque, se interrogatum quid sentiret de hac re, responsum dedisse, vt reus suspenderetur. *Ibi n. 62.*

12. Ioannes Baptista Caccialupus in tractatu de ludo, qui habetur to. 7. Tractatuum ait, Animaduerti in- *Ioa. Bap. Cac. in tr. de ludo.*

ter ceteras illecebras, quibus homines, & maximè adolescentes illaqueari consueuêre, & à bonis moribus fieri alieni, & de diuitibus pauperes, de studiosis discoli, de gaudentibus lugētes, de catholicis blasphemi, & pessimi euadere soliti sunt, ludum obtinere principatum.

2. *In alea maior est iactura temporis, quàm pecuniæ.*
3. *Lusores à terra absorpti fulminati. reyciuntur à testificando.*

Ibi.n. 16. refert iuxta Hostiens. in lud. 2. IDEM ibi.nu.16. refert iuxta Hostiensem, in ludo maius esse detrimentum, & iacturam temporis, quàm nûmorum. Ratio esse potest; quia tempus perditum est irrecuperabile; non autem nûmi perditi. Cum tempus constet ex plurimis momentis, hoc est particulis, ideo in duplici sensu verum est ipsum esse rem plurimi momenti. vnde etiam qui lucratus est thesaurum magnum, semper plus perdidit, quàm acquisiuit. *Affert ibi. Caccial.* affert ibi. Caccialupus duo carmina, quæ inquit circumferri solent, *Damna ploro rerum sed plus fleo damna dierum. Quis potest rebus succurrere, nemo diebus.*

Paris supra.d.ibi. n.2. Can. in cap. Paris supradictus ibid. num. 2. ait, multos aleatores iuxta Canonistas in cap. Inter dilectos blasphemantes à terra absorptos esse, alios fulmine percussos.

Nepos tr. de test. nu. 15. & Crauet. consf 169. Nepos à monte Abano tractatu de testibus, nu. 15. & Crauet. consf. 169. in fine libri primi dicunt, lusores tamquam viles personas reijci à testimonio ferendo.

2. *Certant filij cum patribus quis magis ludat.*
3. *Ludum prosequens, vt plus vincat, & lucrata perdit.*
4. *Doctor ob aleam etiam codicem Iuris pignorauit.*
5. *Ob lusum cibi obliuiscuntur.*
6. *Ob aleam triremibus se addicunt.*
7. *Philippus II. Hispan. Rex aleam prohibuit.*
8. *Alea ludentem mortaliter peccare, qui sentiant, & quomodo.*

2. CERTANT ludendo, & rem familiarem dilapidando filij cum parentibus, & vxores cum viris, aui cum nepotibus, hoc est omnes aleæ vacant, & prodigunt bona familiæ; ita vt quod non perdidit pater, perdat filius, Ægidius de dictis, & factis memorabilibus ait, Ioannes Gonzaga ingentem summā pecuniæ ludo perdiderat cum multo Alexandri filij sui dolore. id sentiens pater, ait, Alexāder olim doluit de parentis sui victorijs, timens ne quid sibi relinqueret ad vincēdum: at Alexander meus dolet de perditis à me, timens ne quid sibi relinquatur ad perdendum. Sæpè enim, vt dixi, prodigit, & perdit filius, quod remanserat patri ex aleæ iacturæ. ita accommodari potest hic illud Ioël. *Ioël c. 1. 4.* cap. 1. 4. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* residuum viri ludit vxor, residuum vxoris ludit filius, residuum filij nepos.

3. Lucratus est quidam ludendo multa. sed dum plura etiam appetit lucrari, & quæ lucratus erat perdit. Qui-

Quidam huiusmodi narrationem afferunt, absconderat quispiam pecuniam certo quodam loco hanc amicus eius surripuit. id resciens qui absconderat, simulans se nescire, ait amico, ego absconditam pecuniam, siue reconditam, reduplicare paraui eodem in loco, si tamen priorem saluam ibi inuenero. Amicus, vt etiam hanc secundam lucraretur, statim ablatam restituit eodem in loco. ita eam inuentam qui reposuerat abstulit, & vt est in adagio, *Coruum delusit hiantem*. Sic dum plura appetit lusor, etiam quod lucratus erat, iterum exponit aleæ periculo, quasi reponens vnde acceperat. at alea sic eum deludit, auferens ab eo, quod ille acceperat. deludit inquam, dum promittit ei, quod si lucrum factum exponat iterum ludo, duplicatum inueniet.

Iou. in Elog. apud Theat. vit. hum. 4. Iouius in Elogijs apud Theatrum vitæ humanæ narrat, quod Iason Mainus Iurisconsultus celeberrimus adeo aleæ deditus erat, vt iuris codicem in membranis scriptum feneratori tradere coactus sit aleæ causâ.

5. In triremibus, vt audiui à fide dignis, cum nummos non habēt, ludunt miserum illum panem, quē vocant *biscoctum*, & cum ludendo egerint carnispriuium, postea ieiunando quadragesimam agunt. Sophocles in Palamede apud Theatrum vitæ humanæ ait, Græcis Troiam obsidentibus fame inter illos oborta, Palamedem adinuenisse ludum latrunculorum, quo ludentes milites famē non sentirent. Ita nunc Dæmon ludum aleæ inuenit, quo ita quidam detinentur, vt etiam obliuiscantur cibi, & somni. *cibus meus* est, inquit aleator, *vt faciam voluntatem patris mei*, nimirum diaboli auaritiam per ludum suadentis. ita detorquet verba Christi ad se ipsum, quando horâ prandij seu cenæ sibi aleâ occupato dicitur, domine manduca.

6. Paschasius Iustus de alea, l. 1. ait, Barcinonæ, quæ est Tarraconēsis Hispaniæ metropolis, in magna inopia remigum ad triremium vsum constituta est certa pecuniæ summa, vt ex duobus, qui inter se ludentes eam lucraretur, liber abiret; qui verò perderet, remex fieret. quo facto magna copia remigum conflata est. vide ergo quomodo etiam libertatem, & vitam ipsam (vt quæ eâ infelici vita sæpè breui tempore perditur) ob aleam homines contemnunt. imò hodie passim in triremibus non desunt, qui pecuniam ludo deperditam recipientes coguntur remo se addicere, vt ita pro illa satisfaciant; cum alioqui si à ludo abstinuissent, ea pecuniâ se redimere potuissent. Auarus Ecclesiastici 10: *Animam suam venalem habet*: *Paschas. Iust. de alea, li. 1.* *Eccl. 10.*

7. Inter leges, Castellæ Hispaniarum Prouinciæ, quas citāt Auctores de ludo agentes (vt videre est post alios apud Ioannem de Salas ex societate Iesu tractatu de contractibus, vbi agit de ludo, dubio 4.) est lex lata à Philippo Secundo, Hispaniarum Rege, quæ statuit pœnā vendentibus tesseras per se, aut per aliū directè, vel indirectè, aut eis ludentibus; si nobilis fuerit, vt exulet quinquennio ab illis Regnis, & soluat insuper ducentos aureos: Si verò fue-

fuerit inferioris conditionis, flagelletur publicè,& quinquennio remiget in triremibus, & amittat de suis bonis triginta millia marauedinos. Addit ibidem Auctor ex verbis legum prædicti regni Castellæ, *mādamus, prohibemus*, cum leges sint non puræ pœnales,& sint de materia graui, colligi quod obligent sub mortali, nisi consuetudo contraria eas abrogauerit. quod an factum sit, videant aleatores illius loci.

8. Tandem multi, & graues Auctores antiqui, aliqui etiam recētiores sentiunt, ludum in quo lucrum notabile,& nō animi relaxatio præcipuè intēditur, esse peccatum mortale. id refert idem Ioannes de Salas eodem tractatu de ludo, secūdo, vbi ait, quod ita sentit Gabr. 4. distinct. 15.q.13.art.1.notab.3. & art.2.conclus.3. Panorm. cap. penultimo de vita,& honestate clericorum, n. 12. Rosella, & Supplementum, & Dominicani apud Syluestrum, verbo, ludus,q.2.dicto 6.& q.4.Vega in epitome, verbo,ludus casu 1. Raimūdus in Summa tract. 4.cap.de quibus debet fieri eleemosyna,Turrecremata ca.Episcopus,dist.35.art.1. citans Archidiaconum,Laudensem,& Hugonem,Comitolus,lib.3.quæst.7. Imō Abulensis Matt.6.qu.53. & 55. addit,etiamsi lucrum intentum non magnum sit, esse peccatum mortale. rationem aliqui afferunt, quod sit contra illud Decalogi, non cocupisces rem proximi tui, & quia intendere proximi damnum est peccatum mortale. hæc argumenta, & hæ rationes magis militant in aleæ ludo, in quo viâ quâdam temeritatis & præcipitationis plenâ,atque periculi peccatorum(viâ à probis viris, & à Principibus sæpè damnatâ & vetitâ) res proximi conquiruntur. Hæc dixerim ad detestationem aleæ, non quod assentiendum dicam prædictæ sententiæ.

2. *Ludens ludo vetito an teneatur restituere.*
3. *Trahens ad ludum etiam per importunas preces tenetur restituere.*
4. *Idem dic de ludente cum longè minus perito in ludo.*
5. *Idem de ludente cum quibusdam personis, de quibus ibi distinctè.*

2. VT autem scias in quot scrupulos, & scopulos te immittis per aleæ ludum,referam quędam ex pluribus, quæ apud Theologos de hac re dicuntur. Primo dico,esse sententiam multorū, & grauissimorum Auctorum, præsertim D.Thomæ 2.2.qu.37 art 7.ad 2.D. Bonau.4.dist.15.n.69. Sylu. verbo, ludus,quæst.13.Paludani,Alensis,& aliorum plurium, quos refert Salas ibid.dubio 5.eum, qui ditior fit lucro per legem vetito (quale est aleæ respectu Iuris ciuilis;) teneri in conscientia ad restitutionem lucri, nisi lex saltem quoad hanc partem fuerit abrogata contrario vsu. D. Thom. ait, teneri restituere collusori, si eum traxit ad ludum; si non traxit, pauperibus dare quod lucratus est, non ipsi collusori in pœnam eiusdem: quia lusit vetito ludo. Aliqui tamen contrarium probabiliter sentiunt, nimirum non teneri restituere ante iudicis sententiam, vt Salas

las ibidem docet post alios.

Sed Panor. cap. penult. de vita, & honest. clericorum, num. 22. & videtur sequi Sylu. verbo, ludus, quæst. 14. & Gabr. 4. dist. 15. quæst. 13. artic. 2. apud eundem Salas ibidem dubio 5. audent dicere, ludentem præcipuè lucri causâ etiam ludo non prohibito teneri ad restitutionem lucri. vide ergo an hi Doctores aleam laudarent, qui de ludo in communi ita loquuntur.

3. Salas ibi. dub. 6. dicit esse communem sententiam, eum, qui traxit aliquem ad ludum per fraudem, vel per vim, conuitia, aut minas, immo etiam per nimiam precum importunitatem; teneri ad restitutionem illi faciendam. Lessius de ludo, dub. 2. exemplum trahendi per fraudem ponit, vt si simulet se parum peritum ludi, & per hoc inducatur alius ad colludendum, qui aliàs noluisset ludere. addit Lessius trahentem alium ad ludum per iniuriam, vel detinentem, iuxta Doctores posse perdere quidem, sed non lucrari à collusore.

4. Idem Salas dub. 25. de ludo ait, Communis sententia est, si quis sciat se longè peritiorem esse in ludo, quàm socius, ita vt moraliter certus sit de victoriâ; non posse lucrari ab illo, nisi lucratus fuerit non ratione maioris peritiæ, sed melioris fortunæ, quæ ei obtigit in chartis magis propitiis, vel in aliâ re, pro diuersitate ludi ad sortem spectante. Idem dicẽdum de sponsione, in quâ qui certus est victoriæ obtinendæ, iuxta communem sententiam (vt inquit Lessius de ludo, dub. primo) non potest lucrari: licet quidam in vtroque casu aliter sentiant.

5. Peccat sæpè aleator ratione collusorum, & tenetur ad restitutionem, vt cum collusores exponunt ludo ea, quæ alienare non possunt. tales sæpè sunt fures, filij familias, minores, coniugatæ,

Religiosos neque de licentia Prælati posse expendere in ludo excessiuo, aut prohibito (qualis est alearum, qui prohibetur religiosis, vt ait Azor tomo 3. lib. 5. cap. 16. quæst. 8.) sententia est multorum, & grauium, qui dicunt prælatum esse dispensatorem, non dominum bonorũ religionis: & ideo non posse dare facultatem expendendi in illicita, vt est aleæ ludus, neque eam licentiam sibi ipsi sumere. vnde teneri ad restitutionem qui ab eis acceperit, vel lucratus fuerit mediante re illicita, vt est alea, vel aliud simile. ita Mol. tomo primo, tract. 2. disput. 94. §. si quid fornicarium, & aliis locis citatis à Salas de ludo, dubio 21. idipsum tenet Abul. Matt. 6. quæstio. 37. Antonius in summa, §. defecerunt, cap. 2. de restitut. Corduba in summa, quæstio. 188. & alij plures citati à Salas ibid. quæ sententia procedit præsertim de inualiditate contractuum inter religiosos, & alios sæculares, vel regulares super re illicita; ita vt nec validè, nedum licitè prælatus eis tribuat facultatem ad prædicta.

2. *Cum gemant res nostras sorti, & casibus subiectas esse, tamen plurimi sortibus & casibus suas subijciunt per aleam.*

3. *Dicunt Deum quasi alea ludere de rebus, & tamen noua alea & ipsi de ijs ludunt.*

2. TOTA die ingemiscunt vbique miseri mortales res suas subiectas esse pluribus casibus: & tamen quasi illi pauci sint, quasi ea res sibi dulcis vtilisque existat, easdem tot aliis casibus subiiciunt. tot inquam casibus, quot sunt casus tesserarum, quot sunt iactus euentusque aleæ. Dolent vulgares omnia nostra subiecta esse fortunæ. sic enim vocant rerum inconstantiam, & dicunt illud Ecclesiastici 6. 12. *Nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem; nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus. casumq; in omnibus.* Sed heu miseri, dum dolent se pedem, vt ita dicam, in casu habere, quasi pro remedio etiam tibi anum insigunt. dum dolent in eo habere digitum, etiam brachium in ipsum, totumque corpus iniiciunt, scilicet dum sua, & se, & domus suæ salutem aleæ committunt. stultè dolent præcipitem esse eam quam gentes olim confinxere, Fortunæ rotam: & tamen quasi illa tarda sit & segnis ad statum ipsorum euertendum, opesque auferendas; vnusquisque sibi peculiarem, vt ita dicam, rotam ædificat, & velocem adeo, vt horæ vnius spatio in domo aleæ plurimi ex diuitibus egentes fiant, ex dominis serui. sic verificatur in eis illud, *Vnusquisque faber est suæ fortunæ.* chartarum enim fasciculus cuique sua fortuna est. immo quælibet charta, seu etiam chartæ punctus, aut iactus. Gentiles vnam finxerunt fortunam, nos singuli plures nobis facimus; plures nobis propitias precamur, aduersasque timemus. Dolent miseri baculum, seu gladium circumquaque absque vllo discrimine à cæcâ illâ, quam Fortunam vocant, vibrari, ab eâque se percuti: ((a) *bastonate da orbo*) & tamen mille alias cæcas sibi generant, quæ id ipsum, sed celeriùs & crudeliùs vbique agant. Dolent se subiici punctis stellarum: & se subdunt etiam punctis chartarum. tesseræ, sunt stellæ ipsorum: numeri & puncti, sunt velut Syderum momenta vel positiones, ab illis stellis & punctis, non à cœlestibus, felicitatem vel miseriam morantur suam.

Ecclesi. 6. 12.

Per alea ludos dic eos vngere rotam, vrgere fortunam vt celerius ruãt in ipsorũ exitium.

(a) Percussiones cæcorũ, qui baculum circum agentes nemini parcunt.

3. Rerum vicissitudo, & inconstantia, quam Fortunam vocant, passim vocatur *alea rerum humanarum.* quasi Deus ludat de rebus hominum iuxta illud, *Ludit in humanis diuina potentia rebus.* vel illud etiam *Ludens in orbe terrarum.* Quamuis respectu nostri quod videtur alea, respectu Dei sit prouidentia suæ voluntatis. Iuxta igitur eum titulum humanæ vicissitudinis, quo vocatur alea, cum homines doleant res suas expositas esse aleæ huiusmodi & Deum, vt ita dicam, de eis ludere: ipsi eodem tempore suæ aleæ peculiari vacant. aleam aleæ addunt. Sed cum illa alea mundi videretur ipsis segniter, & longo temporis spatio interiecto per singulos iactus procedere; inuenerunt nouam aleam, quæ cito res suas decerneret. ludit Deus de rebus hominum: at ne quid supersit de illis priori aleæ, ludunt noua alea etiam ipsi. *fanno del resto.* nouæ aleæ, quid-

Cic. 1. de Diuinatione ait. quid est n. sors? idem propemodum quod micare quod talos iacere quod tesseras.

quid

quid reliquum habebant exponunt.

Facit huc quod alibi referebant de Principe, qui cum filium suum animaduerteret mæstum esse, quòd pater summam non exiguam ludo perdidisset, ait, Filius meus dolet, quòd sibi timeat nihil superfuturum, quod & ipse aleâ perdat. simul notans eodem aleæ amore & ipsum teneri. Sic in casu nostro, homo sicut Dei filius (cui dicit *Pater noster*) dolere videtur, quod pater suus ludat in orbe terrarum per aleam humanarum rerum: ne sibi desit quod & ipse aleâ perdat, hoc est ludat. sæpè enim aleæ dediti ob hoc ægrè ferunt opum iacturam ex aduersâ alea mundi, quia deerit sibi, vnde ludant. Rusticus quidam, vt legi, grandine fruges deuastante, securi feriebat & ipse arbores, dicens; (a) *Dio di sopra, & io di sotto.* Sic aleator ait, Deus desuper, & ego hîc aleâ res absumimus.

(a) Deus supernè, & ego infernè.

2. *Mundani insanum sibi in iudicem eligunt, scilicet aleam, & sortem.*
3. *Nullus iudex sapiens de tot opibus vnquam iudicauit, vt stultus iste.*
4. *Aleam rerum perniciem oblectamentum vocant.*
5. *Aleam in Deum mundi constituunt.*
6. *A cæco se videntes duci faciunt. sic cadunt familiæ.*
7. *Timent merces mari exponere, qui aleæ exponunt.*

Prou. 18. 18.

2. PROVERB. 18. 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat.* In quibusdam casibus valdè impediris & in necessitate, ad vitanda magna incommoda, vbi iudicio & ratione humanâ res decerni nequeat, ad sortes recurri laudabiliter, docent Doctores. alioqui stultitia magna est, passim tales irrationales, stultosque iudices adhibere. *Contradictiones*, &c. hoc est, lites. ita legit Pagninus hic. Expositâ vtrimq; à collusoribus pecunia aleæ ludo, quædam lis suboritur, cuius nam ex duobus illa sit, & cui tribuenda. ad litem hanc dirimendam aduocatur sors in iudicem, seu casus. Quid est sors, casus, fortuna, nisi temeritas, & stultitia? An nescis, ideo Fortunam cæcam pingi, quod absque ratione, & intellectu sit, absque oculis mentis, & ita cæcè omnia temereque misceat? Si semel litiges cum aliquo de decem aureis; sapientem & iustum, quo ad fieri potest, exquiris iudicem. litigas quotidie cum plurimis de ingenti summâ, nimirum per ludum: & in iudicem aduocas fatuum, & iniustum? An non est iudex ille, qui iudicat? *Inter potentes quoque dijudicat*, nempe lites. sic Poëta noster (a) *Pongasi i nomi vostri entro d'vn vaso: tragganſi fuori, e sia giudice il caso.* Si iudex iniquus extitit in iudicando: si quæ erant iusti, tradidit sæpè peccatori; quæ sapientis, stulto; quæ religiosi, profano; nemo ab illo iudicari se patietur. at quàm multa ex his patrauit sors per aleam! & tamen ad illam accurrit mundus vniuersus, vt lites suas diiudicet.

(a) Ponãtur nomina vestra in vase: extrahantur, & sit iudex ipse casus.

3. Heu portentum! nullus iudex extitit vnquam insipientior casu, & alea: & tamen nullus plura, & maioris pretij exercuit iudicia. quis enim

computare queat, de quantis opibus, & inter quot homines, & principes, alea hactenus iudicauerit? Nonne verum est, quod *lites comprimit sors, & inter potentes*, inter Principes quoque colludentes *dijudicat?* Si ingens malum esset, mundum vniuersum regi, & iudicari a puero, ab eo qui temerè & casu iudicaret; quantò magis deflendum est, si iudicetur (vt re ipsa accidit) ab ipsamet temeritate, ab ipsomet casu? Vt flagellum ingens comminetur, & perniciem, ait Isaias 3. num. 4. *Dabo pueros principes eorum*. hoc est insipientes. Quis magis puer, & insipiens, quàm casus? quàm aleæ iactus, & tesserarum? & tamen hic puer mundi opes, & familiarum fœlicitatem pro libitu, & impetu suo dissipat, euertit, quocumque voluerit transfert, transtulit, & transferet. & tamen hunc tyrannum atrocissimum, crudelissimumque hostem, per quem tot lacrymæ effusæ sunt, & effundentur, amant, & auidissimè diu, noctuque sectantur.

Isai 3. nu 4.

4. Adde, quod maius est, huiusmodi homines hanc vniuersi perniciem nempe aleam, vocare mundi oblectamentum, & animi remissionem: atque in bello & deuastatione fortunarum, quam ab alea patiuntur, putant se pace, & iucunditate frui. adeo vt de eis dicendum illud Sap. 14. 22. *Sed & in magno viuentes inscitiæ bello, hæc & tam magna mala pacem appellant.* Animi remissio apud nos dicitur *ricreatione*, quasi per eam homo de nouo creetur. Verè noua creatio, seu recreatio est alea. nam in eâ sæpè, & per eam homo mutatur in virum alterum. qui erat dominus, in hac secunda creatione fit seruus: qui erat seruus, fit dominus; sicut & accidit in alea humanarum rerum: qui erat diues, repentè fit pauper: qui pauper erat, fit subito diues. immo de religioso fit blasphemus, de modesto discolus, & sæpè de iusto fraudulentus. *In magno viuentes inscitiæ bello, hæc, & tam magna mala pacem appellant.*

Sap 14. 22

5. *Inter potentes quoque dijudicat.* nempe sors, & casus. non tantum iudex est super subditos, sed etiam super Principes, qui vocantur potentes. ergo fit *Rex regum*, *& Dominus dominantium.* ergo fit Deus. de quo enim illa dicuntur, nisi de Christo?

Quis iudicat reges & potentes, in medio Deos dijudicat, nisi Deus, qui est omnium Rex, & Dominus? Vide portentum; vide stultitiam mortalium. stultissimum omnium iudicium, efficiunt supremum omnium iudicantium, & de maiori summa definientem. Ecclesiastici 20. 2. *Secundùm iudicem populi sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* ergo mundus se stultum ostendit, dum talem iudicem super se constituit, nempe fatuum. ideo *stultorum infinitus est numerus.*

Eccle. 20. 2.

6. Apud Scriptores, & Scripturam, iudex supremus idem censetur ac dux, & rex, & ita vocari solet: eo quòd ducat & regat populum. vide igitur, quid agant homines, cùm sors cùm casus sit cæcus; cæco se ducendos committunt. *cæcus cæcum ducit*, nempe mundum, orbem terræ, vel potius orbum in sensu Italico, hoc

hoc est cæcum. Vel si dicas homines respectu casus, & sortis esse videntes: accidit maius ostentum, scilicet, vnum cæcum ducere innumeros videntes; sit, quod dicitur in Ecclesiaste 10. 6. *Stultum positum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum*, nempe sapientes, vt communiter exponunt. illud ait Salomon ibi se vidisse. Sed aptari potest rei nostræ. Monoculus est rex inter cæcos: at hic vice versâ cæcus inter monoculos. non enim ambos habent oculos qui se cæco commiserunt.

Eccles. 10. 6.

Inter potentes quoque dijudicat. hoc accidit præsertim, dum potentes aleæ operam dant. Principes, quia supremi sunt, non patiuntur se iudicari nequidem à sapientibus. & tamen à stulto, & tumultuario iudice amant iudicari. cæca enim sors dicitur; quia absque ratione est. immo non vnum tantum iudicem insanum patiuntur iudices fieri super thesauros suos, sed tot, quot sunt chartæ, immo quot sunt casus, & puncti chartarum. Cum ergo potentes isti gloriantur, se summam ingentem sæpè aleæ exponere; de qua re glorantur, nisi quod plurimis stultis iudicandas opes suas tradunt; qui pro cæco impetu, & libitu suo de ipsis decernant?

Inter potentes quoque dijudicat. Principes quærunt sapientes, qui iudicent de rebus subditorum; stultos, qui de suis: scilicet, si aleæ vacant. dedignantur super se iudices habere veros, sustinent habere depictos, nempe figuras chartarum. dedignantur habere iudices humanos, sustinent habere chartaceos. causæ litigantium decernuntur à chartis sapientiæ, scilicet à legibus scriptis; at principum ludentium causæ à chartis stultitiæ.

7. Dementiæ genus primæ classis comperi apud non paucos ex nostris. videlicet, si merces ipsorum mari vehantur; earum periculum redimunt pretio exhibito, seu promisso iis, qui vulgò *assecuratores* vocantur. magis æstimantes certum & tutum, quamuis minoris quantitatis lucrũ, quam periculosum, licet maioris valoris. sæpè tamen iidem, homines, pecuniam suam aleæ exponunt. ridiculum ergo est, quod quæ in periculo sunt, collocant in tuto, quæ sunt in tuto collocant in periculo. *aßicura il pericoloso, e pericolan il sicuro.* cauent discrimen, & naufragium opum, quod aliquoties contingere potest in anno; subeunt spontè quod in quolibet accidit momento. immò ipsasmet merces, saltem in pecuniam redactas, & forsitan etiam aliquando in propria specie, quas ex alea maris subtraxerant, statim subiiciunt aleæ ludi. subducunt eas (a) *al pericolo del vento, è le pongon al pericol della ventura: la quale dal vento pare nominata, per essere come lui leggiera, & inconstante, & esser hora auersa, hora prospera come esso.* pecuniâ numeratâ redimunt periculum mercium: at deinde pecunia numerata emunt ipsum earum periculum. nam soluũt, vt moris est, domino domus, in quo ludentes conueniunt, vel potius conductori ipsius domus, ratione expensarum, quas ille subit ad vsum aleatorum, in lucernis, & famulis, & cet. (b) *così pagan il Loia, che li frusta.* ita

(a) vento, & exponunt vẽturæ siue fortunæ que à vẽto nomẽ mutuari videtur, eo quod leuis & inconstans sit & modo aduersa, modò prospera vt ipse ventus. (b) Ita mercedẽ soluunt tortori, à quo virgis cæduntur.

Eccles. 3. 27. ita fit in eis illud Ecclesiastici 3. 27. *Qui amat periculum in illo peribit.*

Aliqui non committunt sua chartis nauigationis, & ea exponunt chartis naufragij. Timent sua committere pixidi magnetis (quæ Italis calamita) & exponunt aleæ calamitatis. *Alcuni non voglion mercantar per mare per non esspor à risico il suo. non commetton il suo alle carte da nauigar, è lo commetton alle carte da naufragar. perche quelle son carte, che guidano la robba con regola, con arte, e ragione, queste con temerità, e senza alcuna ragione. pure temono di commetterle à quelle, e le commettono à queste. temon dunque di por il suo nelle carte sauie, e non in man, & al gouerno delle pazze. non pongono il suo nel bussolo della calamita, e lo pongon in quello della calamità (che tal è quello de' dadi.)*

2. *Maledicunt, & malè imprecantur ex aduersa alea.*
3. *Aleatores Capellani diaboli. chartæ esca apta igni materiali, & rixarum.*
4. *Aleatores apud Turcas à templis exclusi.*
5. *Vincant, aut perdant ludo, semper blasphemant. perdunt cum non ludentibus, scilicet prodigendo acquisita à ludentibus.*
6. *Chartæ omnes adulterinæ. lucra earum prodiguntur.*
7. *Tutte le carte son carte da straccio.*
8. *Ob illas decorticantur pauperes.*

2. QVIA sæpè vnico puncto, seu numero sortium, vel chartarum perditur, quod vix vnius anni spatio contigit acquiri; dici potest versus ille, *Accidit in puncto* (mutata littera a in o *Occidit in puncto*) *quod non contingit in anno.* sæpè, qui perdit, læditur à puncto vno; & maledicit siue diris deuouet quatuor: nempe punctum sibi aduersum; punctum aduersario propitium; punctum, quo ludere cœpit; & aliquando etiã punctum, quo natus est.

3. Peccatores omnes sunt serui diaboli: aleatores etiam capellani eiusdem, quia dicunt eius officium, & ab illo quærunt beneficium. Considera rixas, & sanguinis effusiones, opumque, & familiarum iacturas ortas ab aleæ ludis, & dices plures tragœdias fieri per chartas, quam legantur in chartis. Finis chartarum est, ignem accendere. tandem enim consumptæ, vel laceratæ in ignem proiiciuntur. sic finis earum, hoc est exitus ludi est accendere ignem rixarum. Fasciculus chartarum liber videtur, sed dissolutus, & nullatenus vinculatus: Vt appareat, in chartis, nonnisi dissensionem, & dissolutionem amicitiarum inueniri, vel etiam dissolutionem animorum, & disciplinæ.

Aurum, & argentum, vt periti docẽt, vt in nummos cudatur, in virgas prius redigitur. deinde virgæ secantur in particulas quasdam quadratas, quæ quasi tesseræ nostræ videntur esse. Nummi ergo tesseræ erãt, & ad tesseras reuertũtur. tesseræ fabricant. tesseræ destruunt nummos. moneta enim fit ex aureis, & argenteis tesseris, & ab aliis tesseris destruitur, vel cum nummi fiant destructis tesseris, & in monetam redactis, dicendum est nummos destruere

ſtruere teſſeras, & teſſeras deſtruere nummos. Adde: deſtructis teſſeris fiunt nummi, ſcilicet deſtructa in argento forma teſſerarum. inde diſce, quod repudiata aleâ, homo diteſcere poteſt faciliùs, & certiùs.

To.1.lib.2.c.8. 4. Tomo 1. lib.2. cap.8. Turcicæ hiſtoriæ per Lonicerum collectæ dicitur, apud Turcas, aleatores excludi à templis, tanquam publicos peccatores, ſicut etiam meretrices, & vſurarios. Dicit quidam, nauigantem ſe committere tribus ſtultis, ſcilicet vento, fluctibus, & naui: quæ omnia velut ebrius & ſtultus, leuiter & ſine ratione hincinde agitantur, & nauigantes ſimul agitant. at qui ſe aleæ committit, non tribus ſtultis, ſed tot, quot chartæ ſunt, immo puncti chartarum, ſe committunt.

5. Aleator, ſi lucratur, gratias agit ſorti; ſi perdit, blaſphemat Deum. immo etiamſi lucratur blaſphemat Deum, eo diſcrimine, vt perdens blaſphemet lingua, vincens manu. nam, vt ait Auguſtinus, per malos nomen Dei blaſphematur, ſicut per bonos laudatur, hoc eſt vitâ, ſi non ore. nam illi lucrantes in ludo, præſertim magnam ſummam, ſtatim donant meretrici, lenoni, ventri, pompiſque diaboli. ita miſer aleator, quaſi ſtatutum ſit, vt numquam diteſcat ex ludo, ſed poſt lucrum perdat, quod lucratus eſt; ſtatim ac vicit, vel iterum id perdit cum ludentibus, vel cum non ludentibus ſcilicet cum ſcortis, cum ſodalibus, cum famulis. perdit cum non ludentibus aliena, quæ lucratus erat; vt perdat deinde cum ludentibus ſua: & poſtquam omnia luſerit, ipſum omnes illudant.

6. Quidam aleatores chartas adulterant ſuas, quæ dicuntur chartæ falſæ. at dicendum videtur, omnes chartas luſorias eſſe chartas falſas, & non reales, vt cum vulgo loquar. Vulgus enim vocat quoddam genus chartæ chartam realem, Latinè diceremus *regalem*. ſunt falſæ & duplices, ſicut materialiter, ita & metaphoricè, hoc eſt doloſæ. promittunt enim diuitias, cum communiter afferant paupertatem, etiam iis, quibus videntur fauere. Prodigi enim & diſſipatores lucri ſolent eſſe, qui tam facilè illud ſortiti ſunt, quod ſors cæca cæcis oculis ad eos proiecit, & ipſi cæcis oculis proiiciunt: quod illa dedit oculis clauſis, manibus ſpargitur apertis. *quel, che vien di ventura ſe ne và in vento. ciò che buon punto ci porta, malhora ci leua. Luſibus inſanis, vacuantur horrea granis. grana ludens aleâ, moritur in palea.* hoc eſt cum perdiderit grana, ſupereſt illi tantum granorum, ſeu frugum palea, in qua miſerè præ fame moriatur.

7. Quoddam genus chartæ vocatur vulgò(a) *carta da ſtraccio.* fortaſſe quia tantum apta eſt, vt ſcindatur ad vſus ſatis humiles. ſed cum finis chartarum communiter ſit, vt ſcindantur, & lacerentur; eo quod tandem infideles, & aduerſæ aleatoribus fiant: ideo omnes dici poſſunt *carte da ſtraccio.* tum etiam quia adducunt ludentes ad pannos, laceraſque veſtes quod Itali dicunt, *alli ſtracci.* & quia ſcindunt amicitias, & quia omnes dignæ ſunt, vt lacerentur.

(a) Charta vilior. Belgis, *Scheurpampier.*

8. Cum ex pellibus animalium quo-

quorumdam chartæ conficiantur illæ, quæ dicuntur chartæ ouillæ; dicendum eſt, chartarum causâ decorticari animalia, & chartarum cauſa decorticari homines; dum ſcilicet ludi cauſa, & iacturæ per illum factæ, expilantur mercenarij, & pauperes, negando eis mercedem debitam vel eleëmoſynas.

2. *Prodigunt lucra aleæ.*

3. *Lucra apud eos hoſpitantur, non habitant.*

4. *Alea inconſtans.*

2. QVIDAM gaudens ex victoria in ludo obtentâ ex lucro amicis conuiuium parat. huic finge dictum eſſe à quopiam (alludendo ad ludum latrunculorum, in quo qui aduerſarium non vicit, quamuis nec ab eo victus eſt, dicitur vulgò *hauer fatto tauola.* quod etiam ſignificat apud nos cœnam, ſeu conuiuium exhibuiſſe.) finge ergo dictum illi, tu certè non viciſti. *perche hai fatto tauola.* indicans prodigum in alea, neque vincentem vincere: quia prodigit ſtatim quod lucratus eſt.

3. Aleatores, & prodigi tam Italicè, quàm Latinè hoſtes ſunt nummorum. Latinè; quia quaſi inimicos eos ſtatim per aleam, & alia huiuſmodi, feſtinant à ſe expellere, in exiliumque mittere: Italicè verbum, hoſtes, vel potius *hoſti*, ſignificat tabernarios hoſpitij exhibitores tales ergo ſunt illi erga nummos. non enim apud eos nummi habitant, ſed hoſpitantur, citò alio transmigraturi: quod fit præſertim in pecunia ludo acquiſita. hæc enim eſt viator, qui in diuerſorio aleatoris ſæpè neque nocte, neque hora integra demorari ſuſtinet; ſed vix per vnum oſtium intrauit, cum per aliud exit. vel tantiſper ſubſiſtit ibi, dum calicem vini deguſtet, & ſtatim iterum ambulat. (a) *la moneta in eſſi è moneta corrente, ò corriera. perche corre, e non ſi ferma in eſſi.* bona ipſorum, quæ dicuntur ſtabilia, ſunt bona mobilia. ea enim ſæpè venduntur, vt ludantur, & breui tranſeunt ab hoc ad illum.

(a) eorum moneta eſt currens quia non eſt ſtabilis.

4. In codicibus, ſeu in chartis leges modo aliquem diuitem, ſeu dominum. ſi verò paululum alteram inuertas chartam, inuenis eundem pauperem, & ſeruum, hoc eſt talem euaſiſſe, commutatâ fortunâ. ita in chartis luſoriis, modo quidam triũphans diues effectus eſt: ſi verò chartæ conuertantur; & Fortuna cum iis vertitur.

2. *Alea comparata ei, quam Fortunam vocant.*

3. *Sapientes à periculis inueniuntur. ſtulti ea ſponte inueniunt.*

2. ADDE, quod alea, dici poteſt eo nomine digna; quaſi dicatur *alia*, vel *ala*, eo quod ſemper alia ſit à ſeipsâ, modo aduerſa, modo proſpera, ſicut & alea rerum humanarum: & alia ſit quoad aleatores, quos ſubinde facit alios. *ala* eſt etiam ratione eiuſdem mobilitatis, & leuitatis. Ala eſt, quæ alatum facit aurum, alatas domos & prædia tua: auolare facit ea à te, alata facit tua, & deplumatum te,

(a) *ti*

(a) Euellit tibi pennas principales: alas tibi accîdit.

Eccles. 3. 27.

(a) ti leua le pene maestre, ti mozza l'ali.

3. Hoc differt inter prudentes & fatuos, quod prudentes à periculis inueniantur, fatui pericula inueniant. tales sunt qui sua aleæ exponunt: amant periculum. sed Ecclesiastici 3. 27. *Qui amat periculum peribit in illo, vel illo peribit.* Dicit iustus Psal. 118. *Tribulatio, & angustia inuenerunt me.* at aleator suam quærens perniciem, per periculum aleæ, ait, *tribulationem, & dolorem inueni*, sed non addit, *& nomen Domini inuocaui*: sed, & nomen Domini blasphemaui, hoc est aduersante aleâ.

2. Aleator vilior est chartarum opifice.

2. ERVBESCIT nobilis exercere artem mechanicam & irridet huiusmodi opifices. Si tamen rectè rem hanc consideres, dices mecum, in hoc tantummodo differre mechanicum opificem, qui chartis conficiendis incumbit, ab aleatore etiam principe; quòd ille operetur in chartis fabricandis, iste in consumendis, & lacerandis; quod deterius, & vilius opus est. ergo aleator magis mechanicus est, quam chartarius. chartarius operatur circa chartas cum certo lucro, iste cum certo periculo. imò plerumque, vt aliàs dixi, cum magna tandem rerum, & animæ iactura. Ille operatur, & lucratur opere industriæ, & artis; iste in opere stultitiæ, & temeritatis. sors enim sine ratione cæca est. Nobilitas ergo tua est, quod sis operarius in arte stultitiæ; ignobilitas illius quod id agat in arte industriæ, & humanæ rationis. quæ ergo ars mechanica, tua, an illius? quod opus seruile, aut liberale, tuum an illius? opifex chartarum saltem nocte quiescit ab opere: at aleator multo hoc miserior etiam nocte laborare non cessat; somno se priuat, cibo quandoque ventrem defraudat tandem opifex chartarum ex chartis, & per chartas suam sustentat familiam: aleator plerumque per chartas eam perdit, & miseram facit. aleator nobilis quoad natiuitatem erubescit lucrum petere à natura, vel ab arte, non autem à fortuna, & temeritate, quod longè vilius est, & peius.

3. Alea etiam prætextu oblectationis fugienda à paruis transit ad magna dispendia.

3. ALEÆ ludus omnino fugiendus, etiam prætextu oblectationis animi, etiam si exigua ludo pecunia exponatur. Incipiunt quidam ob animi remissionem, pergunt ob delectationem. perseuerant ob consuetudinem. Primò est voluntas, secundo voluptas, tertio necessitas. incipiunt ludum nummulis, peragunt nummis, consummant sacculis. (b) *comincian di passo, seguon di trotto, s'auanzano di galoppo. vengono ala carriera, e poi al precipitio.* excæcati enim ab auaritia, cæcam sequentes, quam vocant fortunam, illâ corruente feruntur quoque ipsi in profundum inopiæ, & miseriæ. Ludum aleæ dixi esse litem quandam super nummis ludo vtrimque expositis, quam sors diiudicat, & definit. at de lite vulgò aiunt, vno incipere obolo (tanti enim constat litis conte-

(b) Inci-piũt gradu lento, prosequuntur succussorio, deinde laxatis habenis feruntur, Metæ approximãt & mox præcipitio.

testatio ratione mercedis ministro forensi soluendæ) at neque centenarijs aureorum finiri.idem dicendum de ludo. Ludus sæpè per ludum incipit; sed non definit nisi in serium damnum.

2. *Aleatores vt Hæretici statum mutant fortunarum, vt illi sectarum.*
3. *In talibus mutationes apparent, vt in comœdijs.*
4. *Vt in ipsis chartis mutationes, ita in ludentibus fiunt.*
5. *Monstra & miranda per casum generantur, ita & talia per casum, seu sortem aleæ.*
6. *Liber chartarum est summa casuum conscientiæ æquiuoco sensu, scilicet peccatorum.*
7. *Ludētes præsertim clerici sæpè fiūt crucifixores Christi, ludentes eius vestes.*

2. RECENTIORES hæretici adeo leuiter sectas commutare solent; vt interrogatus quidam, quid sentirent nonnulli eorum circa fidem, dixerit, Nescio: hoc tantum scio, quod anno superiori sic, & sic sentiebant quasi diceret: duodecim sunt horæ diei. modo facilè est mutasse sectam. Ita in vicissitudine aleæ, cum breuissimè homo de diuite pauper fiat; si interroges de aleatore, an diues sit, vel nobilis, ego dicam, Nescio: scio tamen heri, vel hodie mane illum talem fuisse.

3. Comœdiæ vocantur ludi scenici, & theatrales. cumque illæ soleant in diebus carnispriuij præsertim recitari, in quibus maximè ludis aleæ homines vacant; dici potest, ludum aleæ esse ludum scenicum, ludum theatralem; imò non fabulam, sed quod ibi exhibetur per ludum, & fabulam, in aleæ ludo accidere per veritatem, & historiam. Nam in fabulis illis paucarum horarum spatio videntur ijdem modo diuites esse, modo pauperes, & serui: iterumque exhibent personam diuitis, aut regis, iterumque deponunt, & se ostēdunt coram omnibus miseros. At in aleæ ludo videas huiusmodi varietates accidere in ijsdem hominibus, dum alternante alea, modo inopes effecti, modo iterum diuites cernuntur. ita vt fabula, dici possit ludus aleæ fictus; ludus verò aleę, fabula vera. ita eodem tempore carnispriuij, quo aguntur comœdię, vel tragediæ, paratur materia comœdiarum, vel potius tragediarum per aleæ ludum.

4. Hæc vicissitudo sortis secundæ, vel aduersæ ditantis, vel ad egestatem redigentis breui spatio temporis, repræsentatur in ipso aleæ ludo: dum eadem figura hominis in chartâ depicta, quam aleator modo exosculatus est, & capiti suo superposuit, eo quod sibi propitia fuerit, atque quasi reginam suam adorauit; mox aduersa effecta, ab eodem conculcatur pedibus, quasi domina de sublimi trono in lutum detracta. Similiter in mixtione chartarum talia figurãtur, dum eadem figura, idemque homo pictus modo in supremâ parte fascis chartarum est, modo deiectus in imò ipsarum cernitur, & iterum in summo, iterumque in profundo apparet. eodem fasce chartarum commiscentur reges cum peditibus, quia alea æquat per inopiam diuites pauperibus. 5. Mon-

5. Monstra, & admiranda quædam in viuentibus à casu fieri, aiunt Philosophi. ita monstra, & admiranda quædam videntur procedere à casu, dum ex varijs aleæ iactibus cernitur quispiam mendicus repentè diues effectus, & diues in mendicum transisse. hæc præsertim accidunt in ludo illo, seu contractu, quem vocant (a) *beneficiata, ouero lotto*. in quo plurimi exiguum exponentes sunt, sed vnus, vel pauci obtinent rem ludo expositam. quod in chartis ipsis videamus. Adde, nonne portentum est etiam, monstrumque hominem Christianum ex aduersitate aleæ repentè in diabolum conuerti, Deumque blasphemare horribiliem in modum, manus inijcere imagini Christi, vel matris eius? vel ex homine in leonem ferum commutari irâ, & rabie: & contra victorem vel contra familiares insurgere vsque ad effusionem sanguinis ipsorum? nonne portentum est, eum, quem felicem suspiciebant, mox propter aleam chartarum desperantem, nummisque nudatum tamquam Iudam suspensum videre, suique ipsius effectum esse carnificem, vel fulmine percussum, vel aliter de cœlo sæuissimè punitum? Consule Speculum exemplorum, verbo Ludus, & scies plura contigisse huiusmodi monstra. portentum est, quod ille ludat etiam regulas domus, alius etiam culcitrã suam, alius etiam vxorem, vt supra vidimus.

(a) Sortilegium.

6. Liber chartarum summa quædam est casuum, hoc est euentuũ fortuitorum. Summa casuum horribiliũ, qui accidunt in eo ludo, vt paulò ante dicebam. sed multò magis est liber dictus summa casuum consciẽtiæ, hoc est per quos cadit conscientia. summa inquam, & compendium omnium peccatorum. nam nullum genus peccati est, ad quod facilè mediante alea dæmon non inducat homines: quia *quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Cupiditas est radix omnium malorum.* at vbi magis explicat auaritia vexillum suum, quàm in aleæ ludo?

7. Dum in maiori hebdomada canitur ab Ecclesiasticis illud Psalmi: *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem,* interea ab eisdem expoliantur altaria. Quando ergo clerici ludunt pecuniam, vnde altaria ipsa induere deberent, vel ornare; tunc illis applicari potest locus ille, vt à Christo de ipsis dicatur, *diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* eadem verba dicit Christus de illis, qui vt ludant, Christum expoliant in pauperibus, siue positiuè res eorum auferendo, vnde illi debuerant sibi vestes conficere, siue negatiuè, denegando misericordiam, vnde induantur. Iob 14. 7 *Nudos dimittunt homines, vestimenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.* dum hæc in homines agunt, in Christum ea operantur. quia *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Crucifigunt etiam Christum in persona familiæ ipsorum, vt vxoris, filiorum, & cet. dum hos affligunt iniustè, & deinde vestes eorum aleæ subjiciunt dum pretia earum ludo exponunt. hi ergo crucifixores Christi sunt, & super vestes eius ludentes. Iob 14. 7.

2. *Finis aleatoris funis.*
3. *Aleatores peiores latronibus.*
4. *Tesseræ tyranni sunt persequentes Christianos.*
5. *Erant ex dentibus canum omnia vorantes.*

2. ALEATOR progreditur à littore, quod vocant Bonæ spei, & nauigat chartaceâ naui per mare aleæ: donec perueniat ad portum desperationis, hoc est quando omnibus perditis, vix habet, vnde restim emat, qua se suffocet. nam *vna salus victis, nullam sperare salutem.* quod locum habet in hoc aleæ bello, dixi incipere eum à bona spe. quia illa est, quæ trahit aleatorem ad ludum. Alluditur ad portum vocatum à nautis Portus Bonæ Spei. at dicere possunt illud Poëtæ, *per varios casus, per tot discrimina rerum tendimus in laqueum.* saltem multi tendunt, per eos casus *in laqueum diaboli, volentes diuites fieri*, vt Apost. ait eorum finis funis.

3. Vincentius in Speculo morali tractatu de ludo ait, aleatores peiores esse latronibus. nam hi spoliantes homines, saltem subuculam eis relinquunt: at aleatores etiam illâ nudant collusores. quia cum cetera ab eis lucrati sint, etiã illam aliquando ad solutionem debiti exigunt. vel id potius dicit Vincentius, quia multi etiam subuculam ipsam ludo exponunt, & perdunt.

4. Ibidem ait, tres tesseras, quas ipse vocat decios vulgò *dadi*, pro tribus personis Diuinis ab aleatoribus adorari. Si Decij vocandi sunt, vt ille vocat, dici potest, Decium fuisse persecutorem Christianorum; & ita pro vno Decio plurimos suscitatos, qui ipsos Christianos persequantur, & maximè affligant.

5. Ibidem addit, ex dentibus caninis solitas fieri tesseras. canini dentes sunt. nam omnia deuorant, & comminuunt, aurum, lapides pretiosos, ipsas etiam domos plusque poterant ij dentes in manu hominũ, quàm possent in ore canum. In caninis dentibus etiam fames insatiabilis figuratur. vnde dicitur fames canina. & in Psalm. *Famem patientur vt canes.* insatiabilis ergo fames inest ijs dentibus, scilicet in aleatore quã vt ex parte satiet, quid non agit? Auri sacra fames. tesseræ sunt canini dentes; quia etiam materialiter proprium est aleæ secum habere ingluuiem edendi, & bibendi. aleatores enim simul solent esse comessatores. vnde Epicureus ille canebat, *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* coniunxit ludo crapulam. vnde in popinis, & post mensas ludo operam dare solent.

2. *Ludo non per ludum vacant.*
3. *Semel aleæ adhærens non solet inde recedere.*

2. PLVTAR. in Regum, & Imperatorum sententijs, inquit, Alexandrum quosdam ex amicis mulctasse, quòd in ludo aleæ non lusissent. quid est hoc? Nonne debuerunt ex hoc præmijs affici? Exponit Plutarcus, quod non lusissent in ludo, sed in eo, vt multi solent, versati essent, tamquam in re seriâ. Dic ergo

ergo puniendos homines à Deo, eo quod non luserint. in ludo enim minimè luserunt. Iam dixi Sortem cæcam esse, sine ratione: sed casu, & impetu ferri. at aleatores Argi sunt in re cœca, sapientissimi in insipiẽte, & in ipsa temeritate cautissimi, scilicet, dum in ea re omnem mentis prudentiam, ingenijque aciem collocant.

3. Tu verò Aleæ ludum neq; seriò, neque per ludum aggrediaris. ludus enim iste bellum quoddã est, & certamen. vnde & in eo equites, pedites; gladij; duces, & reges picti repræsentantur: atque inter se victoriæ causâ per eos contendunt lusores. At quis nesciat ex leuioribus altercationibus, & verbis, paulatim deueniri ad contumelias, ad rixas, ad sanguinem? ait quidam ex Poëtis nostris: (a) *il gioco, & il foco comminciano col poco, ma se cauto non stai finiscon nell'assai.* cum alea comessationem incedere diximus. ita dictum. (b) *Nel mangiar, è nel giocar tuto batte in comminciar.* prætextu degustandi vinum, amicus te cogit os admouere calici. suaue inuenitur; iterum, inquit, degustes oro. non consummatur degustatio hæc, nisi consummetur degustatum; & calix vnus sæpè alterum vocat, hic autem phialam; phiala amphoram, quæ ex eo liquore ad amicum eundem postea mittatur. Similiter in aleâ euenire solet. Suauitate vini illius captus ille sodalis iurat, se quoad possit, non alio ex vino bibiturum. quod & facit, dum quotannis ex ipso dolium emit. vide quo eum duxit vini vnicus haustus. Ita semel tractus ad ludum modicæ pecuniæ, dulcedine ludi, vel lucri illectus, numquam ab alea discedere potest. vnde dicendum videtur magis adhærere chartis homines veros, quam pictos. Non possunt homines illi picti separari à chartis, nisi simul ipsos conscindas, & quasi occidas: sic neque aleatores, nisi per mortem destruantur, videntur posse auelli vmquam à chartis, quibus semel adhæserint. Adde: in ijsdem chartis reges, equites, & pedites inueniri, in quibus personis repræsentatur omnis status hominum, seu militantium. nam *militia est vita hominum super terram.* vt appareat, nullum genus hominum ferè reperiri in hac vita, quod non adhæreat aleæ ludo, eisdemque chartis.

(a) Ludus & ignis à paruo incipiũt: sed nisi cautus es in ingens malum ruunt.

(b) In commestione & lusu omnia principia insunt.

2. *Lucrum aleæ remanet apud receptatores aleatorum, & ministrantes, vt & litigantium apud ministros fori.*

LVDVM aleæ litem quandam esse, quam sors dirimit (vt dicitur, Prou. 18. *Contradictiones, scilicet lites, comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat*) supra diximus. sicut ergo lucra litigantium, seu nummi eorum, post longam causarum agitationem, & miseram defatigationem, non in vincentibus, neque in victis esse inueniuntur; sed in forensi palatio, apud iudices, aduocatos, notarios remanere: sic lucra, & nummi litigantium in ludo, non apud ipsos, sed in domo receptatoris aleatorum reperiri solent. remanent ea lucra apud receptatorem, apud mi- Prou. 18.

 nistran-

niſtrantes aleatoribus, vendentes eis chartas, teſſeras, cereas faces, vina, aliaque ſuauia obſonia, quæ ibi venditari ſolent. item apud eoſdem miniſtros remanent, vbi vſus obtinuit, vt qui vincit, præbeat ſingulis lucri aliquam partē. Ita accidit hic, quod in ludo paruæ pilæ, qui vocatur vulgò *alla rachetta*. lucrum enim ratione pilarum, quæ rete ibi expanſo capiuntur, ad dominum loci, vbi ludus fit, ſolet peruenire. ſic etiam in domo aleæ, vina, & ſuauia eſculenta, ignesque in hyme, &c. ſunt quædam retia ad capiendas aleatorum pecunias. *Ludicrum* idem ferè ac *ludi lucrum*: quia tale lucrum ludicrum eſt, hoc eſt non ſerium, ſed quaſi per ludum cōparatum, ideo ſtatim Dominum ſuum deſerit.

Ingemiſcitis vxores, quòd viri ludant iumēta veſtra, vel nummos, vnde indui debueratis. ingemiſcitis filij, quod parentes veſtri id efficiāt, cum ſpem ludunt veſtræ hereditatis. ſed ſi alea non pepercit veſtibus Chriſti, doletis, quod non parcat veſtibus chriſtiani? non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, non eſt ſeruus ſuper dominum ſuum.

3. *Ditatum vnum ludo commemorant, mille inde nudatos non vident.*

3 EX centū aleatoribus vix vnū, aut alterum diuitem factum videbis, è contra centum comperies ad miſeriam redactos. tamen, vt in Aſtrologorum dictis vix vnum verificatum inuenies, cum centum ex ijs falſa fuiſſe appareat, & illud vnū multi commemorant, centum obliuiſcuntur, & ſilent: ſic ludentes illum vnicum proſperè ex alea ſe habentem intuentur; centum alios non inſpiciunt. vnum latronem conſiderant peccatores conuerſum, non millia Iudæorum damnata.

4. *Luſoris bona, ſua non ſunt, vt quæ ſemper in lite ſint.*

5. *Furor, & blaſphemia comites aleæ.*

4. QVIDAM nummi videntur apud Venetos quotannis, qui *aues* dicuntur. omnes nummi aleatorum aues ſunt. non enim apud illos manent, ſed per eos tranſuolāt. Pecunia apud illos ephemera eſt. nō vxor eorum fit, ſed meretrix pauci temporis & breuis voluptatis: ſtatim ad riuales alios, atque alios ſubinde tranſiens, vt pluribus ſui præbeat vſum, nulli dominium. Pecunia hæc in aleatoris vola fit volans, ſeu volatica: quod tutum non eſt, neque tuum eſt, ſed ſortis. Quod depoſitum in manu iudicis, donec ille adiudicet illud alterutri ex litigantibus; nō eſt alicuius ex illis: at res aleatorum vel actu, vel ſaltem virtualiter, traditæ ſunt in manum ſortis, quæ, vt alibi dicimus, eſt iudex ſuper talia: quia *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat*: ergo res tua ô aleator non tua, ſed tam eſt alterius colluſoris, quàm tua. Quod non eſt tutum non eſt totum, vel (quod idem eſt) non eſt tantum. longè enim minus cenſetur eſſe quod periculoſum eſt, quàm quod eſt tutum, etiamſi illud alioqui maius ſit. Proijcit ſors pecuniam in manum aleatoris, vt pilam in ludo pilæ, nimirum, non vt eam

eam retineat, sed vt subito traijciat ad alium. Aleatores nõ impinguantur cibo acquisitæ pecuniæ, quia carent facultate, quam medici vocant, retentiuam: hoc est, non ditantur. Auferunt æruginem à nummis, sed ingerunt eam marsupijs. diues Petrus, sed est aleator: hoc est dicere, sed omnia eius sub lite sunt, lisque sub iudice.

5. Tam propriæ sunt blasphemiæ, rixæ, & vehementes animi turbationes ludo aleæ, vt vsus dicendi obtinuerit *dare nelle scartate*, quod non aliud est, quàm actus quidam ludentis, dum aduersam experitur in chartis aleam, qui modus loquendi significat erumpere in omnem furorem dicendo; vel operando, quæ iniqua sunt, præ ira concepta, vel alia passione animi.

2. *Ludi vsus quam intimè adhæreat aleatori.*
3. *Alea magis quàm Struthio omnia concoquit.*
4. *Ludens, vt tempus transfigat, emit auro temporis iacturam.*
5. *Ludus animi gratia inuentus, nunc cura, & afflictio cordis efficitur.*
6. *Alea bellum omni bello deterius est.*
7. *Tesseræ ad famen tolerandam repertæ sunt. modo etiam eam tolerari faciunt.*

2. FINXIT quidam, ex ossibus cuiusdam aleatoris tesseras à quopiam confectas fuisse; ex subuculis eius chartas. eo quod tesseras, vt dici solet, in ossibus haberet, & chartæ, sẽper ipsi adhærerent magis, quàm res aliæ sicut subucula propius adhæret homini, quàm aliæ vestes.

3. De homine imbecillitate ventriculi laborante aiunt, Non potest digerere, seu concoquere; quia stomachum ex charta habet, *stomaco di carta*. digerere autem est cõcoquere, & dispertire cibum ceteris membris, vulgò *smaltire*; at dico ego: immitte cibum in vẽtriculum chartaceum, hoc est chartarum: quia ille omnia facilè digerit. (a) *tosto smaltisce cogni cosa.* stomachus chartarum plus valet, quàm struthionis. nam breui spatio aurum, æs, ferrum, lapides, omnia concoquit, decoquit. *smaltisce tutto.* Alea enim ea omnia perdit, & distrahit collusoribus. Dicitur decoctor, qui rem consumit. (a) Citò digerit omnia.

4. Ludunt quidam, vt tempus transfigant. hostes sunt temporis: inuident vitæ suæ. Vt enim tempus, vt vita à se diffugiat, pontem aureum illi conficiunt. (b) *al nemico fan il ponte d'oro*, hoc est per aurum illi conficiunt. aleæ expositum, pontem, seu viam parant tempori, vt fugiat. plus ergo oderunt id, quod plus amant, nempe vitam. nam cui inimico vnquam pontem efficerent aureum, sicut illi faciunt? Apost. Ephes. 5. *Redimentes tempus.* cum redimendum sit, ipsi è contrario iacturam eius emunt. Sed dicẽt, ludimus, vt animum remittamus à curis: ad hoc inuentus est ludus, sed audiant isti quæ sequuntur. (b) Hosti fugienti pontem aureum sternunt. Ephes. 5.

5. Curæ hominum, & negotiationes nonne (communiter loquendo) sunt circa lucrum, etiam si sint regnan-

gnandi, vel belligerandi? quænam igitur dementia, vt cor subleues à curis acquirendi, iam magno ac diuturno labore acquisita, temporis momento in apertissimum adducere periculum? nonne potius tormentũ cordis est & afflictio? *væ qui dicitis malum bonum, & bonum malũ, ponentes*
Isa 5.20. *tenebras lucem, & lucẽ tenebras.* sic Is. 5. 20. Quænam cordis lætitia apparet in litigatore, cuius causa, & opes sub controuersia dubiosissima versantur sub iudice? vel illius, cuius opes in mari actu periclitantur ex procella, vel prædonum causa? hæc nẽ possunt esse ipsi ablectamenta animi, & non potius anxietas, & cura ingens? At quæ periculosior lis, aut pelagus, quàm alea? Tristaris valde si tua in lite sint. quamuis sub iudice iusto, & sapiente: & in animi remissionem & gaudium quæris, vt tua iudicentur à stulto, & iniquo iudice, nempe à ca-
Prou 18. 18. su, & alea? nonne vt dixi Prou. 18. 18. *contradictiones* (hoc est *lites* vt alij legunt) *comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat?* si iudicat, ergo iudex est, & à te quæritur in iudicẽ. Nonne si aleatores inspicis, semper videbis tristes, & meditabundos, maximè in actu ipso ludendi? Ludus inuẽtus est, vt animus auocetur à rebus serijs. at cum ex auiditate vincendi tota animi contentione in ludum intendant, certe ludum ipsum efficiunt rem seriam, & consequenter
Vox bellũ significet etiam pulchrum Latinè, & lepidũ. curâ & oppressione animi plenam. Ludus, vt dixi, bellum quoddam est. sed sicut bellum nihil belli habet nisi nomen: sic ludus ludi non nisi nomen habet. Iudices torquent reos aliquando ad exprimendam confessionẽ delicti: torquent inquam, tesseris intra manus eorum colligatas impositis, ita vt infigantur in carne ipsorum. sic dæmon torquet aleatores infixis tesseris per affectionem animi, & per continuum vsum ludendi: infixis inquam tesseris in manibus ipsorum, vt numquam possint ab eis diuelli, semperque vitium ludendi retineant.

6. Quid horribilius bello? at certè aleæ ludus verissimum bellũ est sub nomine pacis. quid enim propriè est bellum, nisi contentio populorum, quâ se inuicem spoliare contendunt rebus suis? prælia autem in ea contentione fiunt per accidens, vt Logici loquuntur: fiunt, dum sine armis adipisci nequeunt, quod requirunt. Neces enim non sunt de belli essentia. vnde plures & honestæ victoriæ absque armis obtinentur. In alea autem quis ignorat homines contendere, vt se mutuo expolient rebus suis: sed & hinc etiam sæpè prælia excitantur, necesque committuntur. Bellum esse aleam ostendunt etiam duces, seu reges, gladij, equites, pedites in chartis depicti, sicut & certamen committi solitum inter agmina chartarum vnius partis cum altera.

Sed addo, esse bellum longè deterius bello propriè dicto. nam in bello plerumque soli Principes se mutuo spoliant, nempe auferendo imperium. subditi autẽ non priuantur bonis suis, nisi aliquando ex accidentia, cum ob resistentiam vrbes diripiuntur ab hoste. in quo casu etiam sæpè pretiosiora non amittunt, ea defodientes, vel direptionem trans-

transferentes in tutum. Sed in bello hoc aleæ inuicem se spoliant rebus suis, adeo, vt plures etiam prædia, & domos perdiderint, & perdant. Bellum est, & tantò deterius, quantò vniuersalius. vbi terrarum enim non grassatur hoc bellum? quæ loca, quos vicos, quas domos, quæ claustra, ne dum quæ regna non penetrat, non deuastat hoc bellum? de bello adagium est, *decem anni belli, vna dies prælij. dieci anni di guerra vn giorno, ò due hore di battaglia.* at in hoc bello omnes dies sunt dies prælij neque solum dies, sed etiam noctes. Bellum extra vrbes, quoad prælia, agi solet in campis patentibus: at hoc intra domesticos parietes, inter Penates, in secretioribus cubiculis nostris vbique exercetur. & quod peius est, in hoc bello non ab hostibus, vel ab ignotis, sed plerumque ab amicis, à conciuibus, à cognatis impugnamur & spoliamur. pugnat frater cum fratre, socer cum genero, cum auunculo nepos. Sed quod deterius est, non putamus nos esse nisi in pace, dicimus *Pax pax, & non est pax.* quod si pax, certè omni bello deterior, & clamare possumus omnes, *Et in pace amaritudo mea amarissima.*

6. Longè plures mortales, plures domos, & familias periisse inuenies ex hoc bello ludicro, quàm ex bello hostili. morti traditi sunt plurimi per aleam. Fuerunt enim olim nobiles, & diuites: sed modo inter plebeos, & inopes delitescunt. vbi sunt diuites; vbi illustres illi? certè perierunt, morte ciuili. mortui sunt diuites, viuunt mendici. bellum aleæ necauit eos. Sic in cortice, & materiali illius parabolæ de Prodigo dicitur, quod *perierat, & mortuus erat, & reuixit.* quod locum habet de substantia, quam consumpserat. reuertens enim ad patrem, etiam ad pristinam nobilitatem, & opes, quasi ad vitam redibat. Bellum post aliquod spatium temporis in pacem conuertitur: at hoc bellum æternum est. Vides quando inceperit, non vides quando definet Bellum ergo amarum: sed bellum hoc, quod pax vocatur, amarissimum. *in pace amaritudo mea amarissima.*

Deteriùs quouis alio bello est hoc. nam in eo puer aliquando vincit virum, debilis fortem, femina marem, immo & Matrem: stultus Salomonem, pauper vnico obolo paulatim vincit diuitem plurimis scutis onustum. in hoc enim bello virga vincit lanceam, acus gladium, hoc est pauculis nummis multis acquiruntur thesauri; (a) *nelle battaglie i soldati si confessano, in questa rinegano.* hoc autem pessimum est in hac re, quod (vt supra ex Sap. 14. 22. dixi per accommodationem) *Viuentes in tanto inscitiæ bello, hæc & tam magna mala pacem appellant.* putant hoc non bellum, sed pacem.

(a) In prælio milites confiteri solent in hoc Deū abnegare. Sap 14.22

7. Nicolaus Leonicus dialogo de ludo ait, Lydos ad famem tolerandam tesseras, aliosque ludos ad quos inuenisse. dic, etiam nunc inseruiunt tesseræ fini suo. famem enim tolerare faciunt: esurire faciunt aleatores nummis perditis, & etiam familias eorum. Famem tolerare eos faciunt, dum auiditate ludendi aliquando cœnam negligunt. Intrant sæpè

in locum aleæ graues auro, exeunt grauati paupertate. (a) *Entran per prender la buona ventura, e la danno,* scilicet alium efficiunt sua infelicitate felicem. Baiuli sunt, & fiunt: prius saccos auro refertos adferunt, paulo post in foro granario saccis & oneribus ferendis operam suam locant.

(a) Intrāt vt recipiant bonam sortem, & eam dāt aliis.

2. *Chartarum liber ab omni natione, & populo intelligitur, versatur.*

2. FACILIVS inuenies locum, vbi non adsint chartæ ad scribendum, quàm chartæ ad ludendũ. libri vnius idiomatis plerumque non intelliguntur à gente alterius idiomatis, Italicè conscriptus liber, versari solet manibus Italorum, Gallicè manibus Gallorum. at liber chartarum ab omnibus gentibus intelligitur, ab omnibus voluitur manu. pueri & puellæ, docti & idiotæ, qui nullo legere norunt in libro, in hoc docti, immo & Doctores sunt. Hic sæpè est lectio puerorum, studium discipulorum, doctrina magistrorum, breuiarium clericorum, vtinam non aliquando & missale Sacerdotum, & pontificale Episcoporum. est Hippocrates medicorum, Bartolus Legistarum, Aristoteles Philosophorum, Donatus puerorum, Calepinus studiosorum. *E la tariffa de' mercanti, quaderno de bottegari, politica de patritij, e de' Signori.*

3. *Omni tempore, & super omni re luditur.*

3. LVDVS est fructus quidam, qui omni tempore anni prouenit, & recens ac suauis est. (a) *Ha stagion d'ogni stagione*, hyeme, æstate, autumno. ante prandium, & post prandium, mane ac vesperi. Ludus opus est, quod agitur in feriis, & in festis. immo plus in festis, quàm in feriis, plus in nocte, quàm in die.

(a) Temporarius est omni tempore.

Ludus cibus est carnispriuij, nec omittitur in Quadragesima. socius est crapulæ, nec tamen in ieiunantibus deest. diuites ludo exponunt superfluum, mediocres vtile, pauperes necessarium. *I seruitori giocano il salario, li operarij la mercede, i soldati la paga, li artefici il guadagno, il monaco il peculio, il prete il beneficio, il prencipe il tributo, il mendico il pane, il galeotto il biscotto fin il marito la moglie, e l'huomo se medesimo, come altroue diciamo per auttorità di Cornelio Tacito delli Tedeschi.* i.e. Famuli ludo exponunt Salarium suum, operarij mercedem, milites stipendium, artifices lucellum, monachus peculium, sacerdos Beneficium, Princeps tributum, mendicus remò addicta mancipia panem biscoctum, vir vxorem, familiam, ac tandem seipsum siue libertatem suam, vt supra vidimus ex Corn. Tacito. & Athen. libr. 10. cap. 15. ait, *Athen. li. 10. c. 15.* qûod Heliogabalus Rhodius tyrannus ludebat talorum ludo, ea conditione, vt victus adduceret ad victorem mulierem, quam victor voluisset. ergo etiam vxorem fortasse cogebatur adducere, si petiisset. Sed non vt fabellam audiui de quodam alio, qui vxorem ludo exposuit, & perdidit, hoc est eius castitatem, quā tamen victor modestus noluit violare.

4. Ludus auocat quemlibet à sui muneris officio.

4. LVDVS institutus fuit ad destruendum otium. at homines eo vtuntur ad destruendum negotium. nam ille auertit discipulum à schola, artificem ab opere, aduocatum à causa, clericum ab Ecclesia, monachum à choro, iudicem à foro, prælatum à regimine, principem à cura regni, dominum à cura familiæ. Liber chartarum est diaboli officium, quod vt ei persoluant & recitent serui eius, clerici eius, quodcumque aliud omittunt officium. vtinam non & quandoque clerici Ecclesiæ suum, vtinam tanta animi attentione, & cordis deuotione persoluerent officium Deo, sicut aliquando persoluunt diabolo. præsertim cum alea in eis magis vituperanda sit.

2. Ludunt censum antequam recipiant.
3. Alea non discernit loca, tempora, personas, in quibus, & cum quibus ludat.
4. Ansam ad ludendum vndecumque omnes captant, excusationemque prætendunt.

2. FILII, aleæ exponunt sudores. patres hereditatem filiorum. viri dotes vxorum. vxores res virorum. Si habent, ludunt ex eo, quod habent: si non habent, ex eo quod habebunt. *La robba è prima giocata, che nata, la biada prima viene in tauola, che in campagna; l'entrata prima è vscita, che entrata, le biade copiose prima, e più facilmente entran nel bussolo de' dadi, che nelle porte de i granari.* Res prius est ludo donata, quàm nata; fruges prius in tabulam lusoriam veniunt, quam in agro excreuerint; & faciliùs intrant in pixidem aleatoriam, quam in horreum latissimum.

3. Cum sors cæca dicatur, talis est præsertim in ludo aleæ. non enim respicit personas, non distinguit loca, non discernit tempora, non reueretur iura, non parcit qualitati rerum, quæ ludo exponantur. Aleator enim auidus, & impudens ac discolus cum omnibus ludit, omnibus diebus ludit, omni loco ludit, super quacumque re ludit. lucratur à filio res patris, à monacho res monasterij, à minore ea, de quibus non potest disponere, à fure res furto ablatas.

4. Facilè semperque occasionem ludendi captant, si læti sunt, ludunt, quia sunt læti; si tristes, ludunt, vt sint læti. si otiosi sunt, ludunt, vt liberentur, inquiunt, ab otio. si occupati, vt remittant animum à negotio: si docti, & studiosi, vt vnus liber, nempe aleæ alleuet defatigationem alterius: si idiotæ; quia in alio codice legere non nouerunt: si iuuenes, quia iuuentuti videtur congruere ludus: si senes, quia lucrum captandum putatur à senibus. si diuites, ludunt, quia superflua habent: si pauperes, vt superflua habeant. in æstate, ludamus aiunt, vt fallamus longos dies in hyeme, longas noctes si prospera succedit alea; quia dum sors benigna est, illâ vtendum: si aduersa; vt quod perdidit ludendo, ludendo recuperet.

Alea diuites afficit paupertate, pauperes mendicitate, mendicos extrema necessitate. nobiles facit degenerare, mercatores decoquere, artifices esurire, cunctos miserrimè indigere.

2. *Alea sæpè ob circumstantias mortale peccatum est.*

2. SED contra iacula hæc omnia te tueris clypeo illo, quod scilicet ludere aleâ non est peccatum mortale. Non est peccatum mortale de se, & absolutè sumptum; at vt Doctores docent, & Salas de ludo locis citatis, ex circumstantiis sæpè esse potest mortale. Aleâ ludere non est peccatum mortale: at ludendo coniicere se in proximum discrimen non soluendi debita, seu mercedes, vel similia, ob pecuniam perditam in ludo; hoc est peccatum mortale. Ludere non est peccatum mortale at si ludas, cum scias te à ludo solitum adduci ad blasphemias, rixas, ad iracundiam, qua deinde in domesticos facilè sæuias, est peccatum mortale. Ludere non est peccatum mortale: sed pater tibi ludum interdixit quãto potuit imperio, & obtestatione, & tamen ludis: est peccatum mortale. nam non obedire parentibus in similibus casibus est culpa mortifera, vt videre est apud Toletum libr. 5. c. 1. Ludere nõ est peccatum mortale: at ex ludo tuo familia tua, cui teneris subuenire, notabiliter patitur in alimentis; vel patitur notabiliter officium, aut ministerium, aut alia huiusmodi curæ tuæ commissa: est peccatum mortale. Ludere non est peccatum mortale. at iurasti, seu vouisti non ludere, & ludis: est peccatum mortale. Ludere non est peccatum mortale. at pater tuus inde grauissimè contristatur, aut damnum notabile patitur in rebus suis; & tamen tu ludis: est peccatum mortale. Ludere non est peccatum mortale. sed ludẽdo inducis collusorem in eam, quam vocant extremam, vel valde grauem necessitatem, est peccatum mortale. Vide Salas supra, & perpende Doctorum regulas in statuendis peccatorum differentiis, & videbis an cum ratione locuti simus. Mitto plures alias circumstantias, quibus potest ludus esse mortalis. ne longior sim. Sufficiat narrasse quæ sæpè aut plerumque accidunt.

Tolet. lib. 5. c. 1.

CONVIVIA.

2. *Conuiuia facere sæcularibus vitent clerici.*

3. *Similiter & à sæcularibus inuitati. raro acceptent.*

2. ONVIVIA facere, præcipuè vitandum est sacerdotibus, & religiosis. vnde Hier. tom. 1. ep. 2. ad Nepotianum, *Conuiuia tibi vitanda sunt sæcularium, & maximè eorum, qui honoribus tument. turpe est ante fores sacerdotis Christi crucifixi, & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum & milites excubare; iudicemque prouinciæ melius apud te prandere, quàm in palatio.* ita Hieronym. applica religiosis, vel aliis presbyteris, dicen-

D. Hier. tom. 1. epist. 2.

dicendo, turpe est ante fores presbyterorum, vel monachorum excubare milites, seu famulos nobilium, immo equos, & carrucas, quibus huc sunt deuecti. turpe est aulicum melius prandere in monasterio, quàm in palatio; & melius apud presbyterum, quàm apud principem; melius de bonis pauperum (talia enim sunt bona Ecclesiasticorum) quàm de ferculis diuitum.

Si clerici, vel monachi lautum conuiuium fecerunt homini nobili; dicent conuiuę, conuiuium hoc non decere monachos; si modestum fuit; dicunt non decere nobilem: si splendidè exceperunt conuiuas; dicunt, pape quam benè se impinguant isti fratres; si exceperunt parcè; dicunt quid facient isti in nos extra tempus obsequij, quando sunt etiam in ipsa erga nos vrbanitate inurbani?

Sacerdotum est pascere sæculares in Ecclesia, non in domo; pascere de altari, non de mensa. debent esse amici sæcularium, sed vsque ad aras, hoc est in casu nostro, quantum pertinet ad spiritualia.

3. Ibidem dicit Hier. facilè cõtemnitur clericus, qui sæpè vocatus, ad prandium, non recusat. numquam petentes; raro accipiamus rogati. nescio enim quomodo etiam ipse, qui deprecatur, vt tribuat; cum acceperis, viliorem te iudicat. si eum rogantem contempseris, plus te postea venerantur.

2. *Conuiuæ nares in ore, & ventre habent.*
3. *Nobilitas multorum in bestialitate sita.*
4. *Cuncti dies epulonum sunt Caniculares. semper esuriunt.*
5. *Vermis & vrtica splendidius epulantur regibus.*
6. *Totum studium, & doctrina in cibis sita.*

2. EOVSQVE peruenit luxus conuiuiorum, vt in iis non solum cibos, sed odoramenta, & aurum, atque colores, & figuras per pulchras in cibis velint comedere. Si infanti exhibeatur odoramentum aliquod, verbi gratia, moschus, & ille ori suo illud admoueat; item si aurum in manus illius porrigamus, & eodem pacto in os illud ingerat; certè dicemus infantiliter, & stultè id facere; cum naribus odorifera res sit applicanda, & aurum non in buccam, sed in bursam sit immittendum. & tamen in mensis moscũ, & alia huiusmodi, & aurum, & colores, ac figuras cum cibis comedunt, quasi cibaria essent. & tamen non infantes, stultique, sed viri, & sapientes putantur. immittunt odores in os, quasi nasum in ore habeant, & aurum in buccam, quasi eorum bucca sit eorum bursa.

Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 1. dicit, gulosum esse quasi asinum piscem, qui ex Aristotele habet cor in ventre. Dic, verè esse asinum; quia ventri deditus, in rebus omnibus solet esse rudus, & ignarus, atque ineptus eo quod cor, hoc est ingeniũ totum (cor enim sæpè pro mente in scriptura, & apud Auctores sumitur) ingenium inquam totum habeat in ventre, videlicet in iis, quæ pertinent ad indulgendum ventri: in reliquis autem prorsus mente ca- Clem. Alex. libr. 2. Pædag. c. 1.

reat. cùm autem, vbi eſt cerebrum, ibi etiam ſit caput, & vbi caput, ibi oculi,& nares:quid mirum ſi guloſus in ventrem immittat odoramenta,& aurum, atque colores pulchros,cum ibi habeat caput, & conſequenter naſum, & oculos? Hæc etiam quis negabit eum habere in ventre, cum in rebus ventris ſit valde naſutus, & valde oculatus?

3. Multi diuites, & præſertim populorum rectores, toti ſunt in ſplendidâ epulatione, & in venatione animalium. adeo vt videantur conſtituere nobilitatem, ſeu dignitatem Regiam in hiſce rebus, & ad hoc ſe nobiles, ſeu Principes effectos. cum verò hæc ſint opera beſtiarum, in eo tantum differunt à brutis, quod bruta venationes, & epulas ſequantur, & hi verò ſplendidas venationes,& epulationes. vnde ſicut aiebat rex ille ſapiens. *Memento fili regnum noſtrum eſſe ſplendidam ſeruitutem*, ita quilibet iſtorum dicere videtur filio ſuo:Memento fili Regnum noſtrum eſſe ſplendidam beſtialitatem. Cetera enim regiminis opera negligentes, & aliis miniſtris committentes, ipſi vacare ſolent tantummodo prædictis rebus. Fortè dictum eſt, *Regnum Dei non eſt eſca & potus*; ne fortè quis ita de illo exiſtimaret, eo quòd Regnum mundi in iis vulgò putetur conſiſtere.

De Regno autem, & de nobilitate humana facit illud Lucæ 16. *Homo quidam erat diues; & induebatur purpura,& byſſo.* Maldonatus hic videtur ſuſpicari hunc fuiſſe Principem, vel Regulum, quod purpurâ indueretur, Regio indumento. ſi ita eſt;cum hic deſcribatur indutus Regiâ veſte, putabis dicendum de illo, quod ſeſſurus eſſet pro tribunali, vt munus Regium exerceret. attamen, ſubditur, quod ſplendidæ menſæ quotidie aſſidebat. *Et epulabatur quotidie ſplendidè*:totus erat in hac ſplendida epulatione. vnde & cognomen *Epulonis* apud omnes inuenit Chriſtianos. Videtur ergo iſte indutus regia veſte deſcribi ab Euangeliſta, & deinde vacare epulationi ſplendidæ, quaſi ad hoc Rex eſſet, vt ita epularetur, & diceret factis, ſi non dictis, Memento Regnum noſtrum eſſe ſplendidam beſtialitatem. ſic Pſal. 48. litteraliter de diuitum, & Potentum felicitate loquendo (vt doctiſſimus Ianſenius præſertim exponit) ait de eo, qui eſt in honore, ſeu dignitate apud homines: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit. comparatus eſt iumentis inſipientibus,& ſimilis factus eſt illis.* non intellexit dignitatem, nobilitatem, ſeu Regiam dignitatem ſuam, nimirum in quo cõſiſteret, ſed tradendo ſe cultui ventris venationis, & ſimilium. neglectâ animi curâ, comparatus eſt iumentis inſipientibus.

Lucæ.16. *Pſal 48.*

4. *Epulabatur quotidie ſplendidè*, ſemper ſaturabatur,& numquam ſaturabatur. quotidie enim, non ſemel in hebdomada ſplendidè epulabatur. De huiuſmodi hominibus caninâ fame laborantibus dicendum, quod *Famem patiuntur vt canes*. cuncti ergo dies illorum ſunt dies caniculares, *giorni da cane, vita da cane*. Caniculares ſunt dies eorum hic; vtinam non & in alio ſæculo. an non caniculares dies ſunt, dies omnes prædicti diuitis,

tis,qui morte canis ore hiantis in calore inferni,quasi linguam exertam, aridamque ostentat, & cupit guttam, quæ illam refrigeret? Omnes dies, caniculares illi sunt: quia clamat; *crucior in hac flamma.* quando enim magni calores,nisi in diebus canicularibus?

5. Huc tendit conuiuiorum, ac mensarum splendor, vt plurima supersint conuiuis, etiam saturis. hanc æstimat homo felicitatem, quæ in maledictionem diabolo in serpente existenti, collata fuit. dum dictum

Gen.3. est ei Gen.3.*Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* an non serpenti semper superest quod edat, nempe vniuersa terra? idem dic de vermiculo. ergo vermes innumeri splendidiùs viuūt,

(a) Semper illis cibus in mundo superest. quàm Reges. (a) *Sempre auanza loro vn mondo di cibo,ò di mangiare.* ij igitur conuiuantes quærunt maledictionem serpentis pro beatitudine Principis. in hoc enim Princeps putat, vt ita dicam, se beatum, si supersit sibi quasi ciborum mundus. Ita Salomon sicut in omni gloria sua vincitur à lilio agri quoad vestitum; ita & quoad victum.nam lilium semper habet ori suo, nimirum radici, alimentum paratum, nempe terram; & semper tota terra illi superest post saturitatem, vt ita loquar.ergo serpens,ergo vermis, ergo lilium, & vrtica splendidiùs epulantur omnibus regibus;quia plura eis supersunt post cibum; & mensam longè ampliorem obtinent.

6. Conuiuia,ita vocata fuisse quasi *combibia*, testantur auctores, eo quod simul biberent,quasi comestio sit accessorium quid,compotatio autem principale.vt autem ostendatur, quod in hac materia conuiuiorum, seu combibiorum diligentissimi sunt multi homines,dictum est Prou.23. Prou. 23.

quod *student calicibus epotandis.* Non satis est. super hac doctrina multos libros editos typis fuisse de epulis conficiendis, sed Geta Imperator apud Brusonium de gula, vt bonum discipulum in hoc studio litterarum se exhiberet, dapes in conuiuio apposuit ordine alphabetico, incipiendo à littera A, vt primo apros, anates, & ita per alia elementa litterarū perrexit in ceteris cibis.

Student calicibus epotandis dictum est etiam per Hierem. 6. de auaris, Hiere.6.

quod *auaritiæ student.* auaritia autem est *auri sacra fames*, vt Poëta ait, vnde Iobi 20. 15. *Diuitias quas deuorauit, euomet.* sic ergo etiam crapulæ studium,est quædam auaritia ciborum congerendorum. ergo etiam huic auaritiæ student. Prudentia,& intellectus,sal capitis vulgò etiam nuncupatur.vnde dictum, (a) *hauer sale in zucca* verè ergo sal est mens epulonum huiusmodi. nam non ad aliud aptum, & factum videtur sal, quam ad cibos condiendos. talis autem est intellectus ipsorum, & in hac vna re tantum adhibetur, & insumitur ad cetera inutile. cum enim vniuersas litteras,vt paulò ante de Geta Imperatore diximus, in re huiusmodi impendant; extra id, neque iota vnum nouerunt,vt dici solet, (b) *non san vn iota fuor di quella professione,ò non vaglion vn iota.* Geta enim omnes vorabat litteras modo explicato.

Iob 20. 15.

(a) Habere salem.

(b) Nesciunt vnum iota, præter illam artem, vel ne quidē iota valeat.

Adeo illorum sal (scilicet prudentia) totum est condiendis cibis, vt in

cibis ipsis ob plurima condimenta vix supersit aliqua eorum qualitas, vel gustus. sicut enim Ouidius ait de nimio cultu mulierum, tot ornamentis gemmarum, aurique, & aliarum rerum eas vbique repleri, vt *minima pars sit ipsa puella sui* : ita & in cibo accidit. vnde non cibum cum hoc condimento, sed hoc condimentum cum illo cibo dicere possumus nos edisse.

2. *In conuiuio nil minus, quàm mortem cogitant, cum inter mortuos tamen tunc sint.*

Eccles. 7.3 2. ECCLESIASTES 7.3. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit.* cur speciatim opponit domum luctus domui conuiuij? certè etiam domus conuiuij sæpè est domus luctus: quia *rixæ, & væ, & sine causâ vulnera his qui commorantur in vino*, vt Prou. 23. & vina potentia sæpè lacrymas duplicis generis eliciunt à conuiuantibus. conuiuium enim, vt dictum est, dicitur, quasi combibium. dic tamen opponi domui luctus; quia conuiuantes longissimè abesse solent à mortis cogitatione, quæ luctum ingerit, & mæstitiam. vnde vulgò dicitur, (a) *Non ricordar morti à tauola.* & cum conuiuantes circa mortuos ferè semper versentur, nempe pisces, aues, animaliaque mortua; & comestio nil aliud sit, quam pugna quædam, & defensio contra nobis imminentem mortem; & ideo mortis memoriam maximè ingerere deberent: tamen minimè omnium de ea cogitant. Audiui aliquando, mortuorum curatores tempore pestis super currus cadaueribus onustos sedentes, per viam procedere fuisse solitos; lyras interea pulsantes cum lætitia. ita conuiuantes, cum sedeant super cæmeteria mortuorum, & ipsos actu ipso sepeliant in ventribus suis; tamen tantum abest, vt de morte cogitent, vt potius lætabundi comedant, ac si numquam mori deberent, & musicam adhibeant mensæ Isa. 5. *Cithara, & lyra*, & cet. *in conuiuiis vestris.* Isa 5.

Prou. 23.

(a) Noli resuscitare mortuum in mensa.

Sed melius fortasse dicetur, quod licet comestio, mortis memoriale sit, quia per eam nos à morte defendimus, & præseruamus: tamen cum conuiuantes sæpè ex iis sint, qui non edunt, vt viuant, sed viuunt, vt edant; immo edunt, vt edant, non vt viuant, non ad necessitatem, sed ad luxum, & voluptatem; ideo non recordantur mortis in conuiuio. ideo ergo opponitur domus luctus, in qua finis cunctorum admonetur hominum, domui conuiuij. Subditur: *Et viuens cogitat quid futurum sit.* domus conuiuij etiam in hac re præcipuè opponitur valde domui luctus. nam conuiuans nonnisi merè præsentia plerumque cogitat præsentem voluptatem, hanc cogitat, non autè nutrimentum ex cibo capiendum. non solum non cogitat quod futurum sit, nempe mortem, (quod Salomon hic indicari vult, vt etiam quę post mortem sequuntur.) sed neque quod futurum sit paulò post, scilicet grauedinem ventris, seu stomachi, pœnitentiam, torsiones, & vigiliam in nocte.

&c. comedunt enim (a) *Come caualli cocapo nel sacco. senza mirar ò discerner cosa alcũa.* Nō implent illud Prou. 23.1. *Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo*, scilicet cultrum discretionis, quâ sicut cultro diuidimus cibos, ita discernamus in eis quid quamtumve edamus.

(d) Sicut equi qui caput ingeriant sacco, absque eo quod quid discernant.

Prou. 23. 1.

Ecclesiastes c. 11. ait, *Da partem septem, nec non & octo.* Lorinus ait, hoc loco alludi fortasse ad numerum conuiuarum, qui septem, vel octo esse debebant. nam vbi plures, ibi confusio. vnde vetus adagium, de quo Capitolinus: *Septem conuiuium, sine plures conuitium*, hoc est rixæ & contentiones: vnde ibidē teste Lampridio Heliogabalus inuitabat octo surdos, vel cæcos, vel pinguissimos, vel alios huiusmodi aliquo defectu corporis insignes ac notabiles, ad risum captandum, non autem plures: quia conuiuium plures non admittebat. Qui verò cœli Imperator, & Rex præfinitus est, nempe electus & iustus, imitatur in facto, sed non in intentione operis, Heliogabalum. nam vt perfecto gaudio rideat, & lætetur in corde suo, (sciens, quia *hilarem datorem diligit Deus*, & quod *iucundus homo qui miseretur & commodat*,) inuitat non diuites, & consanguineos, sed pauperes, &c. Lucæ 14.12. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos neque cognatos, neque vicinos diuites. ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos & beatus eris: quia non habent retribuere tibi. retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* his ergo miseris conuiuia faciamus, & beati erimus: cæcos, & claudos, & similes in mensa nostra cernamus; non autem per irrisionem talium, vt Heliogabalus.

Ecclesiastes c. 11.

Luca 14. 12.

Tot odoramenta congerunt in ipsis cibis conuiuiorum, vt credas ipsos nedum in facie, sed & in ventre habere nasum. (a) *Par che habbin il naso fin nelle budella.* sic Sap. 2. 7. *Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus. voglion muschiar, e profumar fin le budella loro*, etiam latrinas corporis internas odoribus condire gestiunt. vel dic, eos hac re ostendere ipsorum animas, vel ipsos intus esse mortuos: solebant enim mortuos condire vnguentis. mortuos inquam peccati morte videntur se ostendere. vel dic, eos sepelire filios, & homines absque vnguentis; gallinas autem, & sues vnguentis conditos pretiosis. nam *sepulcrum patens est guttur eorum.* in hoc sepeliunt prædicta animalia, vt apud ipsos melius sit esse porcum, quàm filium, vt Augustus dixit de Herode, qui filium necarat, cum suibus parceret, vt Iudæus.

Vnguentis nos impleamus, Hugo & alij exponunt de medicatis & odoriferis potionibus ad suauius bibendum vinum adhibitis.

(a) Videntur nasum habere porrectum vsque ad intestina.

Sap. 2. 7.

2. *Cur Coronati conuiuantes olim essent.*

2. IBID. Sap. 2. 8. sequitur: *Coronemus nos rosis antequam marcescant.* Rodig. antiquarum Lectionum lib. 3. cap. 9. & alij testantur, antiquos coronatos mensis assidere solitos. vnde subdit, *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, hoc est luxus, & incontinentia, quæ in comessationibus, & libidine præsertim videtur inesse. coronati edere volunt;

Ibid. Sap. 2. 8.

Rodig. antiquarum Lectionum lib. 3. cap. 9.

volunt;quia non parcè, ſed regiè edere volunt. *Voglion mangiar da Rè, bocconi da Principe.* 2.Reg. 13.de conuiuio ſplendido dicitur, *Conuiuium, quaſi conuiuium Regũ.* Coronati edunt; quia in hiſce rebus eorum triumphi conſiſtunt. *Coronemus roſis nos.* coronati accedunt ad eam pugnam, ſecuri quod legitimè certabunt, victoreſque erunt in eo prælio, nec quemquam ex hoſtibus, ſcilicet ex animalibus in campum venientibus, abſque aliquo vulnere relinquent. vel ſaltem per ſeruos ſuos illos confodient ſi non poſſint per ſe ipſos. *coronemus nos.* quia oſtendunt,ſe armis ſuæ prodigalitatis, haſtiſque nummorum argenteis illos omnes hoſtes ſubieciſſe ſibi, & occidiſſe; ideoque quaſi captiuos in triumphum adductos coram ſe illos habent *Nullum pratum ſit,quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Tanquam apes ſingulos flores prati libantes; tantummodo ſingula fercula magni conuiuij delibant. pertranſeunt prata iſta; quia in nullo conſiſtunt cibo,ſed curſim ab hoc ad illum tranſeunt, ſtatim faſtidito priore. vnde & ſubinde mutari dapes volunt in eadem menſa. ſic epulæ tranſeunt per epulones,epulones tranſeunt per epulas. Eccleſiaſtici 37. 32. *Non te effundas ſuper omnem eſcam. in multis enim eſcis erit infirmitas.* quaſi aqua decurrens ſe effundunt ſuper omnem paratam eſcam conuiuij, vtpote non valentes ſe continere more aquæ diffuſæ ex vaſe continentiæ.

1.Reg.13.

Eccleſiaſtici 37. 32.

Eccleſiaſtici 37. *Auiditas appropinquabit vſque ad choleram.* qui flegma, hoc eſt moderationem non habet in edendo,ſiue patientiam;eam habebit poſtquam comederit. (vulgò flegma pro patientia ponitur.) at habebit poſt eſum,etiam quatenus idem eſt cum pituitâ, immo non ſolum flegma, ſed choleram, & atram bilem ſuſtinebit.Hæc inquam non tam materialiter, quàm metaphoricè patietur. (a) *Biſognera habbi pazienza collerae melanconia.* per auiditatem enim emimus pœnitere .*coſi per cauarſi vn humor (cioè per cauarſi vna voglia,) il goloſo ſe ne tira adoſſo quatiro, cioè li ſopradetti, aggionti ui il ſangue impuro* .ideo qui in edendo vult eſſe lupus, poſt eſum cogitur eſſe agnus, ſcilicet patientiâ, præſertim ſi infirmetur: cùm per choleram febres gignantur.ideo inquit,*in multis enim eſcis erit infirmitas,& auiditas appropinquabit vſque ad choleram.* oportebit ergo,vt fiat agnus obmuteſcens corã medico tondente ſe per pecuniæ mercedes, ac etiã torquente ſe per curationis paſſiones,ferrum,ignes,pharmaca:atque etiam agnus occiſionis aliquando cogitur fieri. quia etiam ſi occidatur à medico, qui impunè id ſolet facere, tamen patienter fert, quaſi beneficium,nec os contra illum aperit.vnde ſtatim ſubdit. *Propter crapulam multi perierunt.*

Eccleſiaſtici 37.

(a) oportebit vt habeat patientiã; Coleram & melancholiam.

(a) Ita guloſus dum Vni humori i.e. cupiditati, obſequitur. quatuor ad ſe trahit, nempe tres prædictos & ſanguinẽ impurũ.

3. *Os inter barbæ pilos quaſi inſidiator latro in ſylua.*

3. PROPTER *crapulam multi perierunt.* os noſtrum in viris vndique circundatur barbæ ſuperioris, & inferioris pilis, quaſique eſt

est spelunca in medio syluæ & verè in hac spelunca in luco posita latet latro insidians. (est enim spelunca latronum.) latro, hoc est gulositas, siue appetitiones gulositatis. vel etiam in ea est latro, hoc est lingua, quæ latrando, & latrocinando spoliat eos, qui deuenerint in manus suas thesauro famæ. De hac auiditate edendi; quia sæpè decipit prætextu necessitatis, vel sub specie suauitatis gustus (vt dicitur Habac. 2. *Vinum potantem decipit.*) dici potest, quod de meretrice ait Sal. Prou. 23. 28. *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.* ideo dictum, quod propter crapulam multi perierunt. insidiatur gula quasi leo in spelunca sua.

Habac. 2.

Sal. Prou. 23. 28.

Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapentis. citatur hic locus à D. Greg. siue ita legitur, quod Prou. 21. 20. *Thesaurus, & oleum in habitaculo iusti.* Poëtæ etiam solent dicere os thesaurum esse in muliere, vbi margaritæ dentium, carbunculi labiorum. sed & in ore epulonis thesaurus est; non solum quia margaritas, aurumque in cibis etiam comedit aliquando in quibusdam sorbitiunculis, sed quia, *Omnis labor hominis in ore eius.* quidquid lucratur, sæpè illuc intrat.

D. Greg. Prou. 21. 20.

2. *Corda grauantur crapula multiplicis esse.*

3. *Panis & aqua duo pedes, quibus itur ad saturitatem.*

4. *Stultum est pluribus escis quasi pedibus festinare ad mortem.*

2. SI *corpus, quod corrumpitur aggrauat animam*, quamuis vnum sit: quantò magis non vnum, sed plurima animalium corpora in conuiuij mensa id efficient? immo omnia quæ eduntur, corpora sunt: non enim sunt spiritus: & corpora sunt in epulante, quæ in eo corrumpuntur. non enim potest fieri generatio per alimentum, nisi præcedat corruptio. At quantò deteriùs aggrauabunt animam si corrumpantur eâ corruptione, quæ est vitiata & imperfecta digestio à crapulâ prouenient? Si adeo aggrauat corpus vnum viuum, quantò magis multa mortua? si animæ corpus connaturale, quantò magis extranea? si caro nostra sola adeo militat aduersum spiritum, quantò magis adiuta exercitu integro è terra, marique comparato, hoc est ex animalibus terrestribus, & piscibus? Terrâ, marique simul oppugnatur misera anima in conuiuijs hodiernis, in quibus simul carnes, & pisces adsunt. aggrauat animam, aggrauat mentem, ne valde eleuari valeat ad intelligẽdum. Quomodo enim corpora mortua valeant gignere, quos vocant viuos spiritus, hoc est viuaces? melius id sonat idiomate nostro, *Come corpi morti pon produr spiriti viui?* quomodo valeant bestiæ adiuuare intellectum, quando neque retinent sensum? Si per aduentum vnius hospitis etiam modesti, sæpè detinetur dominus domûs suis, quomodo tot hospitibus simul ingressis, non impedietur homo ab operationibus suis, ab oratione, à studijs, & ceteris

huiusmodi; Anima, seu animus ex Rege, vel Philosopho (qui paulò ante erat, præclara agens negotia, vel studia sapientiæ agitans) totus in coquinam redigitur ad hospites illos terga vertens ceteris cogitationibus, & actibus; quasi homo domesticis suis relictis, vt hospites excipiat, & detineat, ac pascat. Prædicta ergo aggrauant animam, Lucæ 21. 24. *Ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate.*

Luca 21. 24. *Xenoph. libro 1. de inst. Cy.*

3. Xenophon de institutione Cyri libro 1. ait, Astiages Medorum Rex excepit Cyrum nepotem conuiuio omnis generis ciborum, omnisque conditurae instructo. Cyrus autem, vt qui vitæ frugali assuetus erat, ait regi auo suo: Cùm tu & nos ad eandem metam tendamus in conuiuando, nempe ad satietatem; vt quid tu tot cibaria, tantumque negotij assumis in degustandis singulis, cum nos panis, & caro breui & facili viâ ad eam metã transferant? Sed adde: morem esse diuitum, & magnorum, vt si velint progredi ad certum locum, etiam vicinum; cùm duobus pedibus id possint, tamen magna impensa, temporisque dispendio, atque turbatione animi, non nisi centum pedibus eam viam breuem conficere velint; nempe comitatu multo seruorum & equorum, vel vehiculorum. Idem faciunt tendentes ad satietatem, vt supra explicatum est. duo pedes sufficiunt toti mundo, innumeris dico mortalibus, vt facilè viam suam, & breui conficiant. duo etiam pedes sufficiunt, vt ad metam satietatis tendant. hi sunt aqua, & panis, Ecclesiastici 29.

Ecclesiastici 29. 28

28. *Initium vitæ hominis aqua & panis.* initium, hoc est caput & summa, vt literaliter exponunt. ergo si de cibis loquamur, vnus videtur necessarius, nempe panis; quem præsertim petimus in Oratione Dominicâ, quamuis & cetera necessaria vitæ in eo intelligi dicantur. ita ergo laboranti ad parandum conuiuium dici potest, quod dictum est Marthæ, quamuis in alio sensu; dici inquam potest huiusmodi animæ laboranti *sollicita es, & turbaris erga plurima. porrò vnum est necessarium.* Vnus pullus, quasi vnus equus potest deferre diuitem ad metam saturitatis: tamen plurimas aues, & pisces adhibet ad currũ suum, vt ostendat personæ suæ magnitudinem, &c, vt vulgò aiunt, suam grauitatem. *Per mostrar che è persona digran portata, e di molta grauità.*

4. Sed cum etiam duobus pedibus ambulemus etiam ad ægritudinem, & ad mortem; nempe per simplicem victum panis, & aquæ, vel potus, nisi in eo continentes simus, in quantitate assumenda: cum etiam naturaliter properemus omnes ad corruptionem, & mortem; quænam stultitia est, quærere tantâ animi molestiâ, tot impensis, & scrupulis cordis, tantum equorum numerum, & vehiculorum, eisque equis tot adhibere calcaria, vt citius nos ad infirmitatem, & mortem trahant? certum enim est nos tot equos assumere, quot cibos, & tot calcaria reddere eis, quot sapores. & condimenta adiungimus. Quòd autem ad hoc nos perducant, iam supra ostensum est Ecclesiastici 37. *In multis enim escis erit infir-*

Ecclesiastici 37.

infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Choleram posuit ad explicandum quid sit, in quo sita sit infirmitas regulariter, nempe febris in cholera, hoc est bile. auiditas ergo tua per tot cibos, per tot equos appropinquat ad choleram, hoc est ad infirmitatem. infirmitatem sæpè mors sequitur. ad mortem ergo etiam tendis. vnde statim sequitur, *Propter crapulam multi perierunt*: quid est perierunt? citius venerunt ad mortē. vnde addit, *qui autem abstinens est, adijciet vitam.* quid mirum ergo, si Ecclesiastici 10.11. *Omnis potentatûs breuis vita*: cùm, qui induitur purpurâ & bysso epuletur quotidie splendidè; Pauper tardè peruenit ad mortem; quia boues tantum addit currui vitæ suæ. at diues citò; quia omnis generis animalia, & lepores adhibet, & ei addit volatilia pennata.

Ecclesiastici 10.11.

2. *Epulones, vt iumenta præsepio, ligati sunt per guttur; seu gulam, epulis, & mensa.*

Ecclef. 3. 3.18.3ſl.

2. Ecclesiastici 18. 10. *Ne oblecteris in turbis, nec immodicis.* & cæt. Græca apud Tanſ. hic, *Ne lateris in multis delitijs, neque alligatus sis consortio earum, ne fias pauper, symbola diuidens,* hoc est conuiuia faciens. multi adeo assueti sunt delitijs, præsertim splendidæ mensæ, vt sint tanquam iumenta alligata præsepio, & quamuis ex hoc videant se breui ad nouissimam vitæ metam peruenturos; tamen nequeunt se soluere vinculo illo, quo in collo, & gutture, siue gulâ ligati sūt, *son legati per la gola ouer appiccati per la gola ai la mangiatoia:* *i.e. gulâ (siue gulositate) alligati sūt præsepio, vel ex eo suspensi: iniquitates enim suæ capiūt impiū, & funibus peccatorū suorum cōstringitur*, vt Prou. 5.22. ideo rectè hic inquit, *neque alligatus sis consortio earum. appiccato per la gola dicesi, cioè per la golosità: e per il vitio della gola.* Prou. 5. 22.

3. *Gulosi monachi, Deo ventri, quasi voto, obligantes se.*

3. Ne lateris in multis delitijs. neque alligatus sis consortio earum, & cet. epulator ex ijs est, *quorum Deus venter est.* Sicut autem qui Deo seruire optat, priùs experitur eam seruitutem, ac tum iucundum inueniens, habitum Religionis assumit; ac tandem exacto probationis tempore, Deo per professionem se obligat: vnde dicitur religiosus quasi religatus, vt omnes exponunt: sic delitiosus in cibis, cum seruitutem dei sui, nempe ventris, iucundam sit expertus, ideo tandem habitu consuetudinis sumpto in ea seruitute, & quasi religione; tandem obligat se se ipsi deo ventri suo; ita vt quasi professus, ferè nequeat amplius deponere habitum, & relinquere professionem vitæ epulatricis. ideo dictum, *Ne lateris, &c. neque alligatus sis,* quasi dicat per votum, tuo ventri.

Adde: quotidie quidem religiosus soluit pensum officij Deo; ita hic epulo id præstat Deo suo. nam exemplum habemus in illo, qui *epulabatur quotidie spendidè.* vel dic, quod quotidie vt deuotus sacerdos illius Dei, in altari mensæ illi sacrificabat dapes, & animalia diuersa. Sed sicut religiosus verax in professione

eius instituti cogitur simul votum paupertatis emittere, sequendo illud *vade, & vende omnia, quæ habes,* &cet & ita propter susceptam hanc seruitutem nihil illi remanet in sacculo: ita etiam accidit huic epuloni sese Deo suo obliganti. ideo ait, *neque alligatus sis consortio earum, ne fias pauper.* &c Cùm nouitius in religione letenter agit, iudicatur, quod in eâ emittet professionem, præsertim paupertatis. ideo ait, *ne læteris in delitijs neque alligatus sis consortio earum. ne fias pauper ex fænore.* & nihil tibi sit in marsupio. nota ex fœnore depauperari hunc prodigum. cogitur enim iniquis conditionibus ad vsuram accipere. *Per empirsi fin à gl'occhi mangiando, fin à gli occhi bisogna s'indebiti: per voler empire la bocca vuotare la borsa,* & nihil tibi sit in marsupio.

(a) Vt totum se ingurgitet. totum se Creditoribus obstringere cogitur: exhaurire bursam, ad implendam buccam.

3. *Diuites sunt vespillones animalium, vulgo* piccicamorti.

3. TANTA est copia, & varietas ciborum in conuiuijs hodiernis, vt conuiuæ ea tantum degustare queant. cum verò hi cibi plerumque animalia mortua sint, videtur dicendum, gloriam diuitum, & Regum conuiuia facientium in eo sitam esse, vt se efficiant funerum curatores, quos vulgo dicimus *piccicamorti, ò beccamorti:* à verbo *piccicare* quod significat decerpere, seu carpere exiguum aliquid summitate duorum primorum digitorum. in hoc tantum differunt à vespillonibus, quod ij sunt (*b*) *piccicamorti d'huomini, questi di bestie* quod nomen etiam eis competit; quia ea animalia sepeliunt in ventre suo. Sed addit Seneca, quod nec licet vnum tantum cibum sumere: dum enim vnum sumis, plures veniunt cum eo. alludit mixtioni ciborum. & ita, inquit, inde nō proueniunt ægritudines simplices, sed commixtæ, & inter se contrariæ. addit: absque ossibus etiam cibi apponuntur. expecto, vt etiam commanducata apponantur. ergo *Noli auidus esse in omni epulatione,* & cet. *in multis enim escis erit infirmitas.*

(b) Vellicatores seu Vespillones, hominū, hi vero bestiarū.

Congruet prædictis, si dixerimus inter se conuenire vestitum pauperum, & victum diuitum. pauperum dixi, hoc est mendicantium hic enim ex plurimis constat, frustis, vt & victus diuitum. ita vt diuites se ipsos (hoc est corpus suum) pauperes verò solam vestem suam mendicitatis ritu resarciant. vnde cum diuites in ea re glorientur glorientur vtique, quod deteriori in statu sint ipsis mendicis; cum vilius sit sic resarcire se, quàm vestem suam. Pauperes edunt sæpè panem ex mixtura, hoc est ex commixtione plurium frugum, pauperes panem, diuites verò commixtum, seu ex mixtura, comedunt companaticum, (ita enim Italice dicimus, quod Latinè obsonium) Vel illi. simplex obsonium, hi autem, nempe diuites, simplicem panē. obsonium est vsui adhibitum, tanquam comes & assecla panis: vnde vulgò dicitur companaticum. at hodie accessorium factum est principale. dominus factus est seruus. vnde *non il cibo companatico,*

(c) Non cibus comes panis sed panis comes cibi dici potest.

panaticos ma il pane concibatico si può dire.

4. *Egens pluribus escis gloriatur, domum suam pluribus egere fulcris.*

4. QVOD dixi de corpore diuitum, & veste pauperum, aliud simile mihi in mentem ingerit: scilicet, Tale esse corpus diuitis, qualis domus pauperis. hæc enim sæpè pluribus fulcris, siue sustentaculis munita videtur: sicut & diues, domum corporis sui (quasi, semper timens, ne corruat) non vno aut altero, sed pluribus cibis, quasi sustentaculis munit. Miserior ergo diues, qui domum animæ; quàm pauper, qui domum corporis sic infirmam per hoc confitetur, vel cogitur sustentare. Domus est corpus vt Apostolus habet 2. Cor 5. *Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur,* & cet. cum verò dicas, te ex consuetudinis vsu, nō posse carere ciborum varietate, & lautitie; dedecori tribues fulcris multis egere domum tuam; & honori, illis egere te ipsum? Erubescis de tuorum infirmitate lapidum, & gloriaris de tuarum imbecillitate carnium? Plus ergo apud te est domus, quàm dominus, plus ligna quàm ossa? Rideres, si pauper gloriaretur, domum suam multis egere sustentaculis: eamque plurimis muniret: & non rides, si ijs egeas tu; sed rides, & gaudes, & doles, quod plura etiam nequeas adhibere illis; August. de verbis Domini, cum dixisset diuitibus permitti, vt iuxta eorum vsum, & infirmitatem vtantur ciborum lautitie, adèit, *Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quarè extolleris de infirmitate?*

2.Cor. 5.

August.

2. *Escarum multiplicitas damnata.*
3. *Conuiuæ taxant plerumque quippiam in conuiuio, ingratique de illo sunt.*
4. *In conuiuijs iucunditas deest.*
5. *Inuitans inopes, inde lucratur in temporalibus.*

1. CVM quædam arbores agriculturæ artificio ferant diuersi generis fructus; dico insuper plurimas etiam arbores, præsertim ex genere nucum, visas esse ferre non solum diuersi, sed omnis generis fructus, idque toto anni tempore. An non mensæ conuiuiorum sunt arbores in mensas efformatæ? Has autem fructus quoscunque sic ferre quis nesciat? Adde visas & arbores, quæ cum viuæ essent, & fructificarent, vnicam speciem fructuū habebant; at cum mortuæ fuerint, & steriles effectæ, tunc non solum fructus, sed & animalia terrestria, & pisces super se gerunt. Easdem mensas esse has arbores facilè intelliges. ita diuitis familia, quæ ex fructibus, & redditibus plurimorum arborum, vel etiam agrorum non posset viuere ea lautitie, quā viuit; ex vnica planta, & ex his, quæ ab illa colligit manu sua, splendidè alitur. ita vt per alium dicēdi modum verè dici possit de mensa diuitis. (a) *Quantum producunt mille plantæ per annum integrum, sæpè vna, eaque mortua deuorat, vel absumit.* hoc est mensa lignea. vel Italicè (a) *quanto portan mille viui, man-*

(a) Quantum producunt mille viui, tantum absumit vnus mortuus; Per viuos aurum & mortuū, Arbores intellige.

mangia, ò distrugge vn morto. (intendi per viui, e morti, di alberi.) comedit, siue absumit sæpè vnâ hora, quod plures illæ plantæ integro anno vix attulêre.

Cum verò mensæ diuitum, & consequenter splêdidè epulantium, soleant esse ex Nuce arbore, nocumenti, quod affert, *à nocendo* ita appellata est, vt communiter aiunt: (facit vocabulum Italicum, *noce*, quod idem est, ac nocet) ipso nomine indicatur, quantum hæ mensæ obsint & nocumenti adferant. Plin. lib. 17. cap. 12. ait, nucis vmbram noxiam esse, lædere sata iuxta se posita. Breui spatio morandum, & solâ ex necessitate iuxta nucem tam viuam, quàm mortuam (nempe iuxta nobilem mensam) ne lædaris ab ipsis. Dioscorides, cap. 142. dicit, nucis fructus duræ digestionis esse, nocere capiti, augere choleram. fructus etiam mensarum, & nucum huiusmodi, nempe plurima fercula illarum, quàm difficilem digestionê habent? quàm sæpè nocent capiti dolores in ipso excitando? quàm augent bilem, per quam febres gignuntur? Ecclesiasticus 37. 33. *Non te effundas super omnem escam, in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram.*

Plin. lib. 17. cap. 12.

Dioscor. cap. 142.

Ecclesiasticus 37. 33.

Nux, vt inquit Plinius, *lædit sata iuxta se posita*. lædit nux mensæ eos, qui iuxta illam plantati, & radicati videntur esse, nec sine multa difficultate possunt auelli ab ipsa. Vel dic, nucem lædere sata iuxta se posita: quia crapula, & lauta mensa fructus agrorum, & redditus familiæ absumere solet. Prou. 21. 17. *Qui diligit epulas in egestate erit. qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* Non ad conuiuia arguenda, sed eorum affectus inordinatos, & abusus, dicentur, quæ infra scribemus.

Prou. 21. 17.

3. Inducitur quidam, dicens. Vt quid conuiuia parem & prandia; quæ qui exhibet, fit pauper, qui edit non fit diues? inuitatus non accipit nisi vnius diei prandium, inuitans deperdit multorum dierum victū. Vt quid côferam beneficium, quod cum cibo, & potu glutitur, & sorbetur, & subito cum gratia sua transilit; cum primum intrauit cibus in corpus, eiusdem memoria exiuit ab animo. Beneficium, qui contulit; dolet se exinanitum in sacculo. qui accepit; aggrauatum, & repletum in stomacho: & damnum, quod suæ imputatur craxulæ inuitantis attribuit mensæ. vnde sæpè merces conuiuij est maledictio conuiuantis, & (vt dicitur de eo, qui tempore redditionis accepti mutui in exactorem, & creditorem irascitur Ecclesiastici 29. 9.) *Pro honore, & beneficio reddet illi contumeliam.*

Ecclesiastici 29. 9

Si decem tibi conciliasti, eo quod inuitaueris; viginti infensos reddidisti, eo quòd omiseris gratia istorum, quia in cibo est facilè deuoratur: at amaritudo illorum, quia in pillula est, non facilè transmittitur. Si, quos inuitasti, magni viri sunt; post conuiuium oportet te insuper illis gratias agere: si minores; vix pro beneficô tibi gratias agunt. Repleti sunt isti tuo vino illo beneficio; at non repletur arca tua mille mercedibus gratiarum. Excepisti conuiuio nobiles? gratiam huius rei habent suæ nobili-

nobilitati. excepisti obscuros? tuæ ambitioni. excepisti, vt amicos faceres? at amicitia ista empta vno, aut altero prandio, puta quanti valoris erit? erunt amici socij mensæ, non permanebunt in die necessitatis.

Si sumptuosum est prandium, sæpè tuam damnant prodigalitatem; si modestum, reputant auaritiam. si inuitasti quibus beneficia debes, dicunt, soluere mihi vult de mensa, vt non soluat de arca. Si inuitasti quibus non debes; me inquiunt, piscari vult escâ, quasi piscem, (a) *vuol prender per la gola*. Si laudat, quia quem eius gula appetebat, apposuisti cibum; incusat, quòd quem eius ambitio desiderabat, non præbuisti locum. Visum sibi est quod excepisti lautè, sed visum fortè est, quod non excepisti lætè.

(a) Me vult capere per guttur.

Aliquando in cibo laudat substantiam, sed carpit condituram; laudat condituram, sed carpit cocturam: laudat dominum in domino, sed mordet dominum in seruo, scilicet in coquo. Si cibus aliquis sibi suauis est; suæ attribuit fami: si insuauis; insuauitati cibi, & negligentiæ domini. si nequit arguere nobilitatem conuiuij, arguit ignobilitatem alicuius conuiuæ. Laudantur aliquando quæ apponuntur, sed fortè recuperantur in quibus afferuntur, scilicet vasa. calices aliquando plebeij, si vina sunt regia; quod si regij calices, sodidi sunt pincernæ. In omni conuiuio adsunt Momi, non desunt Aretini; omnia obseruant, & lustrant oculis, vt inueniant quod carpant. comedunt tua, & simul lacerant te. Ab illo tantum conuiuio cœlesti, de quo dictum, *vt edatis, & bibatis super mensam meam*, absunt canes, latratores scilicet, & maledici. Apoc. *Foris canes*. at in conuiuijs nostris canes plerumque duplicis generis, immo & feles, hoc est surreptores ferculorum, sæpè etiam & vasorum, præter canes & feles propriè dictos.

Plerumque in conuiuio, vbi tot desiderantur, vt perfectum sit, aliquid deesse solet. quia *incertæ prouidentiæ nostræ*, vt est Sap. 9. 14. Si in conuiuio, cui interfuit B. Virgo, & Iesus cum discipulis defuit vinum, quod est res præcipua, quamuis credendum sit conuiuij præsides, (præsertim si in eo sponsus fuisset Ioannes, vt Rupertus & Beda, & alij senserunt) saltem ob interuentum talium conuiuarum minimè socordes fuisse in rebus necessarijs conquirendis pro ea re quantò magis contingent defectus rerum minoris momenti in ceteris conuiuijs lautioribus? Huiusmodi verò defectus rerum, & errores accidere solent, (si non ex alia causa) saltem ex multa animi cura, & sollicitudine parantis conuiuium, quia *pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Nam & Marthæ talia paranti dictum est, *Sollicita es, & turbaris erga plurima*. Ex eadem causa (quamuis exiguo ab amore procedente) potuit proficisci, quod ille Simon omisit erga Christum conuiuio adhibitum, scilicet lotionem pedum, saltem tamquam hospiti debitam, osculum, & vnctionem capitis, quæ conuiuis de more præstabantur, vt Maldonatus notat hic. Ita ergo, cum axioma sit,

Sap. 9. 14.

quod *ad destruendum sufficit vnum*: vulgus hominum, & mundus omnem gratiam conuiuij perditam putat, si vel vnum quippiam in eo defecerit; & hic locũ habere vult illud Ecclesiastis 9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet*. sic Eccles. 27. 5. *sicut in percussura cribri remanebit puluis, sic & aporia hominis in cogitatu illius*. scilicet sicut remanet solùm quod immundũ est in cribro, decidentibus granis: ita exit ab hominis memoria omne bonum; & solum quod malum est. & ipsum molestauit in conuiuio (rei nostræ vt congruenter loquamur) id tantum in mente retinet, id carpit, & de hoc dolet, & murmurat. cum quæ optima erant in mensa deglutierit, si vel calculum, aut muscam casu repererit, ob id ad omnia nauseat, & infamat conuiuium: & accidit illud Ecclesiastis 10. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*. alii legunt *musca*, & pro vnguento quidam vertunt *oleum dulcedinis*, scilicet potionem medicatam, siue odoribus imbutam, quæ bibi solebat. quę potio abominabilis dicitur fieri, si musca in eam incidat. hæc postrema obseruat Pineda in hunc locum.

Eccls. 9. Eccl. 27. 5. Eccl. 10.

4. C[illegible]m ergo communiter aliquis defectus contingat in conuiuio, & quippiam conuiuanti molestum; inde sequitur, rarissimè, vel numquam inueniri gratiam, & iucunditatem, quæ per conuiuia quæritur: neque conuiuas solere ob id gratos esse datoribus epularum. Vnde miser conuiuij parator escam plerumque perdit, & piscem non ce[illegible]: qui vorata esca hamum obligati[illegible]nis (vt solent quidam pisces) rejectat, seu dimittit. vnde in hac piscatione piscator potius capitur, quàm piscis. Vinum lætificans cor hominis, & quod iubetur dari his, qui amaro sunt animo symbolũ esse lætitiæ notum est: hoc autem defecisse in conuiuio supra memorato, significare potest, in conuiuijs lætitiam, quæ ex ipsis quæritur potissimum deficere solere. quia, vt dixi, plerumque tam parator conuiuij, quàm conuiuæ aliquid in ipso conuiuio aduersi, aut defectum aliquem, vel rem haud placentem patiantur.

Quia verò etiam dici potest, vinum non defecisse, quatenus miraculosè Christus prouidit defectui: ideo dici potest (oratoriè loquendo, & alludendo ad miraculũ Christi in ea re operatum) miraculum esse, si in conuiuio aliquid non desit. vel esse miraculum, si non desit lætitia. Deesse autem solet in conuiuijs, vinum mysticum; quia nimis abundat materiale. quia nimirum *illis væ, & rixa, & sine causa vulnera, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis*, vt est Prou. 23. vnde pax, & iucunditas conuiuij quasi vinum in medio eius deficit, & omnia in luctum conuertuntur. Vel dici; Christum conuertisse in conuiuio aquam in vinum: at dæmonem conuertere vinum in aquam, scilicet in lacrymas ratione rixarum, quæ in conuiuijs, atque etiam choreis, quæ nuptias comitari solent, sæpè accidunt.

Prou. 23.

5. Maldonatus in Ioan. 2. de nuptijs prædictis colligit ex mensura aquæ in vinum versæ, quæ describitur

Maldon. in Ioan. 2.

bitur ibi, tantum vini ex ea factum fuisse, quantum inebriare sufficeret sexcentos homines moderati potûs. quod præsertim à Christo inquit factum fuisse, vt inopiam dominorum subleuaret. Dic ergò: si mensæ adhibeas Christum in pauperibus, non solum vitam æternam, sed etiam augmentum substantiæ aliquando obtinebis. Tantum abest, vt priueris vino lætitiæ, si Christum in pauperibus, & religiosis, atque iustis viris mensæ tuæ adhibeas: vt pro exiguo vino iucunditatis, copiosum; pro vili & terreno, cœleste, & præclarum consequaris.

Sola sollicitudo, & turbatio parandi conuiuia sufficeret, vt quis, cum posset, numquam ea pararet. Martha diues, & sancta, & humilis erat, ministros plures habebat, conuiuium Christo abstinentiæ magistro, pomparum hosti, parabat. & tamen, quia conuiuium parabat, *sollicita* erat, *turbabatur* erga plurima: etiam Mariam à pedibus Domini abstrahere tentauit, vt se adiuuaret. Quàm turbabuntur ergo qui peccatores, & fastuosi sunt, & non agnum, sed lupos pasturi sunt insatiabiles, & luxus ac pomparum sectatores? nam Prou. 13. *Iustus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis.* Imo, quod superfluum est ventri corporis, non satis est voragini ambitionis: quod saturauit eorum famem non potuit saturare eorum fumum. Prou. 13.

Sed attende quæso, quis sit finis celebrium conuiuiorum; certe non aliud, nisi mensæ maculatæ, tapetia sordidata, supellex perdita, vasa furto surrepta, patinæ confractæ, familia turbata, serui delassati, domini mente defessi, cellæ vinariæ vacuatæ, promptuaria scopis mundata, loculi nummorum in folles commutati. coquina semiusta igne, domus nigricans fumo, pauimentum ossibus, & reliquijs conspersum; homines somno oscitantes, grauedine torpentes, fauces malè olentes, stomachi languentes, conscientiæ remordentes, animæ pœnitentiam agentes; boni de tuo luxu offensi, mali ad æmulationem tui incitati.

Reliquias conuiuij si dimittis seruis, te maledicunt pauperes: si dimittis pauperibus, te maledicunt serui. si relinquis comedendas, te vocant prodigum; si reponis, auarũ. At sæpè in ipso conuiuio, quod non comedit conuiua, aufert & asportat conuiuæ seruus: quod non intrauit in os dominæ, intrat in cistam ancillæ. *residuum erucæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo.*

Si quis ad conuiuia vocatur; consideret eorum incommoda, certè quoad liceat, ab eis abstinebit. Primo, quia vno, vel paucis prandijs seruum se facit. nam Prou. 22. 7. *Qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis.* & Seneca, *accipere beneficium est vendere libertatem.* Quæ bene pro toto venditur auro, venditur hic pro vno prãdio. qui pro vno prãdio se vẽdit, ostendit quod non plus vno prandio valet. se faciens conuiuio tuum pastorem, te facit ouem, & ouem suam. Prou. 22. 7.

At in participando alieno conuiuio potissimum perditur libertas

etiam ex alio capite; quia nimirum consueta, & domestica libertas edendi, loquendi, & conuersandi ibi deperditur: quia ibi omnes te obseruant. Putant conuiuium lautum (quale regium est) esse fontem remissionis, & metropolim iucunditatis: sed ista iucunditas est, vt tibi infigatur gladius in guttur. Prou. 23. 1. *Quando sederis, vt comedas cum principe*, & cet. *statue cultrum in gutture tuo.* litteraliter intelligunt, tum per discretionem, & cautelam edendi, tum loquendi, vt videre est apud Ianseni um hoc loco. Quod si te in gula non ferias gladio continentiæ, feriunt te in ea gladio linguæ. nam *lingua eorum gladius acutus.* feriunt, pungunt, lacerant gulam, seu guttur, gulositatem scilicet, & loquacitatem tuam maledicentiâ, & vituperatione, sed vtinam tantum ferirent auiditatem edendi, aut loquendi; & non etiam ipsam comestionem, & loquelam nō vituperabilem. Ideo cui cautus est, gladio illo sibi guttur transfigit.

Prou. 23. 1.

His suppositis, inducitur quidam dicens: Quando statuo seruare peruigilium, accedo vbi sit festum, scilicet ad cōuiuium. tunc enim magis ieiuno, quando intersum conuiuio. Solent vocari ad conuiuium domini, & diuites, non serui, & pauperes. vnde dicebat ipse, qui supra, vocor ad conuiuium vt dominus, sed cogor in conuiuio esse seruus, hoc est sine libertate. De ijs, qui præsertim in mensa edendo, & loquendo modestissimi sunt, dicimus, quod sponsæ sunt. In conuiuio nuptiarum vnica est sponsa; at in omni conuiuio omnes viri coguntur esse sponsæ, coguntur esse virgines. ne videantur meretrices, hoc est impudentes: coguntur esse modestissimi.

Addit ille ipse: Si verò eam disciplinam in edendo seruare nolo; oportet, vt ante, & post conuiuium ieiunem, vt in ipso plenè epuler. ita dico ei, qui me vocauit ad prandium, Tu mihi duplo magis debes, quàm ego tibi. nam tu mihi præbes vnum prandium, & aufers à me duas cœnas.

Si ad locum conuiuij accedas maturè, oportet te expectare alios; si tardè, alios expectare te. si accedas absque seruorum multo comitatu, dolet dominus conuiuij, quod id parum sit ei honoris; si cum multo comitatu, dolet, quod is parum sit ei vtilis, & quod in prandio suo magis deuoratura sit cauda, quàm caput. caudā voco sequelam famulorum. Si in cōuiuio oculos attollas, dicunt te curiosum ad videnda aliena; si demissos teneas, aiunt, quod illos cum animo habeas in patina. si loquaris, aiunt, calices te facere disertum: si sileas, ingluuiem oris te facere mutum, si liberè comedis; te vocitant lupum: si continenter te geris; te lupum in vestimentis ouium faciunt. si laruam simulationis, & modestiæ in conuiuio geris; cùm ei non assueueris, te larua ista molestat & aggrauat: si eam deponis; iam deposita ouinâ, te (præsertim in edēdo) lupum detegunt. nam *in vino veritas*, & homo cognoscitur *in fractione panis*. Conuiuium dictum quasi combibiū à cōbibendo. Bacchus vocatur Liber, at accedēdo ad Liberū, oportet

per-

perdere libertatem. Liber enim ille dictus est, quia liberos in dicendo, & agendo faciat bibentes. In conuiuio si non comedis; sæpè manducantem spernis: si comedis, sperneris tu à non manducante.

Conuiuium non est gratum, si nō est gratuitum. at plerumque tale nō est. qui enim te inuitauit, vult reinuites. Etiam filij Iob quamuis fratres inuicem, & sorores, tamen gratis non se inuicem inuitabant in hoc sensu. nam in orbem transibant dies conuiuij. *Hodie mihi, cras tibi*: inquit inuitator. nō vult te pro conuiuio sibi gratias agere, sed referre. Duos illos fratres vocatos, *date, & dabitur* simul esse oportebat, vt olim quidam dixit. Accedens ad conuiuium parcis paucis argenti vncijs; at conuiuium parans, non parcis multis argenti libris. vide ergo nullum prandium tam esse charum, quàm quod est gratuitum. Escâ exiguâ caperis quasi piscis, vt piscantem pascas longè maiori escâ: scilicet sicut piscis pascit se ipso capientem se.

Prou. 23. 21. Prou. 23. 21. *Dantes symbola consumentur.* scilicet portionem ponentes ad mutua conuiuia, nisi modestissimè id agant, vt filij Iobi. Illis per accommodationem dicendum illud Apost. *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* se enim mutuo edunt per conuiuia. quomodo ergo inuicem sunt amici, & non hostes? quomodo non citò consumentur?

ADVLATIO.

2. *Laudans laude sapè vituperat.*
3. *Laudes etiam recusando diligimus.*
4. *Adulantes irrident clam, cui adulantur.*
5. *Adulantes sæpè in ceteros maledici, in principes tantum, & in se blandiloqui, & laudatores.*
6. *Adulator laruam deponit in tua aduersitate.*
7. *Sapientes mendaces oderunt, etiam sibi salutiferos suis mendacijs.*

2. 

B. PETRVS Dam. l. 4. epist. ep. 9. scribens ad eum, qui ipsum laudarat, argumentatur hoc pacto: B. Petrus Dam. l. 4. epist. ep. 9. *tu me non laudasses, nisi laudes tuas mihi gratas fore credidisses.* concludit igitur, *laudatorem laudādo vituperare, quem laudat*: eo quod laudis auidum ipsum credat. quod tamen non semper accidere, sed sæpè, ipse Beatus Petrus voluit intelligi. Si ergo me delectari putas laude, quænam laudatio est ista tua, quâ, exempli gratiâ, dum me prædicas, vt non auarum, perstringis vt superbum? Dum vnius criminis à me aufers flumen, omnium in me ponis fontem? nam *initium omnis peccati superbia.* Si laudantis est ornare laudatum; quodnam ornamentum mihi præbes, si vt auferas maculam olei, inuras vesti meæ maculam picis? An nescis, quod superbia pix est? quia *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea; & qui communicauerit superbo, induet superbiam*, vt est

Eccl.13. Ecclesiastici 13.

Hier. epist.22. tom.1. 3. Hieron. epist.22.tomo 1. *Naturali*, inquit, *ducimur malo, & adulatoribus nostris libenter fauemus: & quamuis nos respondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat; tamen ad laudem suam anima intrinsecus lætatur.* hæc ille. Laus, & adulatio oleum odoriferum est. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, vt est Psal.140. At

Psal.140. sicut aliquando vir aliquis ex animi modestia, vel ex paupertate, aut auaritia respuit materiale huiusmodi oleum, seu vnguentum (sicut Iudas, dicens, *vt quid perditio hæc?*) tamen cor eius intrinsecus tali delectatur, & recreatur odore, quem attrahit naribus, etiam dum manus vnguentum ipsum repellit à se. nam Prou.

Prou. 27.9. 27.9. *Vnguento & varijs odoribus delectatur cor.* ita etiam, licet lingua repudiet laudem, tamen cor, & anima intrinsecus illa lætatur, & quasi naturaliter (vt aërem solet, & præsertim odoriferam exhalationem) illam attrahit. Inquit Hieron. *naturali ducimur malo.* naturaliter enim odores attrahimus huiusmodi, & illis recreatur cor.

Hier. to.1. ep.4. ad Rust. 4. Idem Hieron. tomo 1. ep. 4. ad Rusticum monachum ait; *Ne credas adulatoribus tuis: imò irrisoribus, aurem ne libenter accommodes; qui cum te adulationibus fouerint, & quodammodo impotem mentis effecerint; si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curuari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.* hæc ibi. Postquam, inquit, te adulationibus quasi impotem mentis effecerint, te illudunt. Adulatores isti eos imitantur, qui propinantes alicui plena pocula suauis vini, tandem ipsum inebriatum impotem efficiunt mentis; & tunc demum ipsum irridere, ipsi illudere incipiunt modo à Hieron. descripto. Fit miser ebrius illorum iocus, & animi relaxatio. dulce enim est adulationis, & laudis propriè vinum, quod ingreditur blandè, & hominem sui ipsius amore inebriat. vnde ebrius postea insanias agit, & dicit, ac se omnibus ridiculum facit. Vel adulantes vento adulationis inflant, & implent pilam lusoriam, *il pallon da vento*: mox de illo ludum ad animi remissionem faciunt.

Quasi personati sunt, qui adulantur. qui enim laruam assumit super faciem, aliquando exteriùs faciem gerit, blandientis; at intus veram faciem seruat irridentis. Irrident te intrinsecus, &, vt mos est laruatorum, carnispriuium agunt, fabulam, seu comœdiam agunt de te. (a) *Fan carneual; fan comedia de' fatti tuoi.* ideoque non solum laruati coram te se ostēdunt; sed vt iucundiorem agant de te comœdiam, personas mutant. modo enim laruam ciconiæ, modo canis linguam protendentis, modo asini auriculas agitantis post humeros tuos assumunt. plures induunt bestias, vt indicent, non satis esse sibi, si singuli singulæ sint bestiæ. Cum te per adulationem impotem mentis effecerint, (b) *per mostrar che tu sij matto, essi si fanno bestie.* vel cum te fecerint ebrium, quilibet ipsorum vt te rideat se facit morionem.

(a) Baechanalia celebrāt, & ea cōdiunt comœdijs & fabellis facta tua traducentibus.

(b) Vt ostendant te esse stultum ipsi se faciunt bestias.

5. Sæpè maledici in omnes (quamuis lingua eorū gladius acutus videatur, ita vt non nisi pungere calleat)

ta-

tamen in solos Principes blādiloqui sunt; vtilitate, vel timore ita suadente. hi mihi videntur fratres felium. ijsdem enim pedibus, & vnguibus, quibus mures, & alia etiam animalia lacerant, nedum vulnerāt; capita sua molliter comunt, seu perpoliunt, & leni saliua inungunt. Capita adulantium maledicorum sunt Principes, & domini. ideo vngue, seu pede eodem, quo alios lacerant, ipsa capita ipsorum oleo, & quasi leni saliua adulationis inungunt. (a) *Graffiani servi, e grattani patroni.* ideo Dauid rex (si tunc erat Princeps) ait, *Oleum autem peccatoris nō impinguet caput meum.* peccator enim solet simul esse maledicus. nam vbi in Ecclesiaste dicitur, de stulto, hoc est peccatore, quod *omnes stultos æstimat*, alij apud Pinedam hic habent, *de omnibus dicit, quod stultus est.* alij, *Omnes stultos appellabit.* Alluditur per prædicta vulgari dicendi modo, quo dicitur lacerari fama proximi, vel pungi is, de quo maledicitur.

(a) Vnguibus lacerant famulos, & molliter fricāt Dominos.

Vel dic, huiusmodi feles, scilicet maledicos, pedibus suis, seu vnguibus alios lacerare, se ipsos tamen ijsdem fricare. quia maledici in omnes, sæpè solum se ipsos fricant, hoc est laudant. Nonne audis Pharisæum, qui ceteros homines vocat adulteros, raptores, &c. & se solum ijsdem vnguibus fricat quibus alios omnes dispungit, & vulnerat? Cum ergo feles sic faciant, per hoc maledici felibus sunt similes. Vel dic, maledicos istos, sic feles eodem ore, quo cetera mordent, se solos lambere. *Mordere* enim est detrahere, maledicere. dictum illis, *si inuicem mordetis, & comeditis*, ita exponit Ioannes Mariana, quod & apud alios scriptores antiquos ita accipiantur hæc vocabula, vt apud Terentium.

6. Adulatores laruam gerunt amicorū. at sicut laruati retinent laruas tantum, donec durant Bacchanalia; at adueniente Quadragesima, laruâ amplius non vtuntur: ita illi laruam amoris erga te gerunt, donec domi tuæ durant, seu aguntur Bacchanalia, hoc est donec tu es diues, & epularis quotidie splendidè: at adueniente, vt ita dicam, Quadragesimâ pœnitentiæ, & famis, seu ieiunij, hoc est cessante in te felicitate, & deficientibus diuitijs, & conuiuijs; ijdem laruati demunt laruas amicitię. Dæmonia sunt eius generis, quod non eijcitur nisi in oratione, & ieiunio. Quando tu ad calamitatem redactus, talibus rebus vacas, vel aliter ad Deum conuersus, quasi Quadragesimam pœnitentiæ suscipis; tunc laruati tecum non amplius sunt. Ecclesiastici 6. *Amicus socius mensæ, non permanebit in die necessitatis.* Si fortuna perit, nullus amicus erit: at Tempore felici multi dicuntur amici. *Eccles. 6.*

7. Veritas, & ingenuitas mentis in veritate absque adulatione aperiendâ, tanti æstimatur apud sapientes, vt etiam si illa contra ipsos, & vitam ipsorum prolata sit, tamen pluris eam faciunt, & magis amant veraces huiusmodi homines, quàm adulationē, & adulantes, etiam cum honoris aut fortunarum damno. Amasis Ægypti rex, cum antea pauper esset, & furtum patrasset, Iudices, cum ipsum non possent facti conuincere, Deos inter-

interrogant, qui responderunt, eum innoxium esse. rursus alios Deos cõsulunt de hac re, qui affirmarũt, furti reum ipsum esse. Factus rex Amasis, ingressusque vrbem, vbi Dij, seu idola innocentem eum dixerãt, ipsa idola absque honore reliquit: at Deos, qui ipsum damnarant, honorauit, dicens, hos veridicos extitisse, illos mendaces. Sic, vt inquit adagium, *Proditores odi, proditionem amo.* etiam dici potest de hac re, adulatores odi, adulationem amo. nimirum quod homines sæpè ita, si nõ verbis, saltem corde, dicant. Imò, vt diximus, sæpè etiam veridicos contra nos ipsos, diligimus: si non tunc, cum corripimur ab eis; saltem postea, Prou. 28. 23. *Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis, quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Vnde & Seneca, *dic inquit, amicis quod nolunt audire, vellent autem semper audisse.*

Prou. 28. 23.

2. *Veritas & correptio amara postea dulcescet correpto.*

3. *Laudatus crescere in virtute ex laude videtur. at sæpè potius inde tumescit.*

4. *Adulatione præstantiores, ij alijs præponuntur hominibus, ij regnant.*

Prou. 20. 14. 2. PROV. 20. 14. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor: cum autem recesserit, gloriabitur.* Quando aliquis corripitur, & veritas ei aperitur; tunc ille, si velit, emit veritatem quasi rem pretiosam, sibique perutilem. Prouer. 23. *Veritatem eme, & noli vendere sapientiam.* loquebatur autem Salomõ ibi cum filio, docens illum quomodo patrem audire deberet, dicens versu proximo ante hunc, *Audi patrem tuum,* & cet. Emi autem dicitur veritas, quando non gratis acquiritur, sed cõparatur pretio alicuius doloris, vel ruboris ex correptione concepti. Vnde emptor huius veritatis constitutus in præsẽti sensu huius doloris, saltem quantum ad ipsum dolorem dicit, *malum est, malum est*, vel id dicit non ex ratione, & volũtate superiori, sed ex parte sensibilis animæ: at *cum recesserit, gloriabitur.* placato postea affectu cordis, re maturius consideratâ, & vtilitate correptionis, amoreque, quo sibi facta fuit, & intẽtione animaduersis, gloriabitur. Vel simpliciùs dicendũ, sæpè acerbè recipi correptionem; at postea, *cum recesserit gloriabitur*, cum rem saniùs considerauerit, vel cum ad maturiorem ætatem venerit. vel *cum recesserit*, hoc est ex hac vita, tũc *gloriabitur*, & benedicet correptorẽ suum, præsertim parentem. benedicet virgam, & flagella, quæ sibi intulit; videns quãtum sibi profuerint. sed iuxta hanc vltimam expositionẽ, fortasse non est pro illa afferendus locus secundus. Prou. 25. sed solum ille prior. Prou. 20. 14. Congruunt ista valde cum proximè dictis in cõceptu superiori; præsertim applicãdo hæc postrema filijs, ad quos præsertim videtur dictum illud, *Veritatem eme*, & cet. & illud Prou. 28. 23. *Qui corripit hominem*, &c.

Prou. 23.

Prou. 25. Prou. 20. 14. Prou. 28. 23.

Quid autem correptio sit, intellige: vt scias an illã emere debeas pretio doloris. Prou. 25. 12. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* donare vult sponsus sponsæ inaurẽ au-

Prou. 25. 12.

auream cum vnione pretioso, ornare vult eius aures hoc ornatu: quo pretio sponsa acquiret huiusmodi ornatum? non alio certè quā dolore quodam ex vulnere, & puncturâ aurium. Inauris est correptio: sed aures pungit, & perforat. tunc clamat spōsa, *malum est, malum est*, cum inaures ei appenduntur: at cum recesserit, gloriabitur.

3. Discretio non exigua, & cautela adhibenda in laudandis hominibus: ob periculum adulationis ex parte nostra, & tumoris ex parte laudati. Animaduerti hæc duo verba, *laudare, & adulare*, constare omnino iisdem elementis, & litteris: ita vt commutato ordine aliquarum litterarum facillimè verbum, *laudare*, fiat *adulare*. inde discamus laudationem sæpè parum distare ab adulatione, facilè in eam conuerti. Aiunt quidem, quod *Virtus laudata crescit*. sed adderem, *Virtus laudata crescit, sed sæpè tumescit*. Videtur crescere ille, quem lætiferi serpentis alicuius morsus vulnerauit, sed incrementum illud quàm malum est? Est enim tumor, & potius decrementum. Crescit virtus laudata: sed sæpè ex ambitione, non ex charitate magis augetur. vnde non est virtus, sed virtutis species crescit illa: quia inflatur ex vento sibi insufflato adulationis. Superbia, quæ sæpè cum laude instillatur, venenum est serpentis tartarei. illo inflatur homo laudatus. videtur crescere in virtute; at suum crescere est potius tumescere, & decrescere.

Vel sapiens vel insipiens est, quē laudas; hoc est, vel bonus, vel malus. si bonus; laudanti dicat, quod quidam apud Græcos probus vulgo habitus, ad quem dona misit Alexander. cur, inquit ille mihi hæc dona dat? dixerunt, quia bonus es *ergo*, inquit, *sinat me esse bonum*, & dona remisit. Fumus splendoris ex facibus denigrat pulchritudinem Sanctorum, scilicet imaginum, applica tu de fumo splendoris laudum, quibus boni illustrantur. Superbiæ fumus cum splendore incedit, nempe cum laude. nisi bonus cautus sit, deturpabitur. Si insipiens est, qui laudatur; adagium est (a) *Lauda il matto, e fallo saltare, se non è matto, il farai diuentare.* Paruus fumus parum videntem facilè excæcabit.

(a) Lauda stultum & saltabit, si stultus non est, stultus euadet.

Irasceris vendenti tibi gemmam adulterinam pro vera: & donas vendenti thesaurum integrum adulterinum loco veri? Ecclesiastici 6. 14. de amico vero dicitur, *Qui inuenit illum, inuenit thesaurum*. Amicus autem fictus, se tibi venditat pro vero: vnde fictum thesaurum pro vero vendit, tamen hunc amicum, hunc adulatorem amas; quia tibi blanditur. Amicum autem, & thesaurum verum odisti: cur? Quia suppeditat tibi inaures aureas, & margaritas fulgentes. nonne ex Prouerbiorum 25. 12. tales sunt correptiones cum fructu conceptæ?

Eccles. 6. 14.

Prou. 25. 12.

Iuuenalis Sat. 3.

Iuuen. Sat. 3.

Natio comœda est, rides? maiore cachinno
Concutitur. Flet, si lacrymas conspexit amici;
Nec dolet. Igniculum brumæ si tempore poscas;
Accipit endromidē. si dixeris, æstuo; sudat.

de prędictis adulatoribus dicit, quod sunt *natio comœda*, hoc est histrionica, imitatrix, ficta. *Flet, si lacrymas.* &c. nec tamen verè dolet. si igniculum petas hyeme, accipit endromidem, hoc est vestem quandam hyemalem, velut vulpinam. & verè huiusmodi adulator callidus fit, nedum calidus, nam vulpinam super vulpinam assumit. est enim ex iis, de quibus Horatius cecinit, *Animi sub vulpe latentes.* Vel dic, quod rectè vulpinam pellem assumit, vt etiam nolens, vulpem se ostendat. se facit vulpem, vt tuas comedat gallinas. se facit vulpem, vt te faciat ouem, nimirum, vt tamquam fatuum te irrideat; dum in bonis tuis te arrodit. facit quæ tu facis, vt quæ tu habes, habeat. *Fà ciò, che tu fai, per hauer ciò, che tu hai.*

4. Quæ postremo intulimus, infert Iuuenalis ibidem dicens ea, quæ sequuntur.

Non sumus ergo pares: melior, qui semper, & omni

Nocte, dieq; potest alienum sumere vultum.

Melior, &c. hoc est, ille meliùs, ac feliciùs agit negotium suum, qui laruam sumit, seu melius scit sumere alienam. Italicè diceremus, (a) *Colui fà meglio carneual, che meglio sà farsi maschera.* Verè dicunt sapientes, mundum esse comœdiam. nam, vt quisque meliùs scit *alienum sumere vultum*, ita in eo maior esse solet. & idem videtur esse homo mundanus, & homo comœdus. Natio enim comœda est, vt supra ait Iuuen. & è contra, (si ita loqui liceat) in hac comœdia vitæ *qui minus est mimus, is maius est Minimus.* nam inquiunt, qui nescit simulare, nescit regnare. immo, qui nescit simulare nescit viuere; & scimus, quod *melior est canis viuus leone mortuo.* Vnde si mundo credas, melior, & maior euadet canis, hoc est vilissimus simulans, & adulans, (præcipuè cum verbum adulandi à blandimento canum per caudæ motionem deriuauerit) quàm Leo, hoc est Princeps simulatione & vitâ spoliatus cum ipso regno. Canis passim symbolum est adulatoris, & abiecti hominis.

(a) Optimè Bacchanalia viuit qui optimè laruatus est, vel personam ferre potest.

Adde cum fingere à figulis dictũ sit, & homines inuicem sibi adulentur, & mentiantur; quia obsequium amicos, veritas odium parit; ideo in casu nostro figulus figulum diligit, & figulus non figulum, hoc est eum, qui non fingit, odit. Galat. 4. 16. *ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Hispani dicunt, (a) *Porque mal me quieren mis comadres? Porque les digo las verdades.* Gal. 4. 16

(a) Quare me sociæ oderunt? quia veritaté à me audierunt.

His positis, mihi videtur dicendum, quod apud mundanos, vt quis magis consurgat a luto, debet fieri figulus: &, vt figulina in mensis non habeat, figulinam exerceat. sic enim potius argentea habebit. Vt consurgat à luto, hoc est à statu humili, & abiecto, cogitur fingere. Pro miraculo scribunt de vno Agatocle ex figulo, seu figuli filio, fuisse regem Siciliæ effectum. at plures arte figulinæ regnum compararunt, & prælaturas. vnde aiunt, *Qui nescit simulare, nescit regnare.* & hodie miraculum potius est si alij, quàm figuli, regimina obtineant.

2. *Canunt*

2. *Canunt Magnificat super Deos suos, scilicet Magnates, vt impetrent ab eis.*

3. *Heliotropium, solis quasi adulator. ideo florum maior flos. ita fit apud nos.*

2. ADVLATOR in persoluendo adulationis officio, vt per illud fruatur beneficio, sicut in hac re, ita & in eâ, quam modo indicabo, æmulatur iniquè Officium Ecclesiasticum. Nam sicut in Ecclesiastico musica suauior ceteris auditur ad Magnificat, & ad Benedictus; ita & in Officio, Italicè, *Compimento*: in officio inquam adulatorio est suum Magnificat, & suum Benedictus; in quibus Canticis musica suauior reliquis partibus auditur: hoc est, quando personæ, seu opera earum magnificantur valde, & benedicuntur. vnde adagium ferè est suauiorem harmoniam ceteris esse, auditionem, seu recitationem suarum laudum. Ita Cicero in Lelio: Semper, inquit, auget assentatio id, quod laudatus vult esse magnum. Dic etiam, conclusionem totius officij, seu prolixioris sermonis præconijve adulatorij, & eius terminum aliud non esse, quam suum Magnificat, & suum Benedictus. magnificare nempe, & benedicere Dominum, & superiorem, quem pro Deo habet. hic est terminus officij Matutini, & Vespertini.

In prædictis Canticis, (vt etiam æmulentur pessimè Ecclesiasticos, qui hoc præstant in Deum) offerunt thus Deo suo. vulgò, (a) *Incensate, e profumi dar nel naso de' Gradi.* Vel dic in hoc Magnificat, & Benedictus, laudatum diuitem percipere odorem suauem, nempe ex se, vel suis rebus magnificatis. at, cum thus orationem, & petitionem significet, vt est Psalm. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*: sicut nos petimus mediante thure orationis, & Canticorum prædictorum; ita adulatores tacitè petunt mediante thurei sui Magnificat, & Benedictus. Petunt, & obtinent multa. per thus directum ad illum, qui in sublimi loco sedet, efficiunt quasi nubem. & ideo ipse Princeps, quasi eorum *Deus* à dando, *Iupiter* à iuuando dictus, per hanc nebulam pluit, magnâ copiâ, aquam gratiæ suæ, & donorum, siue pluuiam auri, vt olim super Danaem amatam. Audi ergo Ecclesiasticum 10. 26. *Noli despicere hominem iustum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem diuitem*; ne canas Magnificat super diuitem peccatorem.

(a) Thus vel odo-

Adulatores adolere naribus magnatum.

Psalm.

Eccles. 10. 26.

Cum quilibet actus diuitum, & præsertim Potentum, habeat turbam adulantium, qui illum celebrent, & decantét verbis, vel scriptis; & cum diximus, hos homines quasi Deum officio laudum & cantu Prælatum magnificare: ideo dicendum est actus superiorum, actus videri Comœdiarum, quia vnusquisq; actus earum statim requirit post se Chorum canentiū, videlicet laudātium, & applaudentium, præsertim cantilenis Poëtarum. Deus vult sua opera laudari à choro Ecclesiasticorum; & Princeps, seu diues à choro adulantiū, non solū de factis diuitis,

 sed

Eccles. 13. 26. sed de dictis id euenit, Ecclesiastici 13. 26. *Diuiti decepto multi recuperatores: locutus est superba, & iustificauerunt illum.* & infra, *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent.* Nonne chorus erat quasi monachorum Deo cantantium, qui Herodi concionanti acclamauit; *Voces Dei, & non hominis?* Applica etiam hypocritis, quorum actus, cum ficti sint, videntur esse vt comœdiarum, ipsique hypocritæ velut laruati histriones. ideoque actus eorum singuli requirunt chorum cantantium hoc est laudantium. quia faciunt omnia sua, vt videantur, & vt honorificentur ab hominibus.

Iouius in Leone Decimo apud Theatr. narrat, Caietanum quendam, qui insulsissimos versus, & ab enormitate vocum, & numerorum ridendos faciebat, eò adductum esse perpetuis adulationibus, vt petierit, Lauream Poëticam. se enim alterum Petrarcham iactitabat. vnde quasi ex ioco ei Laurea concessa est. super elephantem auro opertum, præcedentibus instrumentis musicalibus, & inspectante Pontifice, & Romana Curia, ascendit, & processit triumphatorum more ad Capitolium. ante coronationem narrat, eum recitasse plura carmina, sed talia, vt ægrè auditores risum continerent.

3. Heliotropium, vulgò *girasole*, est flos qui cum sole circumagitur: symbolum adulatoris Principum. Sol enim (vt qui inter alia sydera Rex est, & positus, vt præesset diei) Hieroglicum est Principis apud auctores passim. obserua autem, hunc florem inter flores alios esse maximũ. videmus enim apud nostros eum arboribus multis altiorem breui euadere, & ferè in clypei latitudinem excrescere. obserua etiam, solis simiam, & vt ita dicam adulatorem ipsum esse, & repræsentare adulatorem Principum: quia in rotunditate, & in aureis, & rutilantibus radiis, quos circa se habet, Soli valde assimilatur. Inde colligo, Solem ipsum, iuxta quemdam dicendi modum, adulatores quærere, ob solam quam repræsentat Principis, seu superioris imaginem. item adulatores suos eum ita fouere, vt suo calore & influxu, illos maiores, & Principes faciat inter ceteros sui generis, nempe flores. vt indicetur, eos constitui maiores ceteris, & prælatos, qui sunt heliotropij Principum, hoc est adulatores. constitui inquam tales ab ipsis principibus, qui simias se exhibent potentum, vt quasi secundi principes appareant, vt heliotropium videtur sol terrenus.

Qui incensum Deo offert, hoc est thus super altare, is Deo proximior est ceteris, est enim sacerdos. Ita qui thus adhibet magnati, qui sæpè quasi Deus vult adorari; is proximior habetur apud ipsum, nempe constitutus super ceteros, tanquam, vt ita dicam, sacerdos super populum. & è contra: *qui non adorauerit statuam* (in qua figurabatur, & volebat adorari ipse Rex) *mittatur*, inquit, *in caminum ignis ardentis.* Dan. 3.

Iniquè Deum æmulari volunt homines. nam is dignior est in honore, qui magis Dei voluntati conformatur,

formatur, qui conformis fit imagini filij Dei, qui Deus est. ita & quidam potentes eum super alios exaltant, qui magis ipsis conformatur in omnibus: & per omnia. qui eis conformatur etiam in vitiis, non tantum in virtutibus.

2. *Magnates apud se volunt aut silentes, aut blandè loquentes.*

3. *Adulatores oleum sunt. ideo sublimati videntur.*

4. *Aula hos alens hospitale insanorum est.*

2. MVTA animalia solent Principes in aula nutrire, puta feras. quòd si aliqua loquentia alant, ea erunt psittaci, picæ, & huiusmodi, quæ non iuxta naturam propriã, sed iuxta naturam dominorum, nempe humanam id præstant, & prout edocta sunt. idque cum voluptate eorumdem dominorum. Ita multi superiores animalia muta apud se volunt, nempe exigui salis homines, seu ministros, & qui digitum ori admouere norint ipsis. vel quasi psittaci loquantur, ex natura sua, sed iuxta naturam, geniumque dominorum ad voluptatemque ipsorum. id est, volunt animalia aut muta, aut blande loquentia. sic notum est illud Aristotelis eius discipulo in aulam Alexandri ingressuro, *apud Alexandrum aut quàm pauca, aut quàm blanda loquere.* Prou. 23. 1. *Quando sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende qua apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* exponunt aliqui apud Iansenium hic, diligenter attende ad ea, quæ tibi proponuntur ad loquendum, vt castigatissimè, & parcè loquaris, quod est statuere cultrum in gutture. vulgò etiam dicimus *poner in tauola vn ragionamento*, hoc est proponere in mensa. & quia gladius Principis sæpè obtruncauit loquentes, & incautos ideo vult eo gladio te obtruncare, seu castigate sermonem (dicimus castigatè esse loquendum) ne eo obtruncetur, vel castigetur sermocinans. (a) *Chi parla con vn grande faccia conto di hauer il coltello alla gola, cioè d'esser in pericolo grande.* Subditur ibi: *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij*, hoc est eius Principis, apud quem mendacium est pro pane quotidiano. quasi dicat, quia & tu talem panem cogeris ei apponere, si panem eius comedere volueris, scilicet ab eo ali cogeris, inquam, adulari ei.

Prou. 23. 1.

(a) Qui alloquitur magnatem sciat se cultrum ad guttur habere, id est se esse grandi exposit[ū] periculo.

Mutos aliquos habere perhibetur Turcarum Rex in ministerio domestico. huiusmodi volunt ministros multi ex prælatis, immo & ex diuitibus domi suæ. Si capita animalium in mensam eorum inferantur; videbis oculos, & linguas apponi dominis amant enim suos cæcos, & mutos, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant. Ecclesiastes 5. 10. *Vbi multa sunt opes, multi & qui comedunt eas* non dixit; multi qui seruiunt domino: hoc enim tantum in omnibus illis verificatur, quod comedunt omnes; cetera non omnes agunt. commune officium eorum est comedere. *Ora* vocantur, qui de familia sunt. tot ora pasco, vel habeo domi, inquiunt ora volunt esse, non linguas. quia sæpè *os habent & non*

Eccles. 5. 10.

loquentur. sunt ora muta. *multi sunt comedentes, vbi multæ opes*, hoc est apud diuitem. sed comedentes symbolum sunt tacentium; quia os plenum non valet loqui. de his, qui verbo, vel opere haud se immiscent rebus domûs, vel domini, vulgò dicunt, (a) *non s'intrican in nulla attendon à mangiar, e bere.* sic ergo multi sunt comedentes apud diuitem. Superiores sicut dicuntur pastores, ita in sua aula, seu in caula volunt oues: nolunt Argos, quia nolunt argui. *Inter cæcos monoculus est Rex.* ideo multi ex prædictis, vt Reges sint, hoc est superiores; cum sint monoculi volunt alios esse cæcos. *Multæ opes, multi qui comedunt eas.* vult esse illos nempe suos ministros in quãtitate discreta, non in qualitate discreta. nam illi ijdem ministri possunt dicere illud, *Nos numerus sumus, & fuges consumere nati.* Dixi superiores sæpè velle domi animalia. vnde fit vt illi sint homines cum animalibus, animalia cum hominibus, hoc est humani, & benefici erga stultos, erga adulatores; at inhumani, & bestiæ insipientes. Recordare Ecclesiastes 12. *Malum quasi per errorem egrediens à facie Principis. stultum positum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* hoc est diuites sapientiâ, vt communiter exponunt. Salsamenta lõgè arcentur à mensa diuitum; sed in mensa pauperum pauperibus apponuntur. Placentæ & bellaria saccaro condita in mensam diuitum inferuntur. sic quæcumque dulcia sunt, & blanda, & absque sale sapientiæ, eis dicuntur. Sal enim amarum videtur palato. Quia sal est, quia acrimoniam habet, nempe in docendo, in arguendo. & corruptioni humorum aduersatur; (a) *Contrario è à gli humori corrotti, alla corruttion de gli humori. Trattando coi ricchi non si metton in tauola se non dolci ragionamenti, li falsi, e mordenti van in tauola de' poueri.* Ne ergo desideres de cibis eius, hoc est Principis, in quo est panis mendacij, panis dulcis. nam Prou. 20. *Suauis est homini panis mendacij.* Iusti & sapientes sunt *sal terræ*, vt Apostolis dictum est, *vos estis sal terræ.* veritatem dicũt, dulces non sunt. ideo arcentur à mensis multorum magnatum.

3. Oleum est adulator, & adulatio, & consequenter stultus, & stultitia. nam stulti adulatores sunt. sapientes autem sunt, qui verum aperiunt, qui corripiunt peccantem. Ecclesiastes 7. 5. *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.* Ille adulator igitur oleum est per adulationem, de qua Psalmus ait, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* sapiens verò est sal. Mat. 5. *Vos estis sal terræ*, per salem scilicet sapientiæ; quà putridini peccatorum resistunt. Sed oleum superiora petit facillimè, statim supereminet: sal verò graue deorsum mergitur. adulatio scilicet honores obtinet: veritas, & sapientia deorsũ residet. seu (quod in idem recidit) stultitia, quæ & per oleum significatur, vtpote quæ leuitate aëreâ plena est, vt oleum (ideo enim supernatat;) stultitia inquam sublimatur; quia stultus ponitur in dignitate sublimi, & sapientia deorsum iacet: quia vidit sapientes sedere deorsum, at stultum positum in sublimi.

(a) Non se immiscent vlli rei sed solum solicitu sunt vt edant & bibant.

Ecclef. 12.

(a) Contrarius est siue aduersatur humoribus corruptis i.e. malis moribus. cum diuitibus non nisi blandos sermones proferũt, falsi vero & mordaces fiunt in mensis pauperũ.

Prou. 20.

Eccles. 7. 5.

Psalm.

Matt. 5.

4. Domus huiusmodi potentum, seu diuitum videtur hospitale stultorum. nam, vt dixi, qui minus sapientes sunt, ij insipientiam suam adulatione supplent; vt propter illam saltem foueantur. dicunt enim, (a) *Chi non hà sal, habbia oglio, chi non hà ceruello, habbia gambe.* Sicut ergo dominus, seu curator hospitalis; ita est Prælatus nam quamdiu aliquis in dementia manet, retinet eum in hospitali. at vt cœperit ad rem loqui, & sapiens fieri, eum dimittit à se. Ita ergo hic dominus, seu Princeps verè se stultorum Regem demonstrat in duplici sensu, nempe in sensu explicato, & quia omnium stultissimum se exhibet stultorum. nam solos fatuos, & vecordes domi suæ retinet; sapientes verò à se amouet, & quos aduertit sapienter, & cum libertate loqui. *Odit enim à sapiente corripi, sed non stultorum adulatione decipi.* sapientes eiicit, & adulantes mutosque alit, qui stulti dicuntur ibi à Salomone, & oleum sunt adulatione.

(a) Qui non habet sal, habeat oleum; qui non habet intellectum habeat pedes.

Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. turpe est decipi etiam à sanæ mentis homine, etiam à versuto. ergo plus quàm stultus est, qui decipitur à stulto. Sapiētes sunt, saltem terrenâ sapientiâ ij, qui decipiunt, respectu deceptorum. ergo adulatores tui, ergo stulti, sapientes sunt respectu tui. de sapiente respectu stulti dicimus, (a) *Egli lo venderebbe al mercato.* Turpe est, vt stulti te vendant: at quam turpius, vt te tibi ipsi vendant? Vincent. libr. 3. Speculi moralis distinct. 11. alludendo mori vendentium nimirum laudandi merces, quas cupiunt vendere, iuxta illud, *Laudat venales qui vult extrudere merces:* dicit quemdam assentatori suo dixisse, numquid vendere vis me ipsum mihi? Vendunt tibi stulti, (vt maior sit deceptio, & stultitia tua) noctilucam pro lucerna; muscam pro aquila; iuxta adagium, *Vendon lucciole per lucerne.* nam te, qui noctiluca es, hoc est stultus, vendunt tibi ipsi pro lucernâ, pro sapiente. Noctiluca enim, cum musca sit, symbolum est stulti. ita Olymp. expresse per muscas morientes, perdentesque suauitatem vnguenti Ecclesiastici 10. 1. Intelligit stultum, qui multa bona corrumpat, adagium est, *stolidior muscâ.* Sapiens verò est lucerna. Matt. 5. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio.* est aquila, cui ideo comparatur Ioannes Ezec. 1. 10. *Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Vendunt ergo te tibi, te muscam vendunt pro aquila tibi ipsi. (a) *essendo tu matto, ti vendon per sauio à te stesso, cioè ti persuadon che sei tale.* vendere te tibi pro vna re, cum alia sis, est persuadere tibi quod sis sapiens, vel bonus, cum stultus sis, aut malus.

(a) Illum venderet, in publico foro.

Vinc. lib. 3. Spec. mor. dist. 11.

Eccles. 10. 1.

Matt. 5.

Ezec. 1. 10.

(a) Cum stultus sis, te tibi ipsi pro sapiente venditāt.

Adeo insitum diuitibus, & dominis parasitos, & adulatores nutrire, vt etiam inter pisces, is qui censetur quasi Rex (nempe delphinus) piscem alium habeat parasitum appellatum, vt Elianus lib. 9. cap. 7. dicit: quem pascit ex præda à se facta, & eius consortio delectatur, vt ibidem dicitur.

Elian lib. 9. c. 7.

2. *Adulatio vt cibus suauis attrahitur à stomacho; veritas pharmacum est.*

ideo

ideo reiectatur ab eo.rari veridici,plurimi adulantes.

(a) Gens vilis & egens. 3. *Hi canes sunt.Italicè* (a) Canaglia.

Senec. Ep.43. 2. SENECA epist. 43. *Adulatio*, inquit, *apertis*, *& propitijs auribus recipitur; in præcordia ima descendit*, quid mirum, cum illa sit oleum? de quo dictum loco cit. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Ps.108.18 de oleo Psalm. 108. 18. *Et intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius*. bolus pharmaci licet salutem daturi difficillimè, præsertim à delicatis recipitur, & sæpè necdum fauces pertransiuit, cum à nauseante ventriculo reiicitur. at de suaui cibo dicere solemus, in præcordia vsque descendisse, vel in ossa quamuis insalubris esset, & fortasse morbum, aut mortem secum ferret. idem dic decibo, seu pharmaco veritatis, & adulationis. Oleum prædictum caput impinguans rectè, potest intelligi de odorifero vnguento. cum autem hoc præsertim ad præcordia Prou.27.9. descendat iuxta Prou. 27. 9 *Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor*. ideo penetrat. Pro dictis de pharmaco, & cibo suaui, sed noxio, facit 2. Tim. 2.Tim.4. 4. *Cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus*. en quomodo non sustinent sanam doctrinam, hoc est pharmacum sanans: ne vnum bolum quidem sustinent huius medicinæ, cum absolutè dicatur, *sanam doctrinam non sustinebunt*. cum in medicina capienda liquent culicem, in cibo adulationis glutiunt camelum. montem, seu mare adulationis auidè absorbent, nempe, coaceruatis sibi magistris hunc liquorem propinantibus. ibi nec medicinam ipsam recipiunt, nedum medicos admittant; at hic, (vt ita dicam,) ex nimia auiditate doctrinam cum Doctoribus, vina cum pincernis absorbent. quia libenti animo doctrinam, & Doctores recipiunt, fouent, iamāt. Tantus est pruritus aurium, vt coaceruandi sint scabentes illas. eodem modo subditur, *Et à veritate quidem auditum auertent; ad fabulas autem conuertentur*. Veritas, vnde aures auertunt, in singulari; *fabulæ*, ad quas cōuertuntur in plurali ponuntur. vt confirmetur quod dixi. Veritati neque vnam aurem præstare volunt; fabulis se totos dedunt. non enim dicuntur conuerti ad illas aures illorum, sed illos. ita Ecclesiastes supra 7. n. 6. *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi*. sapientem, Eccles. sup. 7. n. 7 & corripientem in singulari ponit; adulantes, & stultos in plurali. Res insignis, & singularis, homo verax, idem est verax, & sapiens. sed in viris de mille vnum reperi, hoc est sapientem; at stultorum infinitus est numerus. innumeri sunt adulantes, rari sunt corripientes.

3. Adulari, vt Nonius refert, & communiter dicunt, propriè dictum est de blandimento canum per gestus, & caudæ motationem; per metaphoram translatum deinde ad homines adulantes. Dic, veraciter dici posse, adulationes, præsertim impudentiâ quadam prolatas, esse *Caninas ceremonias*, adulatoresque magistros habuisse canes; magistros, quos vocant ceremoniarum. sciant autem, quod *non est discipulus super magistrum:*

strum. Diogenes Aristippũ vocabat canem Regiũ, eo quòd Dionysij esset adulator. huiusmodi adulatores, cum plerumque parasiti sint, & impudentes, quod etiam canum est proprium; & ob bolum alicuius vtilitatis, adulentur diuitibus, vt canes causâ ventris; & ita abiecti animi, & conditionis homines se se ostendant: ideo Italicè dicemus, (a) *si monstran d'esser canaglia vile.* hæc enim à canibus denominata est. & canes in Scrip. passim vilium symbolum, 2. Reg. 3. *Nunquid caput canis ego sum?* & Dauid *canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.* canis etiam blandiens caudâ (vt dicitur Tob. 11 9. *Blandimento suæ caudæ gaudebat*) apud Patres adulatorẽ significat, vt est in Sylua alleg. verbo, *Canis.*

(a) Ostẽdunt se esse viles atque ex fece popelli.

2. Reg 3.

Tob. 11 9.

Canes sunt hi adulatores, & parasiti: quia te sectantur. tibi blandiuntur causâ ventri. Plut. de dignoscendo, adulatore ab amico ait: Melantius adulator Alexandri Pheræi, cum is occisus fuisset, interrogatus quomodo? respondit; in latus per ventrem meum. indicauit ventri suo gladium illum nocuisse. Ecclesiastici 37 4. *Sodalis amico condolet causa ventris.* & quia habendi auiditas est quædam fames (auri sacra fames, & in Iob. *Diuitias, quas deuorauit euomet.*) ideo quàm multi, cum dolent de nece, seu morte amici, aut consanguinei ob emolumẽtum, quo inde priuantur; possunt dicere, eum vulneratum fuisse in perniciem ventris sui, in latus per ventrem meum. ita sodalis amico condolet causa ventris.

Eccl. 37. 4.

Iob.

2. *Adulatione capti muscæ sunt melli rete araneorum capti.*

3. *Diues solus est, licet plurimis stipatus per viam.*

4. *Prælatis omnes solent obsequi.*

2. BION, vt dicitur lib. 8. Apop. ex Plut. dicebat, audientes, adulatorũ esse vasa, quæ auribus circumferuntur. tamquã vasa feruntur auribus, tãquam bubali naribus. *per le orecchie come vasi, per il naso come bufali.* sed quia hi diuites, seu magnates, quibus sic adulãtur, habent aures, & nares valde delicatas, & molles: vnde nõ nisi mollissimo linteo hæc sibi tractari permittunt: ideo parasitus quidam apud Plut. cum Rege nõ nisi verbis byssinis agendum dicebat. & quamuis amor adulationis, sit pruritus quidam aurium, iuxta illud supra, *Prurientes auribus*; tamẽ mollissimo, & byssino linteo verborum meliùs fricantur. vnde diues, & præsertim princeps, (vt dicitur de illo diuite) *induitur purpura, & bysso.* Byssus comes est purpuræ: hoc est, adulatio mollis cum diuitibus, & Regibus ambulat, seu purpuratis. *qui enim mollibus induuntur in domibus Regum sunt*, vt dicitur in Euangelio. Ob mollitiem, & subtilitatem suam byssus est veluti tela aranearum, & rete muscarũ. non mirũ ergo, cũ diuites in hac byssina materia inuoluti sint, & eam cuti proximã gerant, in eaque noctu dormiant, in linteis scilicet byssinis; non mirum inquam, si venatores isti; nempè adulatores astuti, vt eos capiant, & inuoluant, rete byssino, quasi aranearum vtantur. nisi enim hi

lib. 8. Apop. ex Plut.

diuites essent muscæ, hoc est stulti, & stolidi iuxta adagiũ, *stolidior muscâ*; non se capi sinerent ab huiusmodi telâ verborum byssinorum. capiunt autem hi aranei has muscas, vt captas exsugant, eliciendo videlicet ab eis sanguinem pecuniæ, & ciborum; vnde impinguentur. Quod autem muscæ sint, qui sic capiuntur, iam supra ostendi ex Olympiodoro sic exponẽte muscas morientes, quæ perdunt suauitatem vnguenti. Quòd hæc verba byssina, rete sint; probatur Prou. 29. 5. *Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.*

Prou. 29. 5.

His positis dic, Nullas domos magis liberas esse à telis aranearum, nec magis ijs abũdare, quàm domos diuitum, & dominorum: ita vt quocũque se vertant, quasi impossibile sit, vt non in aliquas incidant. & quantò maiores muscæ hi sunt, hoc est, ditiores, & potentiores; sicut faciliùs dirumpunt telas aranearum, hoc est legum, & iustitiæ, nec ijs detinentur, ita è contrario faciliùs capiuntur ab istis retibus. quia adulationi magis credit persona sublimis, quàm humilis, & abiecta: quod accidit ex superbia illius, quâ iudicat eam sibi debitam laudem, quæ adulatrix est, & ficta.

3. Putant fortasse aliqui diuites, & potentes, eos, qui ipsos sectantur, & eis obsequuntur, id sibi præstare; cũ tamen nõ ipsos, sed diuitias, vel gradum ipsorum sectentur, & colant. Humilis fortunæ homo, si fortè ambulet cum aliquo Principe, & credat cateruam Principis se ipsum sequi honoris causâ; dices quia stultus est. & cum princeps ab eo diuerterit, tunc apparebit hominis stultitia, & solitudo atque abiectio. Ita cum tu cum diuitijs tuis vel honoribus ambules in hac via vitæ, multos habes sequaces, & obsequẽtes aulicos, seruos, comites, *molto cortegio.* at stultus es, dum putas illos te sectari; cum non te, sed opes tuas, comitem tuũ sequantur. vnde statim ac felicitas illa, vel gradus transierit à te ad alium; apparet te tunc solum fuisse, cum tibi videbaris magna sequaciũ caudâ honoratus. ideo Crates apud Stobæum, ad adolescentem magnâ stipatum caterua adulantium ait, *Miseret me tuæ solitudinis*; quia opes, non ipsum sequebantur.

Parasiti oues sunt, *oues enim pascuntur à pastoribus*, vt est Ezech. 34. sicut Ezech. 34.
illi à diuite, qui ratione pascuæ, & si Prælatus sit, ratione officij pastor eorum est. at verificatur in eis, *Percutiam pastorem, & dispergentur oues.* percusso illo per aliquod infortunium, disperguntur oues. dispergũtur à pastore, qui perijt, & alium sequuntur, qui ei successit in pastorali regimine. Ecclesiastes 4. 15. simile Eccl. 4. 15.
quippiam describit, *Quod de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius natus in regno inopiâ consumatur. vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub Sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.* litteraliter, solus remanet ille, qui in regno natus, eo priuatus est, quasi percussus pastor ab ouibus deseritur. at qui etiam de catenis ad regnum loco eius subijt, is (qui est adolescens secundus, successor primi illius) obtinet studia omnium viuentium, siue sequelam, obse-

sequiumve cunctorum. cuncti cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.

4. Nota quod ait, *Vidi cunctos viuentes cum adolescente secundo.* quãdo quis factus est primus, omnes ei sunt secundi. in duplici sensu id verum est. secundi, scilicet inferiores, & secundi, scilicet propitij. & obsecundantes. *cunctos viuentes cum adolescente secundo. Totus mundus abit post ipsum.* nam, vt cecinit alius: Regis ad exemplum totus componitur Orbis. cuncti viuentes cum illo sunt, hoc est cum eo concordant, in dictis, in factis, in sententia, in studijs. vulgò dicimus, (*a*) *son con lui in ogni cosa.*

(*a*) Ab eo vel cum eo stant aut faciũt in omnibus.

Dixit, se omnes vidisse cũ eo: nec addidit, ambulantes, stantes, aut edentes, & similia. vt indefinitâ propositione posses intelligere in omnibus cum eo concordare. & quasi album reliquit tibi in ea scriptura post verbum, *Cum eo*, vt posses illi addere quodcumque velles, nempe cum eo sentient, loquentur, vestient, &c.

Prou. 30. 29.

Prouerb. 30. 29. *Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum gallus succinctus lumbos, & aries, nec est Rex, qui resistat ei.* Emmanuel Sà explicat, *Et Rex, nec est qui resistat ei.* & ita Ians. dicit esse explicandum, vt aliqui legunt Communiter loquendo vix inuenitur aliquis, qui resistat Regi, & nedum viribus, sed nec in ceteris rebus dissentire audeat ab eo, si eius subditus sit; vel audeat se opponere illi. locus videtur saltem principaliter intelligi de resistentia efficaci quoad potentiam. potest tamen accommodari ceteris rebus. *Est quartum quod feliciter incedit.* nemo illi obuiam fit in via sua. ille est pastor ouium. ideo, vt vulgò dicimus omnes tamquam oues, vnus post alium, ipsum sequuntur. nemo resistit cõtra faciẽ potentis, ne conetur contra ictum fluuij. (*b*) *Con chi và prima, ogniun và à seconda.*

(*b*) Vno aliquo ceteros præcedẽte; reliqui omnes, secundas agũt partes. i.e. obsequũtur.

2. *Prætextu pacis non tollendæ assentimur peccantibus.*

2. MVLTI prætextu pacis, & vitandæ dissensionis, assẽtiuntur alienæ voluntati, præsertim vbi interuenerit spes, seu timor. at sciant parum distare hæc duo, assentiri, & assentari; & qui aciem oculorum obtusam habet, sumet facilè vnum pro alio. sed Deus non irridetur. placet mihi vnum, vt simus cor vnum, & anima vna. sed vnum (si sit reale, & non fictum) est (vt aiunt Philosophi) *Vnum, verum, bonum.* hæc enim sunt tres passiones rei realis, siue entis inseparabiles. cum vnitate volo insit veritas, & bonitas; alioquin non vera amicitia, sed ficta, & falsa vnio erit ista. non in falsa sententia, aut iniqua concordare debemus, quod est in re carente veritate, & bonitate. alioqui nõ erit amicitia, sed fictio, hoc est adulatio, & simulatio. erit fictio, vel etiam factio. quod contrariatur amicitiæ bonæ. Nolo, si fieri potest, cum proximo litigare, sed nec volo ei litare. præstat sæpè proximo, & diuiti reddere thuribulum, quàm thus. *Più tosto l'incensiero, che l'incenso.* est homo contrarium præstat. potius enim reddet quantumuis fumi incensi, dummodo re-

Adulator qui lucri causa fumum laudis, vulgò le

incensate porrigit, est vt thuriferarius fumum alteri præbens, interea thuribulum argēti firmè manibus retinens.

retineat manibus argentum thuribuli. quod est alteri, & præsertim maiori deferre, assentiri, & laudes tribuere, ne tantillum emolumenti deperdat. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* en modus, & conditio amicitiæ, & pacis seruandæ, *Sicut dilexi vos*, hoc est vnione, quæ veritatem, & bonitatem contineat. ita Ioan. 17. Christus orat pro eis, qui credituri erant, *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*

Ioan 17.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. non quomodo mundus dat ego do vobis. ita dicit Ioan 14. non placet Deo vnio ista, sed potiùs venit hanc tollere. *non veni*, inquit, *pacem mittere, sed gladium.* sic narrat Seneca de cliente quodam, qui Celio oratori plura loquenti omnia concedebat, singula laudabat. quod cum ex longa adulatione Celio stomachum mouisset, audiuit ab eo: *Dic aliquid contra, vt duo videamur.*

Ioan. 14.

Hoc inde addiscendum nobis, vt non faueamus adulatoribus, ne irrideamur, & ne illi vt supra dixi, præbendo nobis thuris fumum, scilicet adulationis, & falsæ adorationis, sibi retineant argentum thuribuli, vt solent thuriferarij. Hoc facere volebāt Athenienses. nam vt Brusonius de adulatione scribit cum Antonius haberi vellet pro Patre Libero, hoc est Baccho, & eo nomine se inscriberet; Athenienses hoc nomine ei scripserunt, rogaruntq; vt ipsorū Deā Mineruam in matrimonium acciperet. at ille comprehendit astutos in astutia sua, & factum est, vt per quæ quis peccat, per hæc & puniatur. nā rescripsit ille, ipsam spōsam recipio vestrā, sed pro dote impero mille talenta à vobis mihi numerari. Quidā volūt (vt iste voluit) thus; sed etiam thuribulum.(a) *il fumo, e l'arrosto.* Si, cum iustè id possumus, ita faueremus assentatoribus, & thuriferarijs, pauci currerēt cum thuribulis suis ad thus nobis exhibendum. sed nos etiam thuribulum donamus, tradimusque in manus adulatorum, vt ipsi nobis fumum thuris reddant. argento enim dato fumum emimus. Christus docuit adulationi potius indignandum, dum dicentibus illis Matth. 22. *Magister scimus, quia verax es*, & cet. ait, *Quid me tentatis hypocritæ?*

Brus. de adul.

(a) Fumū & assam.

Matt. 22.

3 *Adulatio nimia vt mel stomachum mouet:*

4. *A brutis etiam adulationem exigunt.*

3. OLEVM est adulatio: Oleum peccatoris impinguās caput. Est & mel. nam de adulatione meretricis dicitur: *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius.* vbi ostenditur simul esse oleum. *molliti sunt sermones eius super oleum.* Sed oleum, & mel, præsertim si nimiè sumantur nauseam, & vomitum prouocant. ita adulatio nimia, & inuerecunda id præstat, & est in causa, vt ipsamet euomatur, & reijciatur à nobis. de melle dicitur Prouerb. 25. 16. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.* Sic Theatr. vitæ humanæ volumine 3. lib. 10. Aristobulus Poëta (inquit) in Poëmate suo de Alexandro magno dicebat, quod ille aliquando solus cum elephantibus dimi-

Prou. 25. 16.

Theatr. vol. 3. l. 10

Arist.

dimicans eos necabat, quod solus turres integras quasi Enceladus, aut alius gygas prosternebat, & alia huiusmodi. hæc stomachum mouerunt ipsi, Alexandro. dicebat enim, quod quamuis illa vera fuissent, tamen incredibilia putarentur. Ideo callidiores adulationis artifices aliquid acerbi miscet melli isto, ne facilè satiet; aliquid aceti cum oleo, ne nauseam efficiat. Oximel conficiunt, & exhibent. ita dicitur quia ex aceto, & melle fit.

Nonne stomachum mouere, & indignationem magnam debuit quidam, de quo legi, quod cùm summè commēdasset formosum adolescentem, tandem ausus est dicere, non puto Christum, cum in ea ætate erat, alterius formæ fuisse, quàm hic? Hoc morbo laborant Poëtæ aliqui amatas laudando, quas verbis extollunt super Cœlum, vt factis demergant vsque in infernum, hoc est inducendo ad peccatum.

Quidam non solum nolentes sibi obsequi, & adulari, oderunt, ac etiā perdere cupiunt, vt Aman Mardochæum, cum Iudæis Regi suo subiectis; sed adulationem exquirunt etiam à brutis, & in eadem bruta sæuiunt, si eis non obsequantur. ita Paulus Odorbonius in vita Ioannis cuiusdam Principis Moscouiæ apud Theatr. pag. 4002. dicit: cùm hic ab adulatoribus Magnus Alexander nuncuparetur; vt ipsum in aliqua re vinceret Alexandrum, operam dedit per ministros, vt elephas illum salutare, seu sibi genuflectere disceret. quare quotidie eum ad se venire faciebat, & ad venerationem istam impelli. sed cum bestia numquam potuisset ad hoc induci indignatus eam obtruncari fecit.

Paul. Odorb. in vit. Ioan.

Plutarchus in Anton. dicit, eum per vrinatores, hoc est sub aquis natantes, piscem apponi fecisse hamo Cleopatræ piscantis. Vide ingenia adulantium. si ludant cum eo, cui obsequi cupiunt, se de industria vinci sinunt. si cum eo venentur, vel aucupentur, prædam in eius retia impellunt, seu collocant. si diues, seu Princeps dictum aliquod insulsum proferat; illi in eo sapientem aliquē sensum inuenire se simulant. sic Ecclesiastici 13. 28. *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent.* non dicit locutus est sensatè, sed *locutus est.* nam & supra hic dixerit, *Locutus est superba, & iustificauerunt illum.* piscanti diuiti apponunt occultè piscem optimum: at piscanti pauperi auferunt piscem, quem ceperat, & cancrum vilem apponunt. (a) *Dicon che nel suo parlar ha preso vn grancio*, hoc est quod ait, *Pauper locutus est, & dicunt quis est hic?* & supra, *Locutus est sensatè, & non est datus ei locus.*

Plut in Ant.

Eccl. 13. 28.

(a) Dicūt eum cepisse Cācrum id est malè diuinasse.

2. *Obsequij gratia Theodosius non lectis scedulis subscribebat.*
3. *Magnorum laudant tam bona, quàm mala.*
4. *Veritas nec in historia audet loqui.*

2. CEDRENVS apud Theatr. pag. 2914. ait, Theodosium iuniorem obsequendi studio, & promptæ beneuolentiæ affectu, solitum aliquando non lectis subscribere scedulis familiarium suorum

Cedr. apud Theatr. 2914.

 ali-

aliquid suadentibus, seu exposcentibus. cuius rei cùm Pulcheria eius soror sæpè frustra eum admonuisset; prætextu muneris postulandi, petijt ab eo per litteras, vt sibi in seruitutem traderetur vxor eius Eudoxia Imperatrix. ille statim sigillo litteras muniuit. illa tūc ostēs à chartâ Imperatori, nempe ipsi Theodosio, rubore illi iniecto, accuratiorem in futurum reddidit, vt talibus non subscriberet. Hispanum prouerbiū. (a) *ni breuer aqua, que no Vea, ni firmar cart que no.* Prouerb. 18.13. *Qui prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.*

(a) Non bibere aquam nisi prius visam nec signare epistolā nisi ante lectam.

Prou. 18. 13.

Plut. commentario de multitudine amicorum ait, Porrò cum in domibus diuitum, aut procerum videt turbam hominum salutantiū, prensantium, stipantium: vulgò eorum laudant fortunas, amicos habentiū. atqui in culinis eorum plures muscas videre possunt, neque tamen, vel hæ escâ, vel illi vtilitate sublatâ manent. ita ibi.

Plut. Comm. de mult. amic.

3. Rauisus in officina, titulo, de moribus gentium, narrat ex antiquis auctoribus, Indos totum iter, quo rex transiturus est, odoribus complere. vbi ille ad aliquem locum processerit ciuitatis, seque in publicum visendum obtulerit, præcurrunt aliqui argenteis thuribulis odore complentes viam vniuersam quâ transit. Magna hæc adulatio. sed non solum erga Reges plurimos, sed ferè erga omnes diuites, & superiores video eam exerceri. immo longè maiorem. maius enim est incensum, & thus laudum, & vt ita dicam venerationis, & adorationis, quàm thus materiale. plusque est tribuere odorem famæ, & præconij, quam vnguenti odoriferi. nam Ecclesiastes 7. 2. *Melius est bonum nomen, quàm vnguenta pretiosa.* & plus est suauitatem præbere animæ, & menti, quàm naribus. sicut quocumque se vertat Indorum Rex è palatio suo exiens, siue ad dexteram, siue ad sinistram, siue tendat ad templum, siuè ad prostibulum; odoribus viam perfundunt: sic in casu nostro in via morum, in semitis, & institutis vitæ faciunt homines. nam passim via, & iter apud auctores, & Scripturam sumuntur pro instituto, & actione vitæ. vulgò etiam dicimus. *andar per buona, ò rea strada, caminar bene, ò male, cioè viuer ben ò male. onde andamenti son costumi.* Ergo siue superior & diues eat ad dexteram, siue ad sinistram in via morum, siue ad templum, siue ad prostibulum; statim thuribulis accurrunt, hanc & illam viam eius æqualiter thure implentes; quasi sanctificantes, iustificantes, quodcumq; ille fecerit. Ecclesiastici 13. 28. *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent.* aduerte non dicit, locutus est bona, sed locutus est, absolutè. quia quodcūque dixerit laudant, (a) *Canonizan ogni buenia, ò trista parola.* & supra hic. num. 26. *Diuiti decepto multi recuperatores. locutus est superba, & iustificauerunt illum.* quamcumque viam, quâ ille ambulet in vita, laudant, & odore complent quasi sanctam, quamuis esset via iniquitatis, & prostibuli, tamen eum thure venerantur, & prædicant.

Rau. in offic.

Eccl. 7. 2.

Eccl. 13. 28.

(a) Laudant, celebrant omnem sermonē seu bonū seu malum.

Num. 26.

Histo-

HISTORICORVM MISERIA.

Liber in historia loqueris? nocet esse locutum.
Admisces falsi nil? tacuisse nocet.
Dissimulans, simulansque, sibi per omnia dispar.
Qui volet historiam scribere, seruus erit.

Hoc est dicere, oportet hodie vt liber (qui, eo quòd littera non erubescit, vt est in adagio, liberè potest loqui: vnde meritò *liber* dictus fuit) oportet inquam, vt liber non sit liber, sed seruus. Omnes enim & præsertim magnates optant te de alienis actis secum esse historicum; de suis autem Poëtam, vt nimirum, non solutâ, & liberâ oratione, vt historici, sed commensuratâ, & colligata, atq; suaui, hoc est versu eis loquaris. Volumina historicorum, & scribentium solutâ oratione in libros diuiduntur at nostrorum Poëtarũ nõ in libros, sed in cantus. Hodie autem volumus historicorum opera non libros, sed cantus continere. nec desunt historici, qui non differunt à Poëtis nostris Italicis, nisi quod hi libros suos cantus appellant, illi verò non appellant, sed faciunt.

ODORES, ET VNGVENTA.

2. *Odoriferis vnguentis nostris abortiunt mulieres Sueuæ, & alia de ijsdem.*
3. *Gerentes vnguenta hæc apud nos simile faciunt.*
4. *Vnguentis carentem putant nobilitatem non redolere.*



OLAVS Magnus lib. 16. cap. 13. & 14. Sueui, inquit, alioquin erga peregrinos valde humani, eos tamen oderunt aduenas, qui gestant odores ziberti, & moschi. quia vxores eorum grauidæ, ex prædictorum exhalatione, & ex mero odore abortiunt. vnde ijs odoramentis imbutos proditionis suspectos habent. vnde sæpè ab agricolis prouinciæ isti fustibus cæduntur. Notum est illud Plinij à lucernarum extinctione nonnumquã grauidas aborrire. Vide ergo tu, qui tam suaues, & delitiosos esse asseris hos odores, quomodo venenum teterrimum sint, & fœtes tot hominibus. neque aliud videntur esse, quam lucernarum fœtores; cum idem operentur in mulieres prædictas. Tu dicis iuxta vsitatum vulgò loquẽdi modum, Hæc odoramenta valent suscitare mortuos ad vitam, nedum exanimatos, seu deliquium animi passos refocillare. & ego ostendi tibi, quod potius reducunt viuos ad mortem, quam mortuos ad vitam. *Olaus Magnus. lib 16. cap. 13. & 14.*

3. Illi enecant in mulieribus fœtum vteri, siue abortire eas faciunt filios ventris: at nostri gestatores odorum interdum enecant odoribus in eisdem fœtum mẽtis, nempe propositum virtutis, & castitatis. non pauci enim ex ijs, qui gestant odoramenta hæc, ad conciliandum sibi amorem mulierum id faciunt. Vel dic, quod illi odoribus interficiunt filios, hi verò matres per peccatum, quod ab animæ nece dicitur mortale. cumque huiusmodi homines, seu mulie-

mulieres hos gerant odores etiam vt ab omnibus amentur, & honorentur, vtpote omnibus grati, & placentes; tamen ſicut hæc vnguenta viſcus, & magnes ſunt fuſtium apud Sueuos, ita & deberent eſſe apud noſtros, quando ad malum finem geſtantur. ſic enim inſidiatores ſe conſtituunt alienæ caſtitatis, & aliquando etiam ſuæ famæ, & æſtimationis. ſi autem non inuenient Sueuos in hoc mũdo, inueniẽt profectò in alio.

4. Quædam matrona omni ornatu muliebri, veſtiumque conſpicua iam effecta erat, tamen non audebat progredi in conuentum quendam mulierum, & virorum, niſi aureum vnum expenderet in vnguento odorifero, quòd ſuauiter redoleret. abſque illo enim dicebat adimi ſibi conſuetam diuitum, & nobilium matronarum exiſtimationem, quod omnes illæ ſic olere conſueuerint. timebat inquam, quod non redoleret diuitias, & nobilitatem abſque vnguentis. ſed dictum eſt illi. alludendo pretioſo eius ornatui. ſi mille aurei non redolent diuitias, & nobilitatem, neque ad mille additus vnus id redolebit. Conficta narratio: ſed valde memoranda diuitibus noſtris. qui in eo ſe putant complementum gloriæ, & nobilitatis acquirere, in quo non ſolum à baiulo, vel ruſtico æquari, ſed etiã facilè ſuperari poſſunt, nempè vno, vel altero aureo in odoramenta inſumpto.

2. *Odores noſtri ſæpè Superis fœtent.*

3. *Immo interdum fœtent etiam hominibus, oſtenduntque nonnumquam corruptionem, & mortem animæ in illis delibutæ.*

4. *Probitas, & caſtitas vt roſæ prope allium, ſcilicet cum frugalitate magis olent.*

2. MAFFEVS lib. 14. Hiſt. dicit, odores noſtros pretioſos fœtere Iaponijs, ſeu Iaponibus. cum autem hi ſint populi quaſi alterius orbis, in hoc repræſentare videntur eoſdem odores, ſiue odorata vnguenta fœtere incolis alteriùs mundi, ſeu alteriùs vitæ; quatenus mollities iſta geſtandi huiuſmodi odorifera, vt dici ſolet, malè oleat illis, qui nares iudicij purgatas habent. ita legitur de quodam qui vidit Angelum nares ſibi obturãtem ad præſentiam iuuenis floribus, & illecebris pleni, & dicentem, huiuſmodi delitioſos plus fœtere Superis, quàm cadauer fœtens hominibus. *Maffeus lib. 14. Hiſt.*

3. Immo etiam noſtris hominibus fœtent aliquando bene olentes. ſic Mart. lib. 2. epig. 12. ad Poſthumum. *Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles bene Poſthume ſemper: Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.* Cadaueribus olim vnguenta odorifera infundebantur, vt nunc cadaueribus Principum, ne putreſcant. ergo aliquando, dum te his perfundis odoramentis, quaſi iam mortuum, peccati, ſcilicet morte, & tendentem ad corruptionem carnis, hoc eſt impudicitiam oſtendis. quamuis hodie tam increbuerit hoc vitium geſtandi odores, vt boni, & mali, & qui bene, & qui male olent bene oleant, neq; ſuſpicio mala habenda facilè ſit. non tamẽ ſemper & apud omnes ita res ſe habuit. vnde Chry- *Mart. lib. 2. epig. 12.*

Chrys. conc. 1. de Lazar. Chrysost. concione prima de Lazaro, *fragrantia enim corporis, intus animam graue olentem arguit.* sicut thus in Ecclesia defuncto, ita odoramenta aliquando defunctæ animæ exhibentur ab his, qui eis delectantur, animæ scilicet propriæ.

4. Lilia ob candorẽ castitatis symbolum sunt, tamen sicut Plutar. de rosis dicit, quod plãtatæ prope alliũ odorabiles magis fiunt, ita, ait Porta de secretis, accidere liliis. rosa ergo, seu lilium castitatis, vel bonæ opinionis. (nam bonus odor est fama bona,) si vicina sint aliis, magis redolent, quàm si vnguentis proxima sint odoriferis. sic castus, vel probus homo, seu castitas, & probitas magis redolent famam suam, si prope alliũ sint, quàm si in mediis vnguentis existant. ideo de quodam sapiente legitur, qui sentiens quemdam olere vnguentem pretiosum, ait, mallem te allium olere, quàm vnguentum. adde etiam allium vicinum liliis, & rosis eam redolentiam magis reddere. quia frugalitas in victu, & paupertas, qualis est in iis, qui alliũ apud se habent ad esum, vel allium olent, indicium esse solent illibatæ, & conseruatæ pudicitiæ, atque innocentiæ. earumque augent bonum nomen.

Hier. lib. 2 in Iouin. Odores signa vanitatis, interdum & mortis animæ. 2. Hieronymus libr. 2 in Iouinian. *Quod odores musci, & similes dissolutis conueniant, non nisi dissolutus negat.* Odorata huius generis in vescis seruantur: quod signum est in vanis, & ventosis hominibus, sæpè etiam in turpibus, & corpore ac mente malè olentibus ea reperiri. Christus vnguento perfusus se penè sepultum reputauit, quatenus dicit, id *ad sepeliendum me fecit* sic sæpè persona, quæ in iis delitiis est, *viuens mortua est.*

3. *Lasciui muscæ sunt perdentes, scilicet corrumpentes suauitatem vnguenti.*

4. *Virtus, & bonum nomen vnguentum sunt. ideo aliud non quærunt vnguentum.*

3. Ecclesiastes 10. 1. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Eccles. 10. 1. muscæ hic ab Olympiodoro peccatores intelliguntur, & stulti. bene hoc, quia, vt Pineda hic refert, immundorum illæ symbolum, vt quæ super immunda quæque se iactant. peccator autem, & immundus idem sunt. Sed cum lasciui amatores præsertim, immundi sint, & peccatores, ac stulti; (nam & stultitiæ musca est symbolum iuxta adagium. *stolidior musca.*) ideo cum triplici titulo muscæ sint; etiam moriẽtes, seu vt alij legunt, mortuæ in peccato, quamuis sese immergant in vnguento odorifero, non recipiũt odorem, seu gloriam ab eo; sed ipsũ vnguentum fœtere faciunt aliis. sic alij legunt hic *fœtere faciunt vnguentum* alij legunt *aromatarij vnguentum*, alij *vtrem boni olei* in qua re dici potest, quod quantumuis muscæ istę impudicorum omnia vnguenta aromatarij, & apothecæ eius, vel vtrem odorati olei sibi infundant; tamen non recipient odorem ab his vnguentis, sed ipsa potius vnguenta fœtere facient, hoc est odiosa, reddent, quasi illa oleant malè, hoc est saltẽ vanitatem, si non lasciuiã. sic Exodi 5. 21. Exodi 5. 21.

Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, hoc est nomen, & famam. quod si hæc expositio videatur nimis humilis, vt litteralis, accipiatur vt accommodatitia.

4. Vnguentum odoriferum incorruptum seruat corpus, & redolere facit. at contraria operatur sæpè in animum, & præsertim in nomen bonum, seu famam hominis. ita accidit in peccatore, quod dicitur Prouer. 10. 7. *Nomen impiorum putrescet*. putrescet modo supra explicato; quia fœtere facit odorem nostrum, odorem ipsius nominis, saltem vt oleat vanitatem, mollitiem, iactantiam, & quandoque peiora. Bonum nomen ipsius hominis, ipsaque virtus eius sunt verum, & odoriferum vnguentum. id autem, quod in se est vnguentum, non quærit aliud vnguentum, quo oleat. alioquin, si quærat, ostendit se non esse vnguentum. quando enim moschus quæret moschum, vt redoleat? at de Sponso dicitur, *Oleum effusum nomen tuum. ideo adolescentulæ dilexerunt te.* facit etiam quod sequitur, *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* putant lasciui iuuenes, quod odoramentis animalium trahent post se (quasi naribus bubalorum) mulieres omnes in sui amorem. cum tamen stando etiam in cortice litteræ prædicti loci, & citra sensum spiritalem, sponsus dicatur trahere adolescentulas non quia habeat odores, sed quia ipsius nomen sit oleum odoriferum: nec quia habeat odorem vnguentorum alienorum, vt nostri sunt, qui (vt dicebam) sunt animalium; sed quia suum habeat, siue suorum vnguētorum, suarum virtutum, & gloriæ suæ. ergo cum non possis simul habere bonum nomen, & vnguenta pretiosa, siue vtraque hæc vnguenta; retine bonum nomen: quia vt dicitur Eccles. 7. 2. *Melius est bonum nomen, quàm vnguenta pretiosa.*

Prou. 10. 7.

Eccles. 7. 2.

2. *Vnguenta olent picem, hircum olent; scilicet superbiam, & luxuriam.*

2. PIx quædam est superbia Ecclesiastici 13. 1. *Qui tangit picem inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* pix est, ideo facilè ardet, illique deputatur inferni ignis, qui ideo dicitur paratus diabolo, & angelis eius. illi enim communicantes superbo Lucifero, induerunt superbiæ picem; ideoque rectè videntur atro colore in pictura exprimi, quasi pice vestiti. Dic ergo, Quis est, qui moschum vellet emere, vt picem oleret? & tamen hoc facit. nam per gestationem vnguenti illius redolet superbiam, & iactantiam. de eo qui maximè fœtet, dicunt Latini, quod *Hircum olet*. sæpè gerens odoramenta hircum oluit. hircus enim luxuriosi symbolum est simul & malè olentis. quid enim tetrius olet impudicitiâ? vulgò dicunt, (a) *egli puzza di superbia, ò di lussuria.* superbia etiam apud nos dicitur fœtor. (b) *ha gran puzza nel naso.* ergo fœtorem quærit qui quærit odorem.

Eccles. 13. 1.

(a) Ille olet superbiam vel luxuriam.

(b) Habet magnum fœtorem in naso.

3. *Vnguento vnctus mulierem olet.*

3. ZENO Philosophus, vt Laertius in vita eius, sentiens quē-dam

dam inter astantes vnguentum redolere, ait, quis hic mulierem olet? & Hieronym. in Isa. cap. 39. *Qui inquit, hoc fecerit*, (scilicet odores gestarit) *is in muliebrem redigitur mollitudinem.*

D. Hier. In Isa. c. 39.

4. *Principes indicio odorum deprehensi ab hoste, cum laterent.*

5. *Vnguentati olent bestias, non nobilitatem.*

Val. Max. lib. 6. c. 8.

4. VAL. Max. lib. 6. cap. 8. narrat de quodam Patritio Romano, qui cum reus factus à iudicibus quæreretur, & lateret; odore vnguentorum deprehensus est. Muleasses etiam Tunetarum Rex, vt Iouius refert, fugiens è prælio, in quo victus fuerat, indicio odorum è latebris protractus, captusque est. simile his accidit, quod Absaloni in suis capillis. vt impleatur, quod dicitur Sap. 11. 18. *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Sed quàm multi rei animi latentes, nempe inflati, vani, molles, & quandoque etiam lasciui, deprehensi sunt odorum huiusmodi indicio? non satis est reis istis testes facere contra se linguas, nisi etiam nares hominum tales efficiant.

Plin. lib. 13 c. 3. hūc fuisse Lucium Plotium ait.

Sap. 11 18

5. Vnguenta pretiosa redolere, putant esse proprium nobiliū. cum tamen animalia, vnde diximus extrahi odores huiusmodi, ex natura sua, & ex proprio sic oleant. vnde quæso æstimant, gestantem vnguenta olere nobilem hominem, cum neque oleat hominem, sed animal? (a) *Saper ouer odorar de gentilhuomo è odorar da bestia.* immo in hoc se putant vincere homines, in quo vincuntur ipsi à bestiis nempe ab iis, vnde odores illi extrahuntur: quæ plus odoris efflant à se, quàm illi; odoremque naturalem, non emptitium, & alienum, vt ipsi.

(a) Olere nobilem, est olere bestiam.

Bene Martialis lib. 3. in Gelliam.

Quod quacumque venis Cosmum migrare putamus:
Et fluere excusso cinama fusa vitro:
Nolo peregrinis placeas tibi Gellia nugis.
Sic puto posse meum si bene olere canem.

Martial. lib. 3 in Gell. Etiam tuus canis potest bene olere vt tu per vnguenta

2. *Diuites pascunt in pauperibus. membra alia excepto illo, quod esurit, scilicet os.*

3. *Odores signum potius Esau, quàm Iacob. occasio fuere damni ipsius Esau.*

4. *Odores, & vestes pretiosæ in iusto Iacob non faciunt illum Esau, ita in iusto accidit.*

2. SICVT in corpore aliqui sensus sunt, qui cibo non indigent, nec esuriunt; alij verò, qui indigent (oculi, aures, nares non indigent; sed gustus, & ora indigent) ita in corpore politico Reip. aliqui sunt velut sensus, qui non esuriunt. tales sunt diuites, & amici, cognati, parasitique eorumdem diuitum. Hi dico non esuriunt, scilicet, qua enus inopes non sunt, neque vmquam cibo vacui. tamen sicut multi diuites solent pascere, & mensis suis excipere quoscumque, exceptis pauperibus, & esurientibus; ita in paupere facilè pascunt sensus (vt ita dicam) diuites, non autem pauperes. omnes inquam sensus pascunt in illo, excepto illo, qui esurit. Nam pa-

ſcunt oculos illius pauperis oſtentatione ſuarum veſtium, & diuitiarum; aures, bona verba ei præbendo; & nares, vnguenta geſtando: ſed os illius, quod eſurit, minimè paſcunt. quid mirum ergo ſi *quæ ſeminauerit homo, hæc & metet?* ideo diues qui os Lazari neque micâ panis pauit, cum oculos tantum pauerit & nares, & forſitan aures muſicâ, quæ in conuiuiis adhiberi ſolita
Iſa 5.12. erat (Iſai.5.12. *Cithara, & lyra & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs veſtris.*) ideo inquam neque ipſe potatus eſt in ſiti, & ardore ſuo.

Gen.27.27. 3. Geneſi 27. 27. Rebecca induit Iſaac veſtibus Eſau odoriferis. igitur odor in veſte, potius Eſau, quàm Iacob; ſignum eſt, hoc eſt potius mali, quàm boni. ſed ſicut ſupra diximus, odorem ſimilem aliquibus in fine fuiſſe miniſtrum punitionis ipſorum, ita accidit aliquo modo Eſau. nam dicitur, *ſtatimq; vt ſenſit veſtimentorũ illius fragrantiam, benedicens illi, ait. &c.* odor veſtium impulit, vt promptius Primogenituram ab eo auferens, fratri daret.

4. Quod autem Iacob veſtibus, vt ibi dicitur Eſau valde bonis, vt Pererius explicat, pretioſis ſe induerit, atque odoriferis; documentum ſit, bonos ſi quando huiuſmodi indumentis induuntur, id non ex animo facere; ſed quaſi coactè, velut exigente rationabili cauſa, puta decoris ſeruandi in magiſtratu, vel alia occaſione id exigente; & illâ ceſſante, eadem deponere. & ideo cum & in veſtibus Eſau ſint, non tamen Eſau eſſe iudicandos. nec enim cum veſtibus Eſau deſtitit Iacob eſſe Iacob, hoc eſt eſſe lenis, & manſuetus. licet enim exteriùs apparuit piloſus, & aſper, intus tamen erat lenis. Ita bonus, quamuis primogeniti veſtes induerit, hoc eſt purpuram magiſtratus, ſeu Principatus, vel alioqui veſtes pretioſas, hoc eſt ad maiorem fortunam venerit, non tamen deſiſtit à priori bonitate, & manſuetudine: & quamuis ex loco regiminis, ſeu dignitate cogatur interdum aſperior apparere ad grauitatem ſeruandam, & exercendam iuſtitiam, tamen intus in corde ſemper ſeruat manſuetudinem ſuam, & affabilitatem. at multi vnà cum veſtibus primogeniti, ſiue Eſau, & pelliculis hœdorum ipſius aſperitatem imitantibus, induunt etiam aſperitatem eius, & in pelle hœdorum hœdi fiunt, hoc eſt reprobi. notum eſt illud, *Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.*

2. *Agros integros demetunt ſcilicet flores, vt vnus naſus oblectetur.*
3. *Diuites ſeruiunt naribus etiam baiulorum.*

2. ODOR *filij mei ſicut odor agri pleni.* quaſi innuitur per hoc, ipſum Eſau flores ferè integri agri, vel in ſpecie ſua, vel in virtute, hoc eſt deſtillatum eorum ſuccum, ad imbuendas odore veſtes contuliſſe. Hæc, & maiora noſtri diuites faciunt, vt veſtes aliquæ ipſorum ex pelle animalium confectæ ſuauiter oleant. neque ſolus ager vnus ex noſtratibus huius rei gratiâ demetitur, ſed expoliantur regiones integræ, & diuerſæ floribus, aromatumque odoribus

ribus, nec non etiam multa animalia vnguentis suis, vt nasus vnius vel alterius diuitis, aut potentis oblectetur. Ita fit vt aliquando plus comedant diuitis nares, quàm os. nam & illæ dicuntur pasci quasi cibo suo odoribus, iuxta illud, *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* quid mirum ergo, si ad saturandū os diuitum non sufficiat terra, & mare cum neque sufficiat ad saturandas nares eorum? præsertim, cum de cibis suis præter seipsos, plurimos alios pascant, de cibis inquam oris sui. at de cibis narium nares omnium ferè pascere velint. vix enim locus est, ad quem non emittant huiusmodi cibum, saltem dum vagantur, dum iter habent. dixi nares omnium hominum; immo & asinorum.

3. Si autem hi diuites dicant, se vnguenta gestare in gratiam aliorum, vt aiunt multi. ergo (quod absurdius videtur) prædicta omnia fiunt, scilicet exhauritur mundus odoribus, vt nares mancipiorum, plebeiorum, baiulorum, & cuiusque generis abiectorum hominum, nedum communium personarum, ad momentum leuissimo spiritu, ac suaui perfruantur. non sufficit mundanæ seruituti diuitum, hominibus placere cupientium, non sufficit inquam seruire omnium oculis pompâ vestium, & ceterarum rerum; omnium auribus, sermonis blandi loquentia; nisi & seruiant omnium naribus per vnguenta magno pretio comparata. immo cum iidem diuites dedignentur per semetipsos pascere aliorum ora, videlicet per conuiuia, hoc enim faciunt per alios; tamen aliorum nares etiam vilissimorum pascunt per semetipsos. sic serui ipsorum, sunt pastores oris, ipsi verò domini pastores sunt nasi.

2. Vesti suæ quasi Deæ thus adhibent per odores.

2. SICVT *odor agri pleni.* Thargum Hierosolymitanum paraphrasis habet, *Sicut incensum ex optimis aromatibus.* alluditur odori vestiū huiusmodi Cant. 4. 11. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* olim Deę Vestæ incensum thus porrigebant. ita diues quasi Deæ vesti suæ thus, seu odores immittit, vt ipse in ea, & per eam quasi adoretur. *Con tal incenso dan incensate à tutti, acciò tutti dian incensate à se, cioè di lodi, ò di honore, e stima.* Cant. 4. 11.

3. Inflato propter odores platea non sufficit.

4. Vult esse in omnium naribus.

3. NEMINEM, vt ita dicam, sic inflat superbia, vt maior fiat seipso, quàm vanum odorum gestatorem. intumescat enim aliquis quantum voluerit superbiâ, tamen non dilatatur nisi quantum sua occupat persona. sed odores gestans adeo vanitatis suæ dilatat phylacteria, vt per effusum odorem ei integra non sufficiat platea. ita *superbia eius, & arrogantia eius plus quàm fortitudo eius.* Ita quasi inuenit quomodo cogitando adiiceret ad statura suam.

4. Non sufficit homini esse in omnium oculis per iactantiam, & ostentatio-

tationem vestium; in omnium ore, per hoc quod de illo loquantur; in omniumque auribus, vt simul de illo audiant; in omnium capite, vt de illo cogitent, illumque magnifaciant; nisi etiam sit in omnium naribus per effusum odorem. vt non solum aliena ora, sed. alienæ nares illum benedicant, eo quòd ipsis benefaciat, iuxta id, *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.*

DIVES, ET PAVPER.

2. *Crudelitas, & voracitas hominem in feram mutat.*

3. *Hodie plurimi diuites qualis fuit diues Lazari.*

4. *Pœna eius diuitis in corde nostro non immoratur.*

5. *Superbum sequitur humilitas, diuitem inopia.*

6. *Prodigalitate inops factus, spernitur.*

7. *Splendidè epulari est ignem voracem fieri, & vorando splendorem & fumum quærere honoris.*

8. *Conuiuæ diuitis donec ab eo pascuntur, eum glorificant.*

9. *Conuiuia & vestes pretiosæ valent minus obolo.*

10. *Purpura dominij sæpè auspicium ignis inferni.*

11. *Etiam rex non habet hîc nisi victum, vestitum.*

1. DE diuite, & Lazaro Lucæ 16. habetur, *Homo quidam erat diues.* Antiqui pictores vt habẽt Theatr. Vitæ Humanæ tractatu de pictoribus, adeo rudes erant in initiis huius artis, vt picto animali, eius nomen adscriberent, vt boui picto, *bos*; equo, *equus*, vt agnosci possent. Ita hic homo adeo humanitatem, & rationem exuerat per voracitatem, & crudelitatem in pauperes, vt nisi apponatur ei nomen suum, hoc est speciei, videatur, vt ita dicam potius lupus quàm homo. ideo ergo dicitur homo.

Lucæ. 16. *Theatr. Vit. Hu. tract. de pict.*

3. *Homo quidam.* Dialectici hunc nuncupant indiuiduum vagum: eo quòd euagetur per multos homines, hoc est possit prædicari (vt ijdem loquuntur) de pluribus. Verè hic homo est huiusmodi. euagatur enim cum his vitiis suis, cum pompis, cum epulis, cum crudelitate subtrahendi micas cadentes, hoc est superflua suarum facultatum, euagatur inquã per multos diuites. in multis diuitibus inuenitur, & viuit iste diues; & eius vitia de multis possunt prædicari. *Ab vno disce omnes.*

Quinque fratres habuit, vt ipse hic testatur. sed vterinos fratres innumeros, hoc est in ratione ventris, & deuoratione pauperum.

Homo quidam. Verè indiuiduum, non enim diuidebat sua pauperibus. vniuersa sibi retinens. non solum ad mensam non admittebat pauperes, sed neque subtus mensam. non solum manibus panem in os eorum non immittebat, sed neque pedibus micas ad eos abiiciebat. optabat enim Lazarus micas, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.

4. *Homo quidam.* Indiuiduum vagum est iste diues, quia quatenus ardens

dens in flamma, & guttam petens post tantam felicitatem, non persistit diu in cordibus nostris, sed vagatur per illa: statim enim ac de eo subiit memoria, à nobis effluit. Domum cordis nostri habet ille pro diuersorio, non pro domo. non solum ob rationem prædictam; sed etiam quia ipsum in mente nostra intuemur epulantem cum concupiscentia, & inuidia ipsum imitandi: at non contemplamur in igne micas inclamantem. epulatur in corde nostro, non torquetur.

Domus illius diuitis ei fuit taberna, ibi enim ventri tantum vacauit; sed breui inde transiit. incola enim erat super terram, & indiuiduum vagum: at infernus (vbi hic dicitur esse sepultus) facta est domus eius, & sepultura, iuxta illud Psalm. 48. *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.* fiat ergo cor nostrum domus istius diuitis, ne sit diuersorium. ne inquã sit taberna, & popina cogitationum gulæ, & ebrietatis. fiat domus sobrietatis, & ieiunij istius diuitis, in qua nec aquæ guttam ille habuit. cor nostrum illius fiat infernus, vt noster euadat Paradisus.

Psal. 48.

5. *Homo quidam erat diues.* Hic diues non solum pompâ vestium, sed etiam splendore culparum, & conuiuiorum nomen grande & celebre affectabat: scilicet gloriam, præter voluptatem. ideo enim splendidè epulantur potentes. cum verò tantum, & fortasse totum insumpserit ad obtinendum hoc nomen, & gloriam. eo peruenit hac ambitione, vt pro munere magno æstimet etiam suo peculiari nomine se priuari, illudque cum seipso sepeliri in inferno, & vocari *Homo quidam*, quasi de grege hominum, & baiulorum. ne scilicet eius damnationis publicaretur infamia, idcircò enim aiunt sileri eius nomen, reuelari verò nomen Lazari. Prou. 29 23. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* vide ergo quo deueniat ambitio, vt neque nominari cupiat ambitiosus.

Prou. 29. 23.

Tritum est illud de quopiam, qui vt nomen sibi faceret, templum Dianæ Ephesiæ incendit. at Magistratus vetuit nomen eius reuelari; quamuis non desint, qui illud se putent inuenisse. simile aliquid accidit huic diuiti, & similibus. Sed puto ipsos longè illo stultiores. ipse enim domum non suam, sed alienam, nempe idoli incendit, vt eo se igne, vt ita dicam, illustraret: at hi sæpè domos suas nempe familias, & facultates incendunt, hoc est pomparum expensis exhauriunt, vt ita se illustrent, & de tenebris eruant. & tamen, dum putant se hoc incendio illustrare, & non vrere; cum ex occasione hac non raro peccent, & damnentur, eo igne vident se vri, & non illustrari. quia ignis ille conuertitur ipsis in ignem infernalem, qui vrit, & non lucet. *eraduntur de terra viuentium, & nomen eorum non memoratur amplius.*

6. Dum homo iste in præsenti purpuratus esset, & epularetur, non dicebatur homo quidam, sed potius Illustrissimus, Excellentissimus vir. at cum ista transierint tanquam vmbra, nuncupatur *homo quidam*. eodem modo, dũ quis diues est, & purpuratus;

tus;dum agit conuiuia; iisdem vt supra titulis, & honoribus colitur, sapiens vir vocitatur. cum verò omnia absumpserit, tunc vocatur homo quidam in sensu à vulgo recepto, hoc est homuncio, seu fatuus. quia qui sua consumpsit, qui ad nihilum redactus est, stultus insuper æstimatur, & nominatur.

7. *Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Ignis in Scriptura passim est clarum symbolum deuoratoris, & epulonis. igni enim sæpissimè tribuitur actus deuorandi. sic ait, *Ignis hostes tuos deuoret.* & alibi, *Et deuorabit eos ignis.* Prou. 13. 25. *Venter impiorum insaturabilis,* & de igne dicitur, Prouerb. 30. *Ignis numquam dicit sufficit.* Sicut ergo iste diues vt se ostendat in voracitate esse ignem; non solum insatiabilem se exhibet, dum non contentus, & saturatus aliquâ comestione, *quotidie*, & donec per mortem extinguatur, epulis vacat (ignis enim deuorat donec viuit.) neque vt ignis deuorando non tantum alimentum capiat, sed etiam inde splendorem & fumum quasi superbiæ, & vanæ gloriæ sibi paret: ita etiam hic diues per epulationem hunc splendorem, & fumum sibi præter voluptatem & alimentum conquirit. Hoc autem est splendidè epulari. splendidè enim etiam ignis deuorat.

Prou. 13. 25. Prou. 30.

Adde: hunc diuitem & quemlibet ei similem (cùm ignis sit in quotidie epulando) etiam *operiri purpurâ*. quæ tum ob igneum colorem, tum ob calorem, quem præstat corpori, ignem significat, & repræsentat, & cuius color dicitur *Cremese*, *ò cremesino*, à verbo cremo cremas. Rectè inquam purpurâ operiri, vt, iuxta adagium, sit in eo, *Dignum panella operculum*, nimirum, vt ignis ignem vestiat. Quid igitur mirum si huiusmodi diuites, & purpurati in conuiuiis, & mensis tantum opum absumât; cum ignes sint? Quid non absumit ignis? & quid non absumit epulo, præsertim conuiuiis etiam aliis paratis, nedum sibi? ita domos & facultates deuorant, sicut ignis.

Apud Cruscam dicitur chermesi, & cremesi. tenietu- ra est dici à creman- do;

Vt ignis etiam splendidiùs comedat, seu ardeat, pinguia, & delicata quærit, vt videre est in lucernis. ita diuites delicata, & pinguia sectantur in edendo, & quæ ex consequenti sunt multi valoris, iuxta illud Prou. 21. *Qui amat pinguia, non ditabitur*; vt ita inde splendidiùs epulentur, hoc est maiorem inde splendorem excipiant honoris. Prou. 21.

8. *Epulabatur quotidie splendidè*, non solum ratione epularum splendorem quærunt, sed etiam conuiuarum. conuiuæ enim, & parasiti velut lucernæ in mensâ purpurati diuitis, quamdiu depascuntur eius oleum, seu alia pinguia, ipsum illustrant, & lætificant laudibus & scurrilitatibus. (a) *Lo illustran dandoli dello Illustrissimo, ò del molto Illustre à tutto pasto.* benè dixi, *à tutto pasto.* nam cum sint amici socij mensæ, qui non permanent in die necessitatis; finito pastu, seu deficiente in eis oleo, aut adipe, cessant illustrare diuitem, immo in mœstitia & tenebris ignobilitatis eum relinquunt: vt reliquerunt hunc diuitem conuiuæ eius, dum sepultus est in inferno, perdiditque splendorem harum facium sibi lucentium, &

(a) Eum appellant Illustrissimum per singula cõuiuia ad quæ inuitantur.

& se comitantium, velut facium funebrium splẽdorem defunctus perdit, dum sepelitur. Adde: ipsos conuiuas etiam silentes illustrare auctorem conuiuij. quia gloria æstimetur multos in mensa habere conuiuas, quasi lucernas, quæ hoc ipso, quod nutriuntur tuo oleo, te & tuam illustrant mensam.

9. *Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Vide quid agas tãtis expensis, & curis, vt splendorem ex vestitu, & epulis conquiras. non enim per hæc ita splendidè indueris, vt fœnum agri, nimirum lilium, iuxta dictum Christi: nec ita splendidè nutrieris & epulaberis, vt lucernæ ellycnium. quis enim splendore maiori epulatur quàm illud? Tu multis centenarijs vestem, vel conuiuium tibi paras, cum hæc apud lilium, vel lucernam neque obolum valeant: Si tuus dispensator emeret centum nummis, quod alius vno obtinuisset, eum domo eijceres. tu ista, & deteriora agis, & id gloriæ tibi adscribis? Si tua vestis deterior est eâ, quæ nec minimum valet quadrantem, ergo nec valet vnum quadrantem. idem dic de conuiuio.

10. *Induebatur*, & cet. fouebat veste, pretiosâ superficiem, conuiuio corpus, in hoc semper trahebat lineas (nulla enim erat dies sine linea) *quotidie* videlicet *epulabatur.* in trahendis his lineis, numquam (vt aiũt) faciebat punctum. *non faceua mai punto.* mors igitur fecit his lineis punctum. quia hic *duxerat in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendit.* recepit bona in vita sua.

Induebatur & cetera. Maldonatus hic ex purpurâ suspicari videtur illum fuisse Principem, seu regulum. Tu qui ceteris prælatus es, noli superbire de purpura, sed time. nam insignia altitudinis, & sublimitatis, seu prælationis (vt purpura & byssus) sũt è contrario signa inferni, & abyssi. purpura enim tum colore, tum calore suo (nam calefacit) inferni sæpè auspicium est. *Cremesino* dicitur vt videtur, à cremando. deinde purpura ex vermium sanguine conficiebatur. vnde de peccatis. Isa. 1. 18. *Si fuerint rubra quasi vermiculus.* at Ecclesiastici 7. 19 *Vindicta carnis impij ignis, & vermis:* hæc duo in purpura repræsentantur, scilicet ignis, & vermis ob rationem allatam. Diues iste viuus mansit in bysso, mortuus in abysso. vide quod parum distet byssus ab abysso. byssus abyssum inuocat. dum ergo ignem & vermes in veste induis, inuestituram, vt aiunt, quasi obtines inferni, nisi cautè prædictis vtaris. nam Sap. 6. *Iudicium durissimum his, qui præsunt fiet.*

Isa. 1. 18. *Eccl. 7. 19.* *Sap. 6.*

11. *Induebatur purpura, & bysso.* hæc purpura in huiusmodi malis prelatis sæpè est velut rubrica in libro vel Breuiario, explicans quæ cõsequuntur. sequentia hæc (in casu nostro) sunt ignis inferni, vt rubrica conformetur textui.

Induebatur, & epulabatur. Vt describat eius fœlicitatem tẽporalem, nõ nisi duo V. V. ei tribuit, victum, & vestitum, quamuis fortasse ille fuerit Princeps. Vide: etiam Monarca mundi seruus est, & sæpè etiam diaboli: & pro qua mercede? Pro victu tantum & vestitu. quid plus habet Imperator? Hæ duę res, sunt duo

poli,

poli, circa quos vertitur vniuersus orbis, & Spheræ laborum, & curarũ vniuersi. Dæmones *tiran le genti, strascinanle per la veste, e per la gola.* sicut victus, & vestitus necessarij saluant corpus, ita superflui sæpè damnant animam, hoc est per peccata, quæ propter illos fiunt.

Cum purpura sit Principum indumentum, qui pastores vocantur populi; dici potest de hoc, & alio huiusmodi homine, induitur vt pastor, comedit vt lupus, operatur vt canis, hoc crudeliter in pauperes. (a) *Hà veste di superbia, fodera di gola, corpo di rabbia.* Habet colorem sanguinis in amictu (nempe sanguinis pauperum) substantiam in pectore, concupiscentiam in corde. Fuit diues in censu, Princeps in habitu, seruus in actu. in habitu in quã, hoc est in indumento: sed seruus in actu. nam huiusmodi seruiunt suo ventri, quod mancipij proprium est, non viri nobilis. Interiùs byssinus, hoc est mollis sibi; exteriùs purpureus, hoc est cruentus proximo: in pectore ferreus, hoc est rebellis Deo. *Homo quidam*, quoad ignobilitatem animi; diuites, quoad diuitias mundi; Rex quoad indumentum Principis; Imperator ad splendorem conuiuij; sed *nihil*, quoad sepulturam inferni, cùm enim dicitur sepultus in inferno, tunc ne guttam quidem aquæ obtinere potuit. Conuenit illi, & cuicumque eius imitatori adagium: *Aut Cæsar, aut nihil.* paulò ante enim erat Cæsar, paulòpost factus est nihil, *Ad nihilum redactus sum, & nesciui*, dicere potuit.

(a) Habet vestẽ confertã ex superbia, duplicatam gulâ, corpus autem compositum ex rabie.

2. *Purpura symbolum voracitatis est. talis fuit in diuite, & sæpè in magnatibus ob conuiuia.*

3. *Diues Lazarum etiam mortuum persequatur vt lupus mortuus agnum mortuum solet.*

4. *Aquæ etiam guttam mero eam exigenti negauit, & sibi eadem negata est.*

2. INDVEBATVR *purpurâ* homo voracissimus, quæ, apud Pierium, Hieroglyphicum est hominis voracis. vnde est adagium, *Purpurâ voracior.* purpura enim genus est conchæ, quæ ingerit linguam inter vtramque testam alterius conchæ vt eius carnem depascatur. at cùm illa concha iam hians, postea testas adducit; mordicùs arripit linguam Purpuræ: & ita capitur, quæ capere gestiebat. vnde ita depicta purpura cum linguâ in aliam concham insertâ, Hieroglyphicum erat voracis. Rectè igitur vorax homo induitur purpurâ, vt in illo (iuxta adagium) sit *Dignum patellâ operculum.* Verè patella erat ille ganeo, nimirum semper cibis plena, & illis coquendis, seu concoquendis, quod ferè idem est, inseruiens.

Mitte Lazarum, vt intingat digitum in aquam, & mittat in os meum. Vulgò dicitur, *Al villano chi gliporge il dito, e la mano.* Villanus, seu agrestis, & inhumanus, fueras Lazaro, & tu petis vt digitũ in os tuum inserat? absit. Cùm enim Lupus sis, & aliquando cum voraueris agnum innocentem, dum famescere sinebas: (*deuorant enim plebem meam vt cibum panis*) Non faciet quod petis, si modò sapit. Nam quis agnus lupi in os pedẽ im-

(b) Rustico si digitum porrexerit; prehendet & manum.

immittere audebit? *Come villano, se li porgi il dito, pigliar à il dito, e la mano.* De damnatis puto dici posse quod Esai.9 20. de quibusdam dicit: *Vnusquisque carnem brachij sui vorabit.* quãuis metaphoricè ibi videtur loqui. si ergo vorabunt brachium suum, quomodo parcent alieno?

Ioan.9. 20.

3. Trita est antipathia lupi cum agno, quâ etiam mortuus illũ mortuum persequitur. nam tympanum ex corio agni, dum pulsatur, obsurdescit, & non auditur præsente altero tympano, ex lupi corio confecto, vt Rasis dicit apud Aldrou. de animal. tract. de Lupo. vbi citat A[illegible]tum dicentem, quod etiam crepent tympana ex pellibus animalium ceterorum, pulsato tympano ex pelle lupi: at magis id accidere tympanis ouium. Eodem modo cum dicatur, *Si communicauerit lupus agno aliquando, sic peccator iusto.* Ecclesiastici 13.21. Lupus iste, nimirum diues, etiam mortuum Lazarum, & ipse mortuus persequebatur, volens eum de loco quietis mitti ad infernum. Ita Chrysologus sermone de diuite, & Lazaro dicit diuitem ex inuidiâ felicitatis Lazari voluisse, vt prætextu illo ad infernum de suo loco id est paradiso siue sinu Abrahæ mitteretur. Iniqui ergo diuites, etiam mortuos pauperes opprimere cupiunt, & persequuntur.

Rat apud Aldron. de anim. Trac. de luxo.

Eccl. 13. 21.

Chrys ser. de diu. & Laz.

Vt intingat extremum digiti sui in aquam. Suxerat diues à Lazaro, quasi à Christo crucifixo, sanguinem. at sicut de latere eius etiam aquam eduxerunt per lanceam; ita & hic etiã aquam à Lazaro volebat exsugere.

Malus est diues, vbi, velut iste noster, à Lazaro, scilicet à paupere est seiunctus. at vbi Lazarus vnitus est cum diuite; ibi diues beatus est, & amicus Dei. talis materialiter, atque etiam mysticè, eo sensu quo loquimur, erat Lazarus frater Marthæ, & Mariæ, quia amicus erat pauperis: & sicut nomine, ita & amore, vnitus erat Lazaro, hoc est, pauperi. ideo de eo dicitur: *Lazarus amicus noster dormit.* Bonus diues, est vnus & idem cum Lazaro: quia *Amicus est alter ego*; & bonus diues est amicus Lazari; ideoque vnus cum eo charitate.

4. Probabile est arsisse in hoc diuite corpus, seu cor, igne vini generosi ad luxuriã, quę in vino est, vt Apost. dicit. Vinum autem Legislatores quidam prisci ignem vocant, dum prohibentes illud propinari pueris, rationem reddũt, *ne ignis igni addatur.* Cum verò de vino generoso & nobili dicatur vulgò, hec vinum multã efflagitat aquã; & diues epulator non audiret voces huius efflagitationis ad refrigerandam cõcupiscentiam; neque vnam quidem guttam ei infunderet, putans etiam per tantillum aquæ violandam legem optimæ potationis: factum est, ita ordinante diuinâ iustitiâ, vt iam in inferno licet ipse diues peteret aquæ guttam ad ignis sui refrigerium; (qui ignis erat calix vini meri iræ Dei. Psal.74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto:* *Psal.74.*
non mixto aquâ, vt obseruant expositores docti, ideo enim dixerat *meri*, sed mixto altero vino, vel acerbitate supplicij, quæ est fex huius vini: *Fex eius non est exinanita*;) non impetrauerit. Quia, inquam, nec guttã admisit aquæ in ignẽ voluptatis, ne-

que habere meruit in igne supplicij.

2. *Purpura & byssus opum symbolum mali diuitis, illa ruborem in acquirendo, hic pallorem amittendi signat.*

3. *Crudelitas in Lazarum & pauperes quanta.*

4. *Diues crudelis terra maledicta non reddens micas, igni proxima.*

5. *Diues facit hic sibi paradisum per pauperis infernum.*

6. *Diues superbus in inferno calcatus à ceteris.*

2. INDVEBATVR *purpurâ & epulabatur quotidie splendidè.* Purpura in eiusmodi diuitibus, seu potêtibus & magistratibus videtur rubescere: nô tam colore, quàm pudore, confusione, quâ ipsa afficitur ex eo quòd epulones istos vestire cogatur.

Diuitibus quoque impijs superbis, epulatoribus rectè conuenit purpura & byssus tamquam insigne conditionis ipsorum. Primò, quia ita suas ostentant diuitias, quæ consistunt in auro purpuræ, in argento byssi. byssus enim, vt Beda & alij aiût erat genus telæ candidæ: quâ candidum potest repræsentari argêtum, vt & rubeâ purpurâ potest significari aurum. deinde hæc duo significant huiusmodi diuites in opibus suis partim rubescere, nimirum eas indignis, & turpibus vijs acquirendo: partim pallescere, metu nimirum ammittendi. Consistunt opes in auro & argento; in rubeo, & candido, seu pallido. Rubor illis dat diuitias, dum eas vel mutuò petunt, vel aliter conquirunt à proximis debita contrahendo: ob quæ postea pallescunt, metu soluendi iuxta adagium, *Semel rubidus, decies pallidus.*

3. *Cupiebat* Lazarus *saturari de micis*; non dixit petebat: ad ianuam stabat, vt ibi dicitur: non pulsabat, ne pulsaretur. non petebat verbis, ne peteretur verberibus: nô pulsabat ostium, ne pulsaretur vt hostis. Non ore suo, sed oribus suorum vlcerû petebat. non enim audebat vocem emittere, ne à crudelibus illis etiam ob hoc malè tractaretur, vt alibi adnotaui. Etsi enim aliquando fortasse eleemosynam voce petierit, dici potest illos eius voces non tolerando, minis, & maledictionibus effecisse, vt neos aperire auderet. inquit D. Chrysol. Serm. de Lazaro & diuite: *In linguâ maius sentit incendiû, quâ maledixit pauperi.* clamabat ergo oribus vlcerum, quorum verba erat sanguinis indefluês. clamabat, lacrymabat vocibus, & lacrymis sanguineis, *Con lagrime di sangue, con voci de sangue.* At duri adamantes sanguine huius agni non liquefiebant. Clamabat sanguine, nam *vox sanguinis* eius *clamabat* vsque ad cælum; vsque ad Deum *de terrâ*: audiebatur in cœlo, & non audiebatur in domo diuitis, vbi clamabat. Nô audiebat diues: quia vox illa hoc est sanguis ille non intrabat per aures diuitis, sed per os. illum enim potius suggebat à paupere, dum debitum victum ei negabat. Cum crateribus fallerni, seu vini maluatici; cum sorbitiunculis delicatis. mali diuites, qui epulantur splendidè velut iste, etiam absorbent lacrymas pauperum, & voces sanguineas vlcerum, seu miseriarum quibus affliguntur. sorbent inquam tum in rebus prædictis, quas sæpè para-

D. Chrysol. Ser. de Lazaro.

pararunt ex mercedibus inopum, vel de stipe eis ex charitate debitâ: tum etiam quatenus bibunt velut aquam iniquitatem istam, hoc est immisericordiam in eos. sorbent, hoc est paruipendunt, negligunt. hanc solam aquam, seu mixtionem in pocula sua immittunt: non, ne ebrij fiant; sed quia ebrij sunt, & non à vino.

Hebr. 6. 7 4. Hebr. 6. 7. *Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* Pauperes, & mendici irrigant terram aridam diuitum crudelium imbre lacrymarum & sæpè etiam sanguine vlcerum, & sanguine Christi & Sanctorum per quos flagitant, ad fecundandam hanc terram diuitum, vt sibi germinet modicum panis ad vitam. Quæ terra, si germinet; benedictionem accipiet. in iudicio enim dicetur talibus, *Venite benedicti*, & cet. at cum illa neque panis micas (in casu nostro superflua quædam, quæ cadunt de mensa eorum) reddat miseris illis; imò potiùs spinas, & tribulos iniuriarum, & maledictionum; (vt supra dixit Chrysol. reddidisse hunc diuitem, qui idcirco magis in lingua puniebatur;) *Chrys.* consequens est, vt fiat de huiusmodi terra quod ait Apostolus, nimirum vt sit illa *maledicto proxima*; & consummatio eius, *Crucior in hac flammâ.* & cùm copiosus imber eam non fecũdarit; prohibeatur nubibus, ne pluant super eam vel guttam minimam, quę nec micam minimam germinauit.

Psal. 10. num 2. 5. Psalm. 10. n. 2. *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Hoc dici potest de hoc diuite, & similibus. dũ enim ille superbit purpurâ & splendidâ mensâ; pauper inceditur. quo igneo, de quo dicit Esa. 48. *Elegi te in camino paupertatis.* Ne dicas diuitem *Esa. 48.* hũc & similes nil tribuere pauperibus, Diuum Martinũ æmulari contẽdunt. sed pessimè, ille enim vestem suam cum paupere partitus est. hi verò de ignea veste, nimirum purpura (quæ à colore dicitur *Cremese*, ò *cremesino*, forsitan à cremando) de hoc inquam igne colorem, & calorem moderatum sibi retinent, ardorem verò tribuunt pauperibus, & Lazaris. Sed quæ seminauerint, hæc & metent: retribuetur eis hæc charitas. nam Sancti Lazari retinebunt sibi in cœlo purpuram cælestem, nimirum Regni illius insigne: & cùm lucere habeant, velut stellæ, vel sol (alia enim est charitas stellarum, & cet.) imò & in Empyreo (qui à colore, & splendore ignis, hoc est à pyra ita dicitur) habitare: ideo retinebunt sibi, vt ita dicam colorem, & splendorem de hoc igne, relinquentes diuitibus istis ardorem eius absque luce. talis enim est ignis Tartareus. Quod verò inopia sit ignis, pro- *Eccl. 40.* baui iam illo Ecclesiastici 40. vbi de eo qui mendicitatem sectatur, ne operetur, & ideo cogitur esurire ex mendicitate, ait, *In ore imprudentis condulcabitur inopia, & in ventre eius ignis ardebit.* Litteraliter id contingit ex fame adurente bilem in stomacho, quæ bilis quasi ignis est. sicut ergo *Greg 9. mor. 48.* in reprobos, *Supercecidit ignis, & non viderunt solem*; quod Greg. 9. moral. *vel 36. apud Lor. in Ps. 57.* 48. vel 36 apud Lorinum in Psa. 57.

accipit mysticè de igne inferni non lucente: ita in electos superceecidit sol, & non viderunt ignem. nam vt Basil. ait super illud Psal. 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, hoc accipi potest de separatione lucis ab igne inferni. Hinc, vt ita dicam, diues facit sibi paradisum per pauperis infernum, quòd hic igne incendatur ob epulas eius.

Basil sup. Psal. 28.

6. De diuite dicitur, quod *Sepultus est in inferno*. Maldonatus explicat dici sepultum in inferno; quia in profundum inferni deiectus sit. Dicerem ipse, quod iste diues, qui hic quasi Princeps fuerat, vt ex purpura colligitur, adeoque inter mortales sublimis; in inferno sepultus sit, quia ratione profunditatis loci, & ignominiæ, atque pœnæ suæ, conditionem illam obtineret respectu dãnatorum quam habent mortui, & sepulti respectu viuorum. Alij enim dicuntur esse in inferno, seu mitti in infernum: iste verò, & eius pares dicendum est ibi esse sepultos. Vide ergo quàm quadrat istud humiliationi superborum diuitum, vel Prælatorum: quorum respectu cùm subditi, & ceteri ipsis inferiores sint velut sepulti, & pedibus conculcati in hoc mundo. in alio conuersa vice contrarium fiet non solum respectiuè ad Beatos, quorũ figura fuit Lazarus; sed etiam respectiuè ad ceteros damnatos ob minora peccata. Quadrat hoc cum illo Sap. 6. *Iudicium durißimum his, qui præsunt fiet*: & quod *potentes potenter tormenta patientur*. Item quod dicitur *iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam*.

Sap 6.

Sepultus est in inferno hic epulator, quasi timeatur ne fœtore & pestilentiâ sua ipsum inficeret infernũ. Vnde velut cadauer pestilentissimũ in profundo sepelitur inferni baratro. Vide quo deueniant vnguenta odorifera similium nobilium, & altitudo superbiæ eorum, quâ super cunctos ambiunt sedere, & miseros pauperes & Lazaros vellét sepultos, ne eorum læderentur odore, aut aspectu miserando. Infernus propriè inferiorem locum significat: & supernus locus dicitur quasi ei oppositus. Cum ergo diuiti crudeli in pœnam non sufficiat infernus, tribuitur ipsi infernus inferni, hoc est profundum.

2. *Ad sepulchrum damnati diuitis ægri sanantur, resurgunt mortui infernum cogitando.*

3. *Diues vt sepultus fuit in culpa, ita sepelitur in pœna, sepultus est in inferno.*

2. AD sepulchra Sanctorum confluentes ægrotos cuiuscunque generis frequenter sanatos inde recessisse canit Ecclesia. *Ad sacrum cuius tumulum frequenter*, & cet. Sed quid si ostendam vobis sepulchrum damnati, ad quem recurrentes plurimi sanati sunt, & sanari possunt etiamnum à maioribus ægritudinibus, quàm illæ esse soleãt, à quibus liberantur ad tumulos Sanctorum confugientes? Sepulchrum Tale est sepulchrũ huius diuitis. Quodnam sepulchrum eius? Nonne infernus? nam dicitur; *Et sepultus est in inferno*. Quot quæso fuere, qui cum verâ

râ viuâque fide descenderunt in infernum viuentes, hoc est animi diutinâ consideratione pœnarum illarum, & præsertim huius diuitis horrendæ tragœdiæ; & inde redierunt sani à varijs ægritudinibus? Nunquid non maiores sunt ægritudines animi, quàm corporis? nisi fortè vulnus appellandum est læsio in calcaneo, non verò plaga in capite, vel in oculo.

Quid dico: *Descenderunt in infernum viuentes*? imò descenderunt in infernum mortui, & redierunt viuentes. de spiritali morte loquor. Da mihi hominem, qui descendat ad sepulchrum diuitis prædicti, scilicet inferni ignem, idque non perfunctoriè, nec semel, sed cottidianâ ac seriâ cogitatione. si hic mortuus erat, facilè eueniet, vt Dei ope ad sepulchrum illius suscitetur, & ita de eo dici possit: *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.* Aquis comparantur homines 2. Reg. *Omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur in terram.* A- 2. Reg.
qua cum descenderit quasi ad infernum, hoc est in profundum; rursus tantumdem ascendit quasi in Paradisum: sic homo quantum se humiliat descendendo ad inferos per meditationem, & agnoscendo locum illum pro peccatis suis esse sibi debitum, veluti aqua (qualis ipse est ob onus peccati) quantum descendit, tantum rursus ascendit. sicque *descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, ascendit ad cœlum*, imitando Christum aliquo pacto. nam qui se humiliat, exaltabitur.

3. Sepultus est in inferno. vt pro mensura delicti sit & plagarum modus: cum non superficietenus peccarit, sed in malo se profundarit, & sepelierit, iuxta illud Oseæ 9. 9. *Profundè peccauerunt sicut in diebus Gabaa.* Osea 9. 9.
ideo & in inferno, hoc est in tormẽtis debuit nedum collocari, sed sepeliri, & ijs, vt cadauer à sepulchro vndique obrui, insuper & intus penetrari: ita vt ipse sepultus sit in inferno, & infernus sepultus in ipso, ad differentiam sepulturæ terrenæ corpus tantummodo ambientis. sicut enim dicitur Matth. 21. *Serue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui*; ita vt Matt. 21.
electus intret totus in gaudium, & eo vndique absorbeatur: ita & diuiti crudeli, & iniquo dispensatori infidelique diuitiarum, & talentorum, dicetur; Serue male & infidelis intra in supplicium Domini tui, hoc est exhibitum tibi à Domino tuo.

Sepultus est in inferno. quid mirum si sepultus sit mortuus, qui sepultus erat etiam viuus? nam otio, & ventri omnino deditus erat. An nescis Senecæ sententiam, quæ iam in adagium transijt; Otium est mors, & sepultura hominis vi? Sepultus erat cibo, & potu, iuxta illud Poëtæ Æneid. l. 2. *Inuadunt vrbem somno, vinoque sepultam.* Æneid. lib 2.
Anima, quæ in delitijs est viuens, mortua est. quæ verba sensui prædicto accommodari possunt. Sepultus erat in Paradiso Mahomet nimirum, vbi in epulis, & huiusmodi rebus constituit felicitatem: quid mirum si sepeliatur in inferno diaboli, imò si sepeliatur cũ ipso Mahomet, vel Epicuro? Secutus es errantem, sequere pœnitentem, scilicet infructuosâ pœnitentia.

Translationem corporum Sãctorum

rum aliquando facit Ecclesia de minus durabili ad stabile, de minus digno ad celebrius sepulchrum. ita & synagoga dæmonum in insignioribus damnatis suis, præsertim epulonibus, id facit celebri funere, & concursu. de sepulchro enim paulò ante memorato, & de sepulchro patenti, quod est guttur eorum (in quo gutture ratione gulositatis anima eorum sepulta erat. nam anima magis est vbi amat, quàm vbi animat;) de hoc inquam sepulchro ad celebrius sepulchrum, & perpetuum, hoc est ad infernum transfert animas prædictorum, vt transtulit animam huius diuitis. Sicut autem anima Lazari dicitur portata in sinum Abrahæ ab Angelis cum honorificentia multa: ita & dæmones in hoc æmulantes Angelos ipsos, & Ecclesiam æmulatione diabolica, longo agmine quasi funebris pompę suum diuitem ad sepulturam traxerunt, cantãtes ei pro requie damnationem æternam; & de sepulchro temporali ad perpetuum illum portantes, de minùs celebri ad celebrius.

2. *Pœna diuitis epulonis culpæ congruens in multis.*

3. *Vita epulatoris tota in carne.*

2. EPVLABATVR *quotidie splendidè.* semper epulabatur in Apolline, & miraris quod splendidè epularetur? Ante mortem natabat in vino: at mortuus non potuit intingere linguam aquæ guttâ. ante mortẽ semper fruebatur serenitate: post eam neque pluuiæ guttam vnam obtinuit. (a) *e questo è il buon tempo, che han'i dannati*: vt conformetur pœna culpæ, vt per quæ quis peccat, per hæc & puniatur. (b) *Pensaua forse, che gli douesse andar asciutta questa colpa della crudeltà contra Lazaro, pensaua di asciugarsi di lei, come si dice; ma gli andò tanto asciutta, che non li restò perciò vna goccia d'acqua.*

(a) Et hoc est serenum cœlum, & candidi Soles damnatorum.

(b) Sperabat quod hęc culpa ei abiret veluti sicca & sine nimbo; Sed adeo sicca fuit, vt guttã aquæ non habuerit quâ se refocillaret.

Induebatur purpurâ. Ante mortem habuit colorem ignis sine ardore (scilicet in veste) post mortem ardorem sine colore; hoc est sine luce, in igne inferni. Antea deuorabat, postea deuorabatur. dicitur enim Esa. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* & cùm (vt dixi) esset ille adhuc viuens ratione voracitatis, ignis deuorans; postea ignis ignem vorabat, deuorator deuoratorem: vt euenit aliquando in piscibus, quorũ vnus alium deuorat, qui & ipse deuorabat, & adhuc in ventre habet deuoratos pisces. Deuorauit vt lupus, at postea deuorabatur vt ouis. Psalm. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt mors depascet eos*, dicitur de diuitibus malis. Psal. 48.

3. *Induebatur, & epulabatur.* Cum esset ex illis purpuratis de quibus dicitur ab Ecclesiaste 10. *Cuius Principes mane comedunt*; rectè Lucæ verba verificabuntur de illo nõ solũ in sẽsu litterali hic ab Euangelista indicato, sed etiã in alio accomodatitio, vt dicamus: Induebatur mane purpurâ & bysso, & statim epulabatur. *induebatur, & epulabatur*: vt eius negotium non aliud fuerit, quam dormire, surgere, sese induere, & epulari. Induebatur purpurâ quasi sessurus pro tribunali vt Princeps, cum tamen tribunal suum esset mensa. Eccl. 10.

in

in hac sedebat vt Princeps, (nempè purpuratus) sed agebat vt carnifex, carnes videlicet dissecando, & animalia laniando: pauperes in eis deuorando, hoc est necessaria vitæ illorum.

2. *Epulatoris anima ferè corporea.*
3. *Micæ negatæ Lazaris semper grauabunt stomachum diuitum, qui damnantur.*
4. *Diues ille Paradisum sub mensa habebat in micis, & conculcabat.*
5. *Stultitia mundanorum putantium satiari se posse gutta aquæ rerum mundi.*
6. *Item extinguere infernum sibi debitum externo opere quopiam sine pœnitentia.*
7. *Diuitum insolentia in seruos, & pauperes ad explenda desideria qualibet sua.*

2. SEPVLTVS *est in inferno.* Sepeliri propriè corporum est, non animæ. sed missâ litterali expositione (quod hîc multa intelligantur spiritualiter, & accõmodatè ad sensum corporaliter repræsententur) dico, animam epulonis esse ferè totam corpoream, & carnalem iuxta illud, *Non permanebit spiritus meus in homine; quia caro est.* vnde bene id repræsentat Euangelista dicens, quòd sepultus sit in inferno.

Sepultus est in inferno: vt qui epulabatur splẽdidè, ibi digereret in obscuro: & quæ comederat in Apolline, concoqueret in Plutone. in ignẽ coniectus est, vt digereret quę digesserat, imò quæ non digesserat. digerere enim est distribuere alimentum membris corporis hic autem non distribuerat micas Lazaro, membro scilicet suo. nam sumus inuicem membra.

3. Cupiebat Lazarus saturari de micis, *& nemo illi dabat.* res leuissimæ ad concoquendum videntur micæ istæ negatæ pauperi. at ignis inferni non sufficiet in ventriculo diuitis ad eas concoquendas per totam æternitatem. Semper hærebunt stomacho illius. semper eum grauabunt. Grauabatur cor, & vẽter diuitis crapulâ, & ebrietate: at multò magis grauabatur ab his, quæ cadebant de mensa, quàm ab his, quæ erant super mensam; ab his quæ non edebat, quàm ab his quæ edebat. *Sicut onus graue grauatæ sunt super* eum istæ micæ; adeo vt super illum impositæ in profundum inferni eum deiecerint. *Canes*, hoc est parasiti, immundique homines, vt lenones, meretrices, & huiusmodi personæ; *edunt micas, quæ cadunt de mensâ* diuitum, quæ significant superflua eorum: sed tamen inde aggrauantur viscera, & stomachus diuitum, qui ea non comederunt, & subtraxerunt pauperibus Lazaris, quando tenebantur eis subuenire.

4. Si quis affuisset mẽsæ huius diuitis, putasset Paradisum, vt ita dicã, esse in mensam illius trãslatum. sed reuerâ Paradisus erat sub mensa, nimirũ in illis micis, si eas donasset Lazaro. ille tamen pedibus cõculcabat paradisum: sanctum dabat canibus: sub mensâ habebat & neglexit. Cũ verò chaos magnũ firmatũ esset inter ipsum, & Sinum Abrahæ, qui tũc erat iustis pro aliquali Paradiso: tũc infelix ad illum suspirabat, hoc est inde

inde opem aliquam petebat. An non talia eueniunt in nobis, seu euenient, si eum diuitem imitamur?

5. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Gutta aquæ iniecta in ignem potius accēdit, quàm extinguit, si ignis magnus sit, vt erat in diuite; quomodo ergo petit guttam tantùm? dic, eum adhuc retinere mundanorum stultitiam. nam cum *concupiscentia sicut ignis* Eccl.9. 9. *exardescat*, Ecclesiastici 9. 9. (cum illa inferno similis sit. nam illi compa- Prou. 27. 20. ratur Prou. 27. 20. *Infernus, & perditio numquam implentur, similiter & oculi hominum insatiabiles*;) sicut putant refrigerium exhibere huic igni, & inferno cōcupiscentiæ per bona mundi, quæ omnia vix gutta vna sunt, Sap.11.23. Sap. 11. 23. *Quoniam tamquam momentum staterę sic est ante te Orbis terrarū; & tamquam gutta roris ante lucani, quæ descendit in terram*; cum tamen potius ignem hunc ita magis irritent, & accēdant ampliùs: ita etiam optabat diues guttam, *&c.* Quæ tamen dixerim stando in modo loquēdi ipsius Euangelij. nam cum anima tantum diuitis ibi esset, nec linguam habebat, &c.

6. *Vt intingat extremum digiti sui in aquam.* huiusmodi stultitiam cogitāt, qui intingūt extremum digiti sui in aquam benedictā in ingressu ecclesiæ: &, cùm sceleribus magnis onusti sint, videntur putare eorum crimina (a) Existimant enormia peccatā exiguā aquā elui. per hanc guttam ablui, si illā frontem contingant. hoc est: (a) *Pensan che i lor peccatacci se ne vadan con l'acqua santa.* & cum habeant in se dominantem diabolum; hāc guttā eum abigere cogitant. Sic vnā gutta putabat ille se refrigerandum. sic corona siue Rosario vno recitato. vel dato pauperibus obelō, putant se sanctificatos, & suū extinxisse hac guttā infernum.

7. *Mitte Lazarum*, &c. impossibile erat Lazarum venire ad diuitē, quia vt dicitur hic, *Magnum chaos*, &c. at diues iste, cùm Lupus esset voracitate & crudelitate; etiamsi mutarat pilum, vitium non mutarat: cum enim hos diuites, seu potentes cupiditas alicuius rei, & si minimę, inuadit; statim eā per fas, & nefas, & cū discrimine salutis suorum seruorum consequi volunt. Volebat enim Lazarum relinquere suam quietem, descendere in infernum, transire per chaos magnum interpositum. ad quid? vt guttam afferret aquæ cuius appetitus ipsi obuenerat, vtque tantillū suam refrigeraret linguam. cum tamen ipse neque digitum mouere voluisset, vt micam vnam Lazaro porrigēdam de terra tolleret. erat enim de illis, qui *imponunt onera grauia & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Volunt ergo hi homines peruerti ordinem vniuersi: nō curant de damno proximi: volunt descendere homines, seu animas ex alio orbe, ex alio sæculo, vellent etiā Angelos descendere de cœlo ad infernum, vt ipsorū cupiditatibus etiā in rebus tenuissimis satisfacerent. cū nec minimum hic incommodi subire velint, vt proximo succurrant. Volunt homines in infernum descendere, hoc est per peccatum, vt obsequantur suis importunis cupiditatibus etiam cum animæ perditione.

Mitte

Mitte Lazarum, &c. assuetus scilicet diues niuibus delatis à lóginquo ad refrigeranda viscera, seu labia in magnis caloribus æstatis; perinde quasi iam creuisse merito, seu poté-tia, etiam de remotissimo loco, & quasi ex alio orbe vult afferri sibi ad linguam refrigerandam.

Mitte Lazarum. Soliti sunt diuites refrigerare ardorem concupiscentię, & auaritiæ ipsorum per manus pauperum, dum ipsi pauperes compelluntur porrigere eis aquam iniustarum exactionum, vel donorum. ideo iste petit vt per manum Lazari refrigeretur lingua sua.

VITA BREVIS.

2. *Ætates vitæ, actibus fabulæ similes.*
3. *Vita fabula, & poësis est: ideoque versibus pedibus plurimis constantibus, & decurrentibus componitur.*
4. *Vita respectu vitæ antiquorum breuis.*
5. *Vita gutta & calculus respectu maris, si æuo conferatur.*
6. *In fine vitæ breuitas eius agnoscitur.*
7. *Quàm stulti qui ob guttam, & calculum vitæ cœlum amittunt.*

2. ICERO dialogo de senectute, vitã nostram, ait, fabulam esse: & ideo sicut fabula quinque partibus, quæ actus vocantur, constat; ita vitam quinque ætatibus constare. has dicemus esse pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, virilitatem, senectutem. Cùm fabula in scenâ agitur, quinque illi actus, quamuis in rebus, quas continẽt, & repræsentãt, videantur esse longi temporis (continent enim quandoque regnorum euersiones, prælia, vitasque hominum integras) tamen sæpè breuissimo interuallo ab histrionibus consummãtur. Ita etiam quinque illi actus, seu partes fabulæ huius vitæ, hoc est ętates enarratæ, quamuis videantur diuturni temporis, præsertim ratione rerum gestarum in illis; tamen citissimè consúmantur. Sic ait Apost. 1. Corint. 7. *Præterit enim figura huius mundi*, hoc est dicere, citò transit larua & fabula huius mundi. hunc enim sensum docti viri huic loco assignant. vt etiam colligitur ex præcedẽtibus verbis, in quibus sentit omnia hic nobis contingere tamquam in fabula, & ideo non esse amanda quasi serio accidant, & diu durent. *Tempus ait breue est, reliquum est*, &c. deinde concludit, *Præterit enim figura huius mundi.* *Apost. 1. Corint. 7.*

3. Atquè dixi de vitâ fabulæ collatâ, saltę ex parte nota sunt. Addamus, fabulas versibus cõstare solitas, & Poëtarũ esse opera, vt cernere est apud Latinos, & Græcos: licet nonnulli apud nostros inferioris notæ auctores etiam soluta oratione aliquas ediderint, scilicet comœdias, aut tragœdias. has enim per fabulas hic intelligimus. Si ergo fabula, & partes eius versibus constant; vtique plenæ sunt pedibus innumeris. his enim cõstant versus. Adde quod versus tunc dulciores sunt, cum optimè decurrunt. Igitur in casu nostro etiam fabula vitæ meritò fabula dicitur: quia cũ velocissimè fugiat, & decurrat, plurimis pedibus ad hoc cõ-

ſtare videatur. Verſus etiam dulciores huius fabulæ citiùs, atque velociùs currunt: quia partes, ſeu res vitæ huius magis dulces, & felices citiùs tranſeunt. nam vt ait Poëta his, vel ſimilibus verbis. *Optima quæq; dies mortalibus ægris prima fugit.* Ergo quia tẽpus breue eſt, quia præterit figura, & fabula huius mundi; *reliquũ eſt vt* (velut in fabula) *qui habent vxores, tãquam non habentes ſint, & qui vtuntur hoc mundo tamquam non vtantur*, &c. ſic enim ſe gerunt, qui in ſcena, & non ſeriò restractant huiuſmodi: *Præterit figura huius mundi.*

4. Diuturna erat vita antiquorũ, breuis noſtra. tunc enim mors quaſi inexperta, & noua in eiaculando ſeu feriendo, vix tandem poſt plurimos ictus fruſtratos, & plurimos annos necabat homines. at modo lõgâ edocta experientiâ & arte, quàm facilè & citô eos deijciat, videmus. Veſtis aliqua oblonga videtur, ſi circumponatur infantulo: at giganti impoſita, quam breuis ſit, apparet. Imponamus veſtem vitæ noſtræ, homini magno, perſonæ magnæ, qualis eſt perſona ſæculi huius, & totius æui ab initio rerum vſque in finem: conferamus inquam vitam etiam centum annorum cum annis ſæculi: & videbimus quàm breuis ſit hæc veſtis, quæ nobis infantibus circumpo-
Eccl. 18 8 ſita longa videbatur. Eccleſiaſ. 18 8. *Numerus dierum hominum vt multum centum anni, quaſi gutta aquæ maris deputati ſunt: & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui.* vide quàm breuis ſit hæc veſtis circumpoſita ſæculo, ſeu æuo.

5. *Gutta aquæ maris, calculus arenæ.* Vixit aliquis centum annos. quid dicimus de illo? abyſſum temporis ille vixit, vixit mare dierum: abyſſus ſignificat colluuiem aquarum maximam. *E viſſuto vn abiſſo di giorni, vn mar di tempo.* At quid diceres, ſi multas abyſſos, ſi multa maria in nucis vnius, cortice concludi poſſe tibi oſtendam? Abyſſus ille temporis, mare illud, gutta ſunt, calculus ſunt *gutta aquæ maris, calculus arenæ.*

Ardes, quaſi diues in inferno, igne cupiditatis longæ vitæ, & conſequẽter voluptatum eius: putaſque ardorem cupiditatum tuarum inde refrigerandum, & extinguendum, ſitimque tuam ſedandam, ſi centũ annis hic felix vixeris. Certè ſtultus es, ſicut diues ille; quia in tanto exiſtens ardore vnicâ guttâ putas te refrigerandum, & ſitim faucium tuarum ſedandam. nam *Centũ anni quaſi gutta aquæ maris deputati ſunt.* Putas te extollendum ad culmẽ ſupremæ felicitatis, & cœlum, vt dicitur, digito tacturum; ſi vitam centum annorum felicem quaſi ſcalam ad hoc, & quaſi montem Olympum obtineas. at ita ſtultus es, vt calculo vno arenæ pro ſcabello vti velis ad cõſcendendũ, & contingendum cœlum. nã *ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui.* Cõſpicilla huiuſmodi inuenit diabolus, quæ guttam aquæ quaſi mare, quæ calculum arenæ quaſi montem, oculis exhibeant. Vtere vtere conſpicillo veri Galilæi, nimirum Chriſti: vtere cõſpicillo fidei, & hoc deteges fraudem alteriùs conſpicilli; videbiſque quòd *centum anni quaſi gutta aquæ maris deputati ſunt, & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui.*

6. Pro-

6. Prou. 20. 17. *Suauis est homini panis mendacij; postea implebitur os eius calculo*: quem diabolus facit, vt ille comedat. vulgò dicimus fecit eum comedere hoc mendacium. Panis autem ille mendacij est persuasio, quòd vita multorum annorum valde longa sit, & vix vnquam transire debeat, cum tamen sit calculus arenæ, hoc est exigua. In fine igitur hic homo elusus à dæmone, inuenit in ore suo pro pane suaui calculum vnum: nempe agnoscit translactâ vitâ quam valde longam putabat, eam esse calculũ vnum. Putabat os cordis sui implendum, hoc est saturandum desiderio viuendi, vel voluptatibus diuturnis tam longæ vitæ, cum os eius implendum sit calculo vno. Quomodo potest os impleri vnico calculo arenę? dic ad irrisionem huius fatui id dictum accipi posse. cum enim valde inhiaret magno bolo speratæ diuturnitatis & felicitatis, panisq; mendacij promissi. qui panis illi suauis erat, hoc est, vt talis concipiebatur ab eius mente: cum ingens os aperuisset, dæmon in fine pro eo pane intrudit in os eius, in hiatum eius calculum, hoc est, delusum reddit eum à longitudine vitæ, quam credebat, experimentoque agnoscit eam esse calculum arenæ. Simile quid fecit dæmon cum primis parentibus. hoc dixi, quia & hoc modo, & etiam alio paulò ante allato potest accipi locus prædictus Prouerbiorum saltem per accommodationem. Impletur os eius calculo etiam alia ratione, scilicet, quia misero oppilatur os in fine, dum ex confusione, & irrisione suæ deceptionis obmutescit, nec hiscere audet.

Prou. 20. 17.

7. *Gutta aquæ maris, calculus arenæ*, vt dixi, vita est, etiam longa. Heu quot naues animarum in guttâ hac naufragium fecerunt, immo in parte huius guttæ! vide quàm pusillæ animæ fuerint, quæ in tam exigua aqua absorptæ sunt. Magnanimi certè, quales sunt iusti, non absorbentur re tam exigua, quàm est vita, & voluptates eius. immo eam libenter perdunt, ne perdant beatam: ne perdant mare, guttam non æstimant. nam *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Plures merguntur, & pereunt in gutta aquæ, quàm in mari, scilicet in gutta vitæ prædicta. Non iam opus est mola asinaria, vt quis mergatur in profundum maris; nam calculus prædictus arenæ, immo & pars eius satis fuit ad demergendos plurimos in mare interitûs, scilicet amor vitæ, & vitæ diuturnæ. *Gutta aquæ maris.* ecce oceanus, in quo nauigat tumidis velis nauis superbia, & vanitas humana *Calculus arenæ:* ecce campus, ecce theatrum, in quo fastus humanus exhibet spectacula, & pompas & monstra malitiæ suæ. *Calculus arenæ.* ecce fundamentũ, super quo tumor mortalium erigit tot turres Babel, ædificat tot castella cogitationum, & arrogantiæ. Animaduerte, & horresce cordis nostri cæcitatem & fascinationem, quod tantum desudet ob guttam, & ob calculum arenæ: & propter abyssum, & littus æternitatis præmij aut pœnæ, ferè nihil operari sustineat. Cerne quàm *mendaces filij homi-*

hominum in stateris: vt plus ponderis habeat apud eos gutta, quàm oceanus; calculus arenæ, quàm littus. Si pecces, quia non vis pati exiguum quid amaritudinis in exequendis mandatis; ergo times sorbere guttam aquæ maris amarã. & non times absorbere oceanum? Tempestates in gutta contra te times?& in mari eas non exhorrescis? Times portare super te calculum arenæ, & littus totum perferre non times? Quàm magna sint quæcumque speras,quæcumque times in hac vita; in guttâ aquæ, in calculo continentur arenæ.

2. *Tempus senex est, tamen currit velocissimè,& cum silencio.*

2 NON timemus mortem, quia licet illa prope nos iam sit, illam non sentimus: eo quod cum silentio incedat. vnde & diuturnam nobis promittimus vitam. Mors in temporis & Solis itinere, in quo peraguntur anni, consistit,& per id ad nos peruenit.sed Antiqui (vt ait Cartarius de imaginibus Deorum tractatu de Saturno) crediderunt Saturnum ipsum esse tempus. Hoc nomen Saturnus apud vulgares significat *tacitum*. Dic ergo tẽpus tacitum esse, esse Saturnum;& ideo tacitè annos nostros peragere,& mortem ad nos adducere. Atq;ideo adagium fuit. *Dij laneos pedes habent*. hoc est tacitè veniunt ad puniendũ nos etiam per mortem. tempus senex est, sed tamen adeo accelerat,vt currentes etiam cõprehendat iuuenes,cõprehendat etiã ceruos. Valde senex est, videtur iam iam mori: & tamen omnes sepelit. Saturnus est: sed quia Saturnus præsertim dominatur senibus, ideo in senes vim suã exercet eos necando. Vnus senex videtur esse,qui numquam moriatur at & ipse tandẽ morietur.nam in fine mundi nõ erit amplius tẽpus. Apoc. 10. Angelus iurauit,*quia tempus non erit amplius*. Tempus caput (comam scilicet, & barbam) habet senis, pedes verò iuuenis. illud propter canos argenti (vt sic dicam) mortui, hos argenti viui. Apoc. 10.

At redeundo ad taciturnitatem temporis & mortis venientis, obserua dici etiam posse, tempus,& mortem in Solis circuitione sita esse. Aiunt autem prisci Solem in curru velocissimo à quatuor equis trahi. sed iuxta fabulam hanc loquendo, currus iste quamuis celerrimè currat, absque vllo sonitu vehitur. In curribus nostris,præter sonitum rotarum, & equorum,etiam aurigæ & voce & agitatione scuticæ longè exaudiuntur. at in vehiculo solis, & mortis, quæ cum illo vehitur, nec equi,nec scutica sentiuntur. Inquit Christus: *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ecclesia in publicis precibus hæç duo coniungit, *A subitanea & improuisa morte, libera nos Domine. Ab insidijs diaboli, libera nos Domine.* Cum in aperto prælio demon timeat victoriam non obtinere, hoc est, dum præuisa, & manifesta nobis contingat hora mortis, vnde disponamus domui nostræ; omnes insidias suas in eo collocat,vt subito præoccupati die mortis quæramus spatium pœniten-

nitentiæ, & inuenire non possimus. Benè ergo vniuntur illa duo in Litanijs, vt dixi, subitaneam, improuisamque mortem, & insidias diaboli. serpens enim insidiatur huic calcaneo, seu fini.

3. *Vita numquam cursum sistit.*
4. *Vita processio est, qua vnde exeunt homines, ad eundem locum reuertuntur.*
5. *Series generationum est linea, vita hominis punctus.*
6. *Vita epilogus vitarum antiquorum.*

3. SOL *& homo generant hominem*: sed sicut sol generat, ita & occidit, ratione motus, & temporis. Cum dixisset Ecclesiastes, *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat*; statim subdit, *Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur*, quasi indicans ex Solis mutatione, & temporum decursu mortes, & natiuitates hominum etiam succedere modo supra indicato. Sed currus Solis (vt etiam à fabulis addiscamus) iter habet non tamen sicut currus nostri diu, sed etiam noctu. immo tamen diu; quia vbi ille est, semper dies est: itaque ab exordio mundi vsque ad finem vnica & cõtinua erit dies solis. Ergo non solum vita Nestoris, aut Mathusalæ, sed vita totius vniuersi ephemera est, hoc est vnius diei. Numquam sistitur ille currus, sicut nostri solent, vt secedat in diuersoria saltem ad equorum, vel aurigæ pabulum sumendum: numquam in illo confringitur rota, aut axis: numquam deficiunt equi in cursu. Quantò plus oneris sustinet, & defert currus; eo tardius vehitur. at cum currus iste secum vehat omnia viuentia, & corruptibilia, nedum homines, trahatq; ad interitum; tamen velocissimus est. si quando terra mouetur, vt in terremotibus, exterremur timentes interitum, eo quod aliquãdo inde aliqui iterfici soleant: at cum continuo moueatur cælum, vnde cuncti mortales intereunt, nihil timemus.

4. Quando fit solemnis aliqua processio, procedunt homines sibi inuicem succedentes extra ecclesiam, & circuitu quodã perambulato, rursus in eandẽ ecclesiam reuertũtur. Quid est quæso processus, & successio generationum in mundum veniẽtium, nisi quædam processio huiusmodi? egrediuntur de terra in vitam, in hãc aui, & patres, succedunt filij, hos cõsequuntur nepotes, & nati natorum, & qui nascuntur ab illis. at eãdẽ successione & modo procedendi rursus reuertuntur patres in eandem terrã, & mox filij, & deinde nepotes. Ita vita hominum nihil aliud est, nisi perambulatio quædam, & transitus per breuem gyrum: & rursus reuertuntur ad locum, vnde exierũt. Ita quidam Philosophus, cum vellet ostendere quid esset vita hominis, egressus ex ianua quadam, & in breuem gyrum conuersus coram adstantibus; statim in eandem ianuam reuersus est. Ita Iob 1.21. hoc in se ipso quasi depingens, simul ostendit in omnibus habere locum, dum ait: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ*, (hoc est de terra) *& nudus reuertar illuc*. quod autem statim reuerti debeat, id explicauit, cum dixit cap. 14. *cap. 14.*

Homo

Iob 1.21.

Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur. conteritur verò statim ac de terrâ egressus est, quia denuo sub terram reuertitur. Processionem faciunt homines: cum Iob egrediuntur de vtero matris, & reuertuntur illuc.

Coniunctio spiritus, & carnis, quæ fit in productione hominis, symbolum est satis apertum coniunctionis in matrimonium viri, & mulieris: in quâ, sicut spiritus & caro, sunt duo in carne vna; & vir dominatur mulieri, vt spiritus suæ carni. At sicut quidam, præsertim mercatores, ducta vxore paucis diebus cum illa habitant, mox eadem relicta abeunt in regionem longinquam, siue mercimonij causa, siue quòd illius tædio sunt affecti: ita spiritus, cum vnitus fuerit carni vxori suæ, mox paucis diebus cum ea commoratus, illam relinquit, & abit in regionem lon-
Sap. 5. 13. ginquam. Sic Sap. 5. 13. aiunt damnati: *Sic & nos nati continuò desinimus esse.* quasi dicat: statim spiritus dimisit vxorem suam, cum eā duxisset paulò
Ps. 102. ante. Psal. 102. *Spiritus pertransibit in illo, & non subsistet.* Spiritus vadens, & non rediens.

5. Generationis & successionis familiæ series, *linea* solet vocari. linea successionis. Cùm verò linea continuetur puncto, vt aiunt Philosophi: quid apparet per hoc, nisi te cum fratribus tuis esse punctum quemdam continuantem familiæ tuæ lineam? Vides igitur quod vita tua, & tuorum fratrum, quam longam rē esse putabas & magnam, nihil aliud est
Iob 20. 5. quàm punctus. sic in Iob 20. 5. dicitur, quod *Laus impiorū breuis sit. & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Ratio est, quia etsi fortè diutius viuat, omnis vita illa punctus est. sic inquiunt, *& nos nati continuò desinimus esse.*

6. Post orationes prolixas, siue tractatus solent ex arte oratoria fieri epilogi. Natura, & Deus in vitis diuturnis patrum antiquorum orationes diffusas habuit. at in vitis filiorū, in quos fines sæculorum deuenerūt facit epilogos earum. Vitæ enim nostræ, ob breuitatem suam, compēdia quædam sunt vitarum antiquarum. Sicut post vitas fusè conscriptas insignium virorum, puta Pontificum, vel sanctorum, non desunt aliquando qui easdem compendio perstringant, iuxta illud *gaudent breuitate moderni*: Sed quia nos recentiores dolemus de breuitate viuendi, iam potius dicendum, *dolent breuitate moderni.* verè enim, *nos nati continuò desinimus esse.* Antiquitus merces quædam conficiebantur optimæ, & quæ ideo diutissimè perdurabant. at nunc contrarium accidit. Quæ enim olim diuturnam, vt ita dicam, vitam habebant, modo ex ipsorum fragilitate vix aliquot diebus perdurant. Sic accidit in hominibus. validi enim erant, & optimæ constitutionis in corpore, vnde & diu viuebant: nunc verò secus accidit. vnde dicere possumus magis, quàm alij homines, quod *nati continuò desinimus esse.* Creato mundo Deus fecit epilogos mundi, hoc est homines; deinde facit epilogos epilogorum.

Tempora vitæ, sunt sicut tempora anni. In singulis enim anni tempori-

poribus, quæ constant tribus mensibus, antiqui (vt notant thesauri linguæ in verbo annus) tres partes discernebant, primam vocabát nouam, secundam adultam, tertiam præcipitem, siue extremam. Ita pars temporis vitæ in nobis, in quos fines sæculorum deuenerunt, cum extrema sit, simul est præceps, hoc est præcipitanter ne dum velociter decurrit, iuxta illud quod motus in fine velocior est, quàm in principio, vt aiunt Philosophi: quod dixi non quia cælũ modò citius moueatur; sed quòd vita nostra breuior sit. *Continuò nati, statim desinimus esse.*

2. *Vita tyranni ventus tempestatem excitans, & statim transiens, eadem est vapor.*
3. *Vita hæc est vita fœtus in ventre.*
4. *Vita iusti breuis longior, quàm longa iniusti.*

Iob 7.7. 2. IOB 7. 7. *Memento quia ventus est vita mea.* Vita in multis comparatur vento. in nomine: nam ventus dicitur spiritus. *Spiritus vbi vult spirat*, &c. & vita in spiritu consistit præcipuè: *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ* Gen. cap. 2. vnde & anima spiritus dicitur, & vita in spiratione, seu respiratione aëris, & spiritus. Deinde de vento dicitur, *nescis vnde veniat, aut quo vadat.* quia occulta valde est ratio generationis venti apud Philosophos. vnde ait Psal. 134. *Qui producit ventos de thesauris suis*, hoc est de occultis, & profundis causis, nobisque abditis. Sed, si fidem remoueamus, quid difficilius apud homines, quàm animæ, siue spiritûs productio; quot erroribus diuisi sunt sapientes circa animæ & vitæ humanæ cognitionem? Etiam nescierunt, & nesciunt quo vadat. & nos etiam in fide (cum nesciat homo vtrum amore, vel odio dignus sit) nescimus quo tendat anima post mortem. Sicut etiam vento tribuitur murmur, quia sufflando semper propter sibi opposita sonitum murmuris emittit: ita vita nostra, quia repletur multis miserijs, & semper aliqua sibi aduersantia sentit, in perpetuo quodam murmure & querimoniâ esse solet. Tandem ventus est, quia quid celerius vento? quid vanius, & leuius vento? & quid celerius & fugacius vitâ quid vanius & fragilius?

Gen. cap. 2.

Psal. 134.

Insurgit ventus vehemens, insurgit turbo terribilis: quas turbas, quam tempestatem non excitat in aëre, in terra, atque etiam in mari? subito cœlum quasi infernum nubibus tenebrosum ignibus crebris coruscantem, tonitruis insonátem nimbum omnes pertimescunt. Concutiuntur syluæ, & arbores terribili murmure: eleuatur puluis in aera è terra, vndæ in mari altissimæ, clamor excitatur nautarum, &c. At parturient montes, nascetur ridiculus mus. Cadit exiguum pluuiæ, & repentè omnia quiescunt, silet omnino ventus, serenatur cœlum, tranquillatur mare. Vbi quæso est furor ille ingens, minæ illæ terribiles, vniuersum, vt videbantur paulò ante, absorpturæ? Sed dices: ventus erat: transiuit ille, & furor omnis cum illo, seu procella omnis. Sic aliquando Dux aliquis, vt verbi gra-

tia Holofernes, insurgit contra Ierusalem, minatur ei excidium, congregat contra eam exercitum, ponit castra aduersus ipsam, &c. at femina accedit ad illum, ipsum interficit: dissipatur exercitus, fugantur milites, tranquillatur terra. Vbi est tempestas illa vbi tonitrua, & fulmina illa minatum? vbi vndæ illæ terribiles contra Ierusalem eleuatæ? sed hæc omnia ventus causarat, nempe homo: ventus enim est vita hominis. sublatus est ventus, scilicet Holophernes; & omnia tranquilla facta sunt. Prou. 20. 25. *Quasi tempestas transiens, non erit impius.* Vel etiam descriptâ procellâ, & nimbo dio talia cessare statim, vt aliquando accidit: & cùm timeretur, vel expectaretur diluuium pluuiæ, neque guttam aliquam descendere; scilicet ob vēti cessationem, qui tempestatem illam excitarat. ita timeretur diluuiū ruinæ, aut sanguinis effundendi ab hoste prædicto; eodem sublato hoste nihil accidit aduersi; vt dici possit illud Prou. 25. 14. *Nubes, & ventus, & pluuia, nō sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.* Promiserat Holofernes regi suo, & alijs se Ierusalem expugnaturum, de illa triumphaturum, & similia. at ne vnam quidem guttam sanguinis eius, quasi guttam pluuiæ, effudit. Adde illud Iacobi 4. 14. quod vita nostra *vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* quid sunt nubes minantes pluuiam, & tempestatem, nisi vapor in altum sublatus? at paulò post exterminatur hic vapor: cum paulò ante tonitrua, & coruscationes emiserit, mundumque terruerit vniuersum. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes.* &c.

Prou. 20. 25.

Prou. 25. 14.

Iacobi 4. 14.

Vita hæc, quæ longa videtur, & constare putatur multis ætatibus, vt pueritia, adolescentia, &c. dico, quod adeo breuis est, vt vnica ætas sit, nimirum infantia: immo infantiæ prima pars tantummodo; quia est vita fœtûs, qui in ventre matris detinetur. Probatur hoc: nonne Ecclesia passim vocat mortem iusti, natiuitatem eius? lege Martyrologia ergo si tunc nascuntur; hic in ventre obscuro fuerunt, vt fœtus solet. ergo adeo breuis est hæc vita, vt homo desinat viuere, antequam incipiat viuere, seu antequam nascatur; & finis eius sit principium eius. Sic impletur illud Ecclasiastici 18. 6 quod tamen ibi alij subiecto applicatur: *Cum consummauerit homo, tunc incipiet.* Ergo cum mirum fuerit Christum virum perfectum quoad rationis vsum, in ventre matris fuisse, iuxta illud Ier. 31. 22. *Creauit Dominus nouum super terram: femina circumdabit virum*: mirum etiam (etiamsi inferiori modo) est, tot viros, & senes etiam, quamuis nongentorum fuissent annorum; tamen in ventribus matrum extitisse; & infantes hic semper fuisse, sicut & nunc sunt tot iusti. ita dici potest, *Femina circumdabit viros, circumdabit senes, & annosos, circumdabit feminas,* feminam dixi pro vita hac mortali. Ioan. 3. 4. *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* Attamen in casu nostro id accidit. nam sancti dicuntur nasci, cum moriuntur: quia vita eorum hic fuit in ventre matris. ideo inde egressi, dicuntur nasci.

Ecclesiastici 18. 6.

Ier. 31. 22.

Ioan. 3. 4.

Sap.

Sap.4.13. Sap.4.13. dicitur de iusto. *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Sicut enim peccator, iuxta Senecam, qui cessauit à bonis, & præclaris operibus, non potest dici quod diu vixerit: *diu* inquit *fuit, non diu vixit*: ita ex consequenti diu vixit, qui multa bona gessit, licet non diu fuerit in vita, quod est *explere tempora multa*. Videmus aliquando in vitis Imperatorum, vel Principum pro numero foliorum, in quibus scriptæ sunt, longam esse vitam eius, qui parum vixit; breuem, qui diu vixit; quia ob multa præclarè gesta, illa longa effecta est, hæc verò ob pauca huiusmodi opera breuis existit. Idem dicendum de vitis non scriptis. Longa est vita iusti qui plura bona gessit: breuis peccatoris, qui pauca. Ergo ille *consummatus in breui expleuit tempora multa*.

Cùm singula anni tempora, tribus mensibus constent; cur ieiunio & oratione trium dierum in singulis his temporibus, ea tempora: exprimimus? & vocamus tres illos dies *tempora*, quasi in ijs consistant omnes illi tres menses? quia dies boni operis, quales sunt isti, valent pro mensibus, neque videntur in anno, vel in vita alia tempora esse, quam quæ Deo impensa fuerint. Vnde iustus, cuius dies huiusmodi sunt, dicitur consummatus, & non mutilus etiam in ratione vitæ ad plenitudinem perductæ: quia *in breui expleuit tempora multa*. Explet etiam tempora multa: quia cuncti dies eius sunt dies temporum Ecclesiæ, scilicet abstinentiæ, & orationis, seu pœnitentiæ.

PRÆLATVS,

PRINCEPS.

2. *Antecellat alijs virtute & prudentia.*
3. *Eius afflictiones & pericula præcipuè in summa dignitate.*
4. *Principi adsint arma cum litteris.*
5. *Magis seruando, quàm augendo regno vacet.*

2. IOANNES Boemus lib. 1. de moribus gentium, & alij multi scribunt, regem Æthiopum vulgò *Pretegianni*, quamuis sit de Æthiopum genere antiquissimo, tamen esse album colore, cum ceteri nigri sint. Dic, quamuis omnes subditi essent æthiopes, hoc est peccatores, iuxta illud *si æthiops potest mutare pellem suam*; rex tamen albus, hoc est bonus, esse deberet. Vnus albus, hoc est bonus, plurimis malis est in regem præeligendus, non spectatâ in electione vllâ re magis ipsâ virtute, & prudentia. nam Ecclesistici. Ecclesiastici 16.2
16. 2. *melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij*. sic Saül electus in regem: de quo dicitur, *quod non erat vir melior illo*.

3. Curæ & sollicitudines in Euangelio *spinæ* vocantur. & summus Pontifex distinetur curis totius ecclesiæ, vel omniũ ecclesiarum. nam ipsę parochiæ, vulgo etiam *Curæ* vocantur, & parochi *curati*. At Ecclesia

vniuersalis est corpus mysticum. Pontifex, est velut caput in corpore illius. ideoque spinis coronatum est tale caput, hoc est curis plurimis. Ipse summus Pontifex mittit rosas (insignè donum) principibus diuersis. at rosas non nisi à spinis, & à rosario procedere scimus. deinde caput Pontificis pluribus coronis ornatur: at multæ, vt ita dicam, coronæ faciunt vnum rosarium. ergo caput Pontificis est inter spinas. ideo Adrianus Quartus (vt ait Bisciola horarum subcisiuarum lib. 14. cap. 6.) dicebat, cathedrã
Bisc. lib. 14. cap. 6. Romani Pontficis circumquaque spinis esse clausam, iter vndique confertum aculeis. dicebat etiam, nemo est Pontifice Romano magis miser. Ergo qui titulum habet Beatissimi ab alijs, à se habet miserrimi. Italicè *Pontefice pare detto dalle punture.* Eadem, inquit ibi Bisciola, dicebat Marcellus Secundus, qui nostris vixit temporibus. qui cùm aliquando pranderet, manu feriens mensam, *Non video*, inquit, *quomodo qui locum hunc altissimum tenent, salui esse possint.* per exaggerationem id esse dictum scimus. quod tamen ostendit oneris magnitudinem.

4. Gabriel Simeon in Heroicis symbolis, pictum ostendit Cæsarem super globum mundi stantem, sinistrâ librum apertum, dexterâ gladium tenentem, cum hac inscriptione: *Ex vtroque Cæsar.* Indicans Imperia litteris, & armis regi, & vnum sine altero in Principe non sufficere. Sic ipse Cæsar militans, vnâ manu, vt ita dicam, pugnabat contra ignorantiam gladio calami, scilicet scribendo commentaria sua; alterâ manu gladio ferri contra hostes. Vnde Minerua dea ficta est sapientiæ simul, & bellorum, ac fortitudinis, & Bellona appellata. potest eo symbolo etiam denotari, literis & armis simul mundum possideri ab eo, qui illa duo habuerit. parum prodest vis sine sapientia. Reges quasi Dij, *ego dixi dij estis*: at Deus sapiens corde est, & fortis robore, dicitur in Iob. 9. *Iob. 9.*

5. At, vt quidam auctor refert, eo symbolo Cæsaris tenentis in sinistra librum, in dextra gladium, significatum est armis ad acquirenda imperia, prudentiâ, & sapientia ad tuenda & regenda opus esse; & ea duo inseruisse Cæsari. Risit olim Augustus audiens, Alexandrum sollicitum fuisse, quid faceret postquam mundi reliquum vicisset, quasi tunc nil sibi superesse deberet ad agendum. & ait maiorem & veriorem gloriam Principis in tuendo & bene regendo acquisita, quàm in acquirendo consistere. Applica hæc conseruationi opum, vel potius gratiæ, & virtutis. Maior difficultas est facere, vt vulgò dicunt, conseruam de fructibus, vel floribus, siue cõseruam fructuum, quàm ipsos fructus colligere. (*Conseruam* vocant eas res, vel medicamina, quæ conseruant fructus à putredine longo tempore.) Operosius negotium est sic condire fructus, quàm colligere. ita in casu nostro.

Ideo aiunt Scipionem, cum Censor esset, noluisse in solemni carmine, sicut moris erat, precari *Dij augete Rempublicam*, sed *conseruate Rempubli-*

publicam. Vtinam nos quoque ita de rebus, ac opibus nostris sic precemur.

Non minor est virtus, quàm vincere, parta tueri.

applica insatiabilitati principum, ac etiam aliorum in acquirendo.

Iouius in Elogijs lib. 2. Sic Iouius in Elog'js lib. 2. ait, vetus institutum & perpetuum apud Turcas, vt intranti templum, Imperatori Sacerdos occurrat, & clara voce dicat: *imperium quod iustitiâ & viribus partum sit, non nisi ijsdem artibus sciat esse seruandū.* Et ita videmus malo nostro Turcā terras, quas semel occuparit, nunquam dimittere. sic ille.

2. *Princeps ter seruus.*
3. *Imo & regni baiulus quod portat.*
4. *Prælatio sæpè dementat.*
5. *Princeps litteras foueat.*
6. *Humilitas Principu illū magis honorat.*

2. BENE dixit quidam sapiens; *Semel Princeps, ter seruus.* hoc est, Prælatum seruum esse Reipublicæ, seruum negotiorum, seruum famæ & existimationis: ita ut nulla illis supersit libertas nec in eorum personis, nec in actibus, nec in otio, & tempore ipsis concesso, cum nullum tempus illis sit vacuum à curis.

Heu qualis est ista cupiditas, quærere potestatem, & amittere libertatem? quærere imperium super alios, amittere super se ipsum? Locus regiminis est lubricus: recessus ab eo est casus. cum ab eo homines honestè possunt recedere, nolunt; cum volunt nequeunt.

Bullengerus lib. 1. cap. 9. 3. Quidam (vt refert Bullengerus lib. 1 cap. 9. de Romano Imperatore) dicunt, Cæsarem sic appellatum, eo quod vnus ex eius maioribus Elephantum occiderit in bello Punico simul cum equite illi insidente, eo quòd apud Phenices Elephantes vocentur *Cæsares*. Dic verè videri rationabiliter datum Cæsaribus nomen elephantum, eo quòd debeant sustinere super se nedum homines multos, sed turres quoque ipsas, immo vrbes. Vnde corona regum, repræsentat mœnia vrbis, quę solebant extrui cum illis cacuminibus siue pinnis. In Iob de principibus dicitur: *sub quo curuantur, qui portant orbem.* cap. 9. 13. vnde onerati potius quàm cap. 9. 13.
honorati censentur. *Corona* vt Poëtæ dicunt aliqui, quia cor onerat. Si portant regna, ergo sunt regnorum baiuli.

4. Principatus sæpè hominem perdit. quia *prosperitas stultorum perdet illos*, vt dicitur Prouer. 1. ita de Tiberio ait quidam: Dexteram fortunam, sinistram virtutem habuit: tam sceptri amans, cum non haberet; quàm amens, cùm habuit. Verè igitur stultorum appellatur prosperitas. idem de Caligula, qui primus aureum, diadema assumpsit; cū Laurea Imperatorum esset insigne, ait,

Non sano capiti fragiles per tempora frondes
Non sat erant, nodo te meliore ligas.

Notans eius amentiā. Carpens insuper etiam auaritiā eius, quę in ea mutatione coronæ quasi significata est, ait: Aurum imperij, nō laurū amans.

De eadem prosperitate, quæ per Imperium dementat homines ad illud assumptos, ait idem auctor de Nerone: Hic inter priuatos optimus, inter Principes pessimus:

dignus Regno, si non regnasset: molles illius mores in duris, induruere in mollicie. De Saüle etiam dicitur, quod *non erat vir melior illo*, quando assumptus est ad Regnũ, at qualis fuerit deinde omnes norunt. Ita Nero, vt notum est, adeo clemens extitit ab initio, vt, cum cogeretur subscribere damnationi cuiuspiã, exclamarit, *vtinam nescirem litteras*! de eodem addit: Regiâ fasciâ eo tantum vsus, vt malè sanum verticem ligaret: in quã Imperium iecit Fortuna, vt frangeret: domum augustam fecit, angustam vrbem. Tales sunt Principes, qui quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi, & consequenter Regem, nõ Regnum, impinguare cõantur. Prædicta multis assumptis ad regimen, vel assumendis, conuenire possunt. nam vt dicitur ab Ecclesiaste 8 9. de damno quod aliquando accidit homini ob prælaturam; *Interdum dominatur homo homini in malum suum.* dominatur in malum suum, vt videtur mihi, cum ob imbecillitatem animi dominatio fit illi in laqueum, vt ipsum dementet, & deprauet, vt in casibus prædictis.

Ecclesiaste 8 9.

5. Princeps pacem fouens, etiam litteras alit, & illustratur scriptorum calamis: sicut crudelis dominus, præsertim in doctos, (vt Nero, qui Senecam, & Lucanum necauit,) ab ijs simili monetâ ditatur. Ideo de Augusto ait prædictus auctor: Iani templum solus clausit; Musarum, solus aperuit. Bonus Princeps & pacificus gladio vtitur ad acuendos calamos pro se, malus contra se. sic inquit de Nerone: Calamis pungatur, quos gladio acuit. intellige de calamis ad scribendum.

6. Hieron. epist. 62. ad Theophilum, *Non quæris monachos tibi esse subiectos* &c. ideo *magis subiectos habes.* tu offers osculum, illi colla submittunt. exhibes militem, & ducẽ impetras. quasi vnus in pluribus es, vt sis vnus ex pluribus. citò indignatur libertas, si opprimitur, *nemo pius impetrat à libero quàm qui seruire non cogit.* exhibes militem, hoc est te velut militem illis exhibes, & impetras, vt te habeant vt ducem: sicut etiam es vnus in pluribus, vt sis vnus hoc est quasi vnicus præ ceteris. Facit huc exemplum perpulchrũ pro hac re à multis relatũ. Genuenses, Ducis Mediolani auxilium implorauerant in necessitate quâdam, ob idque Dux ille eorum Rempublicam beneuolam, vtilemque sibi experiebatur. quia verò his non contentus videbatur, sed quoddam in ea imperium, affectare; legatus eiusdem vrbis ad ipsum misit dono vas, in quo ocimum plantatum erat. Dux sciens legati sapientiam, cum ad se ille deinde venisset, interrogat, Quid munus hoc significet? ille ocimo illi esse similem Rempublicã suorum. nam ocimum si leuiter tractes, & nares placidè ei admoueas; suauem reddit odorem: ei autem, qui acriter ipsum compresserit, seu tractarit manibus, gignit scorpiones. intellexit Princeps legati mentem. quæ res deinde, vt sapientiæ plena passim euulgata est.

Hieron. epist. 62. ad Theop.

Ocimum vulgo basilico herba odorifera.

2. *Obitum boni Principis etiam elementa deflent.*

3. *Principes & prælati sæpè in infensos*

sus sibi crudeles.
4. *Regna omnia nil sunt.*
5. *Philippi Tertij Hispaniæ Regis morientis dictum.*
6 *Prælati mali nec moriendo amittunt prælaturam.*
7. *Regimen per nefas consequentes iustitiam quæsierunt per iniustitiam.*

2. TAM ingens bonum Reip, est bonus Princeps, vt eius mortem vel appropinquantem etiam muta elementa mirabiliter defleant. ita Ambrosius in obitu Theodosii senioris Augusti ait: *Ipsa recessum eius elementa mœrebant. Cælum tenebris obductum: aër perpeti horrens caligine: terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluuionibus. quid ni mundus ipse defleret eum principem continuò esse rapiendum, per quem dura mundi istius temperari solerent* hæc? Ambr.

3. Mulieres, quæ humilis staturæ cùm sint, crepidis prælatis magnæ fiunt, assurgunt quidem in altitudinem; sed membra, & præsertim brachia eis non augentur proportione sublimitatis. immo tantò plus decurtatis apparent, seu breuibus brachijs, quantò sunt reliquo corpore altiores. at dum quis assurgit per potentiam, & dignitatem, tales assumit crepidas, quæ simul cum longitudine siue altitudine corporis, oblongas etiam ei efficiat manus, oblonga brachia. vnde adagium, *Longæ regum manus*. Vix enim est aliquis, quamuis se ab eius virga subtraxerit per fugam, qui effugere possit manus eius. Quo facit quod Rauisius in officina titulo de eunuchis, inquit; Fauorinus celebris Philosophus Arelate oriundus, cum eunuchus esset, & Adriano Imperatori valde infensus; tria quasi miracula de se prædicabat: nimirum, quòd Gallus Græcissaret, (scilicet Græcè scriberet, siue sciret,) eunuchus putaretur adulter, & inimicus Cæsaris viueret. De illo, qui aliquem exagitat, & affligit, dicimus, (a) *non lo lascia viuere*. Rari ergo sunt potentes, & prælati etiam inferioris conditionis, qui subditos sibi infensos saltem hoc modo viuere sinant. vt pro miraculo quis de se dicat, se Præsidi infensum, & tamen viuere. verè qui hoc de se potest dicere, est Italicè *Fauorino, i. e. fauorito*. Cæsares enim, siue Dominatores sæpè Cęsares sunt à cædēdo, hoc est à percutiēdo: quo pacto etiam Marchiones, & Comites Cæsares sæpè sunt. quod dictum sit per allusionem ad ethimologiam Cæsaris, quam dicunt à cædendo deductam. quia cæso ventre matris natus, Cæsar appellatus sit, quamuis alij à cæso elephante sic vocatum volunt.

Rauis. in offic. Tit. de Eun.

(a) non finit eum viuere

4. Regna ipsa nihil sunt comparata bonis animæ. Marci. 10. 37. duo discipuli dicunt, *Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua*, quam putabant huius vitæ esse futuram. Cùm ergo id petierit, quomodo ait Ioan. 16. 24. *Vsque modo non petistis quicquam?* sed id nihil est, vt Aug. tract. 102. in Ioan. obseruat vbi ait: *Solum spiritale æstimari debet aliquid. quidquid autem aliud petitur, nihil petitur. non quia nulla omnino res est, sed quia in tanta rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est.*

Marci. 10. 37. Ioan. 16. 24. Aug. tract. 102. in Ioan.

5. Man-

Mend. in fin. prim. to. in 1. Reg. 5. Mendoza in fine primi tomi in primum Regum ait, Philippum Tertium Hispaniæ Regem morti proximum dixisse, *Nihil confert regem esse, nisi, vt in morte crucietur regem fuisse.* rectè hoc. nam, vt ait auctor, qui nomine Cyprini circumfertur de duodecim abusionibus sæculi, cap. 9. ad finem operum Cypriani, iniquum regem alloquens, *Sciat rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis nisi iustitiam fecerit, primatum est habiturus.* Cap. 9.

6. An timetis ò Præsides morte adueniente primatum perdere? at promitto vobis, si iniqui estis, neque per mortem primatum vos perdituros esse. quomodo hoc? primatum habuistis in dolore. nam vt ait Sap. *Potentes potenter tormenta patientur.* quasi dicat, principes erunt in pœna, qui fuerunt principes in gloria. Principes in dolore, qui principes extiterunt in felicitate. dicunt enim potentes delitijs dediti illud Sap. 6. num. 7. *Coronemus nos rosis,* hoc est vacemus delitijs. At qui pluribus rosis coronatus fuit; marcescentibus rosis & defluentibus, pluribus deinde spinis coronatus apparet, remanentibus sertis rosarij circa caput eius. vnde apparet rex dolorum. Christus enim spinis coronatus ostendit se virum dolorum, & regem dolorum. ait enim: *Videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Princeps, vt dixi, sit rex dolorum, seu dolentium, hoc est vincit in dolore dolentes alios, quia Apoc. 18. 7. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Sap. 9 nu. 7. Apoc. 18. 7.

7. Iactatum est illud apud ambitiosos. *Si ius violandum est, regni causa violandum est: in ceteris fidem serua.* quid magis non solum impium, sed etiam stultum! nam quid est regnare secundum esse suum, nisi ius suum cuique reddere, iustitiamque defendere; seruare inquam illam, ne violetur à subditis; hoc est de intima essentia regiminis, neque potest ab illo separari: quamuis fortasse ambiens, aliud ambiendo respiciat. Quid ergo absurdius, quàm ascendere ad regimen, vel magistratum per iniustitiam, emendo officium, donis corrumpendo, aut aliâ iniquâ ratione; Quid absurdius, quam ascendere ad iustitiæ defensionem per iustitiæ offensionem? fieri te iustitiæ stupratorem, dum assumeris in eunuchum eius, & defensorem? vulgò magistratus iustitiam exercens appellatur Iustitia, *La Giustitia.* quid magis peruersum, quam ascendere ad Iustitiam per iniustitiam? sed non solum iniustitiam iniqui committunt, & ius violant, vt regnent; sed omnem committunt iniustitiā. nullam prætereunt iniustitiæ viā, dummodo per eam pertingere possint ad regimen. Sic Bern. de consideratione ad Eug. lib. 3. cap. 1. *Dominari ne affectes hominibus homo, vt nō dominetur tibi omnis iniustitia.* Dicendum igitur potius esset: *Si ius violandum est, propter quæcumque alia potius, quàm propter regnandum violandum est.* nam violare ius proper regnandum, est violare ius, vt non violetur ius. quod est valde inordinatum. Eug. lib. 3. cap. 1.

2. Præ-

2. *Prælati fortibus auribus sint ad maledicta toleranda, & causas pauperum audiendas.*
3. *Solliciti, vt copiosè prouideant subditis in victu.*
4. *Principem emendari à vitio suo, quasi miraculum.*
5. *Princeps nauis ingens, remo timoris non regitur, vt nauiculæ subditorum.*
6. *Seuerus Imperator moriens, imperia nil esse ait.*

2. IVMENTA quæ magna onera ferunt, symbolum sunt Prælatorum onera magna in Republ.gerentium. Vnde & Italicè vocantur dignitatum officia, pondera, *carichi*. sed obserua, dicta iumenta etiam magnis auribus esse prædita: eo quòd Prælati, cùm de ipsis plurima dicantur à subditis, etiam maledicta, aduersus hæc bonis auribus muniti esse debent. præterquam quod auritos illos esse oportet, vt non ignorent quæ committuntur à subditis. ac etiam quia aures præbere debent, vulgò audientiam, paruis, & magnis, atque molestis controuersiis multorum, patienterque aliquando pati insulsa, & non ad rem facientia, caputque sibi obtundentia. *Multæ regum aures, & oculi.* Prælatorum est habere ministros, quos *auditores* vocant. habent autem auditores, seu aures non tantum ex hominibus, sed etiam ex auibus. Vnde Ecclesiastes 10. cum suasisset non maledicendum regi neque in secreto cubiculi; subdit rationem: quia aues cæli portabunt vocem tuam. dixi in auibus, quia & hi, qui numquam putarentur id facturi, id tamen faciunt. immo & quos non putasses intellexisse quæ dixisti, eo quòd rudes sint, & velut aues absque rationis sensu; tamen ex interesse istæ aues loqui discunt, & perferre quæ audierint. fiunt regis aures, vt habeant regis aureos. Aues cæli portabunt vocem suam, scilicet quos numquam credidisset id facturos.

Ecclef. 10.

3. Auribus bonis, seu prægrandibus muniti debent esse Prælati propter plurimos, & plurima, quibus illis caput obtunditur tota die. Diodorus lib. 3. cap. 1. ait, Æthiopum, ac Ægyptiorum reges aratrum, seu diadema in figura aratri in capite gestasse. videntur optimè per id significasse, quamuis id non intenderint, regiam coronam, ac regiminis officium nil aliud esse, quàm aratrum quoddam, quod perpetuò caput miseri principis frangat, & secet, sicut aratrum terram ob curas dico gubernationis, & molesta negotia, & querelas multorum, quibus ei caput obtunditur. Vel etiã, quia corona principis, & regium munus præsertim consistit in hoc quod semper cogatur princeps sibi caput scindere, & quasi arare versando glebas cerebri sui, vt modum excogitet pascendi subditos, & copiam frugum ex terrâ sui capitis parandi. nam *si non fuerint saturati, & murmurabunt.* Vnde aiebat ille: *In domo mea non est panis, nolite constituere me principem.* oues sunt, pastorem ad se pascendas volunt. Applica hoc patribus-familias, qui solliciti esse coguntur, vt familiam bene pascant.

Diod. lib. 3. cap. 1.

4.Reg.20 4. In 4. Reg.20. in teſtimonium, quod Ezechias ſanādus eſſet à morbo ſuo, Sol retrò conuerſus eſt. hoc ſignum ipſe petiit ex duobus ſibi propoſitis. Dic poſſe inde ſignificari, tam difficilè creditu eſſe, vt Princeps conualeſcat à morbo vitij ſui, (cùm nemo ipſum corrigere audeat, ſed omnes ei adulentur, & ipſamet proſperitas & potentia valde obſtent curationi horum magnatum) vt in teſtimonium quòd verè aliquis eorũ ſanandus ſit, oporteat ſolem retrocedere à curſu ſuo, ac mundum vniuerſum turbare.

5. Cymba, ſi parua eſt, vnico impellitur remo quocumque velis; ſi maior, mouetur ſaltem multis quaſi baculis. ita pauper remo, ſeu baculo aliquo timoris vel pœnæ fit tibi obediens, impelliturque huc illuc: diues, quaſi cymba maior ſaltem pluribus, & maioribus impellitur & regitur baculis. at nauis magna oneraria, aut quæ vulgò dicitur *vn galeone*, ad hoc vt impellatur, plus quàm remis indiget. vulgò dicimus, *vi vuol la gratia di Dio*; manus Dei requiritur ad hoc. requiritur ventus vehemens. Ita vt Princeps inducatur ad bonum; vt, quo debet, moueri poſſit; non proſunt remi, ſeu baculi. nullum enim timet: cum ipſe ſceptrum teneat & baculum, quo dicat huic vade, & vadit; & omnium nauiculas impellat quo ſibi placet. requiritur ergo ventus vehemens, nempe vis Spiritùs ſancti, qui venit more ſpiritûs
[Pr]ou.20. vehementis. Prou.20. 1. *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* neque correptionibus ſolet induci ad bonum, eo quòd ſubditi reſpectu eius ſunt velut flumina ad mare. flumina enim ad mare cum acceſſerint, oribus ex ſuis (ora fluminũ vocantur fauces illæ, quibus erumpunt in mare) in illud nonniſi dulces aquas effundunt: ſic ſubditi nonniſi dulcia ex ore loquuntur, vt ſimiliter illud mare, hoc eſt, Princeps, dulces vndas aliâ viâ, & ratione eis reddat, nempe rerum, & gratiarum. *Ad hoc mare, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.*

Seuerus Imperator apud Ælium Spartianum moriens dixit, firmum imperium Antoninis meis (hoc eſt filiis, ſiue heredibus) relinquo, ſi probi fuerint; imbecillum, ſi mali. Audiant hoc Principes fideles ab infideli. Sed audiant omnes Prælati quod ſequitur, & quid tandem dignitates ſint, quo tendant conſiderẽt. idem moriens ait, *Omnia fui, ſed nihil prodeſt. omnia fui, ſed nil prodeſt.* hoc eſt, per omnes gradus honorum aſcendi. ſed quid modo id mihi prodeſt? Omnia fui. nempe Imperator fui, & totum orbem ſub me habui: ſed nil prodeſt. Recordemur illius carminis Catonis, *Si mihi ſint vires*, & cet. *quid inde?* Primogenita olim dominium continebant. vnde dicamus cum Eſau (ſed non ad venditionem primogenituræ.) *en morior, & quid mihi proderunt primogenita?* Quid aliud fuit dicere, *nil prodeſt*; niſi vanitas vanitatum, & omnia vanitas?

2. *Princeps ſignificatus per litteram A, quod in multis ei ſit ſimilis.*

3. *Principes aliqui plus cerebri ſe putant*

habere

habere in pedibus, quàm subditi in capite.

2. LITTERA A, vt prima ceterarum, symbolum est Principis qui à *principio* est appellatus. Apocalyp. 1. *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis.* Princeps est A; quia sicut prioritate dignitatis præcedit, ita deberet præcedere in litteris, & doctrinâ. Sed præcedit in litteris, præcedit litteratis, quatenus statim, ac quis Princeps est effectus, sæpè se putat (præsertim adulationibus inflatus) superiorem etiam in sapientia & litteris, nisi prudens sit, & ob oculos habeat illud, *nosce teipsum.* Ideo cum Adrianus Imperator Fauorinum Philosophum reprehendisset de verbo quodam quasi illud ineruditum fuisset, cum tamen non esset tale; Fauorinus cessit Imperatori. ob eam rem verò cum à suis argueretur; ait, An non credam doctiorem me esse, qui tot imperat legionibus? Apoc. 1.

Princeps significatur per A, quæ littera simul dolorem denotat, quòd in sonum huiusmodi dolentes vocem formemus. inde signari potest eum, qui dicit principatum, dicere dolorem & curas. A est laxa inferius, angusta superiùs: quia prælatus erga subditos liberalis & indulgens, in se verò rigidus & parcus esse debet, vel quia aliquando apertus est, & dilatatus erga terram ad terrenas voluptates, ac vtilitates recipiendas; clausus verò erga cælum ad excludendas inspirationes Dei, & cælestia dona. vel liberalis erga terram, auarus in cælum, nempe in eleëmosynis, & orationibus, & cet. Lineam transuersam habet A; quia Prælatus numquam est absque re aliqua trãsuersa. *qualche cosa gli và à trauerso.* Vel dic diuidi à linea: quia debet quidem Prælatus apertus esse subditis, attamen & partem clausam sibi ac cælo reseruare, ne scilicet totum se tradat subditorum curæ, suam negligendo animã, & familiam. Princeps sicut A solet aliquando initio sui principatus esse arctioris conscientiæ ac etiam dexteræ arctioris ad accipienda munera: (scopa noua) sed postmodum paulatim dilatatur, atque in fine fit laxissimus.

Psalm. 65. *Imposuisti homines super capita nostra.* applica quæ paulò ante de Fauorino dixi; addendo, quod super capita imponantur, quia sæpè plus cerebri & sapientiæ putant inesse pedibus, seu calceis suis, quàm in capitibus ceterorum ideo calcant aliorum consilia, & nihili faciunt. Vel dic prælatorum pedes debere præcedere sapientiâ subditorum capita, vt apti sint tanto oneri. Psal. 65.

2. *Prælati etiam mali æquè tolerandi, quod peiores sæpè eis succedant.*
3. *Ex Platone nonnisi coactè prælatura accipiendæ.*
4. *Boni Domini aula descripta à Ficino.*
5. *Prælatus non dicat suis, ite, sed eamus.*
6. *In prælatis sit Doctrina, & veritas.*

2. PATIENTER ferendos principes & rectores, etiam malos; præsertim quia plerumque timẽdum est, ne deteriores illis ipsis succedant; præter exemplum vetulæ orantis pro incolumitate Dionysij, ha-

Baruch 1. 11. bemus exemplum in Baruch 1. 11. vbi Iudæi captiui in vrbe Babylonica scribentes ad eos, qui remanserant in Hierusalem, aiunt, *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis*, & cet. Nonne infidelis, & hostis illorum quos ita captiuos retinebat, erat ille? tamen, quia timebant deteriorem principem illi successurum, aut filio eius, pro vita vtriusque petunt orari.

Probatur etiam propositio nostra; quia cum semper subditi deteriorari soleant quoad peccata: (vnde est illud Ecclesiastis 7. 11. *Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere, quàm nunc sunt?*) & Deus propter peccata populi regnare faciat hominem hypocritam: consequens est, vt peiores subditi & peiorem obtineant Prælatum. Vulgò aiunt: (a) *à popolo pazzo prete spiritato*. Miraculum esset, vel monstrum, corpori serpentis caput inesse columbæ. Statua illa habens caput aureum, & in deterius procedens, quâ significabantur regna, (saluâ interpretatione Danielis) potest etiam repræsentare, quod diximus. Etiam in Grammaticâ dominandi, solemus declinare in deterius, dicendo Malum, peius pessimum.

Eccles. 7. 11.

(a) Populo insano sacerdos lymphaticus.

Quod autem ob peccata populi regnet homo hypocrita, exemplum pulchrum habetur relatum ab Anastasio Niceno tomo 1. bibliothecæ Patrum. Cùm, inquit, quidam hypocryta factus esset Episcopus Thebaidis, ciuitatis multorum scelerum; Angelus apparens Episcopo, ait illi: *quid superbis infelix? non factus es Episcopus, quia dignus eras tali ciuitate, sed quia talis ciuitas digna erat tali Episcopo.*

Anast. Nic. to. 1

3. Plato de Rep. dial. 1. cum boni inquit, regimen non accipiant ob mercedem, ne mercenarij sint; neque ob honorem, ne sint ambitiosi: necessariò illis pœna est imponenda, nisi regimen accipiãt. turpe est enim, si quis volens, & non coactus prælationẽ accipiat. Ad hoc spectat Hebr. 5. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Nauis quædam, seu triremis est Respublica. in triremi autem sæpè coactè sunt, qui positi sunt ad remum, at spontaneè & libenter qui positi ad gubernaculum: ita in Republica subditi sæpè coactè seruiunt, rectores verò spontaneè: cum tamen Plato contrarium cupiat fieri, ne Respublica sit violenta triremis.

Plato de Rep. dial. 1.

Hebr. 5. 4

4. Marsilius Ficinus 5. epistolarũ sic ait: *Principis domus, esse debet Dei templum. prudentiæ oculus, libra iustitiæ, fortitudinis sedes, regula temperantiæ, honestatis exemplar. charitatis splendor, fons gratiarum, Musarum chorus, Oratorum, Poëtarumq; gymnasium, Philosophorum, Theologorumque sacrarium, prudentum Senatus, ingeniorum fomentum, præmium litteratorum, pauperum mensa, bonorum spes, refugium innocentum, præsidium miserorum.* Hæc ille.

Marsil. Fic. 5. ep.

5. Plutarchus de Alchiade narrat, quod in bellis suis numquam in discrimine aliquo dixit suis, *ite*, sed *eamus*; *pugnate*, sed *pugnemus*; *facite*, sed *faciamus*. dicitque, quod ob id à suis valde diligebatur, ab hostibus valde timebatur. Sed è contrario odiosi sunt, & intolerabiles, qui imponunt onera grauia, & importabi-

lia

lia in humeros hominum;digito autem suo nolunt ea mouere. Intolerabilia quidem imposita ab eis onera, sed magis intolerabiles sunt ipsi qui ea imponunt.

6. Prælati, & iudices aliorum sapientes esse debent, vt rectè iudicet. rectè autem iudicat per libram, & per librum, hoc est per iustitiam, & per sapientiam. vnde Prou.8.15 ait sapientia, *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* in Principe Sacerdotum, *& Doctrina veritas.* Libri dici possunt, eo quòd librent optimè rerum & causarum pondera, & merita; præsertim per legum cognitionem. subdit, *Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Si per sapientiam Principes regnant, & imperant; ergo multi sunt reges, & pauci regnant. multi fuere Imperatores, & pauci imperarunt. Rex, seu prælatus insipiens, qui cogitur substituere alios ad regimen imperij, non ad alleuiationem laboris, vt laudabiliter fit, sed ex insipientiæ defectu; dicere potest: Ego sum rex, sed seruus meus regnat: ego Imperator sum, sed alius imperat. quia, vt diximus, per sapientiam reges regnant, quâ ille caret.

Prou 8. 15.

Eginardus in vita Caroli Magni optimè intelligebat, quæ diximus, dum de illo dicit, quod noctu atramentarium cum calamo ad ceruicale habebat, vt si quid cogitanti in lecto sibi occurreret, adnotaret. habebat etiam lecto proximum parietem cera illitum, vt in tenebris posset cogitata adnotare. Et quia multi potentes ita se tradunt armis, vt quæ magis conducant ad regnandum, hoc est litteras negligant; narrat Panormita lib.3.de gestis Alphonsi cognomento sapientis, quod ille interrogatus num libris, an armis maiorē haberet gratiam? respondit, *à libris ego arma, & armorum iura didici.* Arma addiscuntur à libris, sed libri non discuntur ab armis. Cæsar bella egit gladio, docuit calamo: legit duabus manibus, docuit tribus digitis: abolitus est sanguis quem fudit, durat atramentum quod sparsit. videmus ergo eius militiæ artem in eo scribente, quam non videmus in eo militante. videmus eius ferrum in calamo, manus in digitis, sanguinem in atramento.

Panorm. lib. 3.

Idem Alphonsus (vt est libr. 8. apoph. Manutij) ad vocem cuiusdam, qui dixerat, quemdam ex regibus dixisse non decere Principes viros scire litteras; exclamauit, *verba hæc bouis sunt, non hominis.* Vtinam non audiantur hodie loqui multi boues. Portentum fuit magnarum calamitatum bos olim locutus, qui dixit. *Caue tibi Roma,* vt multi scribunt. at multi boues, hoc est Potentes indocti, damnantes scientiam cum illo Principe, non solum portendunt regnis, sed magnam etiam efficiunt calamitatem. bos est, qui *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* ibi enim sermo est iuxta litteralem expositionem de potentibus, & principibus sæculi, de quibus immediatè ante hæc verba dixerat, quod *vocauerūt nomina sua in terris suis.* Quomodo autem se reddunt iumenta, nisi vacando tantū corporeis voluptatibus, & contemnendo sapientiam? (qualis

Lib. 8. apoph. Manut.

purpuratus ille in Euangelio, qui epulabatur quotidie splendidè?) vacando inquam duabus tantum litteris, scilicet duobus V. V. ventri, & Veneri, & ceteras contemnendo: & vocem illam bouinam emittendo, de qua supra. hoc enim est comparari iumentis insipientibus per insipientiam, & sensus voluptatem.

Amos 4. Amos 4. *Vaccæ pingues* vocantur, qui genio indulgent, alij de diuitibus, & potentibus id explicant. sed hi sæpè tales sunt. vnde concordant expositiones. Huiusmodi ergo boues, seu vaccæ, per eam vocem sibi & subditis magnam portendunt calamitatem. *Hæc via illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt.* Non sufficit eis, quod sua viuendi ratio & ignorantia sit scandalum, & damnum ipsis; nisi etiam in ore suo sibi de eâ re complaceant, nisi etiam prædicent, litteras non decere principes, sed tantum pauperes. Vnde, quia litteræ scribuntur in chartis quæ ex scrutis linteis conficiuntur, Italicè *di cenci, ò stacci*; ideo inducitur quidam diues similis iis, de quibus dicebamus, qui aiebat (a) *le lettere conuengon à i cenci.*

(a) Litteræ vilibus seu laceris pannis conueniũt, i. e pannosis.

Qui imperiti sunt ex ignorantia, vel ex immatura ætate nondum sapiunt, aut alia ex causa; sæpè confidunt in consiliariis, & vicem suam gerentibus. quod etiam faciunt sæpè qui absunt à subditis vel à familiis quibus præsunt. Fidunt inquã vicariis huiusmodi, & consiliariis. & ideo parum curant subditi imperitiã, vel absentiam domini: non est, inquam, hoc eis molestiæ, quasi res in tuto sit. sed audiant, quod ait Panormita. li. 2. de gestis Alphonsi Catalanis, inquit, consilium præbentibus, vt Alphonso Regi adolescentulo septem darentur consiliarij timentes Deum, qui munera non acciperent, & iustitiam colerent; ait Alphonsus, *præbete mihi vnum talem, & ego etiam regnum huic volo concedere.* Ille dixit se non inuenire vnum, nos multa millia talium inuênimus. vtinam ita sit. Addo ineptos Prælatos cogi quasi cæcos manum dare vel puero, à quo ducãtur quocumque ille voluerit. ideo Botterus de dictis memorabilibus narrat Selimum, Primum Turcarum Regem huius nominis, contra morẽ maiorum suorum derasum mentum gessisse, vt sciant, inquit, mei consiliarij me nolle (sicut de patre meo factum est) ab illis trahi huc illuc, vt quidam solent per barbam trahi. *Væ igitur terræ cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt*; vt dicitur Ecclesiastis 10. puer autem est non solum qui ætate, sed qui imperitia talis est. hunc enim hic intelligit potissimum hic Ecclesiastes. *Eccles. 10.*

2. *Principatus sensati stabilis erit.*
3. *Prælatus & Paterfamilias ament suos, sed rationali amore.*
4. *Summa Reip. & domus in capite est sita hoc est summa boni, aut mali.*
5. *Subditi suis bonis, vel malis operibus bonum, aut malum sibi acquirunt Prælatum.*

2. SAP 6. 26. *Rex sapiens stabilimentum populi est.* Græca lectio, *Principatus sensati stabilis erit* quomodo conueniunt ad inuicem hæc duo, cum contraria videantur? respondemus, *Sap 6. 29.*

mus, quia dum Princeps stabilit populum, populus stabilit Principem, scilicet in principatu. quia Prou. 29. 14. *Rex, qui indicat in veritate pauperes, thronus eius in aeternum firmabitur.* & Prou. 25. 5. *Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur iustitiâ thronus eius.* Ergo cum princeps caput sit corporis Reip.; dum caput stabilit, & praeseruat corpus, simul stabilit, & seruat caput, scilicet seipsum. Caput autem per consilium, & prudentiam tutatur corpus: sic princeps sapiens per sapientiam suam tutatur corpus politicum. haec autem consonant dictis paulò ante de sapientia in Praelato requisitâ.

Prou. 29. 14. Prou. 25. 5.

Dictum est illis, de quibus cecinit Dauid, *Constitues eos principes super omnem terram; Vos estis sal terrae.* Sal fuere praesertim per sapientiam, cuius symbolum est sal. sed sicut sal grauitate suâ optima est saburra, & stabilimentum nauis: ita stabiliendo, & seruando nauem in tempestatibus, simul stabilimentum, & salus fit sibi ipsi. idem ergo dicendum de praelatis sapientibus, qui sal sunt mysticum, & nauem Reipublicae, vel congregationis praeseruant in tempestatibus periculorum, & malorum. dum enim id faciunt, simul stabiliũt seipsos in regno. &, quod maius est, dum praeseruant subditos quasi nauem à naufragio damnationis aeternae, simul ab eodem naufragio seipsos liberant, eo quod coram Deo functi sint officio boni praelati.

Exod. 28. 3. Exodi 28. iubetur Pontifex portare nomina filiorum Israel in superhumerali in humeris, & in rationali super pectus: quo inter alia significatur, vt docti viri aiunt, praelatum debere portare subditos, & super humeros per laborem, & super pectus per amorem. Addi potest debere portari ante pectus, vt pascantur lacte diuini verbi, & exempli, vel etiam beneficentiae & pietatis, quae potissimum pertinent ad Ecclesiasticos pastores, ad quos Bernardus ait, *Suspendite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant, nec typho turgeant.* Obseruandum autem praedicta nomina ante pectus geri in rationali; quia lac istius amoris debet esse rationale, non inordinatum, aut sensitiuum, & humanum magis, quàm spiritale, iuxta illud Petri 1. 2. 2. *Tanquam modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite.* lac rationabile. sic legit vulgata, non rationabiles. *Ordinauit in me charitatem*, inquit sponsa. Ridiculum esset, irrationale gerere in rationali, seu: ridendi essent subditi, qui lac irrationale à rationali pectore, & vbere quaererent. tales sunt qui indulgentiam tantummodo, & remissionem quaerunt à suis praelatis, non autem admixtam iustitiam clementiae. vel solum temporalem beneficentiam & suauitatem quaerunt tam in opere gubernationis quàm in verbo praedicationis, volentes tantum delectabilia audire, non salutifera. Quodnam autem est lac cum dolo, & irrationale? illud de quo Prouerbior. 16. 29. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam.* Lac irrationale est in praelato amor nimius erga suos, etiam patris erga filios, vt in Heli ob id punito.

Bern. Pet. 1. 2. 2. Prou. 16. 29.

Summam

4. Summam miseriæ, aut felicitatis temporalis & spiritalis alicuius vrbis, aut congregationis in eiusdem prælati malitiâ, & imperitiâ, aut probitate & sapientiâ consistere, clarius est, quàm vt egeat probari, Ecclesiastes 10.16. exclamat, *Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius Principes mane comedunt: beata terra, cuius rex nobilis est*, & cet. puer, scilicet insipientiâ, & vitiis, præsertim commessationum. sic & *nobilis* significat sapientem & probum, vt qui opponitur pucrili animo. Fons tam vitij, quàm virtutis, tam iacturæ, quàm salutis ciuium, est dominus. Omne bonum, omne malum regni prouenit à Principe. Reipublicæ summa stat in Reipubl. summo, hoc est prælato.

Eccles. 10. 16.

Quis ignorat virgam significare regimen? Psalm. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Sed cùm virgæ, rami arborum sint, vel arbores paruæ; quis ignorat ex virgis omnes bonos, vel malos fructus oriri? ita ergo ex virgis regum omnes boni, vel mali fructus, hoc est opera. Nam saltem exemplo omnes post se trahunt ad bonum, vel ad malum. nam Ecclesiastici 10. *Qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Quid vltra potest virga producere, nisi flores, folia, & fructus, sed statutis tẽporibus? at virga Aaron in signum, quod ipse electus esset in Pontificem, simul hæc omnia germinauit. vt indicaretur, regimen boni prælati, quem Deus specialiter elegerit, quodcumque bonum populis allaturum, etiam supra & præter expectationem omnium. in ipso exordio suæ prelationis simul daturum esse *flores* bonæ spei, *folia* verbi aut prædicationis, & *fructus* operis. Vel dic ferè miraculum esse, si Princeps simul ac promittit beneficia, aut fauores hæc etiam præstet, nec differat in longum, vt solent politici multi, qui dicunt illud *Dentur bona verba, & nihil fiat.* Miraculum enim fuit, virgam illam simul produxisse tria, quæ diximus. Virgæ & & sceptra potentum sæpè flores promissorum, & folia verborum præbent: sed fructus rei postulatæ post annos, vel etiam numquàm reddunt. miraculum esset, si simul redderent flores folia, & fructus. At qui vocatur à Deo tanquam Aaron; vt talem se ostendat, simul ea tria ferat. Sceptra aliorum sunt virgæ potius Mori, quę à morando dicitur quàm amygdali, sicut virga illa fuit quantũ ad germinationem. amygdalus enim citò ante alias arbores floret, & fructus etiam citò profert.

Psal. 109.

Eccles. 10

Summa Reipubl., vt dixi consistit in qualitate Principis, seu regiminis. Gubernaculum stat in naui. at in casu nostro nauis stat in gubernaculo. gubernaculum ergo maius est ipsa naui. Principes loquuntur in plurali, *Nos facimus, nos dicimus*, quasi per id tacitè significent, non se solos, sed omnem ciuitatem, omnes ciues in ipsis esse; ita vt si Princeps iustus fiat, vel iniquus, omnes iusti, & iniqui euadant. *qualis rector est ciuitatis tales & inhabitantes in ea.* Elias Reg. 4. 2 dicitur *currus Israel, & auriga eius*; quia in Principe, scilicet in auriga stat currus. ille autem quasi

Reg. 4. 2.

Princeps

Princeps spiritualis erat, & pater suorum.

Princeps est Dux populi, & ita sæpè in Scriptura vocatur. *Non aufferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius.* sed salus & virtus militum in Duce magis, quàm in ipsis sita est. idem dicendum in casu militiæ nostræ. *nam militia est vita hominis super terram.* Sapienter olim dictum à quodam: Fortior est exercitus ceruorum duce Leone, quam leonum duce ceruo. Alius, cum vidisset milites quosdam, qui olim imbecilles & sæpè victi, postea, strenuè pugnando vincebant, Nonne, inquit, hæ sunt oues eædem quæ prius? at quia ducem alium fortissimum obtinuerant, responsum est ei: Sunt quidem eædem oues, sed non est idem pastor. Scipionem enim illum fortissimum in ducem habuerant. Aspice quanta mutatio facta fuerit in Mediolanensi vrbe S. Carolo Duce: quàm Ecclesia illa fortiter militauerit. nonne inquies sunt ipsæmet oues, quæ antea? sunt ipsæmet oues, sed non fuit idem pastor.

Non tam refert ad victoriam in ludo, si sortes habeas propitias, quàm si iis vti per te scias. Idem dicendum de regimine. Vulgò bonum ludum habere dicitur, qui propitium habet. Sed dicendum est: *Malus ludus bonus fit, quando bonus lusor fit. bonus ludus malus fit, quando malus lusor fit.* parum prodest bonos habere subditos, si bene regere eos nescias. & è contra. tales erunt, quales facere eos volueris. Quid si pastorem gregibus tuis habere posses, qui oues non solum pasceret, sed faceret; nimirum artem haberet oues procedendi? an non talis est Princeps probus, & iustus qui verbis, & exemplis nouit subditos iniquos probos reddere, ex lupis facere oues? quanti ergò æstimandus, quàm quærendus huiusmodi pastor? Econtrario malus pastor, non solum oues non pascit, & tuetur; sed in lupos conuertit. quod enim bonæ oues, iniqui lupi sint; patet Ecclesiastici 13. 21. *Si communicauerit lupus agno aliquando, sic peccator iusto.* dum ergo subditos reddit peccatores, conuertit eos in lupos ex ouibus, vt patet ex dictis. Vterque pastor bonus. & malus conuertunt subditos in similes sui, saltem ea de causa, quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Eccl. 21.

Vitam diximus esse militiam contra tres hostes spiritales: prælatum esse ducem, subditos milites. Fac esse prælium, seu ludum latrunculorum. victoria magis sita est in bonitate seu præstantiâ ducis, quàm in bonitate militis. bono duce seu lusore, pedites sunt pro equitibus: malo, equites sunt pro peditibus. (a) *A buon giocator, ò capitano vna pedina val per vna regina. la vitoria il valore piu che nel gioco stà nel giocatore.* applica rei nostræ, vt sup. a.

(a) Perito lusori minimus latrunculorum pro Reginâ est. Victoria non tam sita est in ludo quàm in lusore.

Quàm gauderes ò rex, si quis te certum faceret, quod ex populo regni tui si vnum tantummodo ad bonam frugem reducas, omnes reducturus sis? at hoc verum est. si enim te ipsum (quod in manu tua est,) probum efficias, omnes probos fecisti: quia Ecclesiastici 10. *Qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes* Eccl. 10.

in ea. Ingrediatur quispiam in officinam speculis refertam; si huc intrans personam, & faciem dæmonis assumpserit, imagines speculorum omnes dæmones videntur. deponat illam, & assumat Angeli: omnes Angeli fiunt, idem accidit in casu nostro. ergo te solum commutando, omnes commutas. Vide ergo quanti meriti sit probitas Principis, quanti demeriti iniquitas, quod secum tot trahat ad bonum, vel ad malum & tam facilè possit subditos reddere bonos, vel malos, angelos, vel dæmones.

5. Iuxta ea, quæ diximus, iniquus Princeps subditos facit iniquos, at etiam iniqui subditi iniquum sibi faciunt Principem. nam peccatis suis talem sibi adipiscuntur, iuxta

Iob. 34. Iob. 34. *Propter peccata populi facit regnare hominem hypocritam.* Aliqui Principes, seu prælati eliguntur à populo, aliqui à certis electoribus, alij à Principe supremo. at dico plerunque fieri, vt Principes eligantur ab omni populo. nè inuideant baiuli proceribus eligentibus Principem. nam & ipsos ostendam esse electores eius, immo magis eligere, quàm illi faciant. Electores enim eligunt eum duobus digitis, quibus suffragium ei ferunt per calculum; vel schedulam; at isti duabus manibus, quibus peccant. illi iniquum eligunt vno peccato, scilicet iniustitiæ; isti plurimis peccatis omnis generis.

Peccantes in patrem, sibi eligunt diabolum. nam peccantibus dictum

Ioan. 8. Ioann. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* immo & in principem: sic enim vocatur, *Princeps mundi huius*, hoc est iniquorum. Quid mirum ergo si habentes regem patrem, proregem habeant filium, scilicet peccatorem? habentes principem diabolum, habeant prætorem scelestum, seu diaboli ministrum? Aues videntes, quòd sępè à sagittis configerentur, conquestæ sunt apud Iouem de Sagittariis. at Iupiter, ostendite, inquit, mihi aliquam ex his sagittis. cum autem ostendissent vnam; vidit in ea pennas auium infixas, dixitque, Videtisne, quòd de vobis ipsis debetis tantum conqueri? nisi enim præbuissetis pennas huic, & aliis sagittis huic similibus; ab iis damnum vobis non fuisset illatum. Idem à fortiori dicendum de peccatoribus, qui de malis conqueruntur principibus, quos ipsi in pœnam suorum scelerum sibi crearunt. nam, vt dixi, *propter peccata populi facit regnare hominem hypocritam.*

2. *Prælatus iniquus tolerandus.*
3. *Quàm durum ei seruire.*
4. *Hoc est infernus quidam.*

2 PSal. 65. *Imposuisti homines super capita nostra.* Quamuis de duris dominatoribus Dauid ibi loquatur, tamen omnes dominantes imponuntur super capita subiectorum. nam *imposuisti super capita nostra*, significat dominari nobis fecisti. Si imponantur homines materialiter super capita nostra, nonne demittenda sunt nobis capita? ita per modum illum loquendi docemur inter alia, quod qualescumque imponantur nobis prælati, cogimur caput demittere, hoc est, Psal. 65.

pati

pati illos, & admittere, ac tolerare. *Feras, non culpes, quod vitari non potest*, ait Seneca. Ideo adagium est, (*a*) *Nè di tempo, nè di Signoria ti dar melanconia*, quia his non possumus obstare. Alij aiunt, (*b*) *Chi stà sotto à Signoria, obedisca, ò vada via.*

(a) Neque ob tempestatem neq; ob Superiorem, incidas in mœrorem.

(b) Qui subesse cogitur, aut obediat aut abeat.

3. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro; imposuisti homines super capita nostra.* Tria commemorat, quasi Malum peius, pessimum. *Malum* induci in laqueum, hoc est capi, (vt Genebrardus inquit: & Chaldæus respectum putat ad catenas, & vincula Sanctorum) peius autem est insuper affligi; at pessimum omnium afflictionum subdi iniquo domino, iniquo præsidi. hoc vltimo loco posuit quasi ceteris deterius. Catenæ imponuntur manibus, & pedibus, tribulationes dicuntur imponi dorso: at durus dominus capiti, hoc est rei præcipuæ, quæ sit in homine. Habere iniquum præsidem est gladius, qui nos ferit in capite: ferit nos, vt aiunt, in verbo principali. Vulgò aiunt: (*a*) *questa coso mi diede in testa*, hoc est me valde percussit.

(a) Res ista in capite me afflixit.

4. Sequitur statim, *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* per ignem & aquam prouerbialiter dici ait Genebr. de variis & contrariis calamitatibus. Nazianzenus apud Lorinum, designari putat omnia malorum genera. Dic infernum quendam esse, subdi impio dominatori, in quo miser transit ab aquis niuium ad calores nimios. En ignis & aqua & quid est infernus nisi congregatio omnium malorum? *In refrigerium.* Hebræa apud Lorinum hic, *in terram irriguam*, in quo ait alludi ad terram promissionis. Ergo euadere à malo præside, est exire de inferno, ingredi Paradisum. Vel dic iniquum præsidem esse Purgatorium: qui per Purgatorium iusti veniunt in refrigerium. Facit huc quod sequitur, *Introibo in domum tuam in holocaustis* quod de cœlo aliqui accipiunt apud eundem Lorinum, vt & refrigerium.

2. *Præsides, & tutores expilantes subditos notati.*

2 Imposuisti *homines super capita nostra.* Quid imponitur super capita, nisi pilei? sed sæpè qui per officium præsidendi debuissent esse pilei subditorum eos tutando, & eorum substantias, quæ per capillos figurantur (quatenus plerumque superflua sunt, quod ad commoditatem potius, quàm ad necessitatem vitæ pertineant, superflua verò opum per capillos pedibus Christi, hoc est pauperibus obsequentes significari ait Diuus Augustinus, quod etiam capilli superflua res sint homini.) Cum inquam, debuissent subditorum capillis esse pilei; potius pilantes, & expilantes fiunt per occasionem præsidendi illis. Italicè enim dominantes vulgò vocantur etiam *sopra capi*, hoc est, *super capita.* Ista ergò *supra capita* se collocant super comas subiectorum, vt quasi pilei ferro, & igni candentes, easdem comas in breui expilent: vt martyribus aliquando tales galeæ impositæ sunt. Vnde quidam prin-

ceps (forsitan quia, illi suadebatur, vt quoad posset subditos emungeret,) illud protulit, *Boni pastoris est oues tondere, non deglubere.* Putant ergo hi mali pastores se constitutos super capita, vt illis expilandis vacent. Horum igitur dominantium prouincia, vel ciuitas est deterior trireme; & subditi miseriores sunt damnatis ad remum: quia in trireme rasis quidem capitibus sunt, at non expilatis. Sæpè verò accidit, vt qui tutores, & custodes pupillorum sunt, & quasi pileorum nomen & speciem habent, (cùm præpositi sint opibus illorum, & capitalibus substantiæ ipsorum, capitalia enim quasi capita dicta sūt) sępè, inquā, accidit, vt dum videntur tegere, & defendere capita illa quasi galeæ igniuæ eadem depilent vsque ad radicem, ne cuti quidem parcentes. Cum autem hi expilatores possint etiam comparari aquæ feruenti, in qua ignis per immissum calorem dominetur, (quæ aqua effusa super capita subiectorum ipsa expilet) si ab his malis miseri tandem euadant poterunt sibi accōmodare quod statim subditur: *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* si enim cor impij est sicut mare feruens: quid mirum si manus sint sicut aqua ebulliens?

4. *Subditi tyranno, humeros in capite habere coguntur.*

4 IMposuisti *homines super capita nostra.* ex Hebręo apud Genebrardum hoc loco, *equitare fecisti homines super capita nostra.* nā & apud Ethnicos imperare populis, dicitur, moderari habenas illorum. & Psal. 75. *Dormitauerunt qui ascenderunt equos.* mysticè apud Lorinum accipitur à nonnullis de prælatis equos, populos scilicet, regentibus. Si ergo equitantes super tergora equorum inequitant, quomodo hic dicitur quod hi (quos diximus intelligi) iniqui & duri præsides, dicuntur impositi capitibus subiectorū; Responderi potest, inde monstrari ad sustinendum durum prælatum, vel patrem familias requiri, vt subiecti eius humeros etiam in capite habeant. quia tolerantur voluntate, & patientia, quæ in capite & mente resident; nec solum habent humeros in tergo, quo ferunt onera grauia, & importabilia quæ illi imponunt in humeros ipsorum, & digito suo nolunt ea mouere. Vnde hi miserabiliores sunt iumentis, qui vnum tantum tergus habent ad portandum, & capite libero incedunt, dum equitantur. Quod autem homines isti subditi prælatis crudelibus etiam in dorso portare censentur onera prædicta, potest probari ex loco allato, *induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.* quia scilicet, vt Genebr. exponit, *induxisti nos in laqueum*, vt caperemur (quod puto intelligi à prædictis tyrannis) & mediantibus illis *imposuisti tribulationes in dorso nostro*, & præterea voluisti homines eosdem crudeles tolerari à capitibus nostris. Vel si melius videatur exponere de tribulationibus impositis aliun-

Psal. 75.

aliunde; etiam sic apparet miseria nostra, quod sæpè & humeris & in capite debeamus onerati viuere, & vtrobique inequitari. Tergum vnum coguntur habere subditi prædicti, quo tolerent per passionem; & tergum aliud quo tolerent per patientiam: scilicet illa onera, hoc onerantem.

Imposuisti homines super capita nostra ex Hebræo, vt diximus, *inequitare fecisti homines super capita nostra.* cur equitant super capita, nisi quia volunt capita sub eis equos, vel asellos fieri? quidam enim prælati inferiores, quidam patres familias, quamuis stulta, & intolerabilia imperent, tamen cæcam exigunt obedientiam: volunt subditos sub ipsis fieri quasi equos mutos sine loquela, & intellectu ad contradicendum ipsorum tyrannidi: nec patiuntur subiectos sibi aliquid mutire, vel conqueri, neque vllatenus discernere eorum fatuitatem importabilem: sed quasi capita ipsorum subditorum sint capita iumentorum, imo non capita, sed tergora, absque oculis & auribus esse volunt; tantummodo ad ipsos portandos se accommodent. Quantò mitiùs quidam Princeps, cum audisset quosdam ex suis de se malè locutos, inquit, Si ego possum facere, quare illi non possint dicere? non quod impunè maledici debeant detrahere; sed quod principes non debeant quoscumque sermones inuestigare, & punire. Non alligatur os boui trituranti, vt mugiat, vt nec asello gestanti onus, vt rudat liberum caput eis relinquitur. ergo homines, cum iniustè affliguntur, & nec permittuntur hiscere, infelicius se habent iumentis illis. Non inequitatur caput iumentis: at inequitatur hominibus.

Ælianus lib. 14. de Thrizo tyranno inquit, Edicto vetuit subditis, ne mutuo colloquerentur, ne forte conspirarent inuicem contra ipsum. at illi nutibus loquebantur. vetuit etiam nutus. tum quidam ex eis lacrymari cæperunt in foro, & concursus deflentium ad eos factus est. hoc etiam timens tyrannus, etiam lacrymas vetuit. *Ælian. l. 14. de Thri. Tyr.*

2. *Thronus Principis clementia firmatur.*
3. *Regum putantes calcare subditos, coronam gerunt in pedibus.*
4. *Iidem non erubescunt inequitare equos sarcinis onustos magnis.*
5. *Tyranni corona sunt tolerantibus se.*
6. *Iidem vrbem faciunt stabulum equorum, & se stabularios.*

2. IMposuisti *homines super capita nostra.* hoc est asperos dominantes, vt habet Genebrardus, & Qui super capita hominum positi sunt, parũ absunt ut inde excutiantur. super capita enim dicuntur esse positi quasi calcantes illa, vt idem, auctor dicit. ita significari potest aspere dominantes parum permanere in dominio, facilè excuti deorsum.

Nam de Principe dicitur supra, quod *firmatur clementia thronus eius.* sic Thales, vt Plutar. refert, sciscitantibus, quidnam difficilè vidisset, respondit, tyrannum senem. Difficilè acquiritur albedo comæ purpurâ imbutæ, quando illa talis est non tam colore, quàm sanguine, subditorum.

Duri Prælati, & Patres familias impositi sunt super capita suorum, quando victus asperitate, aliisque laboribus, vel afflictionibus eos premunt, neque vnquam indulgent eis, vt remissionem aliquam corporis aut animi percipiant. Sic enim domesticos semper mœrentes, & dimisso capite esse cogunt. at tunc leuabunt caput, cum ipsi auari, & rigidi ex capitibus eorum deciderint vel per mortem, vel aliàs per finem dominii, huiusmodi miseri interea possunt vsurpare illa verba: filii primogeniti apud Lucam 15. *Ecce tot annis seruio tibi, & mandatum tuum numquam præteriui, & numquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Leuare caput in Script. est gaudere. *Leuate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra.* Sunt etiam super capita suorum prælati, dominique superbi; quia cogunt eos semper coram ipsis profundè inclinari, neque audere oculos ad cælum leuare. Cùm gloria dominorum sit habere familiam pulchri, & recti corporis; isti pro gloria habent, si illam totam ex gibbosis habeant; hoc est ex incuruatis, & humiliatis.

3 *Super capita nostra*, inquit Genebrardus, ad conculcanda capita nostra, seu nos. multi tunc se regnare, & dominos esse putant, si subiectos imperiosè tractent, & quasi pedibus calcent velut lutum. hi coronam non in capite, sed in pedibus collocant: sceptrum non in manibus sed in calcaneis gerunt. calcare enim æstimant regium esse. Sed dū Princeps collocat coronam in pede suo, nesciens eam collocat in capite alieno, scilicet eius quem calcat: quia si suffert tentationem, accipiet coronam vitæ, vt nunc accipit coronam patientiæ,

4 *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro.* hoc est permisisti, vt caperemur quasi iumenta, & loris, vt ita dicam, colligaremur, & traheremur, & denique, vt inequitaremur. nam, vt dixi, ex Hebræo Genebr. haberi ait, *Equitare fecisti hominem super capita nostra*, si cùm diues, aut princeps, equitare vult, illi ostendas equum sarcinis magnis onustum; &, cùm in corpore eius non adsit locus ad equitandum, dicas, conscende equum in capite, seu in collo; nonne dedecori maximo id sibi reputans, te tanquam insanum exsibilabit, aut verberabit fustibus? Sed quid agit potens, & diues, cum opprimere tentat, immo opprimit miseros, & pauperes captos laqueis inopiæ, oneratos oneribus laborum, quibus addicti sunt, & sæpè etiam aliis pluribus sarcinis miseriarum? cum inquam hos opprimit, siue subtractione, siue dilatione mercedum, siue contumeliis ex leui occasione, aut aliis iniuriis eorum oneri addendo? quid inquā, agit, nisi quod iumentum toto corpore

pore onuſtum conſcendere non erubeſcit, & quia non adeſt locus equitandi in corpore, equitat ipſum in capite? Illud enim minimum pecuniæ, vel honoris, vel alterius boni, quod aduerſitas, & humilitas ſua ei reliquit (quod eſt quaſi ſolum caput liberum ab onere) iſte ab ipſo extorquet, hoc eſt addere afflictionem afflicto, &, vt eſt adagium, *Canem excoriatum excoriare.*

5 *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Ante punctum poſtremo expoſitum, dixeramus, domines crudeles ſeu rigidos coronam iis, quos calcant, imponere. Adde principes illos coronari coronis; at ſubditos eorum coronari, ipſis principibus, ſeu regibus. Hilarius, & Caſſiodor. hunc locum de martyribus accipiunt apud Lorinum hic: at quis ignorat, tyrannos perſequentes coronas fuiſſe martyrum? Sed aduerte eos, qui calcant hic capita ſubiectorum, vel ſeruorum, ſimul geſtari ab eiſdem ſeruis ſuper capita. geſtare autem aliquem ſuper caput apud nos eſt in honore, & pretio magno illum habere, quia probi ſubditi, ſerui, etiam dum domini ipſorum ipſos tenent ſub pedibus, ex amore, & reuerentia eoſdem dominos tenent ſuper capita. nouerunt enim honorandos eſſe dominos etiam malos, & obtempe- Pet. randum eis, quamdiu nihil contra 1. cap. 2. Deum præcipiant, iuxta Petrum 1. cap. 2. *Obedite præpoſitis veſtris non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis:* Quod autem ita perferentes ſuper capita dominos aſperos, coronas eos ſibi reddant, & conſequenter in honore habeant: (quis enim rex odit, & ſpernit coronam capitis ſui?) probatur, quia D. Petrus ſtatim ſubdit: *Hæc eſt enim gratia ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè.* ſed quid eſt gratia, niſi gloria, & corona inchoata, mox in cælo conſummanda; Ita & hic cũ dixerit Dauid, *impoſuiſti homines ſuper capita noſtra* ſubdit, *tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium:* Alij legunt, *in terram irriguam*, id eſt ad terram promiſſionis, lacte, & melle manantem, ſiue Paradiſum. Facit clarius quod ſequitur: *Introibo in domum tuam in holocauſtis* &c.

Equitare feciſti homines ſuper capita noſtra; ſic Hebræa habet. non videmus niſi pueros, vt flagellentur, equitare homines ergo imperare hominibus, præſertim tyrannicè, cum videatur dominium, eſt potius punitio, ſubiectio ad flagella, tum propter curas imperij, tum ob flagella linguarum, quibus præ- Sap. 6. 7. latus à ſubditis verberatur, præter tormenta, quæ poſt vitam potentes ſæpè patiuntur, Sap 6. 7.

6. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*, hoc eſt, vt dixi, duros, & malos dominos ſuper capita ſubiectorum quomodo dicuntur impo- Num. 11. ni dominatores cum Moyſes Num. 11. 11. dicat, *Cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me?* at dici poteſt, hoc differre inter malos, & bonos Principes, quòd illi portari velint à ſubditis, hi vero ſubditos portent. *Impoſuiſti homines ſuper capita* noſtra hoc eſt regnare feciſti ſuper nos. Poteſt etiam dici, ex duobus illis locis allatis, ſcilicet Da-

uidis,

uidis,& Moysis, probari, quod regnare sit seruire,& seruire regnare. vnde rex ille aiebat filio. *Fili memento, regnum nostrum splendidam esse seruitutem.* Qui minimè ambitiosi sunt,& optimi viri, qualis erat Moyses; hi portant subditos: quia graue onus est illis regnare, item quia eorum regimen aliud non est, nisi bonum, & sustentatio non propria, sed ouium suarum. Contrarium accidit in ambitiosis, malisque dominantibus: qui nihil curantes bonum subiectorum, suam tantum sustentationem in victu, & pompis suis ab eis exquirunt per tributa reddenda. insuper & opprimunt miseros. Primi, ciuitatem faciunt ciuitatem ciuium, secundi faciunt eam stabulum equorum. nam Hebræa habet, *equitare fecisti hominem super capita nostra.* Volunt enim, vt subditi tanquam equi irrationales se regi sinant,& impelli tam ad fas, quàm ad nefas quocumque libido eorum voluerit: nihil discernentes, nihil loquentes. Nonne vident hi præsides, quod dum se exaltant, humiliantur, imo seipsos humiliant? nam dum præ superbia subditos faciunt equos, vrbem stabulum; faciunt se præfectos equorum,& stabuli curatores, cum potuissent hominum esse principes.

Equitare fecisti hominem super capite nostra. Mali præsides efficiunt, vt ciuitas, vel familia regatur à dæmone quasi principe; quia regimen regni attribuitur regi primario, non autem ministris eius. dæmon autem in illis, & per illos dicitur regere omnia, rexque omnium nuncupatur. at cum iniqui principem super se habeant dæmonem: (dæmones enim dicuntur *Principes, & mundi rectores tenebrarum harum.* Principes peccantium) consequens est, vt mali principes, quantum in ipsis est, faciant vrbem regi à dæmone in eo sensu, quem hoc exemplo declarabimus. Aiebat princeps quidam: Ego Græcis impero, vxor mihi, filius meus vxori. consequens erat, vt filius Græcis ipsis imperatet. Ita in casu nostro, ciues inequitant equis, prætor ciuibus, princeps prætori, dæmon principi, ergo dæmon equitat omnes. Vide ergo quid boni erit illi ciuitati, quæ à dæmone regitur. Quid boni erit ouibus, quæ pastores habeant lupos. Lupi verò sunt prælati iniqui,& dæmones: *Intrinsecus sunt lupi rapaces*, hoc est sunt iniqui intrinsecus. facit enim regnare hominem hypocritam, hoc est lupum rapacem.

LVXVRIA.

1. *Abstinentia ditat hominem temporaliter, & spiritaliter.*
2. *Relinquens crapulam, & luxuriam fit ex lebete phiala:*
3. *Luxuria aries est ictu turrim virtutis euertens*
4. *Luxuria in diuitibus inest.*
5. *Opes in meretricibus insumuntur.*
6. *Semel lasciua fit meretrix, vel infamis publicè.*

1. ZACH. c. 14. *& erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.* B. Petrus Damiani lib. 3. epist. 9. explicat libetes esse epulones, & in phialas aureas conuerti plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum: astareque altari, cum per pœnitentiam conuertuntur ad Deum, & orationibus. Deoque vacant. Epulones olim à Latinis figuratè dicebantur. *Ventres.* vnde videntur lebetibus similes: quia hæc vasa non aliud ferè sunt, quam ventres, & capacitas ad cibos. Sic enim & gulosi non solent esse ad opera aliqua apti: sed solùm ad cōcoquendos cibos, quibus pleni sunt. Vnde huic adagio allusit forsan Simonides à Paulo citatus dicendo, *Ventres pigri.* Vide ergo nobilem Alchimiam. quid non dares, vt quis vasa ærea, vel alia tuæ coquinæ aurea efficeret sibi? at hoc præstat abstinentia. Quia enim *qui amat*, vel sectatur *pinguia, non ditabitur*, (vt dicitur in Prouerbijs Salom.) qui ex guloso fit abstinēs, cum esset æreus, fit aureus, hoc est ex paupere diues. vulgò. enim de diuite dicitur, ille homo totus effectus est aureus, scilicet diues. sed (quod magis refert) fies aureus ob virtutem, & pretium apud Deum, & homines. tantò enim est in maiori existimatione vir sobrius & frugi epulatore, & parasito, quàm phiala aurea lebete.

Zach. c. 14. *B. Petr. Damian. lib 3 epist. 9.* *Prou. Salom.*

2. Sed nota, quod ecclesia de Magdalena carni deditâ, & deinde conuersâ, & Deo vacanti canebat: *fit ex lebete phiala.* quia qui ex carnali fit castus (cum gula simul cum luxuria esse soleat) ex lebete in duplici sensu fit phiala. nota etiam, lebetem, vt fiat aurea phiala plena odoramentis, debere euacuatum manere à cibis. non enim infunderet quis vnguentum pretiosum in lebetem immundis cibis plenum. sic, vt quis orationi aptus sit, debet ieiunijs se dare. ideo enim dicitur oratio cum ieiunio incedere. & ideo qui vult castus fieri, debet abstinentiæ se tradere; fiatque ex lebete phiala.

In duplici sensu fit phiala, hoc est fit abstinens, & castus simul.

3. Idem Dami. lib. 4. epist. 2. ait, *Caue ne ædificium, quod misericordiæ (id est eleemosynæ) manu construitur, impacto libidinis Ariete destruatur.* vide stultitiam. homo quidam murum, seu domum ædificauerat; aut turrim altissimam: & mox Arietibus impactis, velut hostis mœnia hostilia, euertit. hoc facis tu, qui eleemosynis, vel alijs operibus iustis turrim gratiæ, & meriti tibi ædificaras, adeo altam, vt ad cælum per eam posses ascendere: & mox (cum Aries sit symbolum luxuriæ, quia est animal immundum, & gregi ouium integro iungitur;) Ariete inquam tali (seu tormento ab Ariete sic nominato) vno tantum ictu totum euertis ædificium. inde agnosce luxuriæ vim ad nocendum magnam.

Dami. lib 4. epist. 2.

4. Pausan. in Atticis cap. 36. Apud Megarenses, inquit, Fortunæ templum proximum est templo Veneris. dic inde notari, eum qui inuenit Fortunā (quod apud Latinos significat inuenire prosperitatem, opes & cetera) simul inuenire Venerem, hoc est sectari amores mulierum. *Diues effectus sum, inueni mihi idolum* dicebat ille in scriptura. sic potest dicere homo de idolo pulchræ & amatæ mulieris.

Pausan. in Att. cap. 36.

lieris. exempla in Dauide, & Salomone. Diuitiæ etiam vocantur fortunæ à Latinis.ideo Veneri vicinæ.

5. Vel dic inde notari, mundi corruptionem eam esse, vt quæ sit Venus, hoc est meretrix; simul fortunata sit,concurrentibus ad eam opibus, & fauoribus ciuium, & idem à fortiori dicetur de pulchra, de qua ad exprimendam eius pulchritudinem,vulgò dicitur,*est Dea Venus*.nam talis mulier solet simul prosperis affluere. vnde Prouerbium est, Quæ nascitur pulchra, nascitur maritata. pulchritudo non eget commendatitijs litteris. de meretrice dicitur, *fouea profunda est meretrix.* quia in talem foueam confluunt aquæ diuitiarum multorum hominum. aquæ enim opes præcipuè significant.vnde dicitur,*diuitiæ si affluant*, quod est aquæ proprium. *qui biberit ex hac aquâ sitiet iterum*, dictum est de bonis mundi.

Socrat. lib. 5. cap. 18.

6. Socrates lib. 5. cap. 18. historiæ ait Romæ hoc supplicio punitas adulteras, vt cogerentur scortari turpiter in angusto lupanari, atque interim tintinnabula pulsari. Hanc historiam quidam docti recentiores scribunt falsam esse: sed dic ita dæmonem cum semel induxerit mulierem ad impudicitiam, solere eam ad scortationem cum multis mox trahere, atque super scortationem eius tintinnabula pulsare,hoc est efficere,vt omnes in ore eam habeant ad vituperandum. sic Magdalena cum semel lasciua fuerit(vt credi par est) cum vno, mox facta est cum multis talis,& deinde dicta *in ciuitate famosa*,vt etiam *peccatrix*.

Alludendo ad nomina dierum hebdomadis,& ad expilationem factam à meretricibus in suis sectatoribus, dicebat quidam, Sabbatum tondet homines, sed Venus deglubit,seu decorticat. Allusit ad tonsuras,quæ in Sabbatis fiunt.

2. *Populi castè viuentes diuinis flagellis, & morbis liberi.*
3. *Luxuria multiplex diluuij causa.*
4. *Eadem commune peccatum, & damnationis causa.*
5. *Nec cadaueribus parcit.*
6. *Vestis est subsuta gula.*
7. *Monstrum est si sit sine gula. Idem pluribus probatur in sequentibus.*
8. *Incendium luxuriæ maior, quàm Sodoma.*
9. *Fortes vt adamas à sanguine hirci, à molli carne vincuntur.*

2. CONQVERVNTVR homines de tot grandinibus, pestibus, alijsque iræ diuinæ flagellis; & nesciunt sæpè talia à luxuria procedere. Vincentius in Speculo Histor. lib. 1. cap. 77. scribit,Populos,Seres appellatos non habere meretrices, nec adulteria: & addit, quod quia castè viuunt, nec ærugine,nec grandine, nec pestilentiâ, & malis affliguntur. non est fas apud eos adire vxores grauidas:viuuntquè diutissimè sine vllo morbo vitam finientes. Sanitas corporis filia castitatis,vt & vita longa.

Vinc. in Spec. Histor. lib. 1. cap. 77.

3. Vincentius vbi supra, cap. 59. explicans illud, *omnis caro corruperat viam suam*,ait:Nam primo filij Caim vxoribus fratrum suorum fornicationibus abusi fuerant, & mulieres in in-

Vinc. cap. 59.

in insaniam versæ viros supergressæ turpiter egerant. homines in alterutrum coierunt, & filij Seth quondam religiosi, concupiscentiâ victi, filiabus Caim contra præceptum patris sui Adæ commixti sunt, vnde gigantes geniti. ergo tanta carnis immunditia fuit, vt aquæ diluuio debuerit mundari.

4. Luxuriæ peccatum valde commune esse, & potissimam causam damnationis hominum agnoscunt etiam Mahomethani, dum (vt dicitur tomo 1. lib. 2. historicæ per Lonicerum collectæ, cap. 21. vbi de resurrectione mortuorum, quam credunt agitur) dum inquam dicunt iudicandas gentes quæ resurrexerint, conclamaturas tunc, *Nessi Nessi*, hoc est væ mihi luxurioso, seu væ meæ impudicitiæ. Eadem res, nempe carnis concupiscentia, quæ implet mundum hominibus, ijsdem replebit & infernum. sicut è contrario castitas replet cælum. (filij enim Dei, qui illuc ascendunt, *non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*) contrariorum enim effectuum contrariæ sunt causæ, vt est in axiomatibus Philosophicis. Adde, quod ea res, quæ dat hominibus vitam, dat & plerumque hominibus mortem, quatenus quod est conseruatio speciei, solet sæpè esse ruina indiuidui tum corporaliter, tum spiritualiter.

tom. 1. lib. 1. hist. Tur. cap. 21.

5. Tanta est hominum libido, vt neque cadauera ipsa mulierum credere tutò possis viris hoc vitio deditis. ideo Ægyptij, vt habet Rauisius in officina de moribus gentium, cadauera mulierum domi asseruabant, ne à salinarijs, quibus sepultura mortuorum commissa erat, fœditate Venerea contaminarentur. ideo Ecclesiastici 23. 24. *Homini fornicario omnis panis dulcis.* qui dicit *omnis*, nullum excludit. non saturatur illa fames inter omnes viuos, nisi & deuoret mortuos.

Rau. in offic. de mor. gen.

Eccl. 23. 24.

6. Vestis luxuriæ, subsuta est pelle gulæ. hæc carnem calefacit. nam sine Cerere, & Baccho friget Venus. Tertull. libro aduersus Psychicos, cap. 1. *Sagina substructa lasciuia est.* Italicè diceremus *la veste della lussuria è fodrata di gola.* aut ex pelle gulæ. Tertull. ibidem, *per edacitatem salacitas transit*, nimirum ad opus luxuriæ. dic ergo: à littore continentiæ per pelagum gulæ venitur ad portum luxuriæ. affert Tert. ibi, ideo dici ad Rom. 13. 13. *Non comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs.* hæc duo postrema dicit afferri post duo illa prima, vt significetur, hæc procedere ab illis.

Tertull. lib. adu. Physic. cap. 1.

Tertull. Rom. 13. 13.

7. Horrendum, & monstrum videtur esse, si cernantur carnes in mensa diebus ieiuniorum, vt Quadragesimæ, &c. sic caro, hoc est carnis vitium videtur monstrum esse cum ieiunio, & in abstinente. Sic Tertull. ibi, *Monstrum haberetur libido sine gula.* ministri tui vbi ieiunes, carnes neque in mensam apponunt, neque in domum inferunt. sic dæmones vix audent proponere carnem, hoc est luxuriam abstinentibus.

Monstrum est libido sine gula. si enim qui delitijs vacat, & epulatur quotidie splendidè, incidat in fornicationem, feraturque adijsse scortũ; nil mirum habetur: eo quòd consue-

tum hoc sit,&naturale,vt ita dicam, habeatur.at si eremita, si monachus, qui vt Hilarion alter abstinentiâ prædicabatur, lapsus sit in libidinem; omnes eum digito commonstrant. monstrum enim dictum est, eo quòd ob sui nouitatem ab omnibus monstretur. *Monstrum ergo libido sine gula.*

Monstrum est animal, si habeat corpus, verbi gratia hominis, & pedes lupi. libido autem ambulat super pedes crapulæ, siue edacitatis. nam Italicè diceremus, (a) *che la lasciuia stia insieme con la gola è cosa, la qual và co' piedi suoi.* non stat luxuria, si detruncentur ab ea pedes gulæ. ob id ergo quod ex hac diuersitate membrorum constet, monstrum videtur: & tamen monstrum est, si non habeat pedes diuersi generis, nempe gulositatis, seu crapulæ. monstrum ergo est, si non sit monstrum. si sub corpore canis, scilicet luxuriæ non habeat pedes lupi, scilicet edacitatis. Ceres, & Bacchus sunt duo crura Veneris. sunt pedes immo & caput. trunca crura illa, seu caput; & Venus cadit.

(a) Quod luxuria iuncta sit gulæ, res est quæ pedibus suis incedit.

Opere, seu libro conscripto facile est, & consuetum, vt appendicem aliquam ei addamus appendix est additio quædam: & dicimus, *facilè est inuentis addere.* Sic facilè est peracto libro gulæ, si appendicem ei addamus luxuriæ. sic Tert. supra c. 17. ait, *Appendices gulæ lasciuia, atque luxuria est.* (b) *Il demonio vende la carne della gola con l'aggionta della lasciuia.* addè, (c) *così è peggior la giontarcha la carne.*

cap. 17. (b) Dæmon vē- gulā n ad- iento uriæ. Atque reius iddi- ientū à car-

8. Putas exiguum esse vini, seu Veneris incendium? dico maius esse quàm incendium Sodomæ, & aliarū vrbium eius. Origines Hom. 5. in Gen. de Loth ait, *Ebrietas decipit. quem Sodoma non decipit. vritur flammis mulierum, quem flamma sulfurea non vssit.*

Orig. Ho. 5 in Gen. de Loth.

9. Zach. 7. 11. & 12. *Cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem.* Rupertus ad hunc locum. *De adamante illud mirandum, quod cùm tanta sit duritie, solo perfusus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissoluitur. vnde congrua similitudo est valde,* cor suum posuerunt vt adamantem, *quia cum durissimæ ceruicis, & cordis indomabilis essent contra Deum, mollissimi erant in omnium libidinum fluxum, vt meritò in illos constet Isaiam dixisse Audite verbum Domini Principes Sodomorum, Isai. 1. 10.* hæc Ruper. Dic, obstinationem, propriam esse peccati carnalis. Ad mulierculæ aspectum, facillimè exardescunt, ad nutum amasiæ etiam magni. & fortes, vt Samson, & Hercules à proposito cordis resiliunt, & ad quæcumque illa iusserit, declinant. sicut de Hercule scribunt, quod inter feminas fila ducebat; cum fortis extitisset contra feras, & monstra.

Zach. 7. 11. & 12.

Adeo etiam apud vulgum magni estimatur Castitas; vt etiam vitæ præponatur. Vnde fertur parens quidam filiam necasse, vt eius pudorem seruaret. Inducit autem quidam filiam ita loquentem: *Plus enecta patri debeo, quàm genita:* hoc est plus vitam eripienti, quàm danti.

2. *Multi vitant ferè omnia mala excepta luxuria.*
3. *Iniquitas calcanei in die mala circumdatura est libido.*
4. *Illa paruum peccatum putatur.*
5. *Huic calcaneo insidiatur potissimum serpens. illo inoffenso conterimus, caput eius.*
6 *Etiam qui Sol est sapientiæ, vt à Luna, ecclipsatur à muliere.*
7. *Mulier pix est attrahens à longè ignem concupiscentiæ.*
8. *Violans alienas similia patitur in suis.*

Theat. v.h.pag. 1322.

2. THEATRVM v. h. pag. 1322. refert Paternianos, seu Venusianos hæreticos à Paterno quodam edoctos, Manichæumque sequẽtes, sensisse corpus vsque ad vmbilicum à Deo factum fuisse, cetera à diabolo. ita nil aliud requiri ab homine per Dei legem, nisi quod non maculet quæ fecit Deus. cetera enim non curari à Deo, posseque impunè maculari. Heu quot Paterniani, seu Manichæi hodie videntur esse re ipsâ, si non verbis. abstinent enim, & mundi sunt à peccatis oris, & manuum, ac etiam oculorum, & aurium haud enim maledici sunt, haud fures, haud libenter crimina aspiciunt, vel audiunt. denique ferè omnia præcepta seruantes, sed, quasi Deus castitatis rationem non habeat, illiùs virtutis rationem non habet. Huiusmodi homines fratres sũt iniquæ illius meretricis, quæ infantem volebat dissecari medium, volunt enim se ipsos diuidere, & partẽ Deo, & partẽ tradere diabolo. sed cum ex patre diabolo toti sint ratione peccati: *vos ex patre diabolo estis:* Deus totos illos tradet dæmoni. *Mezi di Dio, mezi del mondo, e tutti del diauolo.* ideo Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* lege D. Greg. in Homilia tibi nota: *nec opus bonum est aliquid sine castitate, nec castitas,* inquit, *sine bono opere.* *Luc. 12.* *D. Greg.*

3. Psal. 48. 6. *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Caietanus apud Lorinum hoc loco iniquitatem calcanei luxuriam exponit. Similiter & alij nonnulli: eo quòd à planta pedis ex doctrina medicorum insurgat vena excitatiua Veneris. Ideo vt Fulgentius ait primo Mythol. c. 7. & Pier. li. 15. symbolicè dici dixerunt, Achillem inuulnerabilem fuisse in toto corpore, præterquam in solo calcaneo, hoc est in solo carnali amore. & Orpheus apud Fulg. ibi ait, talum esse libidinis locum. hæc Lorinus ibi. Dic ergo peccatum hoc in die iudicij circumdaturum esse hominem, ab hocquè præsertim timorem incutiendum fore homini; eo quod vitium hoc maximè grassetur in nobis, atque etiam in viris alioqui probis. *Psal. 58. 6.* *Caiet. tamen hanc rationem suæ expositionis nõ affert.* *Fulgent. ait primo Mythol. c. 7 & Pier. l. 15.* *Orph. apud Fulg.* *Lorin. ibi.*

His positis luxuriam esse iniquitatem calcanei dictam; dicendum est calcanei esse; quia occultamus maximè hoc vitium. at in iudicio etiam calcaneos in frõte geremus. Achilles ibi tantum vulnerari potuit. heu quot Achilles, nimirum in ceteris fortissimi hîc defecerunt. Heu miseri! libidinem etiam in calcaneis gerimus. quidam videntur fortasse totaliter integri, sani: at vlcus latet sub planta. innoxij sunt in ceteris, at vulnerati luxuria.

4. Iniquitas calcanei est luxuria; quia subiectam,& sub pedibus pressam habere eam conuenit, ne inde viua erumpens circũdet nos,& obsideat nos in iudicio, ita vt effugium nobis non pateat à pœna cum illa coniuncta. *Iniquitas calcanei*. quia, eo quòd homo non sit fur, non maledicus, non periurus,non homicida,videtur sibi bonus esse; fornicationem quasi conculcat, dum paruipendit, & peccatum minimum æstimat. sed hoc quod vocat minimum, aufert à nobis maximum, nempè cœlum, & salutem æternam. sed pygmeus iste enecat Achillem, Herculéque imò quasi vniuersum. nã *omnia vincit amor*, qui puer pingitur. Vulgò per irrisionem aiunt de illo, qui nullatenus morbo laborat, ille morbum habet in calcaneo.ita ergo videntur dicere de hoc peccato. at morbus, qui exiguus modo videtur, & sub calcaneo tamẽ esse, paulò post magnus cõspicietur esse:scilicet quia *circumdabit* totum hominem, totum premet,& conculcabit hominem; ita vt non homo sub pede calcaneũ habeat,sed calcaneus sub se hominem, & homo sit sui calcaneus calcanei. nam *iniquitas calcanei mei circũdabit me*. modo habet homo calcaneum in pede, sed deinde habebit in toto corpore,& anima.

5. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, hoc est libidinis meæ. Missis altioribus sensibus sequentis loci, dico, quod serpens insidiatur potissimum calcaneo Ecclesiæ, hoc est fidelium. quia medium prosternendi hominẽ præcipuum est,si in ea parte lædatur. casus enim Christianorum in hac re præcipuè, seu vt plurimum esse solent, sicut & victoria in superando dæmonem calcaneo isto seruato integro,& sano à morsu eius, vt ita caput ei validiùs frangamus. Calcaneus fundamentum est hominis à sanitate fundamenti incipiendum, nempe à castitate.ideo ait, *Sint lumbi vestri præcincti,& postea lucernæ ardentes in manibus vestris*, scilicet bonorum operũ. malè ædificatur supra fundamentum infirmum, & dirutum. *Ipsa conteret caput tuum*. hoc calcaneo inoffenso conterimus dæmonem vel principali instrumento, hoc est castitate seruata. *Calcaneus fundamẽtũ hominis,hoc est corporis.*

6. D.Thom. 2.2.qu.153. ar.5.ait, cęcitatem esse primam filiam luxuriæ. Nomen hoc *Samson* significare solem in Hebręo dicit Barradius to. 1.l.5.cap.31.& hic sol excæcatus est amore nimio,& deinde ab hostibus. Sol etiam ipse à Lunâ quasi eius amatâ ecclipsim patitur. & qui sol est per sapientiam, vt Salomon fuit; per mulierem facilè excæcatur. vnde & apud gentiles Apollo Deus sapientiæ,qui erat idem ac sol, dicitur amore ferè insaniens, cum ob id in pastorem agrestem se commutarit. *D.Thom. 2.2 q.153. art.5.* *Barrad. to.1.l.5. cap.31.*

7. Auctores passim scribunt,apud Parthos gigni quandam speciẽ picis, quæ dicitur Naphta quæ ad præsentiam ignis vicini,accendatur, quamuis ipsi non admoueatur flamma. sponte enim ignis ad ipsam volat.vnde aiunt, Medeam donasse Creusæ coronam Naphtâ imbutam quâ coronata,dum accedit ad altare,in quo ardebat ignis iuxta morem antiquorum, flamma in eam irruens ipsam occi-

occidit: Concupiscentiam nostram dicere possumus esse hãc picem, mulierem verò ignem, ad solam præsentiam huius ignis exardescit concupiscentia. Ecclesiastici 9. 9. *Ne circunspicias speciem alienam. propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* perierunt velut Creusa concepto igne. Mulier pix est, facilè attrahens ignem concupiscentiæ.

Eccl. 9. 9.

8. Eâdem mensurâ, quâ mensuramus, remetietur nobis. Hoc præcipuè accidit in peccato carnali, vt qui mulieres aliorum violarint, suarum mulierum violationem ab alijs patiantur. hoc in Dauid visum est cùm Absalō fecit mulieribus ipsius, quod fecerat ipse mulieri alterius. Musonius de gulæ vitio, Dionysius (inquit) Siciliæ rex alterius Dionysij filius in palatio suo lectum, vel pauimentum rosis constrauit. mox inuitatas à se virgines ciuitatis illius, ipsas violabat. viri autem earum consanguinei paulò post captam vxorem eius, & filias, in publica via eas cōstuprarunt. deinde infixis in plātas earum stimulis ferreis occiderūt. tandem in partes dissecata eorum corpora comederunt, atque ossa pistillo cōtuderūt in mortario. similia lucra obtinent, qui alienas violare audent. Iob 31. 9. *Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit vxor mea.* quasi dicat, hoc merebor, vt mihi retribuatur.

Iob 31. 9.

2. *Luxuriosi præsertim Christum crucifixere.*

3. *Quàm grauis pœnitentia carnalitati olim imposita.*

4. *Venus vxor diaboli implet domum eiusdem, scilicet infernum filijs ei partis.*

5. *Luxuriosus sus, amat immunda.*

1. ASINVS portauit Christum ad Passionem, dum ad triūphum (passionis, & victoriæ futuræ typum) ipsum tulit. Hic asinus significare potest impudicum, qui ad alienam mulierem accedit, vt asinus ad equā, & ideo mulos generat; hoc est illegitimos. impudicorum enim peccata, cum plurima sint, & curatu difficilia, illa præsertim fuerunt quæ Christum crucifixerunt. Asinus portauit Christum ad Passionē, quia posteà non ampliùs longè discessit ab vrbe, & paulò post crucifixus est.

3. Putas peccatum exiguum mœchari, aut fornicari. audi Basilium epist. ad Amphilochium can. 58. *Qui mœchatus est, per annos 15. sacramentis non communicabit. tempus istud ita dispensabit. quatuor annis erit plorans peccatum suum, quinque erit audiens, (subintellige verbum Dei,) quatuor humi stratus, duobus absque communione erit.* & Canone 59. *Fornicator septem annis non communicabit; duobus erit deflens, duobus audiens, in vno humi consistens, octauo ad communionem admittetur.* hæc refert Iodocus Coccius to. 2. li. 2. vbi de luxuria agit.

Basil. ep. ad Amph. can. 58.

Can. 59.

Iod. Coc. to. 2. li. 2.

4. Vulcanus de cœlo à Ioue præcipitatus est, inquit Homerus, eo quòd deformis esset, quamuis Iouis esset filius. is faber, & ignis Deus dictus est. Vulcanus iste est Lucifer ob deformitatem peccati deformis effe-

ctus,

ctus, & à Deo de cœlo præcipitatus, cuius erat filius per creationē, & gratiam. nempe ab eo creatus in gratia. is faber est, & igni infernali addictus faber est insufflans in igne prunas. idem Vulcanus, idem dæmō maritus est Veneris, quia luxuriam quasi in adiutorium sibi assumpsit ad gignendos filios suos. per illam enim potissimum peccatores ille multiplicat. illa infernum sibi replet, sicut castitas cœlum, illa implet diaboli domum filijs, qui ex patre diabolo sunt.

Lact. 4 de rel. ca. 17. 6. Sues significare immundis voluptatibus deditos, ait Lact. 4. de rel. cap. 17. ideoque Hebræis fuisse vetitos. vnde Horatius ipse, quamuis gentilis, de quodam ait, *Sub domina meretrice fuisset turpis, & excors, Vixisset canis immundus, & amica luto sus.* Ecclesiastici 6. *Omnis mulier fornicaria quasi stercus in via conculcabitur.* Hoc differt inter hominem, & suem, quod homo trāsiens per locū, vbi sit sterquiliniū, auertet faciem, naresque occludet. at sus quasi ad suaue sibi vnguentum illuc accurret, & in lecto illo se volutabit. idem dic de iusto, castoque respectu impudici, & peccatoris, si in meretricem incidant. ideo in Ecclesiaste post descriptam meretricem, cap. 7. 27. additur, *qui placet Deo effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.* ille vt homo declinat à luto, iste vt sus attrahitur ab eo.

Eccl. 6.

Eccles. cap. 7. 27.

2. Impudica viuens mortua est, corrupta est, ideo fœtet, & sepeliri iubetur viua à multis Legislatoribus.

3. Mulier inimica minus nocet amica.

2. VERE fœtet impudica. nam vt est 1. Tim. 5. 6. vidua, *quæ in delitijs est, viuens mortua est.* haud mirum ergo si fœteat propter corruptionem, & mortem carnis, in qua viuit, & tetrum odorem malæ famę, & exempli mali. Iustè ergo putauit facere Draco Legislator Atheniensium, dum, vt ait Alex. lib. 3. cap. 5. legem statuit, vt impudicæ mulieres viuæ sepelirētur, mortuas enim putauit sepeliendas, ne viuos contaminarent. vel dic, eum putasse peccatū hoc tale esse, vt terra expectare nequeat ad deuorandas impudicas mortem propriam ipsarum quoad corpus, sed dicere, deglutiamus eas, sicut infernus viuentes. Imò Hierō. lib. 1. in Iouin. testatur legem fuisse apud Romanos, vt virgines Vestales, quæ corrumpi se permisissent, viuæ sepelirentur, duasque ex his sepultas fuisse ob eam causam, narrat Liuius lib. 2. decade 3. Ioseph Acosta Societatis Iesu, lib. 5. ca. 15. dicit, in Peruanensi regno similiter viuas sepeliri virgines, quæ ibi in monasterijs Dijs dicatæ viuunt, si corruptæ fuerint. Cur ista agunt, nisi quia mortuæ sunt hæ impudicæ, & fœtent? ideo eas sepeliunt. *Viuens mortua est.*

1. Tim. 5. 6.

Alex. l. 3. cap. 5.

Hier. l. 1. in Iouin.

Liu. l. 2. decad. 3.

Ios. Acost. l. 5. c. 15.

3. Solinus cap. 5. in Scythia mulieres ait esse, quæ si iratæ aspiciant aliquem, ipsum necant. Dic vbique feminas necare magis, si placidæ aspiciant. at si iratæ intueantur, non lædunt. nam *melior est iniquitas viri, quā mulier benefaciens*, hoc est tibi propitia, & beneficia præstans. *melior est* inquam, hoc est vtilior tibi.

Sol. c. 5.

TEN-

TENTATIO.

1. *Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.*
3. *Qui in tentatione Dei opem non expectant recurrentes per peccata ad præsidia humana, ipsi frustrantur spe sua.*
4. *Id probatur inductione de quolibet peccato.*

Deut.3. 2. DEVT. 32. De Deo Moyses inquit, *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos; & super eos volitans; expãdit alas suas, & assumpsit eum; atque portauit in humeris suis.* Sinesius in Dione (apud Aldrouandum 1. de auibus, vbi de incubatu aquilæ agit) dicit aquilam dimittere interdũ pullos suos, vt paululum cadant, vt vel sic addiscant se ipsos alarũ præsidio in aëre sustentare. statim enim, inquit, in ipso casu accurrens, eos subleuat. Quid aliud benignitas diuinæ aquilæ, scilicet Dei, facit cum suis? Psal. 117. inquit, *Impulsus euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me.* & alibi ait, *Cum ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam.* Petrus ambulabat super aquas: permisit, vt pullus suus paululum mergeretur, sed numquid dereliquit eum? *Et cum cœpisset mergi, clamauit, dicẽs, Domine saluum me fac; & continuò Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi, Modica fidei, quare dubitasti?* Voluit Christus, vt nos sicut oues Petri discamus fiduciam habere in ipsum in tẽtationibus nostris. quandò incipis mergi, clama, Domine saluũ me fac, & continuò Iesus extendet manum.

Psalm. 24. *Neque irrideant me inimici mei; etenim vniuersi, qui sustinent te, non confundentur.* Quid est non confundentur, nisi non frustrabuntur ope speratâ? non illudentur, vnde postea irrideantur ab inimicis? *Aperi*, inquit, *os tuum, & implebo illud.* imò inquit, *dilata os tuum*, & implebo illud. dilata postulando magna, expectando bolum maximum, & non illudam tibi, vacuum os tuum relinquendo, vnde inimici te irrideant dicentes, *Coruum delusit hiantem*, vt est in Prouerbio. Aquila nostra, hoc est Deus non deludit hiantes coruos. nam etiam escam dat *pullis coruorum inuocantibus eum.* etiam coruos pascit, id est, peccatores: quantò magis non derelinquet aquilas, nòn derelinquet pullos suos, filios suos, vt pereant in peccato?

3. *Vniuersi, qui sustinent te non confundentur.* Multi in tribulatione positi, verbi gratiâ in egestate, aut in discrimine alio collocati, non sustinent Deum, hoc est diffidunt de eius ope. vnde velut corui hiantes timent deludi ab ipso, cum risu inimicorum. Hinc vt sibi consulant, etiam cũ peccato confugiunt ad præsidia humana, tentationique cedunt. Sed tantùm abest, vt qui ipsum sustinent cõfundantur; vt potiùs qui ipsum non sustinent, putantes per hoc sibi consulere, confusi remaneant. Timet mulier aliqua fame se perituram, nisi se donet impudicitiæ, nisi cedat tentanti se amatori, lucra promittenti.

Margin notes: Psal.117. (beside "suis? Psal. 117."); Matt.14. 30. (beside "Et cum cœpisset mergi"); Psal.24. (beside "Psalm. 24.")

Timet alius quid simile, si discedat à ministerio, quod cum peccato cõiunctum est. tamen sæpè euenit, vt per hæc ipsa, vnde lucra sperabant, deludantur tamquam corui hiantes, & incidant in scopulum eâdem viâ, quà ipsum fugiebant. Ita mulier inhians bolo magno promissi auri, se violari permittit: at iuuenis eâ violata discedit, & coruum deludit hiantem. Magnum lucrum, quasi bolum, ostenderat dæmon mercatori, si fraudatis vectigalibus iustè debitis, transferat merces illas: at merces ab ipso auferuntur à publicanis detectâ fraude, & ita dæmon coruum delusit hiantem. Sic, cum dixisset, *qui sustinent te non confundentur*; subdit, *Confundantur omnes iniquè agentes superuacuè.* Remigius. D. Thomas, Hugo apud Lorinum hic explicant illud *superuacuè*, hoc est, intentum finem non valentes obtinere. Illud autem *confundantur* idem valet, ac confundentur, more Scripturæ, quæ futurum per optatiuum solet significare. Facit pro explicatione allata Hieron. qui legit *frustra* pro superuacuè.

4. Quidam nedum marsupium, sed corbonam euacuauit donãdo Principi, & cognatis eius, vt magistratum obtineret, aut dignitatem aliam at illi velut pisces escâ cum hamis ablatâ coruum deluserunt hiantem ita ille confusus est iniqua agens superuacuè. Tandem, cum peccantes peccẽt, vt concupiscentiæ satisfaciant per voluptatem; & hoc fine frustrentur, cùm potiùs illa magis accẽdatur sicut ignis per apposita ligna: ideo de omnibus peccantibus dici potest, *cõfundetur omnes iniquè agentes superuacuè.* Discurre per septem peccata capitalia. Superbus inhiat honoribus. at Prou. 29. *Superbum sequitur humilitas.* Prou. 29. Auarus auro satiari, & impleri cupit, at Ecclesiastes 5. *Auarus non implebitur pecuniâ.* Eccles. 5. Luxuriosus satiari vult voluptate concupitâ. at Prou. 30. *Tria sunt insaturabilia*; Prou. 30. inter hæc ponitur libido. licet exemplum sit de femineâ; tamen idem est de virili. Ecclesiastici 23. 24. *Homini fornicario omnis panis dulcis*: Eccl. 23. 24. tamen numquam satiatur hoc pane. nam subdit, *non fatigabitur transgrediens vsque in finem.* Inuidus dolet de bono proximi, optatque hæc illi ablata. & tamen plerumque proximo non valet nocere, sed sibi tantum nocet. nam Iob 5. *Paruulum occidit inuidia*, Iob 5. Gulosus satiari vult. at Prouerb. 13. *Venter impiorum insaturabilis.* Prou. 13. Lupus semper est lupus. epulabatur ille *quotidie* splendidè. Iracundus vltionem quærit de proximo. at nihil ei nocere potest, si ille nolit; nam *nemo læditur nisi à se ipso.* sed solùm sibi ipsi nocet per iram. nam Iob 5. *stultum interficit iracundia.* Iob 5. Acediosus laborem vitare vult. sed ne laboret, maximè laborare cogitur, remorsibus scilicet & vnguibus conscientiæ cor eius lacerantibus. nam Prouerb. 21. *Desideria occidunt pigrum. noluerunt enim manus eius quicquam operari.* Prou. 21. Desideria, hoc est pugna illa animi, quâ vult, & non vult, eiusque cor dissecatur in duas partes. *Ergo confundentur omnes iniqua agentes superuacuè*, hoc est frustrati spe suâ Nõne audis illos in inferno dicentens (cum voluptatum sectatores, & osores la-

borum

Sap 5.7. borum extitissent.) *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles?*

2. *Christus hostes nostros vincendo debilitauit, vt nos facilè eos vinceremus.*
3. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*
4. *Initio tentationis præsertim carnalis resiste idum.*
5. *Saltem non descendendum ad opus post consensum.*
6. *Idem argumentum, & statim à peccato surgendum.*
7. *Tentatio discernit, & detegit homines.*

2. SED, vt reuertamur ad aquilam nostram, quæ prouocat ad volandum pullos suos, & super eos volitat; addit Aldrouandus loco citato, quod aquila agnos rapit, & alia animalcula, eaque cũ ferè necauerit, ita semimortua & spirantia obijcit pullis suis, vt ea occidant, & comedant, tyrocinio huiusmodi exercẽdo filios suos. Sic Christus mortificauit prius (vt sic loquar) hostes nostros, dæmonium, mundũ carnem: vt nos infirmi, & exigui filij eius addiscamus eos facilè vincere, &, vt ita dicam, perimere, & comedere. Sic ait: *Confidite, ego vici mundũ.* Palam triumphauit dæmones in semetipso, vt est Coloss. 2. 15. Carnem Coloss. 2. 15. quoque nostram per ieiunium suũ, & labores perpessos edomuit, vt faciliùs eam vinceremus.

Æneas Sylu. 2. Pont. l. 3. 3. Æneas Syluius, qui fuit Pius Secundus Pontifex lib. 3. Hungari, inquit, conspirarunt contra Sigismundum Imperatorem irrumpentes in regiam, vt viuum, vel mortuum ipsum obtinerent. Sed quid ille in eo se articulo conspiciens? animum nõ deiecit, sed gladium arripuit, & in medium progressus exclamauit, Ec. quis in me manus inijciet? prodeat, & mecum solus cõgrediatur. eâ voce quasi ex leonibus lepores effecti, & consternati animo, abiere. Nil fortius diabolo, & angelis eius, sic eorũ impetu territi locum ijs demus: sed si confisi in Duce nostro audacter illi resistamus; ecce omnes lepores effecti fugiunt, Iac. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Agmen dæmonum Iac. 4. speciе diuersarum ferarum aggreditur D. Antonium, vt est in vita eius. at ipse arrepto gladio confidentiæ in Deo, contra illos stans, omnes fugauit. Psal. 26. inquit Dauid, *Si consistant aduersum me castra; non timebit cor* Psal. 26. *meum; si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.*

4. *Resistite diabolo, nolite locum dare diabolo, & fugiet à vobis.* Cæsarius li. 4 Cæs lib. 4. Dial. c. 94. Dialogorum, c. 94 Nouitiùs quidã, inquit, vehementi tentatione concuti cœpit discedendi à monasterio, vt ad quandam mulierem accederet. tunc ille nolens diabolo cedere, se super limẽ ostij prostrauit, & exclamare cœpit, Nisi vi hinc me pertrahas, non te sequar. Ita Ecclesiastes Eccl. 10. 10. ait, *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio cessare faciat peccata maxima.* Spiritus iste est diabolus. Chaldæus tamen habet, *spiritus concupiscentiæ malæ*: quod quadrat præsertim exẽplo allato. vehementissimus enim est huiusmodi spiritus, & meritò dici potest, quod sit *spiritus* potestatem habentis. *Curatio* aiunt, hoc est resisten-

stentia, facta huic spiritui (quæ resistentia est medicina malo, quod per eum spiritum timetur) illa inquã cessare faciet peccata maximã: quia, vt est in adagio quodam, *Principium totum.* sicut totum bonum in eo situm est, vt ab initio resistas tentationi, & præsertim carnali: ita totum malum cõsistit, si ab initio nõ resistas. vulgò dicimus (a) *tutto stà in cominciar.* qui dicit A, cogitur deinde dicere B, &c.

(a) Omnia in eo sunt, vt incipias.

5. Tamen nonnulli Patres apud Lorinum hic, ita hunc locum interpretantur: etiamsi cogitatione, & cõsensu tentationi assenseris, *ne dimittas locum tuum*, hoc est, ne descendas ad opus. *curatio* enim, hoc est pœnitentia, *cessare faciet peccata maxima.* maximum enim dici potest peccatum operis, siue maxima peccata in plurali: quatenus in ipso implendo solemus addere nouos consensus mentis, atque magis intensos ad ipsum peccatum: & quia per opus faciliùs inducimur ad aliud opus, & ad consuetudinem peccati. tum etiam quia alia peccata comitari solent actum operis. Propter hęc dicet aliquis, cùm dixerimus, *Peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere*, addimus, *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.* maximã vocamus culpam tertio loco, quia respondet peccato operis. Curatio ergo cessare faciet peccata maxima.

6. Plutarchus de Grecorũ, & Romanorum comparatione, narrat de duabus mulieribus, quę se, de eminẽti loco præcipites dederunt, sed vẽto vehementi vestes earum inflante, factum est, vt à casu illo illæsæ permanerent. Ita si animæ aliquæ in peccatum labantur, aliquando Spiritus Sanctus (qui venit ad discipulos more spiritûs vehementis, & ideo per ventũ figuratur) eas sustinet, nè conterantur ex illo casu. Hoc verò potest applicari vel animæ, quæ nondum in peccatũ lapsa est perfectè, sed solum tentationem passa est & concussionẽ vehementem, vt caderet ita vt dicatur illud, quod supra, *Impulsus euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me:* vel illud, *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* secundum hunc modum applicandi facit locus allatus, *locum tuũ ne dimiseris, quia curatio cessare faciet peccata maxima.* at facit etiam applicando similitudinem animæ in peccatum collapsæ per cõsensum mentis, quam deinde pœniteat ante consummationem operis, vel quæ post opus peccati statim curationem eius assumat. Val. Max. l. 1. cap. 8. narrat quẽdam in littore Tyriorum ab vnda è naui fuisse præcipitatum, & mox ab vnda aliâ in aliam nauem reiectum, imò placidè locatũ. Hoc accidit viro bono, qui vel non peccat, & inuictus ac firmus contra tentationum vndas persistit; vel si fortè à vehemẽtia fluctus semel deijcitur, statim per pœnitẽtiam quasi per vndã sibi propitiã rursus in locum salutis reponitur. Peccauit Petrus. at Iesus respexit eum, & statim in locum salutis restitutus est. Curatio in illo cessare fecit peccata maxima, hoc est ne fierent, obstitit.

Val. Max. l. 1. ca. 8.

7. Experimẽtum facere de aliquo, vulgò dicimus, (b) *toccarli il polso.* Ignorat homo statum salutis, siue ægritudinis suæ, antequàm medicus pulsum eius contigerit. Eccles. 34. 9.

(b) Attentiã manu tentare, siue pulsum eius obseruare.

Eccl. 34. 9.

Qui

Qui non est tentatus, quid scit? Quidam nonnumquam præpingui corpore, lætâ ac rubicunda facie, æstimabantur ab omnibus optima valetudine frui, (a) *parean più sani del pesce* tamen medicus peritus contrectato pulsu eorum pronuntiauit, eos pessimè se habere, & paulò post visi sunt tumulari. Ita nonnulli videbantur quo ad exteriora opera, orationes, ieiunia, &c. optimâ valetudine animi prædìti esse. tamen tacto eorum pulsu per tentationem, & tribulationem aliquam, apparuit eos intus malè se habere. *Qui non est tentatus quid scit?*

(a) Videbantur pisces saniores.

Ecclesiastici 6. 7. *Si possides amicum, in tentatione posside eum; & ne facilè credas ei. est enim amicus secundum tempus suum & non permanebit in die tribulationis.* Hoc præstat Deus cum suis, vt notam faciat ceteris amici sui qualitatem. Possessio dicta est quasi pedum positio, vt aiunt Iuristæ; quia pedum positione super locum, cuius possessionem sumimus, possessio ipsa capitur. Dum ergo Deus videtur iustum premere, seu opprimere per tribulationes, tunc potissimum facit illum suum, siue possessionem exteriorem illius capit, cùm etiam antea suus existeret. Lucæ 14. 19. *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa.* nos quasi boues suos emit Christus, quibus ait, *tollite iugum meum super vos:* emit pretio sanguinis. at per tribulationes probat nos. sic ait Tobiæ Angelus, *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.*

Eccl. 6. 7.

Luc 14. 19.

2. *Dæmon iustos magis, quàm peccatores tentat.*

2. PAter, & filius sicut inuicem se diligunt, ita inuicem se suscipiunt, nec mutuo sibi resistunt, nec se inuicem lædunt. sed peccator diaboli filius est. nam dictum est illis Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* quid mirum ergo, si idem peccator non resistat patri suo se tentanti, neque ipsum repellat? quid mirum si & pater peccatoris ipsum filium suum valde tentare, & affligere negligat? vnde Greg. ait, *illos tentare negligit, quos quieto iure possidere se sentit.* Cum verò inter iustum, & diabolum res secus se habeat: ideo ad inuicem sibi resistunt, &c. Delrius de Magia tomo 2. lib. 3. q. 7. primæ editionis, refert quasi notissimam rem toti prouinciæ Picardiæ, quod cū duo Caluinistæ adiurarent exorcismis obsessam à dæmone mulierem; diabolus coram adstantibus clamare cœpit, illosque irridere, dicens, Nos amici sumus, & fœdere ad inuicem iuncti; ideoque à vobis damna non timeo. Ita inquit auctor se vidisse in Ecclesia quadam Parisijs, & in alia Antuerpiæ, quas ipse ibi nominat, ab hæreticis deletas fuisse imagines Sanctorum, in altera tamen earum relictam fuisse illæsam picturam dæmonis, in altera autem statuam eiusdem dæmonis amici ipsorū. Ita loco citato Ioan. 8. cum dixisset, *Vos ex patre diabolo estis:* subdit immediatè, *& desideria patris vestri vultis facere.* Vide promptitudinem obedientiæ, & obsequij filiorum

Ioan. 8.

Del. de Mag. tom. 2 lib. 3. q. 7.

Ioan. 8.

rum erga dilectum hunc parentem. cùm vix impleant, immo sæpè nec impleant mandata expressa patrum carnalium; etiam desideria ipsa faciunt ipsius diaboli patris eorum. obediunt antequàm imperet.

IVRISTÆ, SEV ADVOCATI.

1. *Facilè damnantur.*
2. *Deplumant, & irrident clientes.*
3. *Dementiâ facilè eos conuenire.*
4. *Iidem licet mutuo aduersantes in causa, conueniunt, in effectu, scilicet in damno clientis.*

1. SERMO de malitia malorum aduocatorum documentū debet esse populis fugiēdi litigia, & fori iurgia, ne incidant in huiusmodi sanguisugas: quæ solent esse magni detrimēti familijs, non solum in re familiari, sed etiam in alio bonorum genere, vt latiùs dicitur à nobis in tractatu de lite. nec solùm, vt lites fugiamus, à quibus tot damna, vt dixi, procedūt; sed ne facilè suadeamus cuilibet ex nostris susceptionem huius muneris, scilicet causarum agendarū ob pericula illius facultatis, nisi cautè exerceatur. Quidam inducitur de hac re sic dicens: In cælo habemus plures aduocatos, & paucos aduocatos. Primos volebat intelligi diuos, qui pro nobis intercedūt: secundos verò ipsos causarū patronos, qui mortui sunt, quod facilè dānentur. Addebat, *Multi sunt aduocati, pauci verò electi.* intelligens paucos ex ijsdē aduocatis.

Narrat Theatrum vitæ humanæ pag. 2497. tempore Ludouici Regis Galliæ (quem Ludouicum intelligat, ignoro) fuisse Parisijs duos aduocatos compatres inter se. accessit ad alterum istorum quidam eius patrocinium petens, quod & suscepit. mox aduersarius illius venit ad eundem, idipsum pro se postulans. ille, Nequeo inquit, tibi patrocinari, eo quòd tui aduersarij causam assumpserim tuendam. sed mittam te ad optimum causidicum. ita epistolam scripsit ad compatrem suum, in qua dicebat: Venerūt ad me, seu inciderunt in manus meas, duæ aues pingues: præstantiorem mihi deplumādam suscepi, alteram ad te remitto, vt eam deplumes. Videāt, & cognoscant miseri litigantes, quomodo sæpè dementiores sint ipsis auibus. hæ enim fugiunt quoad possunt, ne in manus deplumantium incidāt; at illi præcipitanter in huiusmodi manus se ingerunt absque necessitate. *Theat. v. h. pag. 2497.*

4. Quidam ex recentioribus Poëtis titulo adnotato in hæc verba, *De malo in peius*; Sic ait:

Incidit in scyllam cupiens vitare Charibdim,
Qui morbum fugiens, incidit in medicum.
Stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt.
Qui damnum fugiunt, causidicumque petunt.

Hæc tamen intelligenda, vbi absq; necessitate, vel leui de causa accurritur ad prædictos, vel potius vbi Medicus, & Iurista ignari sunt, & temerarij, vt non raro alicubi accidit.

5. Alius

Aduocati aduerſantes in cauſa conueniunt in effectu.

5. Alius volens docere, quomodo duo cauſidici auari, alter nimirum alteri aduerſans in cauſa vnius clientis, vterque tamen eundem exſugant; ait, eos cum illo ſe gerere, vt duæ mulieres exprimentes aquam è linteo loto, & madenti. dum enim hæc in hanc partem, illa in aliam ipſum intorquet, exprimunt ab eo omnem humorem. Fuge ergo litigia ne humorem opum, & deinde lacrymas pœnitétiæ à te exprimant. Extra pulpitum ſi conceptus hic videatur dicendus, poſſet addi, quod deinde te abigunt à ſe, & ſicut linteum ſic exſiccatum mittunt te, vt de fune, & de furcis eam ſuſtentantibus pendeas vt exſiccatus à nummis, velut Iudas ex deſperatione à facilè pendeas, & ſuſpendaris more lintei prædicti. Poteſt etiam dici, quod meretrix, & lena, quæ ſunt duæ mulieres, vel pompa, & crapula (omiſſa particula de contorſione in contrarias partes) quod inquam vna ex vna parte, alia ex alia prementes linteum exſuccent, & deinde mittant, vt pendeat, vt ſupra. dici enim poſſunt duæ ſanguiſugæ, quæ clamant affer, affer.

2. *Multi Aduocati habent linguam ſeruam, & tamen nimis liberam.*
3. *Linguam cuſtodiant, ne errent. Defendunt iniuſta, vt ex eis comedant.*
4. *Iudex reus Aduocatus iniqui, ſocietatis contractum ineunt in lucro.*
5. *Ex argento ſuo aduocatus faciat verbis ſuis ſtateram, ſubtrahendo, ſcilicet ſibi lucrum aliquod, ne iniuſtè loquatur.*
6. *Aduocatus plebeiorum famulus. Res malè parta ab aduocato malo, vt partus illegitimus, infelices ſucceſſus habet, nec perdurat.*

2. DICEBAT quidam, aduocatos linguam habere ſeruam, eo quòd eam quaſi venalem habeant, dum eam huic, vel illi locant. ſed addidit alius, tu doles, quod linguã habeant ſeruam, ſed ego, quod nimis habeant liberam. Excipiendi tamen ab hac notâ prudentiores in loquendo, & probi, ſicut & in reliquis, quæ contra eoſdem dicemus. Habẽt linguam liberam, vt habeant linguam ſeruam, ſcilicet, vt plures eius dicendi animoſitate allecti eos conducant ad ſeruiendum ſibi lingua aduocati pro cliente eſt libera, vt manus clientis erga aduocatum ſit liberalis. Dicat ergo aduocatus (ob periculum linguæ ſuæ, & vt malam libertatem ab ea auferat, ipſam redigendo in captiuitatem in obſequium Chriſti) dicat inquam ea, quæ ſequuntur:

3. Pſal. 140. 3. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis, non declines cor meum in verba malitiæ; ad excuſandas excuſationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem, & communicabo cum electis eorum.* Italicè dicamus, (a) *Habbi la lingua cattiua, acciò non ſia cattiua*, hoc eſt captiua ſit, ne ſit mala. captiua ſit, ne aberret, vulgò diceremus, (b) *ſtia in prigion; acciò non faccia ſcappate.* errores, & culpæ, apud nos *fugæ* dicuntur, ſiue *Scappate.* Ne rea ſit lingua; vt rea, cuſtodiatur. non intelligimus autem prædicta de alio carcere, & cuſtodia, quam diſciplinæ, nec de alia

Pſal. 140. 3.

(a) Eadẽ vox captiue Italis & captiuum & malum hominẽ ſignificat.

(b) Stet intra ſepta dentium, ne fugâ aberret.

alia captiuitate, quam quæ per discretionem loquendi eam frænet. *Ad excusandas excusationes in peccatis.* Chryſ. apud Lorinum hic exponit etiam de excusatione peccatorum alienorum. caueat ergo *ne declinet cor suum in verba malitiæ* iniquitatis, mendacij, fraudis, vt iniquè defendat, & foueat peccata clientum eo modo, quo non debet: defendendo iniquum possessorem iniusta possessione contra innocentem: *Cum hominibus operantibus iniquitatem*, ne faciam hoc: scilicet ne defendam ista simul cum ipsis iniquis, illis patrocinando. *Et non communicabo cum electis eorum.* Hieron. & Symmach. in versionibus suis accipiunt illud, *Cum electis*, adiectiuè pro rebus electis eorum. Symmachus legit: *Ne simul comedam iucunda eorum.* cum iniquè aduocatus defendit iniustam causam, vt vsurpationem alieni, &c. tunc, si quid electum, & pretiosum sit apud ipsum iniquum clientem, siue in cibis, siue in alio genere rerum, vel in argenteis vasis, hoc cuius erit, nisi Aduocati? Hoc peccatum iustificandi iniquitates reorum, & accipiendi munera ab eis, præcipuè cadit in iudices, & Aduocatos. ideo Dauid, cum esset Rex (si administrabat regnum, cum hæc scripsit) potuit petere à Deo hanc custodiã, &c. Hæc reorum protectio est hederacea, seu hederæ: qui murum, quem protegit, corrodit. hedera dicta, quia edit cui hæret.

4. *Ne simul comedam iucunda eorum.* De eo, qui vsurpat sibi aliena, dicitur, quod deuorat illa, Marci 12. *Deuorant domos viduarum.* Iniquus comedit agrum optimum pupilli: patronus excusat: declinat cor siue ingenium in verba malitiæ atq; calliditatis ad excusandam hanc iniustitiã aliquo cauillo iuris: vel id etiam facit iudex. At quid facit reus? communicat hunc cibum electum, hanc mensam ijs, qui eam defenderunt. Ita reus, iudex, aduocatus vt boni sodales (excommunicato tantum ab hac mensa pupillo, cuius illa est) communi mensâ sedentes, simul communicant, & de illa comedunt. comedunt ex iucundis illius cibis, scilicet participant omnes de rapina. ideo hi *socij furum*, dicuntur ab Esaia 1. 23. tales nimirum iudices. quod tamen faciunt & aduocati. si enim vident furem currunt cum eo, & cum illis portionem suam ponũt. Facit quod hic legunt aliqui, *Ad excusandas iustificationes in peccatis.* reus iustificare nititur rapinam suam prætextu crediti recuperati. Aduocatus hâc iustificationem malitiosè tuetur coram iudice. iudex ipse iustificat hunc impium cum iniquitate suâ. conclusio est, vt si reus de surrepto vitulo ab his protectus est, etiam illos ad esum vituli admittat. & ita omnia munda sint reo: datâ nempe impiâ eleemosynâ. Hæc pertinent etiam ad aulicos, vel quoscumque, qui muneribus speratis protegunt coram iudice iniquos istos modo supra explicato. Qui furis ergo comesturus est vitulum, cogitur antea glutire camelum, hoc est peccatum.

Iniquus ob iniustam necẽ proximi, vel aliud damnum illatum in dis-

Marc. 12.

Esa. 1. 23. *Hi tres contractũ societatis ineunt in negotio hoc.*

discrimen venit soluendi pœnam parti læsæ. aduocatus, vel alius amicùs eius assuetus ventrem implere, vel materialem, vel methaphoricum, (nempe auaritiæ) ex cibis eius; condolet ipsi, & ait, Ne timeas, dum hunc hominem videris (seipsum ostendens) & fit eius defensor. ita Ecclesiastici 37. 5. *Sodalis amico condolet causâ ventris, & contra hostem accipiet scutum.* pro tribunali adfert excusationes in peccatis, facit cum homine operante iniquitatem, & communicat cum electis eius, comedit iucunda eius. Causa quam defendit hic aduocatus optimè & fortiter ab eo defenditur; quia est causa ventris, ventris proprij. scutum accipit æreum patrocinij, vt scuta aurea recipiat, quod est communicare cum electis eius, comedere iucunda eius. Sed dicet aduocatus auarus: si dicam, *Pone Domine custodiam ori meo*, &c. si dicam hanc antiphonam; oportebit, vt dicam etiam hunc sequentem psalmum: *Non communicabo cum electis eorum.* Si his scrupulis intendam, scrupulis etiam, hoc leuissimis momentis staterae (quos scrupos, seu scrupulos vocant) lucra mea trutinabo non autem libris, aut ponderibus magnis, sed memento Matth. 19. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Eccles. 37. 5.

Matt. 19.

5. Minus lucraberis, si linguam restrinxeris ad iustas tantùm causas: si verba, quæ dixeris, in lance iustitiæ librare velis. certè ita est. ex tuo auro, & ex tuo argento cogeris conficere stateram verbis tuis, auream ianuam, & seras aureas illi construere. sed addo, etiamsi vniuersum aurum & argentum tuum, quod habes, vel quod ex linguæ libertate habere potes, in his stateris, & seris absumi debeat; totum est absumendum. Ecclesiasticus 28. 29. *Aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.* Vulgò dicimus (a) *Al nemico fagli il ponte d'oro.* ex auro tuo pontem istum dæmoni tibi insidianti per linguam debes conficere. ex auro tuo frænos (plures scilicet) conficere debes equo linguæ tuæ; & tamen ex alieno, nempe sperato, calcaria ei addis?

Eccles. 28. 29.

(a) Hosti fugienti pontem aureum struas.

Si tam indomitus est equus, vt nec pluribus frænis retineri possit: nam *linguam nullus hominum domare potest*: quomodo non te in præceps feret, si aurum vniuersi populi, (quod saltem desideras, & bonâ saltem ex parte speras per libertatem linguæ lucrari) si inquam totum hoc aurum in calcaria ad incitandum illum efformes, & diu, noctuque his stimulis pungas?

Iac. 3. 8.

In ventre famis, & auaritiæ, à dæmone insidente punguntur equi isti esurientes, scilicet Aduocati auidi: punguntur inquam calcaribus aureis, vt currant per actionem, seu orationem forensem contra aduersarios quoslibet suorum clientum quasi ad præliandum verbis. vulgò dicitur, * *Arringare.* actio enim ista apud nos *Arringo* vocatur. fiunt ergo ex illis, de quibus Hiere. 8. dicitur, *Omnes conuersi sunt ad cursum suum quasi equus impetu vadens ad prælium.*

* Arringo Italis est stadiū in quo curritur, & Orationem forensem significat. siue, cursum & discursū.

6. Diogenes, in cauponâ prandens inuitauit prætereuntem Demosthenem. cumque ille ad hoc erubesce-

Hiere. 8.

ret, Quid inquit erubescis intrare huc, vbi herus tuus passim versatur? indicans Oratores, seu Aduocatos seruire omni populo pro pecunia. si autem turpiter, & modis iniustis id præstet aduocatus, publicum scortū se populi facit, in hoc à meretrice differens, quod illa corpus, iste ingenium cuilibet prostituat. De meretrice quadam legitur, quod percontātibus cuius esset filius, is, quē apud se habebat; responderit, digito populum ostendens. Hoc autem veriùs facere potest iste Aduocatus malus, si interrogetur ex quo patre genuerit adulterinum hunc filium nēpe thesaurum illegitimè partum; cum non ex vno tantum certo parente, sed ex omni populo illū susceperit. Sed cū illegitimi filij successus, haud felices plerumque afferre soleant parentibus: quia de his vulgatum est adagium, (a) *Se l'è buon l'è per ventura: se l'è rio, l'è per natura.* & Sap.4.3. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas*, hoc est filij adulterini: ideo ex multorum sermone hereditas Aduocati exiguæ radicis esse videtur, saltem sæpenumerò: cùm (si est illegitimè parta) imitetur conditionem filiorum sibi similium in generatione, qui sæpè non iaciunt radices altas.

(a) Si bonus est casu bonus est: si malus est, hæc eius natura est. *Sap.4.3.*

2. *Loquens pro se solo sæpè peccat, quid aduocatus loquens pro omnibus?*

2. SI seruus vniuersi populi est Aduocatus, nempe loquendo pro illo: ergo verè dici potest, Aduocatum esse linguam non hominis, sed vniuersæ ciuitatis, vel prouinciæ, & linguam habere pro multis hominum millibus. Quòd si tantum periculi & mali plerumque inest in vnicā tantum lingua, & in eo, qui suam pro se tantum linguam habet; vt de hac materia extent integra volumina: si de vna lingua dicitur, quod *mors & vita in manu linguæ*, quod *linguam nullus domare potest*, quod *beatus est, & perfectus, qui non est lapsus in lingua sua*; & tot alia, quæ metum etiam Angelis loquentibus afferre queant si errare in hoc possunt: Si tot etiam sapientes, & Sancti sese ob hunc metum in sylvestria loca, in speluncas, in monasteria ad silentiū seruandum præsertim contulerint: Vide si parum periculi, si exiguum mali esse poterit in linguā multiplici, quæ lingua sit totius populi quæ æquet linguas omnium, loquatur pro omnibus.

De lingua nequam dicitur in Ps. *Lingua eorum gladius acutus*; & alio loco, *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* *Psalm.* Si ergo homo reperitur improbæ linguæ, is est vnus miles, vno vtens gladio in proximum. sed Aduocatus non solum est Briareus quinquaginta, immo centum gladijs obtruncans homines (centum enim manus dicitur habuisse) sed est integer exercitus integras destruens ciuitates. quot enim familias breui tempore perdere potest Aduocatus iniquus? De aduocato effrænis linguæ, promptæque ad dicendum, dicunt vulgò aliqui, (a) *Gli sta ben la lingua in bocca.* at præstaret, vt extra os eius fieret, nempe recisa, eique id plus prodesset iuxta illud, (b) *A mala lingua, forbice.* De quodā Sancto legitur, quod cum

(a) Lingua ei in ore commodè fita est, aut pendet. (b) Malæ linguæ forfices adhibēdi:

cum ligatus à tyranno in strato molli, à scorto impeteretur; vt se à periculo peccati liberaret, linguam sibi morsu præcisam in eam inspuit. sic ergo, cùm dictum sit, *si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te*, & similiter de manu, & pede dicatur; ideo dicitur & tibi Aduocato, si lingua tua scandalizat te, erue eam, & proiice abs te: nimirum relinque ministeriũ. melius est vt sine lingua cælum conscendas, quàm linguam habens per eam traharis ad tartara.
Ioel.3.2. *In iudicio Dei mutus erit nunc loquax.* Cum dicatur Ioel. 3. 2. *Adducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* tunc sæpè melius defendent causam suam muti, & Chartusiani, qui numquam aut parcè locuti sunt, quàm causidici, & oratores assueti tribunalibus. ij enim semper silentes meditati sunt quid tunc responderent; isti autem alienas agentes causas, de propriâ ferè nihil curarunt.
Iob 9. 12. In Iob 9. 12. *Si repente interroget, quis respondebit ei?* repente interrogabit multos ex causidicis, & impræmeditatos. vnde, sicut in Euangelio obmutuit interrogatus, quomodo intrarit, non habens vestem nuptialem; sic qui se vendere verba toti mundo profitebantur, hic pro seipsis vix vnum aut alterum loqui poterunt.

2. *Aduocati interdum & sapientes decipiunt iudices; quid insipientes?*

Eustat. in lib. 8. Iliad. 2. EVSTATHIVS in libr. 8. Iliad. dicit, Mercurium Lyra sopisse Argum centoculum; idque dictum fuisse à sapientibus, vt docerent fucatam eloquentiam etiã prudētes & doctos sæpè decipere. Quid mirum ergò si sæpè aduocati sic iudices fallant? Adde Mercurium à sopito Argo iuuencam surripuisse, quæ illi custodienda tradita fuerat, vt ijdem prisci fabulati sunt: ad hoc enim ipsum sopiuit, vt eam suffuraretur. Argus autem symbolum est sapientis ob oculos plurimos, quos habuit. Sic orator iustitiam commissam iudicis custodiæ, eo sopito, ab ipso aufert. Adagium est de ignaro circa id, quod audit, *Asinus ad lyram.* si ergo obdormiscit ad Lyram Mercurij iste, qui centum habet oculos, si illos omnes claudit; quàm facilè erit sopire eum, qui vix vnum retinet oculum? si sopitur Argus, quantò magis Cyclops? quid est sopiri in tot oculis, nisi in ea re deperdere sapientiam, & decipi, ac illudi: & consequenter, licet paululùm diuerso sensu, fieri asinum ad Lyram? Si Argus igitur fit asinus ad Lyram, hoc est redditur stultus, & illuditur sono Lyræ: quomodo tutus erit ab hoc, qui in decernendis, & discernendis hisce causis erat iam asinus ad Lyram? Sopito ergo Argo, scilicet iudice, surripit ab eo iuuencam, scilicet victoriam litis, & rem alienam eius iudicio & custodiæ commissam. ideo Bernardus de Consideratione ait, *Verbo sum Aduocatum, & studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, non aliud, nisi iustitiæ hostem repetes.* ita ille ad Eugenium Papam. *Bern. de Consider.*

3. *Aduocati indocti iumenta onusta libris, præmaturè suscipiunt officium patrocinandi.*

4. *Quasi dæmones in oraculis mali aduocati decipiunt consulentes. Lucri causa promittunt victoriam litis nec aperiunt veritatem.*

3. AT quid dicetur de ignorantia quorumdam exercentiũ huiusmodi artem? Tam immensa est scientia iuris, vt Lipsius Miscellaneorum, cent. epist. 78. Vetus, inquit, querela Anilij fuit, Iuris prudentiam multorum camelorum onus esse. nunc autem etiamsi addas elephantos ex India, non poterunt ferre. ita ille. Sed vtinam in alio sensu hodie non sit illa onus multorum iumentorum, nempe indoctorum hominum, qui codicibus magis onerati, quàm instructi, qui vix sciunt legere, cum se Legistas profitentur. Cicero de Oratore, *Domus*, inquit *iurisconsulti est totius ciuitatis oraculum.* Aliquando non sciunt declinare *doceo* in verbo, cum tamen non declinent in facto, scilicet Doctoratum exercendo. Ecclesiastici 18. 19. *Antequam loquaris, disce.* multò magis antequam loquaris iudicibus, vel antequam doceas clientes. hoc enim est esse vrbis Oraculum.

Lips. Miscellan. cent. ep. 78

Eccles. 18. 19.

4. Est oraculum vrbis domus Iurisconsulti, vt ait Cicero. sed sicut olim dæmones per oracula sua sæpè decipiebant, & lædebant homines: ita modò per oracula hæc similiter faciunt. & est *spiritus mendax in ore multorum prophetarum ex istis*, siue ob ignorantiam eorumdem, siue ob malitiam. dæmon etiam ignarus futurorum ob hoc multos decepit: ita isti ignari euentuum causarũ, tamen, velut Astrologi solent, ne stipe sua priuentur, audacter promittunt felicia: promittunt victoriam litis, si ipsos in duces eo prælio eligas. Iam sese ostentant tibi laureâ Doctoratûs insignitos, quasi hoc ipso victores, & triumphatores in omni causæ certamine futuros; cùm tamen in eis sæpè laurea signum sit Poëticæ ipsorum, hoc est fabulosæ cantilenæ, quam decantant in auribus eorum, qui, se consulunt, vt in hoc Oraculis assimilentur; quæ carminibus sæpè respondebant. signum suauis & adulatoriæ cantilenæ, quam, vt Syrenes, tibi canunt, vt deinde deuorent, nempe in perpetuam ingressum litem.

Oraculorum præsides, seu interpretes olim suadente auaritiâ de suo responsa dabant: dicentes, ita Deum respondisse. oracula quidem vera sunt Leges: sed legum professores, interpretesque oraculorum istorum nonnumquam de suo siue ex mente suâ respondent iuxta interesse adulationis, vel auaritiæ. Vates dicuntur Poëtæ, & aliquando Propheta appellatus est ab Apost. vnus ex his 1. Tit. 1. *Quidam ex illis proprius ipsorum Propheta.* 1. Tit. 1.

Falsi ergo prophetæ olim typus fuerunt similium iurisprudentium, de quibus sæpè dicitur quod ex interesse lucri, vel ex adulatione prospera *prophetabant de corde suo*, nec verum aperiebant, & ita magnorum malorum causa erant populo: vt & mali, vel ignari Iurisconsulti, seu Aduocati, dum per hoc in lites immortales, & in ruinam adducunt homines. De illis dici potest id Micheæ 3. 5. *Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent* Mich. 3. 5.

dentibus

dentibus suis, & prædicant pacem. mordent, hoc est comedunt, recipiunt munera. alibi dicitur, quod *dicunt pax, & non est pax.* dicunt, *ait Dominus, cum ego non sim locutus*, vt Ezech. 13. 7. dicunt enim mali iurisperiti, seu ignari, ita dicit Dominus, hoc est Imperator in lege seu ita ait Legislator, cum ille non sit locutus, quæ dicunt. sit quod dicitur supra Micheæ 3. *Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* (a) *secondo il suon soaue della lira, con che il cliente li suona, cioè della moneta cosi chiamata: così anche essi soauemen te versi lirici anzi canzoni à lui cantano. Si conforman con lui, dicendo à lui, che ha ragion in quella causa iniqua: anche essi li danragion, li prometton vittoria. secondo questo suono, e questo canto il misero cliente entra in ballo, cioè entra in lite.* Sed hac saltatione saltat quæcumque habet. Ier. Thren. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam vt te ad pænitentiam prouocarent.* accommodari hoc potest prædictis, qui non aperiunt tibi iniquitatem, hoc est iniustitiam causæ tuæ, vt te prouocarent ad pœnitentiam, nempe remouerent à proposito litigandi.

Ezec. 13. 7

Mich. 3.

(a) Ad sonitum Lyræ (quæ Italis Librã argenti significat, & genus certum monetæ argẽteæ) versus Lyricos decantãt, i. e. molles ac suaues, quibus deinde clientes ad testim saltantiũ i. e. litigantium adducũt. Ier. Thre. 2.

Adagium est, *Illuc eunt leges, quo volunt Reges.* sed mihi videtur dicendũ, eo eunt iura, quo volunt Iuristæ; præsertim si ipsi sunt iumenta, vt supra dicebamus, legibus & codicibus onusta. nam quocumque volunt eas trahunt: trahunt autem sæpè eas, quo volunt clientes. vnde verificatur ex vitio istorum, *leges cereas habere nares, eo quod quocumque velit Iurista possint verti.* Quærunt iniqui clientes aduocatum secundum cor suum. Est quidem scientia iuris, dicta Iurisprudentia: sed Prouerb. 18. 2. *Stultus non recipit verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde suo.* litigaturus non adit iurisperitum, neque audit, nisi in suo idiomate sibi loquatur, *se non li pala nel suo linguaggio, cioè, se non dice come dice esso.* Italus non consulit Græcum, seu Græcè loquentem, Aduocatus etiam (iuxta adagiũ, *Cretiza cum Cretensi*) mendacijs vtitur cum amante mendacium, loquitur eâdem linguâ.

Prou. 18. 2.

2. *Leges quasi corium dentibus trahunt.*
3. *Mali oratores velut cæci mendicantes absque discußione orant ad obtinenda vota donantium sibi.*

2. EXTENDVNT leges ad quæcumque velint, vt dicebam, quasi sutores corium. corium animalium erat olim pro charta librorum. vnde & id est velut trahere libros quo velis. Plutar. in dictis Laconum dicit, quidam laudauit oratorem apud Agesilaum Lacedæmonum ducem, quod parua amplificaret dicendo. cui ille. Non laudarem, inquit, sutorem, qui paruo pedi inducat magnos calceos. Sed isti causidici quasi dentibus trahendo leges, velut exiguum corium (tantillum videlicet rationis seu fundamenti) ex illo calceos magnos conficiunt, & paruo pedi eos applicant & tamen laudantur: Hoc autem est per violentiam legibus, & rationi factam parti minus dignæ fauere quasi meliori. Sententiæ improbabili, & falsæ interea suffragantes, & ex paruo corio co-

piosum efficientes, facilè ditescũt in sutoria arte. Cũ verò sæpe tantũ absit lex, vt dicat quod ipsi asserũt, quantũ cæli à terra: (tantum enim, & plùs, verum distat à falso. vnde *sicut exaltantur cæli à terra, ita exaltantur viæ nostræ à vijs Dei*: quia Deus verax, omnis autẽ homo mendax eo sensu, quo dicitur ad Rom. 3.) hinc corium istud à cælo vsque ad terram trahunt: &, quòd peius est, gloriatur in hac re, & peccatum suum istud quasi Sodoma prædicant. exaltant, cum malè fecerint: nec se, vt est in adagio, continẽt in pellicula, sed inflantur, distendũtque pellem suam vento elationis, eo quòd in hoc excellentia artis ipsorũ appareat. Cùm distenderint, vt ita dicam, pellem iuris; distendunt pellẽ Iuristę. cum diruperint pellem scientiæ; dirupisse se sentiunt & pellem conscientiæ. gloriantur inquã in hac arte extendendi corium, & applicãdi paruo pedi magnum calceum.

Ad Rom. 3.

Multos causidicos suprà cæcis similes diximus. vocantur oratores, qui causas agunt: & actiones eorum, orationes dicuntur. Porrò, qui clausis oculis, vt ita dicam: & absque discrimine personarum suscipiunt partes orandi coram iudice pro pecunia exhibita: sunt velut cæci, qui accepto nummo (absque eo quòd agnoscant personam, vel causam pro qua ad orationes suas fundendas inuitantur) statim eas fundunt, indiscusâ causâ: cùm fortasse à quibusdam parum sanis hominibus, præsertim mulieribus, ad vana quædam, vel etiam iniusta obtinenda eorum expetantur orationes.

3. *Exigua damus orantibus pro nobis in causa magna; magna orantibus in exigua.*

4. *Aduocati magi*, (a) fan straueder i giudici.

(a) Faciũt videri quæ nusquã sunt.

3. DVo genera oratorum inueniuntur. primi qui orant coram iudice maximo, & in causa maximi momenti; secundi apud iudicẽ maximum, & in causa respectiuè ad priorem illam leuissimi ponderis. illi sunt qui Deum pro nobis exorãt pro salute æterna; hi verò, qui coram iudice mundi in causa forensi. Sed primis illis (quales sunt inopes, afflicti, viduæ, Religiosi mendicantes) illis inquam pro fundendis orationibus vix frustum panis, vel duos quadrantes porrigimus, dicentes, orate pro me: & vix Iulium vnũ, vel alterum pro Missa dicenda sacerdoti. Oratoribus verò secundi generis, scilicet aduocatis, si panem, vel obolum exhibemus, vt pro nobis orent; vos scitis quid demùm facturi sint. Primi contenti sunt obolo vno, qui casu obuenerit prior ad manus. at verò vt satisfacias secundis; neque si euertas ærarium Principis, inuenis monetas tam ritè excusas, & pleni ponderis. Vt mediante Missa vtaris Christo aduocato (*nam aduocatum habemus Iesum Christum iustum*) sufficit quælibet moneta: at vt ranâ Ægyptiâ loquaculi aduocati vtaris, non sufficit thesaurus. Oratores primi supplices veniunt ad ianuam tuam, vt orent pro te: at tu cogeris ad ianuas istorum summo manè accurrere, & in atrio domus hyeme ob frigus gelascere. illi

orationem

orationem fundunt coram te, vt pro te orent; at tu ad istos orator fieri cogeris, vt illi fiant oratores tui. Immo etiam ita res se habet, cum vtimur tã illis, quàm istis etiam oratoribus ad obtinenda eadem omnino temporalia per orationem Deo, aut iudici faciendam: dicis monacho, accipe panem hunc, & ora pro lite mea hodie dirimenda: at tu, vt ores pro lite mea, accipe decem aureos, ais aduocato. quia minorem oraturus es iudicem, maiorem accipe orationis retributionem.

4. Illi vulgò æstimantur aduocati magni, qui sunt aduocati magi, hoc est, qui quasi sensum immutent iudicum, rem vnam pro alia cernere eos faciunt. Aleæ & chartarum periti in eis mirabilia quædam aliquando operantur, quæ magica videantur omnino. vulgò hoc dicitur, (a) *Far giochi di carte, far strauedere.* Iurisperiti, cùm valde versati sint in euoluendis chartis clientum, chirographis, testamentis, &c. (hic enim est ludus eorum, hoc est officium, quod recitant) in eo ludo semper lucrantur, ex hoc officio suum obtinent beneficium, cum inquam illæ sint chartæ eorum, in eis sæpè miranda operantur, vt vulgò dicitur, (b) *Vi mutan le carte in man.* supprimunt hanc, proferunt repente illam, prout melius expedit ad vincendum aduersarium. Item de chartis legum, & librorum, & de ceteris manuscriptis ad causam spectantibus dici potest, (c) *che san benissimo maniggiar le carte, e le fan dir quel che vogliono.* ludunt in his chartis, vt ipsi, vel filij eorum possint ludere in aliis chartis, & sæpè quæ lucrati sunt multis mensibus in illis, vna hora, vel puncto perdunt in istis. vt accidat, quod dicitur: *quod chartæ ferunt, chartæ auferunt.* vel quod chartæ afferunt, chartæ auferunt.

(a) Præstigias facere, oculis illudere.

(b) Chartas tibi in manu immutãt.

(c) Optimè chartas tractare nouerunt.

2. *Negligentia procuratorum, & aduocatorum in causis.*

3. *Æger, & litigans pares in malis.*

2. QVI *procuratores* vocantur apud nos, *sollicitatores causarum*, cùm sæpè quàm plurimas possunt suscipiant causas sollicitandas; ferè tamen vnam tantum sollicitant, nempè propriam, quærendo quę sua sunt. sollicitant potius clientem, vt soluat debitum sibi, quàm aduocatum, & iudicem, vt in causa suum peragant officium. Oportet ipsos clientes fieri sollicitatores sollicitatorum, immo & aduocatorum, & iudicum. adeo vt potius sollicitati, vel sollicitandi dicendi sint, quàm sollicitatores, qui hoc nomine appellantur. oportet etiam clientes fieri aduocatos aduocatorum, iuristas iuristarum, nempe subministrando eis quæcumque dicturi sunt coram iudice, iura in fauorem suæ partis ipsos docendo, & præmansum bolum in os eorum inserendo. Ita vt illi laborent, isti verè solum manducent. Cùm verò aduocati, & procuratores causas sibi commissas negligunt, & tamen inhiant ad mercedes suas; dicendum illis quod 4. Reg. 12. ait Rex ad pontifices, & sacerdotes, qui recipiebant pecunias ad sartatecta templi reficienda, nec tamen tunc temporis ea restaurabant: *Quare sarta-* 4. Reg. 12.

ſarta tecta non inſtauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam iuxta ordinem veſtrum.

3. Neſcis aliquando, vtrum durius ſit incidere in manus medici, an cauſidici. æger, vocatur patiens, vulgò, *il patiente*, nam dura tolerare cogitur à medico. an non patiens ſit oportet cliens cum patrono, & iudice, ac ceteris miniſtris fori ob diutinos labores,& expenſas? ita quidam ad Iuriſtam de medico ſic ait,

Paulini nuper patiens Marcelle fuiſti.
Eſſe pares vultis? ſit tuus ille cliens.

2. *Lites fugere perutile.*
3. *Aduocati iniqui diabolo patrocinantur reo affecto.*
4. *Ipſe eorum magiſter in cauſis agendis.*
5. *Turcæ ſine aduocatis litigant.*

2. INTER dicta Ludouici duodecimi Gallorum regis, quæ libello peculiari circumferebatur tanquam ſapientiæ plena, Annales Francorum ferunt fuiſſe hoc, nimirum quod laudabat dictum cuiuſdam auguris, qui conſulenti quid maximè prodeſſet oculis? reſpondit, *ſi rariſſimè cauſidicum, & pragmaticum videas.*

3. Paucos ante annos Neapoli agitata eſt in foro cauſa cuiuſpiam qui, ſiue pactum cum dæmone habuiſſet, ſiue quippiam aliud egiſſet, quod ad ipſum pertinebat dæmonem, aduocatum ſuas partes patrocinantem contra diabolum obtinuit. at conſtitutus eſt etiam aduocatus alius, qui in ea re ſuſciperet proponendas diaboli rationes contra reum illum,quē aduocatum adhuc viuere renunciatum eſt mihi. Aiunt in his caſibus ex ſtylo curiæ illius ita procedi. Addūt, cum aduocatus iſte dæmonij ex parte rationes conquirere pararet cauſæ ſuſceptæ, dæmonem ipſum euolutis codicibus eius loca inueniſſe, & paginas ſignaſſe, vbi iura, & rationes pro ipſo facere videbantur. Mira, & noua videbitur hæc hiſtoria. attamē quam multos inuenire eſt aduocatos diaboli,qui rectiùs poſſint vocari Belzebub, aut ſimili nomine? qui iniuſtitiæ, & dæmonis partes contra Deum,& veritatem tuentur, non vt ille Neapoli ſine peccato ex ſtylo curiæ,ſed cum magno ſcelere.

4. His aduocatis ſuis dæmon rationes ſuppeditat, & quaſi paginas cōmonſtrat, vbi inueniant quæ pro ſe faciunt. Quid mirum, ſi ſæpè etiam victoriam obtineant,& rationes peracutas,& callidas reperiant, cum in hac re magiſtrum, & conſiliarium ipſummet ſerpentem calidiſſimum, ipſummet habeant diabolum? Iudices,qui nolunt ab his Aduocatis decipi, opus eſt, vt ita dicam vt ipſum ingenio, aut ſcientia vincant diabolum ob allatam rationem, & tamen quandoque ſunt aſini ad lyram.

Documentum ſumendum ex hiſtoria præfata de patrono conſtituto ex more pro rationibus dæmonis cōtra reum, nemini denegandum ius defenſionis,& patrocinij, cum etiam dæmoni videatur concedi in caſu ſimili hæc defenſio,hoc patrocinium: neque inauditus condemnetur. quāuis hæc propriè non ſit defenſio diaboli, vt diabolus eſt, ſed potius iuſtitiæ,& formæ procedendi.Diſca-

mus

mus etiam seruare semper alteram aurem aduersario eius, qui nobis suam tantum inculcat innocentiam, & alterius iniquitatem, quamuis ipse aduersarius malè audiret, &, vt ita dicam, esset ipsemet diabolus.

5. Concludam tractatum hunc asserendo id, quod Lipsius habet lib. 2. exemplorum Politicorum, cap. de legibus de Turcarum ritu in causis forensibus, qui ad tollendas aduocatorum fraudes, & litium prolixitatem, quæ sæpè ex eorum cauillis, & studijs oriuntur, ita procedunt in hac parte. ait ergo, Apud Turcas, qui alium in ius vocat, ne lectorem quidem, aut apparitorem adhibet ad vadandum, hoc est, vt vulgò aiunt, ad citandum aduersarium; sed ipsemet adit aduersarium prædictum, & eum coram testibus, vt loquuntur ibi, *ad Dei iustitiam vocat*. hic ne verbo quidem refregari audet. Sed vtrique iudicem conueniunt, absque aduocato vllo rem suam narrant; testes adhibent, si habent. Iudex re pensitata definit; nec est appellatio, quamuis fortasse alia alleges. vtile ait Lipsius hoc videtur bono communi, quamuis aliquando iudex erraret. sic enim tollitur multa materia litium.

Lips. lib. 2. ex. Pol. c. de leg.

FAVOR HVMANVS.

2. *Fauor hic inflat, eo plenus dedignatur priorem sortem, propinquosque, & studia, atque officia pristina.*
3. *Fauor quasi Fauonius ventus veris post hiemem affert homini prosperitatem, eumque commutat, vt Fauonius terram solet.*
4. *In virtute plantati vt arbores viua non mouentur vento de loco suo. non fundati sic, quasi arbores in naues efformatæ mouentur à vento.*

2. 
CCLESIASTES 10. 4. *Si Spiritus potestatē habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* pro spiritu potestatem habentis Tygurina apud Vatabl. legit, *Affectus dominatoris*. ergo quia affectus, & fauor Principis erga aliquem verè spiritus est, hoc est ventus, ideo illum, cui aspirat, quasi ventus copiosus adeo inflat, vt in pelle sua, vt vulgò dicitur, nequeat se continere, sed foras erumpat in superbiā ingentem, quasi maior seipso effectus, vel vt viperinus fœtus, qui cum creuerit, viscera matris rodendo, exit ab eis. ideo ei dicitur, *locum tuum ne dimiseris*, hoc est, vt legunt notationes Bibliorum Venetorum apud Pinedam hic, *Non obliuiscaris prioris tuæ humilis sortis* Verè ita se gerit qui sicut vilis conditionis extitit, ita & incompositi, ac leuis animi fuit, & ex illorum qualitate, quibus dictum est Lucæ 3. 7. *Genimina viperarum.* nam huiusmodi homo aliquando, vt in lucem honoris prodeat iam exaltatus fauore alicuius Principis, studet occultare & abolere parentum suorum vel etiam patriæ notitiam, quod est, quasi viperæ catulus matrem abrodere & necare, vt in lucem erumpat. verè viperæ genus est huiusmodi homo exaltatus. nam tritum est illud, *Asperius nihil est humili, cum surgit in altum*. vel potius hoc ipso, quod hic homo

Eccl. 10. 4.

Luc. 3. 7.

erumpit de obſcuritate vtilitate conditionis & familiæ ſuæ quaſi catulus viperæ de obſcuro ventre matris, ſimul enecat, & abijcit (vt ita dicam) hoc eſt, abhorret ſtatum priorem, parentes, domum, ſodales antiquos: hoſque erubeſcit, deſerit, & aliquando etiam mortuos cupit. ideo audiat, *Locum tuum ne dimiſeris: quia curatio ceſſare faciet peccata maxima.* curatio iſtius ſuperbiæ impediet peccata maxima, qualia ſunt, parentes & coniunctos derelinquere, & contemnere, nec agnoſcere velle. vt etiam alia, quæ ex eo vitio naſcūtur.

Hebræa lectio apud Hieron. *Si aliquam in mundo acceperis dignitatem; & ordinatus fueris maior in populis, noli relinquere priora opera tua*, &c. iam dixi ſæpè adeo inflari, qui ex Principis fauore exaltatur, vt in ſua ſe pelle non contineat. ideo cum aſinus ſit, hoc eſt vilis; iuxta adagium, fit *aſinus in pelle leonis*, hoc eſt, ſicut collocatur in purpura magiſtratus, & abijcit priſtina veſtimenta; & exiens de tugurio ſuo, palatium Regis inhabitat; ita etiam induit in animo quaſi veſtem, ſuperbos & regios ſpiritus, & animo ipſo diſcedit à priori loco humilitatis, & modeſtiæ, atque etiam exuit habitum internum manſuetudinis. collocat ſe in pelle Leonis, hoc eſt Regis. quia Leo, vt animalium rex, Regem repreſentat, vulgò dicimus, *Poneteui nella pelle mia*, hoc eſt, perſonam meam aſſumite. Ita iuxta locum prædictum Salomonis idem eſt Principem fauere cuipiam, & ipſum exaltare, atque ponere in eo ſpiritum ſuum, hoc eſt ſpiritum Regium, animū Principis. quia ſtatim ac quis Regis fauorem, ſeu magiſtratum regium obtinuit, quamuis plebeius eſſet, ſtatim induit ſpiritus regales, ſtatim ſibi videtur eſſe Rex, fit aſinus in pelle Leonis. Eccleſiaſticus 31. 1. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex illis.* qui in tenui præfectura poſitus, ſtatim de ſe loquendo plurali numero vtitur *nos*, *noſtra*, *fecimus*, *diximus*; is, cum ſe pluralem faciat, non eſt ſicut vnus ex illis; is locum ſuum deſeruit. eſto igitur in illis quaſi vnus, ne ſicut es in ſtultitia ſingularis, ita fias in vanitate pluralis. *Eccl. 31. 1.*

3. Fauor humanus ventus eſt: fauor eſt quaſi Fauonius, qui propitius ventus eſt. illo ſpirante videas terram, quæ erat horrida, nudaque, breui in aliam mutari: ornari herbis, floribuſque indui. ſpirat enim vere hic ventus, Fauonius dictus à fouendo, quod cuncta foueat: eſt enim genitalis ſpiritus mundi. ita ergo cum ſpiritus propitius amoris, quaſi fauonius (à fauendo, ſeu fouendo) in hominem miſerum, & opibus nudatum ſpirare cœperit, ſtatim videas illum in totum mutari, tum per adeptos flores honoris, & per ornamenta opum, tum per animi mutationem, & obliuionem prioris conditionis. quia honores mutāt mores, ſed raro in meliores. cicinit Italicus Poëta de Vere (*a*) *Zefiro ſpira, e' l beltempo rimena*, vulgò dicimus (*a*) *hauer bel tempo, ò buon tempo*, hoc eſt proſperitatem fauonius ergo, ſeu fauor iſte adducit homini proſperitatem hanc

(*a*) Flat Zephyrus, & Serenitatem reducit.

(*b*) Bel tempo Italis & Serenitatem cæli, & vitæ cōmoditates ſignificat.

hanc, *questo buon tempo.* Hyeme miseriæ transacto, adducit spiritus Principis Ver prosperitatis, in quo vt dicebamus, homo illicò apparet *multùm mutatus ab illo.* quia obliuiscitur prioris suæ sortis; velut pincernarum magister Genes. 40. recuperato fauonio, oblitus est Iosephi, & miseriæ pristinæ: *Succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Spiritus regis ascenderat super eum.

Gen. 40.

4. Iustus, est *arbor plantata secus decursus aquarum, & quæ fructum suum dat in tempore suo.* iniusti, sunt *arbores eradicatæ, bis mortuæ,* vt ex Iudæ Epist. colliges, adeoque minimè fructificãtes. ex his arboribus infructuosis, & excisione seu extirpatione iam mortuis; conficiũtur naues. Hęc ergo interest inter arbores primi generis, & huius secundi, quod illæ vento flãte non deserũt locũ suum, hæ verò deserunt statim, & percurrunt maria cũ discrimine tanto, quantum est in nauigatione maris. Sic ergo qui iusti & sapientes sunt, sicut radicati sunt in profũdo humilitatis & cognitionis propriæ ita spiritu, scilicet vento fauoris Principis afflante, non deserunt locũ suum, neque fructificationem consuetam. sed arbores aliæ, hoc est peccatores, vel saltem imperfecti & parum cõstantis animi (vt qui nõ fundati in humilitate, & soliditate sunt) quasi in naues efformati ad flatum exiguum venti currunt: quia expansis velis desideriorum ventos fauoris, & honoris diu expectarunt. vnde & deserunt locum suum, scilicet priorem humilitatem, & etiam *locum suum,* scilicet pristinã conditionẽ

Iud. epist.

status priuati, & quieti, vt cũ discrimine magnò sese exponant mari, & scopulis periculorum, & laborum corporis, sed præcipuè animæ. Nauigatio enim quædam est vita magistratus, & vita aulica. aula autem, & palatiũ est Oceanus. Italicè (a) *ogni poco di vento alla vela, di vento in poppa, cioè di prosperità, e fauor, che li venga dato, essi nauigano.* ẽ cõtraria arbores viuæ, & fructificantes (iusti, vel saltem perfecti) non deserunt locum suum humilitatis, sed neque prioris instituti, & fructus operis primi, vt in pericula illius maris (honores ad quos inuitantur recipiendo) sese ingerant. adeunt enim, *Si spiritus potentiam habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio cessare facit peccata maxima.* quasi dicat, quia hâc curatione, hoc est remedio vitabis scopulos maximos peccatorum.

(a) Vel leuissimã aurã prosperitatis flante, illico nauigare incipiũt.

Arbor viua, & radicata, ac fructificans non relinquit fructûs sui productionem, vt vento feratur, vt dixi; at quæ vult ita deferri, relinquit fructificationem. ita Iudic. 9. cũ ad regnum vocaretur oliua, ait, *Numquid possum deserere pinguedinem meam?* sic ficus, sic vitis, ne fructus perderent, recusarunt. ramus infructuosus, symbolum peccatoris, accepit. videas multos statim ac fauore alicuius Potentis officium aliquod per eum adepti sunt, non solum deserere & dedignari pristinum institutũ, & opus quodcumque præsentem statũ dedecere videtur; sed etiã consueta spiritualia opera, preces, Ecclesiarum frequẽtationes, affabilitatẽ, & alia talia prorsus relinquere. ita Hebræa apud

Iudic. 9.

Hieron. Hieron. *Si aliquam in mundo acceperis dignitatem, & ordinatus fueris maior in populis, noli relinquere priora opera tua, & antiquarum virtutum ne incipias obliuisci, laboremque pristinum non habere. quia peccatorum tuorum remedium ex conuersatione bona nascitur, & non ex tumentis, & superflua dignitate.* ita apud Hier.
Hieron. Hebræa.

2. *Subtracto fauore regis quasi fulcro à sede honoris, ex illa corruunt.*

2. HELI, vt ait Abulensis, è sella corruit; eo quòd illa non haberet fulcrũ cui ipse inniti posset. vulgò *appoggio.* sic multi de sede honoris, & magistratus labuntur, seu amouentur, eo quòd careant fulcro, fauore inquam magnatum, *per non hauer appoggio de grandi.* Vel, quia subtrahitur eis repente tale fulcrum, repentè vides eos humi prostratos; *li vedi andar à gambe leuate fuor della sedia.* Aman sedit in sede suprema. at cum Assuerus repente ei subtraxisset fulcrum; nosti, quid illi euenerit. Si verò dicamus (quod forsitan probabilius est) sellam habuisse fulcrum, & tamen, Deo sic disponente, elapsũ ex illa fuisse Heli. (tantus enim vir, & senex in sede bene constituta sedere debuit) tunc dicendum est, nil prodesse fulcra humana (*non valer li appoggi humani*) cùm ille vult aliquẽ humiliare. sic dicitur, *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* quamuis potentes essent, vt qui nitebantur suæ, vel aliorum potentiæ; tamen eos deposuit de sede fulcro non carente.

3. *Ascendunt scalas honorum nixi fulcris, scilicet ijs, quibus donant.*

3. IN ascensu scalarũ per gradus in sublime domûs, aut palatij regij, Vectes aut stipites oblongos dispositos videmus, quibus tãquã fulcris nixi præsertim debiles, & virtute corporis destituti ascendunt. Ita, vt per gradus dignitatum ascendant, qui debiles sunt, & virtute animi destituti; si manu apprehendant fulcra potentium amicorum *alli appoggi di persone potenti*; ascendunt facilè, quamuis alioqui id facere non valuissent. Vel adde: Si manum extenderint apertam ad talia fulcra per oblationẽ munerum, facilè ascendunt. Sponsa, vt quæ ex se ipsâ debilis, ascendit *innixa super dilectum suum*, vt est Cant. Cant. sic anima ascensionem appetens, cum tamquam Deum suum constituat potentem, seu potentatũ aliquem; ascendit innixa & ipsa, si non *super dilectum*, saltem super dilectorem suum.

4. *Sublato Potente, ad suum puluerem recidunt indignè exaltati ab eo.*

4. SVBLATO fulcro de sede, (mortuo verbi gratia Principe supremo, cui nitebatur sedens, & eius spes; mortuo Pontifice) en quot de sedibus videas humi prostratos, quot spes deiectas in puluere iacere. Sed redeamus ad imperitos, & parum dignos, qui fulcris magnatum nixi, tamen ascendunt. Hi cùm obtusi sint mente, & vt vulgò dicimus, rotundi, crassique ingenij; orbes Latinè,

tinè, & Italicè *orbi* i. e. cœci: hi inquam velut orbes illi, qui à nobis Zeri vocantur, & adhibentur in supputationibus numerorum, cùm nihil de se æstimentur, nihil polleant; tamen sequaces effecti principis alicuius, quasi numeri sibi præpositi, caudam & obsequium illi præstantes; efficiuntur multi valoris. quia alter eorum præses, alter Principis vicarius constituitur. At sublato priori numero, sublato principe per mortem, vel amotionem à munere, redeunt ad suum nihil, vnde sumpti sunt. ideo enim dicebantur *creaturæ Principis*, qui quasi Deus, eos qui nihil erant vult exaltare, seu potiùs de nihilo creare. Princeps, cùm, quasi Deum se faciens, de puluere erexerit pauperem, vt collocaret eum cum principibus populi sui, deinde aliquando ad hoc deuenit, vt auertat faciem fauoris ab his, quos erexerat; de eo dici posset illud Psalmi, *Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur*. supra enim dixi, quod Spiritus principis ascendit super eum, cui ille fauet.

Orbes prædicti, dum habent ante se numerum aliquem numerantem, magni sunt valoris & certam quantitatem nummorum designant: sic huiusmodi rudes, diuites sunt durante eorum domino ante illos; at ablato illo, apparet quid sint, nempè pauperes. apparet, deinde non aliud esse quam litteras o o o: vnde & omnes, qui vident illos sic remansisse, stupentes, vel condolentes, vel irridentes ore aperto resonant o o o. Vel quia ipsi apparent non aliud esse, nisi o o, hoc est ora, eaque aperta, & apta tantum ad comedendum, imò esurientia ablato ab eis pastore, & inhiantia cuique bolo. Apparet quod pro buccis tantum & mandibulis erant. vnde aiunt (a) *haue tante boche in casa*. Multæ opes apud eum principem erant, & *multi qui comedunt eas* erant isti. & apti tantum ad numerum efficiendum, vt potuissent dicere, *Nos numerus sumus & fruges consumere nati*. Percutiam pastorem, & dispergentur oues. oues erant, & oues apparent non simplicitate laudabili, sed stoliditate, & imperitiâ. *Post pastorem ibāt*: quatenus scilicet ab eo pascebantur. & quamuis oues essent, tamen & ipsæ pastores constitutæ erant inferiorũ suorum ratione prælationis. percusso tamẽ pastore primario, disperguntur vt oues, eo quòd sæpè pastorali spolientur officio, quia ineptæ erant prælationi.

(a) Tot ora in familiâ sua habet: i.e. nutrit.

2. *Sublato fautore iniquorum, hi perdunt vim nocendi.*

2. MVLTI sunt, qui, vt vulgò aiunt, habent brachium alicuius potentis. (sic explicant fauorem.) hoc brachio freti, & audaces effecti, multa audent patrare scelera, & sæpè etiam homicidia. (b) *a chi le dan, a chi le promettono*: terribiles se ostendunt eo brachio æmulis suis. at cum per brachiũ illud multa superbiæ suæ opera complere studeant; aliquãdo fit, vt *qui aufert spiritum principum*, conterat hoc brachium. inde fit illud Psal. 10 15. *contere brachium peccatoris, & maligni; quæretur peccatum illius, & non inuenietur*. percusso pasto-

(b) Huic dant, illi promittunt.

Psal. 10. 15.

re, illi qui eo viuente erant vt leones, repente disperguntur vt oues. Ille homo decreuerat inimico suo fustē. Sed ecce brachium ei ab alio conteritur. tum verò cogitat quomodo sibi ipsi medeatur, non quomodo alium percutiat. ita in casu nostro, *Cōtere brachium peccatoris, & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.*

2. Vbi fauor, ibi fauus.
3. Fauor venalis est.
4 *Periculum iniustitiæ in fauoribus exhibendis.*

2. PLERVMQVE non pro merito, sed iuxta mensuram gratiæ, & fauoris, bona quæq; & suauia exhibentur. *Cui fauor, illi fauus.* (a) *Si come nella parola fauore, cosi nel fauore stesso si contien il fauo.* Pharao fratribus Ioseph fauendo dixit, *vt comederent medullam terræ,* quod fuit dicere suauia quæque.

(a) In fauore fauus, non solum quoad nomē sed etiam rē ipsam.

3. Tamen Verbum *faueo* post se requirit datiuum. sæpè enim fautori tuo cogeris dare. In verbo *faueo* latet verbum *aueo*, à quo auaritia dicta. quia qui fauet alicui, sæpè auet lucrum alicuius rei speratæ ab illo. Ita fauum faciunt apes, fauorem opes.

Genes.32.20.

Gen.32.20. *Placabo illum muneribus: Forsitan propitiabitur mihi.* Indicatur hic fauorem per dona exhiberi.

4. Cur autem ait, *forsitan propitiabitur?* nisi quia quidam pisces glutiunt escam, nec tamen capiuntur hamo. Recipientes dona dant bona verba, & nihil fit. Fauebo, inquiunt tibi, fauebo. at hoc fauebo numquam erit faueo. (b) *Questo non è fauoreggiare, ma fauoleggiare.* Olim in sternutamento ob periculum subitæ mortis, *salue*, seu *aue* dicebant, vt nunc. Dum autē quis tibi dicit *faue*, inclusiuè simul dicit etiam aue; quia hoc in illo continetur: quasi tantum sit periculum iniustitiæ, & mortis spiritalis in fauore exhibendo; vt fauorem petens sibi, vel alteri, simul dicere debeat *aue* cum ipso *faue*: quasi dicatur fauēti, *in questo fatto Dio t'aiuti, Dio te la mandi buona,* hoc est Deus te adiuuet, te saluet in hoc periculo.

(b) Hoc non est fauorem, sed fabulas siue verba dare.

2. Fauores à malis, non à probis emi solent.
3. In Scriptura non inuenitur verbum fauor, aut faueo, quasi dicat: Nec nominetur in vobis.
4. Fauor aër est. in omnia se immiscet sicut aër.

2. EA tantum ratione fauores præstantur eis, quibus debentur (si iocari liceat in hac re) quā illi hos *suos* effecerunt, ipsos emendo. fauores exhibentur merentibus illos, sed eo pacto, quo meretrices merentur lucra. vnde à merendo dictæ sunt. & scortum meritorum vocatur meretrix apud antiquos. Gratiæ, vt prisci aiunt, erant virgines, sed nos prostitutas passim fecimus. at prostitutæ, & meretrices non communicātur siue commiscentur communiter loquendo bonis viris, sed malis. sic venales hæ gratiæ. nam boni non solent eas emere. Honestis viris non nisi honestæ mulieres, & præsertim virgines in matrimonium

nium collocantur. dotem potiùs cum vxore exigunt , quàm velut scortis velint ipsi dare pretium. ita boni non dant pro officijs, at potiùs cum eis etiam volunt beneficia.

Fauorem nec nominare dignatur Scriptura sacra quasi dicat, nec nominetur in vobis.

3. Admiratus sum in concordantia Scripturæ sacræ non reperiri vocabulum *fauor*, aut *faueo*, aut *fautor*: cùm tamē passim apud auctores hæc vocabula in vsu sint. videtur quasi mysterium esse istud, vt significetur apud homines plurimum talia in vsu esse, & pollere, at apud Deum minimè. non concedi scilicet ab eo dona, aut gratias ex fauore humano, sed ex iustitia misericordiæ permixtâ. Homines è contra fauorē quasi Deū constituerunt in mundo. nam omnipotentem fecerunt, cum omnia per fauorem hodie fiant: ita vt mundani fauoris ianuæ inscripsisse videantur: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

(a) Fauor aleæ & fauor aulæ.

Duo repentè ac subitò aliquem exaltant, (a) *fauor di carte, e fauor di corte.* Duo hominem magnificant: habere plurimum auri, & plurimum auræ. Hæ sunt duæ columnæ Herculeæ in mari mundanæ felicitatis, vltra quas non potest nauis humana progredi. Hi sunt duo poli maximè pollentes in mundo, circa quos vertitur orbis vniuersus. Non sufficit huic naui aurum, quo onusta est; nisi & auram venti habeat, nempe propitiam. Vanitas est hæc aura, cum aura sit: sed vbique diffusa est, atque, vt aura siue aër, omnia permeat. in qua re enim fauor partem non habet? Vanitas est: sed de quâ dici potest, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* omnia enim ferè apud mundanos fauore constant. Nemo viuit fine parte auræ, seu aëris ob respirationem: & ferè nullus viuere solet sine parte huius auræ. vnde Fauorinus Philosophus, vt Philostratus narrat, inter tria mirabilia, quæ de se prædicabat, vnum numerabat quòd licet inimicus Imperatoris, tamē viueret. quasi diceret, quod sine aurâ respiraret. quasi pro fauore est si princeps te, odiosū sibi, non interimat. hoc fauore ergo ille viuebat, & hoc ferè omnes egent aliquo pacto.

ZELOTYPIA.

2. *Hæc necium causa.*
3. *Dissidia inter charos accendit.*
4. *Zelotypia inuidia est, & interdum inuidens riualibus infernum.*

2. VAM vitandus inordinatus amor, & consequētes Zelotypia ex ingēiibus malis inde procedere solitis, collige. Satis notū est etiā apud mediocriter versatos in lectione historiarum id, quod Ioseph primo de bello Iudaico pluribus narrat de secta Zelotum, qui à zelo legum, seu zeli prætextu sic appellabantur: quātam nimirum perniciem, & quot neces intulerint multis, & quantam exercuerint crudelitatem eo tempore, quo secuta est ruina ciuitatis, quam Saluator defleuit, & prædixit: *videns ciuitatem fleuit super illam.*

Illi certè videntur repræsentasse sæuitiam,& sanguinis effusionem,quæ Zelotæ, seu zelotypi operantur in plurimos viros, & mulieres ob zelũ, sicut ipsi zelotæ prætextu zeli sui.& de his, & de illis dici potest, quod *habent zelum sed non secundum sciemiam.* maximè si per accommodationem loci huius dicamus zelotypos, eo quòd ob solam suscipionem sæpè ad iniurias procedant absque cognitione sufficienti, ideo habere zelum non secundum scientiam.

Innumeras comœdias, & tragœdias exibuit paulò ante orbi nostro societas Zelotyporum nuncupata; quasi sic significantes quot comœdias, hoc est ridicula, & tragœdias excitent zelotypi in mundo. nam Prou.6. *Zelus & furor viri non parcet.* nempe adultero.

Prou.6.

3 Nonnulli Patres cõparant mulierẽ magneti. quod simili efficacia attrahant virum, ac ille lapis ferrũ. sic Basilius. vel eo quòd vir ad ipsã accurrat præ amore; vt ob sympathiæ naturalẽ affectũ accurrit ferrum ad magnetem.Sed sicut ferri propriũ est hoc; ita præsertim peculiare est fortium & Martialiũ viroũ,qui per ferrum significantur apud Symbolicos. vnde illud de parte ferrea statuæ in scriptura fortes Romanos significante) proprium, inquam, est fortium rapi amore mulierũ quasi magnetum suarum,currendo post illas. vnde Poëtæ Martem Veneri iunxerunt. sic Hercules amator, sic Samson.Sic Poëta noster cecinit, & iunxit arma amoribus, equites mulieribus.*Le donne i caualier*, &c. Sed hoc distat inter ferrum, siue enses ex vna parte, & milites ex altera; nimirum quod enses cum paulò ante inter se depugnarun t, tamen si magnetem amatam suam ipsis admoueas, statim quasi obliti iniuriarum, in illã pacificè vniuntur,quasi fratres essent ad inuicem. At gladiatores è contra, licet antea coniũctissimi essent amicitia, vel consanguinitate; statim ac riuales effecti sunt, statim ac inter eos apparuerit ipsorum magnes,hoc est amasia, veterem amicitiam gladijs diuidunt.soli enim singuli amare volunt. sic de his dictum Italicè. *Arrestite mortali grida pietà, che nella scola mia. A voi di pace mastro il ferro sia. Non vogliate riuali, che tanto sdegno il vostro petto ferri, Che feri siate più de i stessi ferri.* Malleus Italicè pro zelotypia sumitur. ergo malleus Vulcani (Veneris mariti) in duplici sensu acceptus fabricando instrumenta, quibus illa cum Marte vinciretur, potest denotare zelotypiam vnire arma & rixas cum lasciuia.Etiam in his amantibus *fortis est vt mors dilectio,dura sicut infernus æmulatio,* scilicet aduersus riuales.

3\. Zelus in amante lasciuo est inuidiæ coniunctus,vt dicetur.

Lusit quidam dicens de Zelotypia lasciui amoris:

Vnusquisque sibi vult Phyllida solus amare,
Crede mihi non est hic amor, inuidia, est.

De huiusmodi dici potest, *Amicam amare, amantes quærit humare*, hoc est vtrumque ille efficere quærit. Rectè inquit, quod amor ille ex eo capite est potiùs inuidia. nam sicut immediatè post luxuriam in ordine septem

ptem peccatorum capitalium ponitur inuidia,ita post amorē lasciuum (qui nil aliud est quam luxuria hoc nomine honestata)statim consequitur inuidia, hoc est zelotypia, quâ inuident alijs quod soli sibi volunt. De amore etiam vniuersè sumpto, nedum spiritali dicunt quidam verificari illud Cant. 8. *Fortis est vt*
Cant.8. *mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio*;quod hæc duo simul iungi soleant. Caro pro carnis vitio ponitur. à carne ergo in duplici sensu sanguis profluit. sanguinis effusio scilicet fit à carne, & à lasciuia.

4. Quando vitium teterrimum significare cupimus,dicimus, illa est ira diaboli,vel superbia diaboli.hoc potissimum dicendum de inuidia, quæ eius propria dos est.nam *inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Inuidet autem diabolus homini bonum,non autem malum. at inuidia amatorum diabolica deterior videtur,quatenus etiam malum inuidet æmulis suis in amore. inuidet illis etiam infernum, dum inuidet consortium in amore. totum infernum & damnationem luxuriæ vult sibi amator,& ne fauillam quidem,quasi gemma esset ex aliquo thesauro, peruenire patitur ad alios ex tanto igne.

Lutum est immunditia carnis,& carnalis homo est *sus in volutabro luti.* ex illis est, qui cum fortem nutrirentur in croceis amplexati sunt stercora: nam immunda mulier nempe
Ecclesia-stici 9. meretrix his comparatur. Ecclesiastici 9. *Quasi stercus in via conculcabitur.* Inuidet ego amator æmulis suis lutum,& deteriorem immunditiam, gladijs & sanguine,& omni custodia defendit thesaurum prædictum, & cauet,ne aliquam guttam prædicti vnguenti quasi balsami ad alium amatorem mulier distillet: quamuis ille amicus,propinquus sanguine, aut etiam pater suus esset. dehonestatum & immundum se æstimat, si tantillum prædicti vnguenti à se ad alium transeat.gloriam reputat,si toto conspergatur eo vnguento. Horum certè Deus venter est.nam gula cum libidine habitat,& *gloria in confusione*,hoc est in re cōfusione digna. *gloria huius viri peccatoris stercus & vermis est*.Hæc dicta velim ad hoc, vt discant,quid agunt, cum omnia miscent rixis,& homicidijs, familias & vrbes perdendo mulierum causâ. cum neque regnorū cupiditate tam multa vbique terrarum fiant,sicut ob vilissimas mulierculas.

Vnicum Cherub statuit Deus ad prohibendum hominibus ingressum in Paradisum.at in casu nostro quis numerabit quot se constituāt ad custodiendum infernum,vitam, & salutem æternam temerè ob id exponendo discrimini?

Zelotypia cum amore est. Italicè diceremus, (a) *Di quello che son golosi, son gelosi.* Fornicator singularis dum vult esse in amore, ostendit se singularem esse (hoc est insignem) in fornicatione.in turpitudine,quâ gignant mulos, non patiuntur æmulos. vt fortasse generent, qui non sunt,(scilicet spurios,) perdunt per homicidia eos,qui sunt:& vnus necdum natus,& forsitan nec nasciturus morti dat multos iam maturos ætate.

(a) Quia gulosi i.e. cupidi inde zelosi siue zelotypi.

2. *In coniugatis quanta sit zelotypia.*
3. *Exemplis probatur.*
4. *Zelotypia quidam infernus est zelotypis.*
5. *Probi coniuges abesse solent à zelo.*

2. QVANTVS verò sit furor Zelotypiæ in coniugatis,cũ hac occupantur passione, plenæ de hac re sunt historiæ,& oculis haud pauca videmus huiusmodi. notum est illud Senecæ in Medea. *Nulla vis flamma tumidique ponti tanta, nec teli metuenda torti, quanta cum coniux viduata tædis ardet, & odit.* Apollonius Rhodius libro 1. Argonauticon, Dirces, inquit, vxor Lyci Regis Thebanorum, cum suspicaretur virum suum consortium habere cum quadam puella, eam illigari fecit super ceruices tauri ferocissimi,& faces ardentes cornibus eius subiecit; vnde ferocior factus eam per abrupta, & confragosa tractam discerperet. *Apoll. Rhodius libro 1.*

De furore etiam viri ob hanc causam Prou. 6. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus; nec recipiet pro redemptione dona plurima.* vbi nota zelum, seu Zelotypiam cum furore coniungi: eo quòd coniuges etiam alioqui mites natura suâ, soleant in furorem, nedum iracundiam verti, & furere cõtra eos, qui se læserint in hac parte quamuis coniunctissimi essent sibi, vt vxores, filij parẽtes,&c. Quia verò quidam apud Gislerium in Cant. 8. dicunt illud, *Fortis est vt mors dilectio*, &c. verificari etiam de amore & zelotypia in genere sumptis; certè, si ita accipiatur, nonne vir, qui ob amatam vxorem & ob amorem famæ propriæ ardet æmulatione,& zelo contra aliquem adulterum prædictæ vxoris, videtur ipsa mors, quatenus, sicut illa nemini parcit, & ferocissimus effectus per iram,& animi læsi dolorem quasi mors,& quasi Mars contra læsores suos apparet in vltione capienda, omnesque deuincit & prosternit? *Dura sicut infernus æmulatio.* nunquam enim satiatur pœnis inflictis in adulteros, vt nec infernus satiatur in torquendis reis. Dura etiam imo crudelis,& furibunda est æmulatio vt infernus. nam vir furibundus ea de causa videtur quasi vniuersus infernus, hoc est, vniuersa cohors dæmonum contra eos, qui ipsos læserunt. *pare il trenta paia di diauoli.* sicut etiam mors non acquiescit cuiusquam precibus, nec placatur muneribus: ita nec zelotypus. Rectè ergo Prou. 6 Coniuncta sunt *zelus, & furor viri*, vt supra dicebam, furor quid est, nisi vesania longa? cum ira furor breuis sit. vnde furiosi ijdem sunt, ac stulti vehementis ac diuturnæ dementiæ. *Prou. 6.* *Prou. 6.* *Cant. 8.*

3. Iosephus lib. 11. Antiq. apud Theatr. v. h. vol. 8. lib. 5. ait, Herodes rex Iudæorum erga Mariannam vxorem suam adeo zelotypus fuit, vt amicis non semel mandârit, vt si mors ipsum occupasset, statim ipsam interficerent, ne alius ipsâ potiretur. Rectè ergo coniuncta, vt modo dixi *zelus & furor viri.* *Ioseph. lib. 11. Antiq. apud Theatr. v. h. vol. 8. lib. 5.*

Dubrauius lib. 23. apud Theatr. v. h. Vincesiaus (inquit) Imperator ignauissimus, cum scortaretur, ab vxore Ioanna Comitissa Hollandiæ *Dubr. lib. 23. Theatr. V. H.*

repræ-

repræhensus, ait, nisi supersedeas ab huiusmodi monitionibus, te quoque in lupanar duci iubebo. postea Ioannem Sacerdotem eius confessarium ad se vocat, & secreta eiusdem vxoris exquirit. ille abnuit dicere. tunc Imperator de ponte Pragensi in flumen præcipitari ipsum fecit. fluuius repente arefactus corpus detexit. corpusque permansit triduo in eo statu, donec ad Sanctum Vitum sepelitur. regina ex dolore animi ob suspicionem de se habitam ab Imperatore, obijt. hæc ille. rectè ergo coniuncta *zelus & furor viri.*

Parthenius in amatoriis apud Theatr. v. h. narrat uxorem Ciannippi, cum virum suum videret ab ipsa sæpè abesse, suspicata amasiam aliquam eum diligere, & conuenire, abscondit se in syluis, in quibus ipse venari solitus erat, vt curiosè inuestigaret quid, & cum qua ageret. at canes feram reputantes ipsam discerpserunt. rectè ergò cum zelo coniunctus furor & stultitia. *zelus & furor viri.*

4. Inter omnes animi passiones, si quis diceret nullam esse, quæ maiorem cruciatum afferat homini, & horribiliora facinora perpetret zelo, seu zelotypia; credo haud mentiretur. vnde omni conatu à se illam auertere debent coniugati. Obseruа autem sæpè amatores mulierum in zelo vincere amatores Dei: quia filii lucis filii huius sæculi sapientiores in generatione sua sunt. sed de zelo Dei vide quanta dicantur. *zelus domus tuæ comedit me.* est igitur quasi leo rugiens hominem deuorans. Est ignis consumens. nam *quis scandalizatur, & ego non vror?* dicebat Paulus. vide quæ de zelo Phinees dicantur. Talia, & aliquando maiora operatur zelus in terrenis amatoribus. *Dura sicut infernus æmulatio.* iuxta eos, qui hoc de zelo etiam in communi sumpto aiunt verificari, dici potest zelotypum hic sustinere pœnas inferni. Pœna dæmonum maxima in hoc est, quod videant Beatitudinem quasi sponsam ipsis paratam, ab aliis possideri, & ob inuidiam & zelum huiusmodi tam sæviunt in genus nostrum.

5. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilee.* Parth. in amat. Theat. V. H.
Barradius hoc loco ait, *Cana* significare zelum. vnde Simon *Zelotes* inquit dictus, quia ab hoc oppido ortus erat. dic ergo in hac re videri mysterium significari, scilicet coniugia cum zelo sæpè habitare. sed in nuptiis, vbi est Christus, non fit mentio zeli; nempe nominis huius, sed locus vocatur Cana; quasi ostendatur, quod vbi Deus est, ibi dicitur, *zelus, seu zelotypia nec nominetur in vobis:* hoc est in vobis coniugatis. Id etiam faceret ad rem, si sponsus harum nuptiarum fuisset Ioannes, vt quidam scripserunt: qui deinde tantum abfuit à zelotypià, vt sponsam reliquerit iuxta eosdem auctores.

2. *Cor zelotypi malleo semper percutitur.*
3. *Absentia coniugis zelum gignit.*
4. *Zelotypi non acquiescunt nisi nece vxoris.*
5. *Zelotypus horologij campana percussa malleo.*

2. DICIT quidam, non satis habuisse Venerem vti contra amatores iaculis filij, nisi etiam vteretur malleis mariti, nempe Vulcani. vulgò enim zelotypia vocatur *martello* i.e. malleus & zelotypi *martellati* i.e. malleo percussi. Ignis, symbolum est zeli: *Accendetur velut ignis zelus tuus.* Vulcanus pro igne sumebatur: quasi indicetur ignem, & malleatorem Veneri coniunctum esse. In pœnam scelerum permittit Deus percussiones huius mallei. permittit malleum propter malum; seu, vt sic domet malum, nempe hominem. ita his accommodari possunt

Prouer.19.29. quodammodo verba Prouer.19.29. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei stultorum corporibus.* eo quòd corda zelotyporum semper quasi ictus malleorum sustineāt. vide ergo qualis sit hic cruciatus.

Gen.2. 3. Gen.2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* alij legunt *coram eo* vxor quoad fieri potest à viro abesse non debet. sic suspicio tolletur ab eo. Eua cum discessit ab Adam, tentata est, & victa à dæmone.

Num 5.30. 4. Num.5.30. Zelotypus vir dicitur, *maritus zelotypiæ spiritu concitatus.* vbi nota quasi spiritu quodam infernali agitatum sæpè videri huiusmodi hominem. neque vnquam acquiescere scit à furore isto, nisi videat ante oculos suos dirumpi vxorem propriam, de qua zelotypus viuit, Nonne eodem cap. memoria fit de fonte, cuius aquam cogebatur mulier potare, vt probaretur an fuisset rea, an non? vnde si non erat innocens, femur eius putrescebat inflato ventre. at Septuaginta exponunt, quod venter dirumpebatur. per *femur* Sa exponit pudenda. Hodie viri nisi vxores, vt vulgò dicitur, dirumpi videant, nisi de medio tollant; non valet eorum dæmon subsistere. Adde eodem cap. 5.21. inter maledictiones, quas comminatur ei lex. est ista, *& tumens vterus tuus disrumpatur.* cui, & alijs maledictionibus illa dicebat *amen amen.* *cap.5.21.*

2. *Quidam volebat vxorem amatam ab alijs, at non amantem.*

2. DICEBAT quidam in zelotypos, qui riuales pati nequeunt in amanda vxore, ita vt ob id mente moueantur: Ego nil magis optarem inimico, quam quòd vxorem haberet, quam nullus omnino amaret, & nemo vnquam illi eam inuideret, & alius eiusdem ingenij describens qualem vxorem vellet, ait:

Hanc volo, quæ facilis sit amari, eadem sed amare
Difficilis: bello corpore, mente bona.
Riuales in amore volo: mereatur amorem
Multorum, quod amo, nil ego solus amem.

Adeo phreneticantur zelotypi, vt eo affectu moueantur etiam contra bruta ipsa, & res etiam insensatas, quas cernunt quandoque amari ab amatâ sua. Vt miraculi loco non ducerem, si, quæ quidam cecinit de sua mortua puella, nō tā Poëticè, quàm veraciter potuisset dicere; & erga ipsam mortē fieri zelotypus, ait enim:

Quid

Quid mors tam pulchram rapuisti dura puellam?
Numquid (me miserum:) te quoque tangit amor?

Quidam horologium pictum exhibet, quo per campanæ percussionem à malleo factam (qui malleus apud vulgus est symbolum zelotypiæ, vulgò *martello*) horæ denotantur, & actiones ac vita hominum per id regulantur: vt hac pictura zelotypum, malleo zelotypiæ percussum, significaret, qui suis percussionibus euulgatis, fit ceteris documentum viuendi, & vitandi affectionem nimiam in mulieres; ne inde sic afficiantur doloribus. Canit itaque poëta Italus: *Mentre per vna donna hebbi tal duolo, campana fui del publico horiolo: Ch'udendomi ad ogn'hora mar teaato, La sua vita la gente ha regolato.* & quia stulti sunt amatores, (vnde cæcus & puer Amor pingitur) ideo de illis dici potest

Prou. 19. 29. per accommodationem, Prou. 19. 29. *Parata sunt derisoribus iudicia & mallei percutientes stultorum corporibus.* vel potius cordibus.

2. *Zelotypia deterior morte est alter infernus.*

2. QVASI infernus est zelotypo zelotypia. cum enim mors sit vltimum terribilium, & ipsa morte acerbior æstimetur illa passio; cui dolori melius potuit comparari, quàm dolori inferni, qui morte est sæuior & maior? Ecclesiastes, *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius.* Amarior morte est mulier viro zelotypo. ergo infernus est. Cur absurdum dicemus esse, mulierem viro suo morte amariorem, dum impudicitiæ laqueus fit amatoribus alijs, & corde, hoc est, concupiscentia suâ plurimos, quasi sagena pisces, congregare vellet ad suos amplexus? Infernus est, & morte deterior illa passio, vnde antiquus elegus cum nullatenus sustinere posset amatam suam ab alio possideri ait, *Ipsum me iugula, mitior hostis ero.* quasi diceret morte deterior esset mihi zelotypia. Tandé Italicus noster de quodam, qui viderat amicam suam alteri traditam ait: *Fu all'hora per vscir del sentimento, si tutto in preda del dolor si lascia. Credete à chi n'ha fatto esperimento, Che questo è'l duol che tutti gl'altri passa.* experto inquit, credite, hunc esse dolorem super omnes dolores. quasi dicat esse dolorem inferni. Sed quid ista, cum de amore, & zelotypia in genere etiam aliqui apud Gisleriũ accipiunt illud Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* hoc est me solum diligas corde & opere: quia *dura est sicut infernus æmulatiò.* hoc est zelotypia hunc sensum ille innuit, & non videtur incongruus. Cant. 8.

Fortis est, vt mors dilectio dura sicut infernus æmulatio. Cant. 8. Animaduerte hinc magnitudinem amoris Dei erga sponsam, vt fortis ille sit, sicut mors; quia ipsum fecit mori pro ipsa: & (magis propriè ad sensum nostrum) facit ipsum (vt ita dicamus) in se mori, & in amata viuere, magis quàm in se: quia animus magis est vbi amat, quàm vbi animat. Adde, quod si videat spon- Cant. 8.

ſponſam alium admittere, & conſequenter inferno adiudicari, ipſe quaſi infernum patitur: quia dura eſt ſicut infernus æmulatio eius, vt ait. *ipſe enim eſt Deus æmulator, & zelotes.* infernus noſter antequam adveniat, iam toleratur quaſi à Deo. quæ dicuntur laxè ad exprimendum amorem eius in nos.

Sed ad ſuperiora redeamus. De muliere illa amariore morte, (quam diximus eſſe viri infernum, quia morte deterior ſit) dicitur inſuper ibidem, *Qui placet Deo effugiet illam; qui autem peccator eſt capietur ab illa.* quaſi oſtendatur, quod ſicut bonus effugit infernum, & peccator ab eo capitur: ita talis mulier in pœnam peccati peccatori permittatur eſſe infernus in hac vita, vt non ſit in alia; ſicut iuſto non ſinitur dominari. Permitti verò poteſt illa à Deo tum in peccatoris vxorem, tum in amatam, & vtroque modo eſſe infernus viro. Non negamus ſenſum genuinum loci de amariore morte muliere, eſſe, quod talis ſit ob peccatum, in quod inducit: ſed allatus non videtur litteræ repugnare.

Dura ſicut infernus æmulatio. Zelotypia Italicè *geloſia* à gelu ſic appellatur. In hoc ergo inferno amoris, ſicut eſt ignis obſcurus (ait enim Poëta, *Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne*). ita iuxta expoſitionem eorum verborum, ab aquis niuium ad calores nimios tranſeunt zelotypi: adeoque veras inferni pœnas ſuſtinent frigus & calorem.

Adde Beatitudinem in fruitione Dei ſitam in Cœlo. cùm autem amator Deam ſuam vocitet, & putet eam, quæ ſæpè nec mulier eſt, vtpote quæ in iuuencam commutata eſt per impudicitiam; ideo in fruitione eius ſuam collocat beatitudinem. vnde Princeps Poëtarum Italorum non erubuit dicere, quod ſicut æterna vita eſt videre Deum, ita ipſe quærebat faciem amatæ. Cùm verò priuatio fruitionis Dei præcipuè infernum conſtituat, hoc eſt dolorem damnationis; atque etiam id præſtet inuidia, quâ ardent damnati in eos, qui ipsâ potiuntur (iuxta illud de iuſto, *Cornu eius exaltabitur in gloria, peccator videbit, & iraſcetur: dentibus ſuis fremet, & tabeſcet.* vnde Chryſologus Sermone de Lazaro, de divite ait, quod viſo Lazaro in ſinu Abrahæ *zelo magis incenditur, quam gehennâ*, hoc eſt inuidia.) quid mirum ergo, ſi amator infernum quendam ſuſtineat, priuatus ſuo, ut putat numine, videnſque alios ipſo frui? *Chryſ. ſer. de Lazar.*

2. *Zelotypi per hæc ridiculos ſe praſtant.*
3. *Dementibus ſimiles.*
4. *Amor nimius cauſa zelotypiæ.*
5. *Exempla mira de zelotypia.*

2 DIxi zelotypos, ſicut olim hiſtriones huius cognominis, comœdias aliquando exhibere. nonne comœdia eſt, vxorem cuſtodes adhibere viro, ne fortè ſibi eripiatur, ipſa interea ſine cuſtode vllo. ait Martialis ad quandam Pollam:

Cuſtodes das Polla viro, nec accipis ipſa.
Hoc eſt vxori nubere, Polla, virum.

Quaſi rea vxor ſit, quaſi reus maritus, inuicem ſibi adhibent cuſtodes, teſtes, notarios, & iudices: qui cuſtodiant, qui videant vt teſtificare poſſint, qui adnotēt, qui iudicent actiones, verba, itinera, & de his omnibus proceſ-

processum conficiant. cum quibus collocuti sint, quos, vel quas aspexerint scire volunt. Amor est cæcus, & tamen hic nimis videre vult. Ait quidam, *Pur che ti guardi torto la signora, Parti hauer le bedella in vn canestro, Và pur à confessarti all' hora, all' hora, Passeggia à Santo Gianni, à San Siluestro. Rodesi i guanti vn, quand' egli hà martello: Fermasi hor sul piè manco, hor sul sinestro.* Quibus zelotyporum inquietudinem, eosque iam velut morti proximos describit.

3. Congruit rei propositæ, quamvis non puté concioni congruere, quod Marcellus Donatus 2. de mirabili historia medica, cap. primo narrat. nempe fatuum quendam, seu atrâ bile affectum fuisse, qui se cornutum existimaret, adeo, vt caput demitteret dum ostium aliquod subiret, vel arborem, quamuis essent valde eminentia. ita vt sanaturi ipsum Medici, cornua cerui capiti eius colligata secando, persuaserint ægro, quod cornua illi ademissent. Heu quot fatui hodie huiusmodi, qui nisi per se, vel per alium obtruncent sibi falso in se putata cornua, vxores, vel alios interficiendo; haud sanari possunt à fatuitate, & quasi Deo videntur dicere, *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum.*

Marcellus Donat. 2. de mirab. hist. med. cap. prim.

4 Quando *inebriati sunt, & non à vino*, sed amore mulieris, (iuxta illud Prou. 7. 18. vbi lasciua sic ait viro cuidam, *Veni inebriemur vberibus.* hoc est amoribus. *Plena sunt vbera tua vino*, alii, amores tui vino) cum ergo ebrij sunt Germanicum in morem: tunc simul suspiciosi euadunt. vulgo dicimus, (a) *è sospettoso come vn Tedesco.* suspiciosi inquam euadunt circa amatam mulierem. Vulgò aiunt, qui amat timet: sed quia vehementer amant, adeo & timent, vt toti gelu euadant. nam à gelu nos dicimus *gelosia.* quid mirũ, si refrigescat, imo extinguatur in eis charitas, vt tigres euadant in eos, quos suspectos habent?

Prou. 7. 18.

(a) Suspiciosus est instar Germani.

5. Bodinus l. 5. Reip. refert ex alio Auctore, Septemtrionales in castimoniam propensos esse naturaliter: & Ioannē Secundũ Moscouiæ Ducem vsque adeo mulieres horruisse, vt si vel vna ex eis ipsum esset intuita, exanimaretur. Quæ mira non videbuntur ei, qui sciat passim plurimos interfici spiritaliter ad aspectum mulieris. Addit auctor, Moscouitas, vt qui parũ libidine laborant, ignorare quid sit zelotypia, vnde circa id nullam habere vxorum sollicitudinem. è contra Meridionales ait adeo zelotypiâ affici, vt sæpè ex hac passione moriantur.

Bodinus l. 5. Reip.

VISVS, ET OCVLI.

2. *Transit visa pulchritudo, non vulnus acceptum.*
3. *Idem ex Hieron. explicatur. Peccator lignum aridum ex visu accenditur.*
4. *Facies mulierum cupidinis faces.*
5. *Mulier manus in facie habet, quia illa facit prælia.*
6. *Mulieris vultus vultur est eruens oculos intuentis se.*
7. *Idem ampliatur, & num. 8.*

Num. 2.

2. CHRYS. Ho. 3. de verbis Isa. dicit, eũ, qui lasciuè intuendo vulneratus fuit, transeunte ab eo vulneratore, tamen retinere vulnus. addit quod is est velut *cerua confixa iaculo.* & reddit rationē; quod *etiamsi*

Chrys. hom. 3. de verb. Isaia.

vena-

venatorum effugiat manus, nihil inde fert lucri. adde quasi versum, *Si sagittator transit sagitta remansit*, accidit quod ait Poëta *Malo me Galatea petit lasciua puella, & fugit ad salices.* transit vulnerator, non transit vulnus.

Hier. epist. 4. ad Rusticum. 3. Sic Hier. epist. 4. ad Rusticum. *Matrem, ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus.* transeuntibus feminis hærent vultus, hæret vulnus: hærent facies, hærent faces. Abit subiectis facibus ligno arido, nimirum peccatori, de quo ait, *in arido quid fiet?* si enim hæ faces tantum possunt in viridi (quale erat Dauid, quem Betsabee accendit,) in arido quid facient? Aridum lignum qui facilè aptus est accendi ab omni igne visæ pulchritudinis, vt solet accidere in homine parum vigilante super se, Amor ergo iactatis in lignum hoc facibus, potest abire: nam illæ per se facient incendium.

4. Faces dici possunt esse facies. nam incendunt. & cum dicant Poëtæ, Cupidinem adhibere faces ad corda inflammanda, dic faces suas non esse, nisi facies, quas per oculorum fenestras ingerit in domum cordis, vt dicebat Hieronymus modo relatus, donec hic ignis vsque ad perditionem deuorans, omnia era-
Iob 31. 12. dicet genimina. id enim Iob. 31. 12. dicit de simili vitio, seu peccato, nēpe de adulterio, quo cor inardescat: vt ostendunt verba illa, *si deceptum est cor meum super muliere*, &c. post quæ subdit *ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.*

5. Bene dicuntur facies, quasi faces, vel in singulari facies, quasi faciens: quia in hoc bello concupiscentiæ carnis, facies sunt illæ, quæ faciunt. ideo dicit quidam *facies amata, si pulchra sit, est manus Amoris; si deformis, pes.* hoc est, si deformis est, facit vt ipse Amor abeat à nobis: cum si pulchra sit, illa veluti manu vtatur ad pugnandum. Mulier habet manus in facie, tum quia nunquam illas remouet inde, cum semper eius ornatui vacet; tum quia per faciem vires suas exercet, & victorias acquirit suas. At vir faciem habet in manibus. quia pulchritudo eius, & virilis gratia in operatione, & fortitudine sita est. tum etiam, quia ex manibus quasi ex facie cognoscitur, iuxta illud, *à fructibus eorum cognoscetis eos.* cognoscitur ex fortitudine. 1. Reg. 4. 9. *Estote viri Philisthijm*, quomodo volunt se viros ostendere? subdunt ijdem ad inuicem loquentes; *Confortamini, & bellate.* relinquat ergo vir mulieribus culturam faciei. *1. Reg. 4. 9.*

6. Pulcher vultus rapit oculos intuentium ad se. vnde excæcat. Ergo hic vultus potest dici quasi vultur. proprium enim est auium rapacium primò eruere oculos, eo quòd sua luce, & mobilitate ipsi ad hoc eas aues videantur excitare, vt obseruant periti. Prou. 30. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedunt eum filij aquilæ.* vultures autem dicuntur esse aquilæ imperfectæ, & aquilarum pulli, cum iam degenerant à priori nobilitate. vnde dicitur, *Prou. 30. 17.*

vbi

vbi fuerit corpus ibi congregabuntur & aquilæ, hoc eſt vultures, vt docti exponunt. Cùm ergo Amor dicatur quaſi de genere auium, eo quod alatus, & volans fingatur; & delectetur carnibus; & immunditiâ; & etiam oculos eruat ſuis ſequacibus; vtique de genere vulturum dici poteſt. Vultus autem vel etiam amor vultur eſt, quia vult vrere. Vultus ergo amatæ, cùm excæcet intuentes ſe, quaſi vultur eſt. vel ipſe Amor vt in vultu mulieris dominatur, vultur eſt modo explicato.

7. Sed quid dico vultum eſſe vulturem eruentem oculos; ſiue rapere, & attrahere illos poſt ſe: cùm ipſi videntes, eos ſibi eruant, & in os vulturis iſtius figant, id quod per ſagittas amoris, quibus vulnerati fuerant, efficiunt? Auguſtin. in regula 3. cap. 21. ad finem primi tomi, *Oculi veſtri, & ſi iaciuntur in aliquam feminam, defigantur in nulla*. & paulò poſt, *quia ſicut ſcriptum eſt, Abominatio eſt Domino defigens oculum*. hoc forſitan fuit in aliqua verſione ſcripturæ. non enim eſt in vulgatâ, quam habemus. ergo adeo amentes ſunt amantes, vt oculos ſuos in os vulturis inſerant, & infigant.

AVGVST. *in reg 3. c. 21. ad fin. 1. to.*

8. Vultus appellatur etiam aſpectus: Italicè *aſpetto*. quod idem Italis ſignificat, quod Latinis expecto. *aſpectus eius in eo non eſt*. ergo non eſt, quod dixeras: nempe quod vultus, ſeu vultur tibi rapit, ſeu eruit oculos. nam expectat; vt tu illos in os eius inſeras, & vocabulo ſuo Italico quaſi dicit *aſpetto* hoc eſt expecto. hians hic vultur expectat, vt bolum in os eius cadat, vt tu oculos in ipſum iacias, ſiue infigas. nonne dicitur homo iacere oculos in feminam, vt ſupra ait Auguſtinus? culpa ergo non eſt in facie vſa, ſed in vidente. Sic Chryſoſt. hom. 22. in Gen. 1. *Oculi eſt videre; malè autem videre à mente eſt*. Vult oculus ſeipſum paſcere concupito vultu, ſeu vulture, at ſe ipſo paſcit ipſum vultum, & vulturem.

CHRYS. *hom. 22. in Gen. 1.*

2. *Aſpiciunt mulierem quaſi arcem, quam parant impugnare.*

3. *Quaſi mercem emendam.*

2. ECCLESIASTICI 9. 2. *Ne reſpicias mulierem multiuolam* (reſpicere, quaſi reaſpicere, iterum aſpicere) *ne incidas in laqueos illius*. & numer. 8. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam*. ne circumſpicias. Vndique, & ex omni parte pulchram aſpiciūt, ſeu circumſpiciunt, quaſi munitam arcem quam aggredi, & oppugnare iam parant, *à cui voglion dar l'aſſalto*. Chryſoſtom. homil. 3. de verbis Iſaiæ legit, *ne cognoſcas*, vbi nos habemus, *circumſpicias*. circumſpiciunt, quaſi oculis obſidentes, & circumdantes velut militibus, vt eam capiant. hæc ergo non facias circa huiuſmodi arcem, aut munitionem, vulgò *fortezza:* alioqui ſuſpicabuntur aliqui, velle te eam expugnare. ne reſpicias, ne accedas circumdando vrbem. nam ſæpè vrbs inſidias, & laqueos, ſiue cuniculos parauit, vnde appropinquantes ad ſe hoſtes capiuntur, dum quærunt abſque circumſpectione eam propius circumſpicere. Hoc accidit illis incautis mulierum inſpectoribus: nam ait, *ne fortè incidas*

Eccleſ. 9. Num. 8. CHRYS. *hom. 3. de verb. Iſai.*

in laqueos illius. Omnis ornatus mulieris multiuolæ, omnes nutus & illecebræ, laquei sunt & cuniculi parati ad capiendas animas, ad capiendos, & rapiendos oculos, qui eam circumdant, vt amore excæcet illos.

3. *Ne respicias*, ne reaspicias, vt explicaui: ne etiam *circumspicias*. mercé enim, quam iterum aspicis & circumspicis, credet illa & alij, quod emere velis; & ideo illa faciliùs fortasse se vendere parabit: quod est incidere in laqueos illius.

4. *Curiosè intueri, & amare ferè idem.*
5. *Idem.*

4. NE circumspicias, Chrysostom. supra, *Non cognoscas.* vbi ille addit, *Non dixit, ne videas. id enim nonnumquam fit vltro, sed, ne cognoscas. ne studio, ne curiosè intuaris, ne contemplationi immoreris.* oculus per speciem ad se venientem videt, vt aiunt Philosophi, nimirum per speciem rei visæ: at si ipse exeat ad speciem, excæcatur. ideo ait, *ne circumspicias speciem alienam.* excæcari enim dicitur amans, sicut ob id Amor cæcus pingitur. Sed nota super lectionem Chrysostomi, *cognoscere mulierem* etiam in Scriptura sumi pro fornicatione & etiam pro curiosa inuestigatione, & contemplatione eius, vt hic: quasi indicetur, sæpè vnum & idem esse; hoc, & illud facere: & hæc duo sæpè simul incedere, scilicet curiosè aspicere feminam, & eam cognoscere saltem desiderio. nam qui viderit ad concupiscendum, *mœchatus est eam in corde suo.*

CHRYS.

Vel dic per speciem homo videt, & per speciem homo non videt. hoc est excæcatur per pulchritudinem.

5. Iuxta Chrysost. hoc est dicere, ne *diligenter* inspicias. Idem est diligere, & amare. qui ergo diligens est in aspiciendo, facilè erit diligens ipsius rei inspectę, saltem aliquo modo veniali ne ergo respicias, ne fortè incidas in laqueos illius.

2. *Amor cæcus, & optimus sagittarius.*
3. *Pusilli cordis sunt amantes.*

2. OCVLVS *meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ*, Threnor. 3. 51. Hieron. ibi *per oculum corporis pertulit prædam cordis.* De quodam sagittario legi, quod pomum excuteret de fastigio capitis viri, capite ipso illæso. at vide quis sit peritissimus omnium sagittantium. nempe hic est puer, & cæcus. Cupido enim, siue Amor per loca angustissima, nempe per oculos traiicit iacula sua ad hominum corda: semperque ad hunc exiguum scopum dirigit sagittas suas sic homo per oculum corporis perfert prædam cordis.

Thren. 3. 51. D. Hie.

3. Amor lasciuus (quem vulturem dixi & ideo eruere oculos per foramina hæc exigua in capite facta) furatur deinde cor, educit, seu extrahit animam. *nam oculus deprædatus est animam meam.* hoc est amor per oculum. Vide ergo quàm exiguum cor, quàm pusilla anima, quæ per fenestras ita exiguas extrahi possunt. Vide quàm pusilli & abiecti cordis, & animi, qui femellæ se tradunt in prædam, & excæcati velut Samson saltare compelluntur iuxta modos arbitrij, & leuitatis suæ. (a) *Sion indotti à ballar, e saltar nel modo*

(a) Saltare cogũtur ad modos

quos illa praeciuerit. *modo, che ella loro suona; gli fa saltar come li piace.*

4. *Oculi equi fiunt, nisi regantur, in praeceps trahunt.*

Chrys. Hom. 22. in Gen. 4. CHRYSOSTOM. Hom. 22. in Genes. dicit oculos esse quasi equos irrationales, & indomitos: à quibus, si auriga, hoc est mens seu cor, trahi se sinat; in praeceps ruit. Vide ergo quam leue cor, quàm pusilla anima, quae ab equis tam exiguis trahi se sinunt. oculi exigui, equi sunt respectiuè ad tale cor, & animum. *Si nescis oculi sunt in amores duces*: sed qui oculi? certè excaecati, vtpote à luce rationis iam abducti ex concupiscentia brutali. oculi qui priuati ratione. effecti sunt velut oculi canis, vel felis. Praeclaros scilicet & magnos duces sequitur anima, sequitur cor. Meritò eos equos vocauit Chrysostomus, vt qui se à ratione subtraxerunt. Ideo cor sapientis magnum & graue, non ita se gerit. Iob 39. 7. *Si secutum est oculos meos cor meum; Seram, & alius comedat*, hoc est si concupiui, quod vidi. Attende hos equos trahentes in praeceps animam, Hiere. 22. 17. *Tui oculi, & cor ad cursum mali operis.* Si nescis oculi sunt in amore duces. oculi excaecati, vt dixi, & parui à te assumuntur in duces tuae animae. quid mirum si illi, & illa praecipitent? *Si secutum est oculos meos cor meum, &c.*

Iob 39. 7.

Hiere. 22. 17.

2. *Pupillae oculorum quasi puellae, ciliorum velis tectae, vt modestae & parum curiosae in videndo sint.*

2. ISIDOR. lib. 11. cap. primo Originum ait, *oculis* quasi occultos dici à verbo *occulto occulis*, quod significat occultare. rationem affert, eo quòd occultentur, & protegantur à tegminibus illorum, seu palpebris. Dic, rectè vocari *pupillas oculorum* partes eorum praecipuas in videndo. nam velut pupillae (puellae scilicet) apud nos velaminibus contectae caput incedunt & eatenus tantum dilatant, & attollunt velamen, quatenus necessitas ambulandi, & rectè incedendi exigit: sic pupillae oculorum in discreto viro, vel muliere ad eandem mensuram & normae rationem, & non vltra adhibendae sunt ad videndum; ne peccati, & concupiscentiae puluis, aut festuca, aut fortasse etiam trabs illas laedat alluditur ad festucam, & trabem peccati, quae in oculos ex Euangelio docente scimus penetrare oculos. Isidor. lib. 11. c. 1.

2. *Amor vnus propter alas quasi auis intrat per fenestras oculorum, non per ostium; quia vt latro ingreditur.*
3. *Oculi vt custodes dati, ipsi praedatores hominis fiunt.*
4. *Nullatenus assidendum mulieri.*
5. *Aspiciens mulierem mente capitur, labitur in crimen.*
6. *Cadit in foueam.*
7. *Totas à vertice ad calcem circumspectant feminas.*

2. LASCIVVS Amor, cum alatus sit, quasi de genere volucrum dici potest: maximè cùm ratione careat. ideoque, sicut aues solent, per fenestras saepè ingreditur,

 nempe

nempe per oculos. Morti comparatur amor non solum spiritalis, sed etiam generaliter sumptus, vt exponunt aliqui apud Gisslerium, sic accipientes illud Cantic. 1. *Fortis est vt mors dilectio.* Amor itaque sicut mors. (immo quia mors est animæ) si malus est, ingreditur per fenestras. Ingreditur vt latro. quia *oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ,* Tren. 3. 51. quamquam sensus sit accommodatitius, non litteralis. Amor vanus mulierum in hoc se ostendit latronem: quia *non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, vt perdat, & mactet, vt furetur, & rapiat.* nam *ebrietas, & mulieres auferunt cor.* hoc est amor mulierum. Intrat inquam per fenestras, non per ostium.

Cant. 1.

Thre. 3. 51

Thren. 3. 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Hieron. ad supra relatus, *per oculum corporis. pertulit prædam cordis.* Quidam princeps audiuit fures nocturnos grassari per ciuitatem. constituit contra eos custodes, & satellites, vt custodirent res ciuium. at ipsimet custodes etiam fures effecti sunt. Vtinam non accidat hoc sæpè sæpius. ita oculi, custodiæ nostræ deputati, ipsi etiam deprædantur nos. oportet ergo custodes adhibere custodibus; &, si fieri posset, alios habere oculos, qui oculos custodirent. at tradidit nobis Deus oculos mentis, qui custodiant oculos corporis. Caue ergo tibi ab oculis. esto super oculos oculatus. *bisogna hauer gl'occhi, à gl'occhi: bisogna guardar si dal guardare. perche se guardo ardo: perche se miro, moro.* nam cum dixisset, ne circumspicias speciem alienam, addit subito: *propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Ait quidam, propter vnam speciem multa pereunt indiuidua. allusit æquiuoco verbi, *species.* Eccles. 9. 9.

4. Sequitur, *cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, &c. ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.* vnde quidam: *Emineas, cum femineas tu cernis ideas: Ne sedeas, sed eas; ne pereas, per eas.* scito quod *beatus, qui in via peccatorum,* aut peccatricium *non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* cathedra pestilentiæ est illa, quâ hæc mulier te apud ipsam sedere cupit. Anima ait Arist. sedendo & quiescendo fit prudens. at hic sedendo & quiescendo fit imprudens, fit amans, fit amens.

5. *Ne circumspicias speciem alienam.* vt circumspicias illam ab omni parte, oportet, vt ita loquar, vt illam circumeas. sed cogita quod *in circuitu impij ambulant.* scelestus fies, & impius per circuitum huiusmodi. Vertigo quæ à vertendo dicta est, idem est ac in gyrum conuersio, atque etiam mentis, & sensuum quidam defectus, quo sæpè homo humi corruit. initium enim est quoddam caduci morbi, à cadendo sic appellati. vulgò dicimus, atque experimento constat, (a) *à chi và attorno gli vien meno il ceruello.* mentem ergo amittes ex diligenti inspectione & consideratione mulieris, fies amans, fies amens.

(a) Corpus in orbem vertenti inuertitur cerebrum.

6. *Ne circumspicias speciem alienam.* adhibe circumspectionē, vt non circumspicias.

cumſpcias. vt tu ſis circumſpectus, non ſit illa circumſpecta, videlicet à te, *ne fortè declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem.* en cautela, en lapſus ex vertigine. Vertigo illa præſertim afficit oculos, cum etiam ſit gyrus oculorum; quia per hunc circuitum & ipſi lumen ſuum, quaſi caput mentem, aut ſenſum ſuum deperdunt. vnde Amor cæcus dicitur, eo quod amantes excæcet. obſcuratur, & deficit lux oculorum ex hac vertigine, ſicut in vertigine propriè ſumpta accidit, & tu cæcus factus incidis in foueam. nam *fouea profunda eſt meretrix.* tu verò cadendo, mulierem hanc, foueam tibi facis. nam cum illam videris ad concupiſcendum, iam mœchatus es illam in corde tuo. *Ne circumſpicias ſpeciem alienam*, ne ambias illam oculis. Ambire enim eſt circuire, & concupiſcere. qui enim honores expetebant, obibant ciuitatem ſuffragia electorum poſcendo. vnde dicta ambitio. Sed adde videri poſſe Eccleſiaſticum hic loqui de meretrice, quæ verè fouea ſit, in quam incidas. nam ſtatim ſubdit, *Omnis mulier, quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur.* Cum autem *ambitio* honoris eſſe ſoleat, vide cuius honoris ambitioſus ſis, nempe fœditiſſimi excrementi. Circuis ſaltem oculis mulierem hanc quaſi leo rugiens, & quaſi diabolus quærens quam deuores (vulgò dicimus oculis eam deuorauit, hoc eſt auidiſſimè aſpexit. nam viſus eſt cibus oculorum *non* Dan. 13. *ſatiatur oculus viſu.* & Daniel 13. ſenes iuſſerunt, inquit, vt diſcooperiretur, nempe Suſanna, *Vt vel ſic ſatiarentur decore illius.*) Vide ergo quem cibum vorare cupias, ſeu deuores, nempe quæ res tam fætida eſt, vt ſupra diximus.

Forſan dicere quis poſſit, hoc loco dici *noli circumſpicere ſpeciem alienam*; eo quod mulier compta, & ſpecioſa, de qua hic eſt ſermo, præſertim ſi ſit fornicaria, vt pompam ſuæ pulchritudinis efficiat, de induſtria, confictâ tamen occaſione aliquâ ſeſe in gyrum vertat, vt ſui conſpiciendi circumquaque præſentibus facultatem faciat.

7. Verius tamen eſt circumſpicere mulierem dici, eo quod auidus adoleſcens, ſtatim ac coram ſe formoſa aliqua fuerit, ipſam à capite vſque ad calcem, & vt dicitur intus & in cute vno oculorum intuitu percurrit. *La ſquadra tutta da capo à piè in vna riuolta d'occhi.* Nonne tam ſtrenuè ſe geſſit is, cuius oculos rapuerunt ſandalia mulieris? oculos etiam in calcaneis feminarum defigunt, vt faciliùs premendo eos excæcent. Prouerbior. Prou. 17. 14. 17. 14. *Oculi ſapientis in capite eius.* ſed additur, quòd *Oculi ſtultorum in finibus terræ.* dici poteſt, cùm mulier terra ſit, &, ſi impudica eſt, ſit terra viliſſima & ſordidiſſima, vt ſupra dictum eſt; ideo oculi ſtultorum non in capite ſuo, ſed potius in calcaneo ſunt alieno. dicam ſolidius, percurrunt terram huiuſmodi vſque ad fines eius ſcilicet ad plantas, & ſandalia. *Ne circumſpicias ſpeciem alienam*, ne propter illam pereas. ne intuearis feminam, vt tuearis maſculum, nempe te ipſum. excæca te ſuper illam ad momentum, ne per illam excæceris in perpetuum. ne

vertas super eam oculum in orbem, ne illa ipsum vertat in orbum, hoc est orbum lumine, vel orbum Italicè scilicet excæcatum. hoc enim est, ne circumspicias.

2. *Forma feminea sol est, excæcat, accendit. lucerna est, qua papilio aspicientis perit.*

2. AXIOMA est Philosophorum, Obiectum excellens corrumpit sensum. Pulchra inquiũt est illa mulier, tanquam sol: *è bella come vn sole.* Ecclesiastici 27. 21. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species, in ornamentum domus eius*, at de Sole, cap. 43. 4. ait, nempe de æstiuo, ac etiam meridiano, quantum ipse intelligo: *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radijs suis, obcæcat oculos.* Ita sol iste accendit. nam ex illo, hoc est ex specie mulieris conspectæ cõcupiscentia quasi ignis exardescit, immo & excæcat oculos; amor enim cæcus appellatur ab effectu, quia cæcos efficit amantes. De specie eiusdem mulieris, cap. 27. 22. dicitur, *Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem.* At si tu velut papilio, Italicè *farfalla*, delectatus specie huius lucernæ, circum illam oculis, vel etiam animo discurris; (nam circumspicere significat etiam mente sollicitá considerare. vnde circumspectus idem est ac cautus, & vt vulgò dicimus, consideratus.) si inquam id agis correptus flammâ peris.

Ecclef. 27. 21.

Cap. 43. 4

Ca. 27. 22

2. *Oculi fenestræ vitreæ sunt. pars infirma. hæc contra hostem magis munienda.*

3. *Ex inspecta muliere vt petra scandali hominis currus subuertitur.*

4. *Oculus materialiter, & moraliter lubricus est, & in eo facilè labimur.*

5. *Etiam quia est origo culpæ. instrumentum est etiam pœnitentiæ per lacrymas.*

2. FORTIS est vt mors dilectio. dilectio inquam, etiam non spiritualis, vt supra dixi. vnde notum est illud Poëtæ, *Omnia vincit Amor, & nos cedamus amori.* cum amor iste, (quia est mors spiritualis,) intret per fenestras; adhibenda custodia fenestris istis, quæ sit fortior ipsis hostibus, vt eos repellere valeat: sit fortior amore, & morte, & vincat, quæ omnia vincunt. Vbi murus vrbis infirmior, ibi fortior militum manus collocari solet aduersus irrumpentes hostes. at quid infirmius fenestris oculorum? sicut apud nos vitro clauduntur, ita vitrei sunt oculi materialiter & moraliter, hoc est debiles. Tres humores in oculo esse aiunt Philosophi, vt habet Alb. lib. 1. tract. 2. cap. 7. de anim. primus inquit, est vitreus, secundus cristallinus, tertius glacialis. *Thesaurum habemus* non solum *in vasis fictilibus*, sed in vitreis. Sol, & lampas ingens, ac ardens, vt diximus, est species mulieris. vide quale lucrum erit glaciei si appropiet huic soli, huic lampadi? Vide quàm fragilis glacies, crystallus, vitrum. Non semel, sed ter fragilis oculus est ob illa tria, fragilis tam materialiter, quàm metaphoricè.

Alb lib. 1. tract. 2. cap 7. de anim.

3. Ec-

Eccl. 9. 5. 3. Ecclesiastici 9. 5. *Virginem ne aspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.* scandalum definitur occasio ruinæ. vulgò aiunt, Miser iste post eam mulierem abeundo ceruices fregit: Italicè *si ruppe il collo: diuenne vn scauezza collo.* Currum videas optimè currentem. sed ecce incidit in lapidem, & repentè subuertitur. fuit illi lapis ille, petra scandali. Optimè currebat viã mandatorũ Dei adolescens ille. at obijcitur illi pulchra virgo. pulchritudo, & decor eius fit illi petra scandali. subuertitur repentè. Vulgò eum, qui discolus est, & à virtute recessit, vocamus currũ euersũ. *Diuenta vn carro strauolto.* Currus ita subuersus repente excutit in via quæcũque super se gerebat, quamuis fortasse pretiosa: sic & adolescens à se quod gerebat excutit, & proijcit in lutum non minus thesaurum, quàm paleas, seu ligna. statim fit prodigus filius, thesaurumque & aureos ita prodigit in mulieres ac si stipulæ essent. vnde & ad inopiam redigitur vt prodigus filius. Adagium est: Crumenæ amantium porri folio colligatæ sunt. Excutit etiam à se thesaurum omnium virtutum, & honestorum studiorum, bonaque ante actæ vitæ; factus scortator, vt mos est talium: qui idcircò rectè dici possunt currus subuersi, quòd nihil boni in eis remaneat post hoc.

4. Lubricus est oculus materialis: ac talis etiam dici potest, ob periculum labendi in illo, & propter illum. lubricus est, & mollis est: vitreus, & glacialis. quantâ cautione, & timore ambulandum super vitrum, & glaciem? Quod si accedant tenebræ, vt luce sapientiæ & mentis orbatus sit: (nam *supercecidit ignis* concupiscentiæ, *& non viderunt solem*) tunc fit in misero maledictio illa: *fiant via illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.*

5. Cur oculus constitutus à Deo pœnitentiæ omnis auctor, videlicet per lacrymas, quæ omnes animæ sordes emundant? respondeo, quia, qui auctor est peccati, auctor etiam debuit esse pœnitentiæ. At oculus ferè omnis peccati auctor est. concupiscentia enim non tam carnis, quàm ceterarum rerum (nam *concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum*) origo est peccati. hæc autem ab oculis potissimum incipit. Quæ enim videmus, ea cupimus, si placent. & ex visione cuiuslibet amatæ rei, *concupiscentia sicut ignis exardescit.*

2. *Venus orta aquâ, filius eius Amor è materia aquea, scilicet oculorum.*
3. *Ignis ex sole pulchritudinis inspectæ in crystallo oculi aspicientis accenditur.*
4. *Oculus fons ignis & aquæ. in oculi exigua aqua multa naufragia. Aqua in oculo ignis lasciui, est antidotum.*

2. SED quamuis ex intuitu rei amatæ cõcupiscentia oriatur, præcipuè tamen ex intuitu femineæ formæ oritur amor, seu potius ex oculis amantibus illam. Venus dicitur orta mari, orta aquâ etiam filius eius ex aqua genitus dici potest. nam materiam oculi aqueam esse docet Aristotel. & alij. vnde si in nimium fletum diffluat, potest excæcari. Mater amoris orta mari: filius verò ex

ex modicâ aquâ. sed quamuis oculus amatoris est modicum aquæ, est tamen sæpè mare luxuriæ.

3. Solem diximus esse ex Ecclesiastico, mulieris speciem: oculum verò esse cristallum, & vitrum, immo animi speculum, vt quidam eum vocitant, eo quòd in oculo animæ affectus discerni soleant. Quis verò nescit, radios solis cristallum aut speculum ferientes, sæpè ignem elicere in materia speculo vicinâ? ex aspectu ergo mulieris, tanquam Solis *concupiscentia sicut ignis exardescit.*

4. *Ne circumspicias speciem alienam.* Species sita est in superficie rei speciosæ. species ergo est quædam exterior figura, & vt ita dicam apparentia. Superficies enim est obiectum visûs. Sed ex aspectu speciei oritur concupiscentia. nam oculus post superficiem quærit corpus. amator, amatæ obtentâ imagine ipsam cupit amatam. Colorem tantùm rerum aspiciunt oculi. concipiunt colorem, sed pariunt calorem. Oculi stellæ dicuntur, præsertim à Poëtis, dum de amasiorum loquuntur oculis: Sed, sicut stellæ, scintillant ignē. nam concupiscentia ex iis sicut ignis exardescit. Satyrus quidam, vt ferunt, homini cuidam iunxit se sociū. vidit eum iam affectum frigore insufflare in manus. petit, cur id agat: ille respondit ad eas fouendas se id præstare. iterùm in calore manuum cum videt idipsum facere; interrogat, & audit, ita se manus refrigerare. tunc, Vale, inquit, frater: nolo illi socius esse, qui ex vno ore calidum efflat, & frigidum. Oculus idem calidum & frigidum, ignem & aquam emittit à .c. ne ergo fidas huiusmodi socio, custodi te ab illo. custodi illum. Exigua humoris aqua, exiguus humor, vt diximus, est oculus. tamen plures naufragium fecerunt in hac exigua aqua, quàm in mari. quamuis & hic possis dicere, quod in eo licet sit modicum aquæ, sæpè est mare luxuriæ. Quid est dicere *propter speciem mulieris*, nempe conspectam, *multi perierunt*; nisi dicere, quòd in aquâ exiguâ oculorum naufragarunt? Ex aqua, quæ deinde in glaciem, & crystallum concreta est, oculi geniti videntur. nam & cristallus ex Philosophis est glacies inueterata. Oculi fontes aquarum constructi videntur esse, vt vbi est morbus, ibi esset antidotum: nimirum, vt impedimento, & remedio essent igni concupiscentiæ *vt vnda flammas temperet, cordis solum ne dissipet.* & tamen hominis culpâ aquæ multæ non possunt extinguere noxium amorem, nec flumina obruunt illum. quot enim etiam lacrymantes propriam concupiscentiam, quæ sicut ignis exardescit; & exitus aquarum deducendo per oculos, tamen non senserunt extingui huiusmodi incendium?

2. *Oculi peccatorū facilè accenduntur, damnumque sustinent intuitu mulierum. septem tunicis armati oculi sunt; quia bella magna sustinent.*

3. *Qui capitur oculis musca est, quia telâ aranea capitur.*

2. EX hoc, nempe intuitu speciei mulieris, ex oculis intuentibus, *concupiscentia, quasi ignis exardescit.*

ſcit. Oculi tui, ſi venialibus culpis detineris, feſtucas; ſi mortalibus, trabes in ſe continent. vide ergo ſi ſpeciem mulieris intueantur, in quãtum diſcrimen incendij ob feſtucas, & trabes ſe conijciant. Diximus ſupra, oculos eſſe equos. adde, velociſſimi curſûs. Nonne momento temporis vſque ad cœlum excurrunt? at adagium eſt, (a) *Canal corrente ſepoltura aperta.* cum ſic currant, vide quanta in eis corruendi pericula. Ergo virginem ne aſpicias, ne fortè ſcandalizeris, hoc eſt ne cadas in decore illius. Aiunt Philoſophi, idque Albertus teſtatur cum eis libr. primo de anim. tract. 2. cap. 7. oculum habere ſeptem tunicas. dici poteſt, non eſſe mirum ſi citò calefiat; vnde & ignem concupiſcentiæ emittat: vel, ita quaſi ſeptem loricis munitum, & armatum eſſe contra amoris iacula.

(a) Equus currens, ſepulchrum apertum.

Alb. l. 1. de an tr. 2. c. 7.

5. Albertus ibidem telam quandam in oculis memorat, quæ retina, vel aranea dicitur quia (quantũ cõijci poteſt ex anatomiâ, quæ nomina ſolet imponere partibus corporis, iuxta ſimilitudinem, quam retinent cum rebus) reticula & quaſi aranearum tela eſt. Cùm ergo laſciuus capiatur ab oculis ſuis, vt dicitur de Holopherne, qui *Captus eſt in oculis ſuis*; vide quàm exigui cordis, quàm infirmæ, & puſillæ animæ ſit homo, cuius cor, & anima telâ aranearum capitur. muſca ergo ſunt potiùs quã cor, & anima. Si exigui duo. imò plures puſiones caperent, & ligarent Samſonem; ô quam ridiculum hoc eſſet ſpectaculum! & tamen duæ pupillæ oculorum id ſæpè faciunt viris fortiſſimis. & fecerunt in ipſo Sãſone, & nemo ridet. ait Poëta noſter: (b) *I tuoi begli occhi ò donna mi legaro i. ò ſol fan l'huomo matto da legar, ma legato.*

(b) Non ſolũ reddunt hominem Phreneticum & vinculis ligandũ, ſed ligatum.

4. *Oculi dati ad lucem, ad duplices ducunt tenebras mentis, ſcilicet & inferni. Cæſar in hac re cantet,* Veni, vidi, perdidi.

5. *Duplices pupillas mulier aufert.*

6. *Variæ rationes, ob quas oculi amorem inducunt.*

4. VIRGINEM *ne aſpicias, ne fortè ſcãdalizeris*, hoc eſt cadas. heu miſeri! oculos tribuit Deus caſum vt euitemus corporis, & nos his caſus etiam facimus animæ. ab his, quos tribuit, vt eſſemus in luce; trahimur ad tenebras: hîc ſcilicet cæcitatis, & in alia vita damnationis. quos dedit, vt eriperent à foueis, nos trahunt in foueas. nam fouea profunda eſt meretrix. Oculi ſunt faces ad expellendam noctem à corpore, noctẽ tenebrarũ: at nos faces funebres eos efficimus, quæ nos ad foueam ſepulchri deducant, ſeu ad ſepulchrum mortis. &c. Vnius Cæſaris decantatum eſt illud, *Veni, vidi, vici.* ſed noſter miles potiùs dicet, veni, vidi, perdidi. quamuis in bello Amoris non potuit Cæſar illud prius dicere; ſed *Veni, vidi, perdidi.* nam victus eſt ipſe ab oculis.

Eccleſ. 9.

5. *Ne circumſpicias ſpeciem alienam*, ſubditur, *propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* perierunt in anima, atque in opibus ſicut filius Prodigus: qui omnia, cum meretricibus dilapidarat. de quo proinde dicitur quod *perierat, & mortuus erat.* Cum mulieri ape-

aperuisti oculos, cogeris deinde aperire loculos. (a) *La donna doppiamente ti spupilla, cioè leuandoti le pupille, accecandoti; e leuandoti la robba, che è la seconda pupilla dell'occhio. chiaman* spupillare *i giouani, il farli balzar i denari di borsa.*

(a) Mulier duplicē tibi pupillam eruit: primam oculorum alteram oculorū.

6. Ex oculis amor. ex ijs enim *concupiscentia quasi ignis exardescit.* Quid pulchrius oculo in membris vniuersis? At, si similitudo est causa amoris; quid mirum si ijdem oculi pulchri, ament pulchrum? quid mirum si te trahant ad pulchras? ergo caue tibi ab oculis. Eâdem ratione, scilicet similitudinis, quid mirum si pupillæ libenter euolent ad puellas? Symbolum mirabile amantium sunt oculi, ratione eâdem similitudinis. quid enim similius oculo, quàm oculus? Amantissimi mutuo sunt. nam cum duo sint, tamen in actu videndi vide quàm vnanimes, vt quocunque se vertat vnus, & alter se vertat; & obiectum eodem omnino modo repræsentent. quid mirum ergo, cùm ament, & amantes sint; si etiam amore delectentur? Si nos trahere studeāt ad amandum? *Ergo oculos frænis, ergo compesce catenis.* dic Deo, *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.*

2. *Oculi vt speculatores in alto collocati arcis. Si corrumpantur illi, quid de vrbe? Soli sunt in mundo paruo hominis. quid fiet hoc sole obscurato?*

3. *Oculi valde intuentes, ex Philosophia non signum.*

4. *Exemplum mirum continentiæ oculorum.*

2. CICERO de natura Deorum ait, oculi tamquam speculatores altissimum locum obtinent. Si speculatores corrupti sunt ab hoste; actum est de exercitu. Custodes sunt. Italicè *Son i Guardiani.* Sic vocantur rectores in religione Minorum. (b) *Guardiani dal guardare. Se i Guardiani fian tristi, che saranno i Frati?* ceteri sensus sunt velut fratres reliqui, qui subduntur custodibus. nā *secundum iudicem populi sic & ministri eius.* Oculi Solis locum obtinent in mundo paruo, scilicet in homine, vt sol in magno. sed sol ecclypsatur (vt cum vulgo loquar) *à luna*, quæ ob inconstantiam feminæ est symbolum: nam *varium & mutabile semper femina:* sic oculi excæcantur amore à muliere. Vide quæ Astrologi afferant prouenire damna in mundo ex solis defectu, & intelliges quā lædatur homo obscuratis luminaribus oculorū. Obscuratis luminaribus cœli, instante mundi termino, non nisi mundi excidium expectabitur: sic excæcatis hæc timenda luminibus, in minori mundo. Cōmitte oculos custodiendos matri, vt eos tibi non eripiat soror: hoc est, demitte eos humi, vt mulier nō eripiat. Si oculos tuos semel efficias fornaces (scilicet concupiscentiæ igne in eis excitato) semper deinde erūt fontes: nempè in hac vitâ, cum te tamquam prodigum filiū videris ad inopiam redactum; vel in futurâ, vbi erit fletus & stridor dentiū reprobis. Si ad breue tēpus aspexeris Rachelem, ipse in perpetuum eris Lia, hoc est lacrymans.

Cic. de nat. Deor.

(b) Guardiani dicti sunt à *guardare* i. e. videre, obseruare. Si Guardiani male viuant, quid facient Fratres?

3. Cohibe oculos tuos. Alb. l. 1. tr. 2. c. 3. de ani. inquit, Oculi fluctuātes

Alb. l. 1. tr. 2. c. 3. de anim.

tes & tamquam æstus mobiles, proni sunt in Venerem. Ibidem ait: Oculi ad superiorem partem conuersi insaniam mentis declarant, & hominem voracem, & vino ac Veneri deditum. Ibidem: Oculi, inquit, multæ apertionis, & paucæ clausuræ stultitiam, & inuerecundiam ostendunt. Addit: Oculi nec multæ apertionis, nec multæ clausuræ bonitatem discretionis, & dispositionis in omni opere significat. Ex his collige qualiter oculis vti debeas, vt probum de te testimonium exhibeas.

Theatr. v. h. pag. 2336. Cuspinianus apud Theatr. v. h. pag. 2336. ait, mulieres Turcarũ nũquam domo exeunt, nisi velatæ: ita vt videre, & non videri possint. idque etiam rusticæ præstant. *Cranzius lib. 1. Daniæ, cap. 5.* Cranzius l. 1. Daniæ, ca. 5. narrat de Sigiritta filia regis Daniæ Siualdi, cuius fuit pudicitia tanta, vt numquam visa fuerit virum intueri. cum multi proceres eam sibi in sponsam peterent; tandem pater edicto promulgauit, eum ex ipsis filiam in matrimonium habiturum, qui efficere posset, vt illa ipsum inspiceret. tentata res omnibus modis fuit, præsertim ab vno, qui vt id impetraret, vitam in discrimen etiam adduxit. tamen numquam ad hoc Virgo induci potuit. tandem cum sibi visum est adesse tempus nuptiarum, oculos in vno aliquo defixit vt suum virũ declararet futurum: quem etiam in coniugium accepit.

BLASPHEMIA.

2. Dæmon blasphemiæ vocabulum nec proferre ausus loquendo de maledicentia in Deum.

3. Nec Michaël Dæmonem arguens ipsum ausus est blasphemare.

4. Deus interdum plus Prælati, quàm suã visus est sentire iniuriam maledecentiã illatam.

5. In dolore non maledicens, martyr est:

6. Hic ab inferno fertur in cœlum quasi à vehiculo.

2. IDYMVS ad illa verba dæmonis Iob 1. 11. *Tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciẽ benedixerit tibi*; benedixerit pro maledixerit, inquit, positũ esse. addens, *Ne Deum verbo asperiore figere videretur.* & Hierõ. hoc loco ait, eum posuisse benedicendi verbum, vt hoc (nempe maledictionẽ) à meliori parte significaret. En ergo quomodo blasphemi deteriores diabolo sint, cũ ipse neque blasphemiam nominare ausus sit cũ Deo loquẽs, ipsi verò tum Deo, siue de Deo loqui ferè nesciant nisi blasphemando. *Iob 1. 11.*

3. Iudas 1. *Cum Michaël Archangelus cũ diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ. sed dixit: imperet tibi Deus.* Græci, & Hieron. aduersus Ruffinum legunt. *Increpet te Deus.* Hoc est: Archãgelus non est ausus ipsum omnibus exosum, & blasphemijs dignum diabolum secum disputantem, & causã iniustam tuentem, blaspemare, aut contumelioso verbo corripere. Vt discamus etiam cùm iustam causam tuemur aduersus aliquem proteruũ, & maledicum, non vti asperâ increpatione. subdit: *ij autẽ quæcumque igno-* *Iudas 1.* *Caiet. in ep. Iudæ, & alij dicunt, altercationẽ fuisse. quia Michaël volebat*

 Ran-

occultare Moysis corpus, ne Iudæi in idololatriam. proni illud adorarent diuinis obsequijs. dæmon autem id impedire volebat.

rant, blasphemat. &c. supra dixerat: *Maiestatem autem blasphemant.* Dices: ille qui contendit mecum valde proteruus est, & maledicus, & iniquus, & pro iniustissima re contendit: ego verò innocens sum, ego dignitate longè maior, &c. quomodo ei non maledicam, cum etiam à Iobo, vt ita dicam, maledictiones posset extorquere? Tamen respondeo: sit etiã iste diabolus, & tu sis Archãgelus possũtne extrema hæc magis contraria esse, & se inuicem excedere? tamen, vt dixi, ille non est ausus iudiciũ inferre blasphemiæ. *Omnis obiurgatio carere cõtumelia debet*, inquit Tullius. Homines impij audent in Deum, quod Archangelus non est ausus in diabolũ. quid deterius dici potest?

4. Accusatus est quidã de blasphemia in Deũ, & maledicẽtia in Moysẽ Leuit. 24. 14. iuxta textũ Septuaginta, & in eodem textu dictum est à Deo: *Educ eum, qui maledixit, extra castra, & lapidet eum omnis multitudo Israël.* quare non dixit puniendum blasphemum, sed solum maledicum? Isidorus clariùs respondet, *Deus, cui sui curæ sunt, magis voluit vlcisci iniuriam Moysis, quàm propriam contumeliam. ideò dixit, educ maledicum, & non dixit, educ blasphemum.* Valeat hoc pro reuerentia Prælatis, & superioribus exibenda: quorum iniurias aliquando (etiam verbales) minus tolerat Deus, quã suas. Sed adde ingratitudinem multorum prælatorum & patrum familias, qui è contrario diligentes sunt in puniẽdo maledicos in se, negligentes in puniendo blasphemos in Deũ. Vel etiam applica impatientiæ, & superbiæ nostræ, cum enim Deus nonnumquam, imò sæpissimè toleret innumeros se blasphemantes absque vlla vltione, aut ostensione iræ: nos neque vnum verbum amarum pati possumus, quin subito maledicum vlciscamur.

Leuit. 24. 14.

Hoc ita affert Mendoza in 1. Reg. c. 1. nu. 2. sec. 4.

5. Chrysost. in Psal. 127. ait, *Non solum dilaniari, & excarnificari, sed etiam cum dolor impellit ad blasphemandum, toleranter potius ferre laborem, & nihil turpe, & inhonestum dicere, facit Martyrem.* *Chrys. in Psal. 127.*

6. De lingua, de qua ait Iacobus *Iac. c. 3.* cap. 3. quod ab ea *procedit benedictio*: dicit etiam, quod *inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehennã*: inflammatur à gehenna ad blasphemandum, & maledicendum. Sed quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ. ideo qui, iuxta modum dicendi ipsius Chrysostomi, restitit huic igni, & quasi tres pueri, illæsus per illum transijt tãquam martyr, cœlumque per hoc ascendit; iste ipsum etiam infernum habuit in obsequium & vehiculum, quo eleuauit se ad Paradisum. nam gehenna inflammans illum ad blasphemandũ, dum ei resistitur, fit meriti lucrum ipsi tentato, & consequenter beatitudinis.

At istud, quod dixi, ipsum infernum iustos ferre in Paradisum tamquam vehiculũ, eo tamẽ modo, quo Iacobus ibi sumit infernum, etiã per Chrysologũ Serm. 166. probari potest. ait enim ieiunium leuasse ad cœlum Eliam obsequio ignei currus, & statim addit: *Vt ostenderet, gehennam, quæ exurit reos innocuis deseruire.* sumit ignẽ pro gehenna ob rationem indicatã paulò ante. Adde: resisten-

Chrys. serm. 166.

ſtentem gehennæ igni, modo explicato; fieri, vt ita dicam, plus quàm martyrem. inuictus enim permanſit contra ipſum infernum, contra ipſos dæmones. adeo vt de eius dilectione, & zelo Dei dici poſſit, *Fortis eſt vt mors dilectio, dura plus quàm infernus æmulatio.* Inde ergo colligit patientem in dolore, cuius lingua inflammatur à gehennâ ad blaſphemandū, & tamen inde potius benedicit Deū: eſſe martyrem iuxta modum dicendi Chryſoſtomi, & quaſi plus quam martyrem iuxta noſtrum. quatenus reſiſtit inferno, non autem tantum mundo, & cruciatibus eius.

2. *Exemplum mirabile galli reſurgentis contra blaſphemos. non deſperandum in aduerſitate vlla.*

3. *Deum in malis accuſans iacula in cælum iaculatum.*

Vinc lib. 25. c. 64. 2. VINCENTIVS lib. 25 cap. 64 Cùm Bononiæ, inquit, in cōuiuio quodā gallus iam iam edēdus mirâ arte in plures partes diſſectus fuiſſet, ait vnus ex conuiuis, neque D. Petro poſſibile eſſet hūc gallum in integrum reſtituere, ſubdit alius, imo neque Chriſto. tunc gallus repente integer ſurrexit, & concuſſis alis iuſculum, in quo erat, in faciem impiorum illorum infudit, ipſique hereditaria leprâ percuſſi ſunt. ita Vinc. *hereditariâ*, hoc eſt quæ ad ſucceſſores tranſierit. Vide blaſphemiæ peccatum quàm ingens, vt non tantum auctores, ſed etiam ſucceſſores pro illo torqueantur. *Gallus negantes arguit.* arguit etiam blaſphemantes. Applica ijs, qui cum res proprias animæ, vel corporis, vel familiæ viderint ad magnam redactas calamitatem; deſperant illas poſſe reſtitui in priſtinum à Deo, Pſal 77. *Nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? ideo audiuit Dominus, & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſraël; quia non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius.* Applica etiam reſurrectioni. Si enim gallus in fruſta ſecatus repentè reſtituitur, quantò magis corpus hominis? Pſal. 77.

3. Bruſonius cap. de credulitate ait, Thraces cælo tonante, & fulgurante, contra ipſum iacula iaciunt Ioui comminantes. Ridemus veſaniam iſtorum, & fortaſſe non credimus. attamen omnis prouincia, Thracia eſt. vbique videmus apud nos Thraces. nam ſi cælum, ſi Deus iræ ſuæ fulmina per immiſſas calamitates in aliquem iaciat; ſtatim telis linguæ maledicæ, & excandeſcentiæ fulminibus fulgurant contra cælum ipſum, & Deum: Pſalm. 72. 8. *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt*, alij apud Lorinum hic, *iniquitatem in excelſum locuti ſunt*, hoc eſt in Deum. *poſuerunt in cælum os ſuum.* an neſcitis quod eſt *ſagitta vulnerans lingua eorum?* Bruſ. c. de credul. Pſal. 72. 8.

4. *Deum vt iniuſtum accuſans facit non eſſe Deum, euertit aras eius.*

4. SABELLICVS lib. 2. eneade 7. ex Suet. dicit Germanicum ob eius virtutem adeo Pop. Romano charum fuiſſe, vt illo mortuo contra Deos quaſi iratos maiora patrarint, quam quæ Thraces facere diximus cælo ipſis irato. nam, inquit, templa Sabel. lib 2. enead. 7. ex Suet.

lapidarunt, euerterunt aliquas Deorum aras. Dij ipsi domestici, Lares appellati, qui domi seruari, & coli solebant, à quibusdam foras in publicum proiecti sunt. An non talia agunt, qui ob infortunia Deum, sanctosque blasphemant? vulgari sermone hi etiam dicuntur diruere altaria: *tirar giù li altari.* item dum Dei prouidentiam damnant, siue iustitiam, quasi iniustum faciẽtes; quid per hoc faciunt, nisi quod (quantum in ipsis est) templa, & aras Dei demoliuntur, dum eum adoratione & cultu indignum impiâ accusatione & calumniâ conantur ostendere? Psalm. 9. 26. *Exacerbauit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ, non quæret. non est Deus in cõspectu eius.* Hieron. Caiet. Vatabulus, & alij ex Hebræo, *Blasphemauit Dominum peccator.* inde sequitur, *secundum multitudinem iræ suæ non quæret*, non curabit Deum placere post peccatum. Sic Chrysost. D. Thom. Lyranus. *Non est Deus in conspectu eius*: hoc est, in opinione, seu iuxta opinionem & sententiam eius non est prouidentia in Deo, ita Genebrardus hic. Hoc autem, cum sit facere Deum cæcum, & iniustum, vt qui non puniat, nec præmiet; idem est ac facere vt non sit Deus. de essentia enim Dei est esse iustum, bonum, sapientem, &c. hoc ergo est diruere eius templa, & aras. Idem ergo est in opinione eius, Deum non esse prouisorem rerũ, ac non esse Deum. ideoque ait, *Non est Deus in conspectu eius*, quod significat, Deum non existere, & etiam Deum non habere prouidentiam. quia qui Deum iniustum facit, Deum negat esse Deum.

Psal. 9. 26

2. *Blasphemant Deum tam audacter, vt quasi Deum ligneum videantur æstimare.*
3. *Dei ira maior in hos, si statim non puniat.*
4. *Interdum tamen citò punit, vt Iulianum Apostatam blasphemum.*

2. EXACERBAVIT (*blasphemauit*) *Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret. non est Deus in conspectu eius.* Cùm adeo audacter proculcet ipsum Deum cõtumelijs maledictis, videtur nihil curare de Deo, Deum nihil facere. Tandem *in conspectu eius*, in æstimatione eius Deus non videtur esse Deus, sed potius idolum ligneũ, Deus lapideus, nihil curans humana opera, nihil potens. qui enim ita impiè, & sæpè in Deum debacchantur, nisi sciremus ipsos esse fideles, æstimarentur de Deo sentire prædicto modo. quomodo namque non timerent ignem de cœlo super se statim venturum, vel terram sub pedibus eorum aperiendam ad eos deuorandos?

3. Vel Deus post blasphemias statim in te mittit fulmina iræ suæ, vt fecit quibusdam huiusmodi impijs, vel dissimulat, & non punit. Si primum efficiat certè timebis, certè nõ audebis contra eum os aperire. si secundum; dico, quod in hoc euentu tecum deteriùs agit. parcit enim tunc, sed non irascendo magis irascitur. crede scripturæ, si non mihi. *secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* quamuis citati auctores de peccatore id accipiant, potest tamen ad litte-

litteram exponi de ipso Deo, vt exponunt August. Remigius, Ruffinus, & alij teste Lorino hoc loco. *Non quaret* inquam, vt puniat, sicut ait Genebrardus. *non quaret* etiam, vt Lorinus exponit iuxta auctores citatos, terrere impiũ timore iudicij, vel inferni, aut supplicij, permittens hoc pacto, vt qui in sordibus est, sordescat adhuc. sed simplicior sensus est ille Genebrardi, *non quaret vt puniat*, quasi dicat, dissimulabit, nec puniet: sed ex multâ irâ suâ, non ex misericordiâ, erit ista dissimulatio. *Tacui semper. silui, patiens fui: quasi parturiens loquar dissipabo, & absorbebo simul.* ita Isa. 42. 14. Ergo si statim punit, modicè irascitur: si non punit statim, irascitur valde. *secundum* enim *multitudinem ira sua non quaret*. tu ergo iracundiam eius modicam times, magnam non times?

Isa 42. 14.

4. *Exacerbauit Dominum peccator.* diximus alios legere, *blasphemauit*. Secundum multitudinem iræ suæ non quæret. aliquoties non quæret, sed aliquando etiam secundum minorem irâ quæret, subaudi, Deus; iuxta expositionem Aug. & aliorum supra. Valderama fer. 3. post Dom. 4. quadrag. ait, quēdam Philosophum viro cuidam sancto, regnante Iuliano apostatâ, dixisse, quid agit filius fabri lignarij? at ille loculum conficit tuo Iuliano. Factum est autem, vt Iulianus eodem die moreretur Ecclesiastici 27. 28. *Quin altum mittit lapidem, super caput eius cadet.* in altũ mittit lapidem, qui contra cælum, & Deum, vel Sanctos blasphemias euomit. at sicut lapis in altum, & contra cælum iactatus recidit super caput proijcientis, ita accidit de lapide blasphemiæ, si non semper, saltem multoties.

Valder. Fer. 3. post Dom. 4. quadr.

Eccli 27. 28.

2. *Ex vsu blasphemandi quidam blasphemant, etiam dum benedicunt.*

2. QVIA verò aliqui cõiungunt ea verba, *iniquus benedicitur* cũ sequenti versu, *exacerbauit Dominum peccator*: & iuxta ea, quæ dicuntur hic à Lorino, potest verti, *Iniquus benedicens blasphemat Deum*: ideo verba hæc accommodari possunt, vt dicatur, impium per consuetudinem blasphemandi eo deuenire, vt etiam dum benedicit de Deo, vel de proximo, iuret, & blasphemet saltem per ea maledicta, quæ vulgò reputantur blasphemiæ, atque ab ipso maledicente sic iudicantur. ita si dicere volet, Deus est misericors, D. Petrus valde dilexit Christum; cum ad omnia soleat adiungere, (a) *al corpo, al sangue, al cospetto, che cosi è*: etiã adiunget talia in benedictione supradict. idem dicendum de benedictione proximi. Quando autem modi prædicti. *al corpo al sangue*, &c. sint mortalia peccata, & blasphemiæ mortiferæ; hic nihil definitum esse volumus. sufficiat in his casibus verificari: *Iniquus benedicens blasphemat Dominum*.

(a) Per corpus, per sanguinem, &c. ita res se habet

Iterum *iniquus benedicens blasphemat Deum*. id dici potest, quando iniquus, sicut peritus valde est in Dei, ac sanctorum iniurijs pronuntiandis: ita è contrario rudis, & imperitus in orationibus & laudibus eorum recitandis. vnde fit, vt si quando *Pater*, vnum, vel *Credo* pronun-

nunciet, adeo verba, ac sensus immutet; vt blasphemare potius, quàm orare, & benedicere Deum videatur. Si verò illud *benedicens* accipiatur pro rectè dicere, & disertè: tunc, cùm iniquus in murmuratione, vel in iniquis colloquijs, in litteris, vel carminibus amatorijs eloquens appareat; iuxta illud, *Sapientes sunt, vt faciant malum*: de illo dici potest, quod benedicẽs blasphemet Deum. quia per malos ratione mali operis nomen Dei blasphematur, sicut per bonos contraria de causa nomen Dei laudatur. Imo etiam de blasphemia propriè dicta dici potest, quod *benedicens*, hoc est promptè, & disertè eam exprimendo blasphemet Deum.

2 *Calũ efficitur pestilens per blasphemos.*

2. PARIS de Puteo tractatu de ludo, qui habetur tomo 7. tractatuum Iuristarum ait, nu. 2. quod Imperator in Authenticâ, Aleam vetuit: *præsentiẽs, quod per illam ad blasfemias venitur. vnde etiam cælum efficitur pestilens.* Aduerte enormitatem blasphemiæ ex effectu hoc; & scito blasphemantium ora quasi basiliscorum esse, & adeo pestilentem flatum reddere, vt peste aërem, & regionem inficiant. Blasphemia pessimum est, & profundum malorum. Prou. 18. 3. *Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit*, contemnit Deum. vnde nec timet blasphemare. Abit in consilio impiorum, & in via: deinde in cathedra pestilentiæ sedet effundendo blasphemias, vnde aërem ipsum pestilentiâ inficit. quod est profundum malorum, & tertio loco positum à Psalmista ibi.

Paris de Put. trac. de ludo Tom. 7. num. 2.

Prou. 18.

MEDICI.

2. *Infirmitas, scilicet inscitia in medicis: at mors in infirmis.*
3. *Plures à medicis necantur, quàm ab hostibus.*
4. *Medici quasi cæci in tenebris palpant.*
5. *Medicina baculus contra ægros, cæcorum scilicet medicorum baculus.*
6. *Draco acutissimi visus animal appingebatur Æsculapio: quia oportet medicum oculatissimum esse.*
7. *Sanitates à Deo sunt. medici sunt tantummodo Dei instrumenta in hoc.*



2 MEDICE *cura te ipsum*, Lucæ 4. Nam licet magnę sint ęgritudines in infirmis, maior tamẽ est ægritudo in medicis, nimirum inscitia, & temeritas in medendo. (his enim ægrotis medicis pulsum contractamus in hoc tractatu, dum medicos perstringimus, non sanos.) Vis scire, quomodo maior sit horum infirmitas? Ex vnâ ęgritudine, quamuis planè mortiferâ, nõ potest timeri nisi vna mors at ex vna hac infirmitate medici, plurimæ consequuntur mortes. licet enim morbus sit in medicis; dolores & mortes sunt in infirmis. secus fit in eo medico, de quo dictum est: *Non est opus valentibus medicis.* nam nos infirmi *liuore eius sanati sumus*; cum è contrario (vt ait Philemon Poëta apud Stobæum sermone de medicina,

Luc. 4.

Phil. Poet. serm. de med.

na, seu de medicis) tunc medici malè habeant, cum benè se habent homines alij. Tractatus hic de medicis haud impertinens ad conciones, vtpote de personis, in quibus potissimum sita est vita præsens hominum, atque etiam futura, dū officio funguntur suo de confessione suadenda ægrotis. Tamen sales à nobis in malos medicos hic iactati, si lepidiores interdum sint, non videntur in suggestu vsurpandi.

3. Et si certè homines intelligant etiam in confuso incredibilem huius artis difficultatem, & vt ita dicam immensitatem: & è contrario maximam facilitatem, & temeritatē, quâ tot pseudomedici nō alia scientiâ, quam suâ loquacitate, & audaciâ freti, suadente auaritiâ currunt ad tractandas vitas, mortesque hominum: necesse est toto ore fateantur plures occidi per medicos, non solum quàm per carnifices, sed etiā fortasse quàm per hostes; & plures necari per pharmarca, quàm per venena, fortè etiam per gladios. Quis enim enumerabit occisos ab eis, vt aiunt, per omissionem, hoc est per negligentiam, vel inscitiam subueniendi illis?

4. Certum enim ex cōmuni mortalium sensu habetur, artem hanc in plerisque rebus non esse aliud, quàm densissimas tenebras, & medicos etiam peritos in hac nocte incedere quasi manibus palpantes, & tentantes, id, quod mihi videtur repræsentari in gestu, seu motu manuū ipsorum, in quo spectari solent, dum hanc exercent artem: nimirum in extensione manuum tum ad pulsus inuestigandos, tum ad stipem recipiendam qui gestus, & motiones solent esse proprij cæcorum, & eorum, qui in tenebris ambulant; eo quòd manum extendentes, quærant, qui eis manum dent: vt dicitur Act. 12.12. de Mago à Paulo excæcato, *Cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiēs quærebat, qui ei manum daret.* Vnde in hoc casu verum est: *Via medicorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.* quod si etiam periti inculpabiliter aliquādo coguntur cadere in his tenebris, vt etiam ipsemet inter Deos huius disciplinæ habitus, & pro Deo cultus Hippocrates confessus sit in scriptis suis aliquos errores suos in exercenda hac arte. quod si magister tantus cecidit in his tenebris, vide quid fecerint discipuli. Certè medicus ex recentioribus volumen maximum luci dedit de erroribus medicorum. Si impingunt aquilæ, quid facient noctuæ? Quis quamuis habeat oculos lyncis, potest introspicere vltra parietes humani corporis, & discernere in abditis, & penetralibus viscerum, vel humorum, & venarum eius affectiones, & morbos præcipuè occultiores, & insolitos? eorum insensibiles, & tacitos ortus, incrementa, decrementa, mutationes? tam varia accidentia, antecedentia, comitantia, consequentia? quæ vix ille, cuius oculi lucidiores sole sunt, intueri perfectè potest, eisque ritè mederi (nam medicorum curationes imperfectæ sunt, collatæ cœlestibus curationibus.) In tenebris istis cadunt medici, sed ceruices frangunt infirmi. ceruices frangere actiuè etiam prolatum, vt modo

Act. 12.

culimus idem sonat. ac Italicè, *rompersi il collo. cadon i medici ma si rompon il collo li infermi.* In his erroribus huius noctis, in medicis peritis sæpè vel nullum est peccatum, vel tantum veniale. at licet sit veniale in medicis sæpè est mortale in infirmis, hoc est mortem afferens.

Appollonius Thianeus Iamblicus, & alij dixerunt, Phœbum medicinæ inuentorem, & Deum fuisse; alij verò Æsculapium. Phœbus idem erat, ac Sol apud antiquos. & verè iustâ de causâ solem medicinæ Deū videntur fecisse; quia ad illustrandas tantas tenebras, quantas in ea esse dicebamus, non nisi sol aptus videbatur.

5. Baculum nodosum, inquit Festus Pompeius, apponebant antiqui Æsculapio medicinæ Deo ad ostendendam medicinæ difficultatē. Sed dic inde etiam videri repræsentatum id quod diximus; nimirum etiam peritos medicos, vt Æsculapius erat, quasi cæcos egere baculo valido ad percurrendam tam prolixam tenebrarum viam. nam *ars longa, vita breuis.* Vel etiam dic præsentari hoc baculo nodoso, quanta patiantur miseri ægri à medicis, vt dicitur in Euangelio de muliere, quæ à medicis multa perpessa erat. ægroti patiuntur baculos, sed & nodosos.

Macrob. lib. 1 cap. 20. 6. Macrobius verò lib. 1. cap. 20. ait, eidem Æsculapio solitum appingi draconem, quòd animal sit acutissimi visus, & Græcè à videndo acutè habet vocabulū. Festus Pomp. reddit rationem; eo quod inquit oporteat medicum esse vigilantissimum: vnde, inquit, ob hoc antiqui finxerunt dracones ad custodiam thesaurorum deputatos fuisse. Sed dices, quomodo cæci sunt etiam periti medici, si sunt veluti dracones in videndo? Dic, quia in tam obscurâ, & difficillimâ disciplinâ, etiam maximè videntes, cæci iure dici possunt, & egere baculo: ita vt quisque ipsorū velut Socrates omniū sapientissimus ab Oraculo pronuntiatus, possit aliquomodo vsurpare de rebus plerisque huius artis: *Hoc vnum scio, quod nihil scio.* quia in ea hoc ferè tantum certum est, quod nihil sit certum.

7. Vis scire, quòd etiam sapientes cæci sint? obserua, quòd nesciant per tenebras huius scientiæ aliquid, quod quærant, inuenire; nisi à Deo duce, ac vidente ducantur, eorum gressus dirigantur, ita vt non medicis, sed Deo sanitatem receptam assignare debeant infirmi, quamuis ipsorum instrumento. Hanc veritatem etiam gentiles agnouerunt. sic Cælius lib. 28. cap. 11. notat apud Galenum medicamentum quoddam nominari vocabulo *Iupiter*, Auicennam nominare aliud *Deorum manus.* Philo apud Plut. vbi Cælius aliud vocauit *Deorum manus*, & Hippocrates in epist. ad Abderitas ait *medicinam esse Deorum donum.* Hæc autem inquit ibi Cælius, dixere, vt ostenderent medicos esse meros ministros salutis, ipsam à Deo esse. Dic, quid agunt cæci cū in tenebris densis seipsos non videant, nisi orare Deum, vt dirigat gressus eorum ad inueniendum quod quærunt?

Cels lib 28. cap. 11.

Hipp. in Ep. ad Abd.

at-

at cum dixerimus ipsos esse cæcos in hoc, seu per tenebras ambulare, audi Ecclesiasticum 38. 14. de medicis loquentem, *est enim tempus, quando in manus illorum incurras. ipsi verò Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, & sanitatem propter conuersationem illorum.* vt dirigat *requiem eorum*, nimirum requiem à malis, & sanitatem, quam cupiunt conferre infirmo. *propter conuersationem illorum*, hoc est, vt Iansen. explicat, quia hoc pertinet ad officium, & vitæ rationem ipsorum. Quid est hoc? nisi dicere Italicè, (*a*) *i medici medicando bisogna, che preghin Dio, che gliela manda buona. entrando in questo sentier oscuro; bisogna che si faccian la croce, è si raccommandino à Dio.* si hæc debent præstare medici, quid debent facere infirmi? Hæc dicta sint, non vt medici temerè, & casui se committendo operentur; sed vt Deo exorato, & non in se tantum fidentes id faciant.

Eccl. 38. 14.

(*a*) Medicos ante omnia oportet inuocare Deum, vt res bene vertat, atque se signare signo crucis.

2. *Malus medicus est quasi fructus olim vetitus Adæ vulgò malum medicum, pomum Adam plures occidens.*
3. *Medicinæ laus, & fructus ostenditur. Morborum species innumeræ.*
4. *Querimonia de medicis ante sufficiens studium, artem aggredientes medēdo.*
5. *Admittentes ad medendum ignaros se Christum faciunt dicentem indoctis medendi*, Curate infirmos, qui illa sunt.
6. *Plus studij carnifices collocant in discenda carnificina, quam aliqui medici medicina.*
7. *Breue studium medicorum est furca infirmorum.*
8. *Medici ignari Dei carnifices in rees.*

2. QVID plura dicemus de hac medicinæ difficultate, & de multis, qui necantur à Medicis imperitis? obserua quot homines in ægritudinibus, quæ de natura sua erant sanabiles (vnde & aliquando sanatæ sunt) à medicis opinione hominum peritis morti non subtrahantur: & hoc extitit ab initio, & semper erit. & inde collige, quòd hoc acciderit, quia sanare non nouerint, & fortè etiam errando in medicamentis, per ea ipsos necarunt: quamuis fortasse inculpabiliter. & inde intelliges, quot per inscitiam culpabilem ab imperitis, & temerarijs siue per omissionem, siue positiuè occidantur. Hoc vnum animaduerte, quod VNUM genus pomorum, seu malorum, quæ medica poma vocantur, vulgò æstimatum est esse fructum vetitum, vnde mors venit in mundum. vocantur enim, pomum Adami, iuxta quā vulgi loquelam loquendo, & simul alludendo ad æquiuocum Mali medici, scilicet inepti medicinæ professoris; in vtroque sensu dici potest; innumeras mortes, & mala fieri per *malum medicum*. Immo dæmonē, non contentum vno malo medico, contra nos pugnasse, etiam innumeris malis medicis, tot homines interficiendo per ipsos.

3. Inter præstantissima quæque bona mortalium exceptâ animæ salute, nulla res maior est medicinâ. nā de vita agit, quâ nil carius hominibus; exceptâ, vt dixi, anima. Nulla scientia est ipsâ difficilior, vt pro-

batum est;nulla longior;nam *ars longa,vita breuis*,de hac dixit Hippocrates. nulla ætas sufficit ad ipsam addiscendam, August.de ciuit. lib. 22. cap.22.ait,tot esse morborum genera corporis humani, vt nondum omnibus in libris comprehensa sint. Galenus in libro,cui titulus est, *Medicus*, refert centum & duodecim morbos contingere solum oculo, vide ex hoc quot ceteris membris accident. Sola febrium genera quæ rudiores putant esse pauca, Seneca ep. 39 dicit esse innumerabilia. Quid facilius, & breuius videtur quã pulsuum cognitio? tamen Galenus de ipsis dignoscendis plures libros scribit. & ne putes hoc fieri ad pompã, Galenus ipse (vt est apud Theatrum vitæ humanæ fol. 3838.) per continuos sex menses pulsum tetigit cuidam ægro, semper dubitans de contractione arteriæ,& alijs quibusdam donec obstinatã hac diligentia in fine deprehendit veritatem. nulla insuper periculosior, vt quæ semper vasa fragilissima tractet ægrorum cum maximo ipsorum discrimine.& consequenter nulla magis oculatè ac maiori cautelã exercenda. Nulla quæstuosior,& honestior:quia opes & cum per illam vita speretur *cũcta, quæ habet homo dabit pro anima sua*, vt illa mulier euangelij dederat, vt sanaretur. Nulla honestatem maiorẽ tribuit: nam Hippocrates,& Æsculapius,& alij,vt passim testantur auctores, pro Dijs habiti sunt propter medicinæ sciẽtiam. Vt enim Tullius ait, *Nullã re homines propius Dijs accedunt,quam salutẽ hominibus dãdo.* Nulla etiam ars est, quæ magis experientiã

August. de ciuit. lib.22. cap.22.

Sen. Ep. 39.

Theat. vit.hum. fol.3838.

atque ætate,& grauitate indigeat,vt cunctis liquet. Ex prędictis omnibus manifestũ est in nulla facultate plus tẽporis,& studij collocandum,quàm in ista an autem ita fiat, videamus. 4. Dico igitur, à plurimis nomen Medicorum gerentibus eam artẽ eo esse redactã,quasi nulla minoris momenti,& de re viliori existeret:nulla faciliùs,breuiùs,securiùs acquiri posset: nulla minorẽ experientiã exigeret:nulla denique minus vtilitatis ac haberet: & consequenter honestatis in nullã minus studij, & laboris collocandũ esset. Hæc mihi ne credãtur:sed eamus ad aliquas Vniuersitates studiorũ,& videamus quales, & cuius ætatis,atq; scientiæ homines inde prodeãt cum facultate obtentã ad medendũ in toto Christiano Orbe. Interrogemus quamdiu,& quãtã animi cõtentione, & quantis ingenij viribus medicinæ operam dederint. Deinde attendamus, cùm cœperint currere ad quoscumq; ægros, quantùm studij tempus impendant: & videbimus,an verum,vel falsum ipse pronuntiauerim.

Vita breuis,ars longa,inquit Hippocrates:cuius pronuntiata pro oraculis indubitatæ veritatis à totã medicorum scholã habentur,& præcipuè hoc effatum, tamquam primum, & fundamentum ceterorum. Ad hanc artem addiscendam non sufficit vita hominis:at isti effecerunt,vt sufficeret etiam vita grilli,vtinam non & grilli ingenium.Dixi,vita grilli:quia huiusmodi insectis vita plerumque tantum mẽstrua est. Ego ipse audiui à medico, multos non plus quàm aliquot mensibus operã datã medicinæ,

dicinæ, repentè licentiatos à collegio Doctorum declaratos ad messem auream accurrere, & accurrisse. an ita sit ignoro. videant alij.

5. Dum Christus suos discipulos mitteret ad prædicandum, paucis verbis eos, vt ita dicam, doctores in medicina faciebat, dicendo: *Curate infirmos, qui in illâ sunt*, scilicet ciuitate. Ita homines ignari nulloque præmisso studio, repentè auctoritate hac accepta curabant vbique infirmos, facti in hac re medici excellentissimi, etiam verè miraculosi, non artificiales. Ita & aliquando timeo eueniat; nimirum, vt Doctores alicuius vniuersitatis homines ignaros medicinæ (saltem bona ex parte) nullo, vel breuissimo studio in ea re collocato, admittāt ad doctoratûs insignia in ea professione: quasi verba pauca enunciata, vel scripta ipsorum doctorum in concessione priuilegij, ipsos discipulos repentè possint efficere excellentissimos medicos. repentè enim audis apud nostrates, eos, qui admissi sunt ad hāc falcutatem, *excellentissimos* nominari: vnde & tales se aliquando æstimant, quamuis nec tolerabiles sint in arte. Sed certè ad medicum conficiendum aliud requiritur, quam priuilegium, quo dicatur, Esto medicus, & cura infirmos.

Vniuersitas indoctos facilè constituēs in medicos, parem se Christo facere se velle videtur, dum dicent illis in priuilegio, curate infirmos, *putat fecisse medicos.*

Vtinam non aliqui admittantur ad eum gradum per portam argenteam iuxta illud, Accipiamus pecuniam, & mittamus bouem in patriā suam. meliùs dicent, taurum, quia ob hoc statim cornua superbiæ & propriæ existimationis emittit. dimissus autem hic taurus, irruensque temeritate sua in medios ægrotos, vide quot prosternet ex eis. Imò non per portam, sed per fenestram intrant vt fures non ad merendas, sed ad furandas mercedes ab ægris, *vt occidant, & mactent*, non *vt vitam habeant, & abundantius habeant.*

Ars longa vita breuis. at ipsi dicunt, ars breuis, vita longa. nam tribus in saltibus, vt vulgus loquitur, artis acquisitionem constituunt: vt per longum vitæ spatium eius, quæ liberalis est ars, experiatur lucrando liberalitatem. Restringunt artem in compēdium, ne constringatur artifex ad dispendium, nimirum remorati lucri, vel expensarum in academia: & cum tenuerint medicinæ summam (scilicet breue compendium,) putant se iam tenere medicinæ summum: vnde & paulò post declarati medici, *excellentissimi* passim vocitantur.

6. Audiui à fide dignis, aliquos carnifices hac nostra tempestate per lōgum tempus docere solitos fuisse filios suos eam artem, & dico intra me, Vide, viderem nescio an ridendam, an deflendam. plus temporis, & studij conferunt ad discendum officium carnificis, quam medici: quasi difficilius, & vtilius sit hominem occidere, quàm in vita seruando viuificare. Sed, cùm imperitus medicus se potiùs carnificem hominum faciat, temerè hoc munus obeundo; cur saltem nō laboret quantum carnifex futurus? certè non nisi quia ipse est carnifex omni carnifice deterior.

7. Mare vastissimum est scientiæ medicina. at isti vix à littore nauēsoluerunt, cum statim in eo inueniunt, seu

seu potiùs collocant Herculis colũnas, hoc eſt: *Non plus vltra.* Verè paulò ante diximus hos medicos futuros hominum carnifices. Nam ſicut Venetijs duæ columnæ ſunt, inter quas carnifices necant reos, quæ ipſi reo ſunt veluti Herculis columnæ, & *non plus vltra* vitæ eius: ita prædictæ columnæ, quas in ſtudio citò inueniunt medici, ſunt duæ Herculis columnæ, ſed potiùs Venetorum, & *non plus vltra* infirmis: & ipſi medici eas inter columnas, hoc eſt, in anguſto ſcientiæ ſuæ, carnifices ſunt infirmorum. adeo vt, ſicut qui delicta committit, incidit ſæpè in manus carnificum; ita etiam incidat in manus medici.

Eccl. 38. 15. 8. Et poteſt dici illud Eccleſiaſtici 38. 15. *Qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit illum; incidet in manus medici.* quod dictum eſt tum quia peccata cauſa ſunt infirmitatum, & morborum; tum ad ſignificandum, quod ægri multa patiantur à medicis, ſed multò magis ab imperitis tamquam iniquorum tortoribus, qui quaſi carnifices reos ſæpè necant. Congruere videtur huic veritati, quod ſtatim poſt ea verba, *incidet in manus medici*, meminit de morte, dicens, *Fili in mortuum produc lacrymas*, &c. quaſi innuatur, finem curationum ſæpè eſſe mortem ęgroti.

2. *Plus antea ſe exercet faber lignarius ad ligna tranctanda, quam multi medici ad tractandas hominum vitas.*

3. *Medici abſque peritia exercent artem; quia errores artis ſuæ non apparent, nec puniuntur. Dictum Socratis pictori facto medico de hac re.*

4. *Medici in quadam lege parabolani dicti.*

2. VIDEO aliquos iuuenes profeſſionem artium aggredientes, ſeu magiſterium, cum iam è ſchola magiſtrorum exierint. & peto ab vno illorum, Quam artem aggrederis? reſpondet, fabri lignarij. quãdiu ſub magiſtro huic arti dediſti operam? reſpondet iuxta leges fabrorum Venetijs vſitatas, ſex annis continuis. Peto ab alio, & tu quam artem exercere incipis? reſpondet medicinam. quamdiu illi ſtuduiſti? reſpondet vel aliquot menſibus, vel duobus, aut tribus annis. Sed in tribus annis quibus commoratus eſt in ſtudio, ne quatuor menſes fuerunt ſtudij. diſcipulus autem fabri lignarij, cum, vt præſcripta noſtræ ciuitatis ferunt, in domo magiſtri viuat, cogitur per totum illud tempus non ceſſare ab opere. At ſtudioſi in Vniuerſitatibus, præcipuè adoleſcentes, liberè viuentes, illecebriſque ætatis & ſodalitatis deditì, quantum ſtudeant, ſeu cui rei; videant, qui hæc norunt. ſi Bononiæ commorari faceret doctos; etiam aſini docti ibi eſſent. Sed concludamus. Circa quid verſatur faber lignarius, & quodnã opus lædere poteſt, ſi probè artem non calleat, vt tamdiu antea ſub magiſtro debeat eam addiſcere? & circa quid verſatur medicus, & quid lædere poteſt, ſi non ſe præparet multo præuio ſtudio, & labore in academia?

Dicebat Auguſtus, cùm audiſſet Herodem in nece Innocentium, etiam

iā filium ſuū occidiſſe,cū,vt Iudęus, ſuibus parceret: *Apud Herodem melius eſt eſse porcum quam filium.* At rectiùs fortaſſe dicerent Chriſtiani, Meliùs eſt eſſe lignum, quàm hominem. amplius fit ne lædatur forma ſcabelli, quàm ne tollatur vita hominis. amplius fit vt rectè ſe habeant ſedes, quàm vt rectè ſe habeant ſedentes: quia diutiùs vacant homines addiſcendæ arti fabrili, quam medicæ.

Sed quid dico de fabro lignario. nullam ferè artem mechanicam inuenies, quæ non plus ſtudij collocet antequam aperiat officinam ſuæ operationis. Adde: cum totæ iſtæ artes in praxi conſiſtant; dum exercentur, ſemper addiſcuntur. an in medicinâ (cùm ſit theorica, quę per libros diſcitur, & praxis quæ experimento; & hæc ſine illâ non proſit,) qui defecit in theorica, eam nō diſcet in practica; conſequenter in vtraque claudicabit: præcipuè, cum, vt dicemus, Medicus quaſi ſcrupuloſus ne duas ſimul vxores habeat, cùm praxim admittit, repudiat theoricam, hoc eſt ſtudiū, & multa ex eâ obliuiſcitur. Vnde plus ſtudij, præter aliàs rationes, requiritur in Medico, quàm in mechanico artifice ante profeſſionis exercitium. cùm contrarium omninò fiat. Plus operis & temporis impedit diſcipulus ſutoris, vel chirothecarij, vt pedum aut manuum tegmina conficiat; quàm Medicus antequam corpus ſanandum tractandū ferro, & igne, & veneno ſuſcipiat. Dixi veneno, nam Galenus, & alij Medici communiter dicunt, medicinas ſolutiuas eſſe de genere venenoſarū rerum, & ideo in multâ quantitate ſæpè occidere etiam ſanos. Curam tantam adhibent illi mechanici artifices, ne malè conficiant ille calceū, alius chirothecam, &c. at Medicus, cum tractet non veſtes, ſed corpus ipſum, & eius membra omnia, minùs ante hoc ſtudij adhibet. quaſi plus ſit lædere chirothecam, quàm manum; pileūm, quàm caput; & calceum, quā pedē. Maius ſtudiū adhibet ſutor ne erret in ſecando, ſeu proſcindendo corio bouis, quàm Medicus, ſeu chyrurgus, in ſecanda carne hominis.

Adde: quod ante ſciſſionem panni vilioris parū fortaſſe morabitur, & parum conſiderationis in menſurando, vel delineando adhibebit ſartor: at vbi auro contextū, & pretioſū eſt id quod eſt ſcindendum, & in veſtem efformandū; ante hoc attētè, & maturè ſe geret menſurando & delineando bis & ter, antequam ſemel ſecet. at in homines contrarium præſtant multi Medici, de quibus verè poteſt dici, *veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem:* nec ſolum per venæ inciſionē, ſed & per gladios pharmacorum, quæ facilè necant homines. (nam loco citato effuſio ſanguinis pro occiſione præcipuè ponitur) Velocitas autem iſta medicorum nō tam eſt, quia in occaſione medendi, & incidendi temerè aliquando procedunt, ſed quod dicebamus, quia ad hæc deſcendunt quandoque abſque maturo ſtudio in medicinæ ſcientia adhibito, antequam deſcenderent ad medendum.

3. Ratio autem cur artifices mechanici diligentes ſint in ſua arte addiſcenda,

ſcenda,& exercenda,nõ verò ita medici, eſt, quia defectus in mercibus, vel operibus illorum artificum, aut citiùs, aut tardiùs agnoſcuntur ab hominibus; & ideo artifices damnũ inde incurrunt,& coguntur ſæpè ob talia pœnas ſoluere,præterquã quod vix amplius inueniunt, qui eos conducant ad operandum,vel emat eorum merces.at in medendo, quomodo errata agnoſcant infirmi, cùm ea neque agnoſcant medici? & quando timent medici, quod à magiſtratu puniantur errata ſua? miraris ergo, hunc medicum parum tempoporis, vel ſtudij in arte ſua collocare? ideo Socrates videns ex pictore factum medicum, ait, Rectè artem reliquit,cuius errores in aperto ſunt; eamquè complexus, cuius errores terra tegit.

Quidam ſtabularius à Ioue obtinuerat,vt aues, quas viatoribus ad ſe diuertentibus apponeret, coturnices viderentur:aut ſaltem manifeſtè cõuinci non poſſet, eſſe alias. obtinuit homo poſtulata, & ideo quaſcumq; volucres vtcumque habere poterat, pro coturnicibus apponebat. appoſuit quadam die cuidam corniculas, dicens eſſe coturnices. cui ille. Timeo inquit valde, quod corniculæ ſint. reſpondit ſtabularius, diuerſorium meum eſt diuerſorium coturnicũ;& ideo ſiue cornices, ſiue coturnices illæ ſint,quas tibi appoſui,pro cornicibus quidẽ potes eas edere;ſed pro coturnicibus tibi pretium ſoluẽdum eſt. Ita medicus ait, Officina mea eſt officina ſanitatum: & hoc priuilegium obtinuit,vt quæ vendũtur in eâ,quamuis eſſent morbi, vel mortes, non poſſent conuinci, quod ſint tales: cur ergo anxius ſim,& laborem vt bonas merces congregem? Cur diu me macerem ſtudendo, & non ſtatim ad lucra curro: licet loco ſanitatis tibi inferam mortem; mortem ipſam tibi vendere habeo pretio ac loco ſanitatis. *m'hai à pagar la morte per ſanità.*

4. Quis audiuit vmquam mercaturam ita felicem, vt tanti vendat peſſimas,quanti optimas merces abſque periculo punitionis? at huius felicitatis eſt medicina, quæ tanti vendit morbos, & mortes, quanti ſanitatem & vitam. Nonnè plerumq; tantum accipiunt medici,cum occiderunt,quantum cũ ſanarunt? Dũmodo barbâ, & facundiâ ſit medicus; parum refert, quod ſcientiâ ſit mendicus.quia in lege ciuili, vt Tiraquellus teſtatur c. 31. de nobilitate,medici vocantur *parabolani*; vbi Accurſius ait, ſic dici, quia vtuntur multis parabolis,& quia, vt quiſque inter illos eſt loquacior,doctior vulgò habetur. hoc autem ſecũdum etiam Plinius affirmat. Doctus ergo medicus habetur apud ægrotos, eo quòd ipſi ignari ſunt medicinæ: & quia,cum ille quatuor terminos medicinales,&, vt aiunt, quatuor *cuius*, memoriæ mandatos,& millies decãtatos corã ægroto prompta loquela recitarit; ſtatim tamquam nouũ Æſculapiũ eũ habẽt. ergo ſciẽtia huius medici nõ eſt aliud,quam ignorantiâ infirmi: & ita ille cõfiſus in ignorantia aliena,non terretur à propria.

Tiraq. cap. 31.

2. Medici quidam barba, & verboſitate tantum pollent: Canibus ſimiles in hoc.

3. *Peri-*

3. *Peritia loquendi, pro Grammaticâ est illis.* Ianua sum rudibus. *ianua scilicet ad famam ipsis imperitis.*

2. MIRARIS quod tam citò medicinam addiscant? cum didicerunt loqui, iam didicerunt mederi. cum habent in ore Mercurium, in barba Æsculapium, putant se habere in manibus Galenum. Verè huiusmodi Medici sunt sicut canes, qui quantulumcumque virtutis habent medendi, id totum in ore situm retinent, vt ait Gregor. in Homilia de diuite, & Lazaro, cuius plagas canes lingebant. Hi enim Medici oretenus tantum Medici sunt, hoc est quatenus de rebus medicinalibus blaterant. Canes sunt ex inuidiâ inuicem oblatrantes, & totam medelam suam in ore, hoc est in largis promissionibus & in lingendis per adulationem plagis hominum retinent. Verè de his dici potest, quod summis tantum labiis medicinam attingunt. & tamen, inquit Celsus, *infirmi non sanantur verbis.* & in 2. epigrammatum Græc. refertur hic versus: *Medicus garrulus ægrotanti alter morbus.* Tamen Plin. libr. 29. cap. 1. ait, *Vt quisquam inter medicos dicendo pollet ilico Imperator nostræ vitæ, cædisq; fit.*

D. Gre. in Ho. de diu. & Laz.

Plin. lib. 29 c. 1.

3. Rectè loquendi facultas, nimirum Grammatica de se cantet: *Ianua sum rudibus.* talis enim est eis, non solum ad discendum, sed ad famam, opinionemque doctrinæ, & ad vtilitates inde sequentes. nam si quispiam dicendo pollet, maximè Latinè, quamuis rudis esset quoad scientiam; tamen facilè æstimabitur doctus. ianua illi est Grammatica, quâ intrat ad famam. si enim *stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur*; multò magis si rectè quis loquatur sapiens existimabitur. Hoc autem præsertim euenit in medicina. hæc enim dicendi facultas præcipuè Latinè ianua est rudibus medicis ad opinionem doctrinæ, & ad intrandum in domos omnium infirmorum. Sequitur ibi: *Nec sine me quisquam ritè peritus erit.* nemo licet doctus, sine tali facultate dicendi in opinione populi peritus erit.

2. *Quasi pueri accedunt ad vitas hominum, mortesq; tractandas.*
3. *Vt Æsculapius barbatus, ita illi grandæui esse debent. Adolescentes medici quasi animalia medica nata.*

2. QVAM parum studij & temporis collocent in medicinæ scientia ex hoc apparet; quod si singulis quibusque annis prodeant coram te ij, qui ad exercendam hãc artem vulgò *Licentiati* dicuntur, si tu id nescias, vix putabis per ipsorum ætatem ipsos aptos esse, vt medicinæ incipiant esse discipuli, cum repentè audis, quod eius artis sint declarati magistri. & hoc est secundum, & magnum vulnus huius doctrinæ, seu potius ipsorum medicorum; vnde dicatur, *Medice cura teipsum.* Si gregem horum adolescentulorum prodire videas è scholis, facto vale libris, ac magistris; putabis eos ad saltandum in aliqua chorea, vel ad ludendum inter se aliquo in campo prodiisse potius, quam ad medendum, & vitã, mortemque hominum quorumlibet

tractandam. Sunt in aſpectu, & in cupiditate lucri Cupidines: vtinam non etiam in cæcitate, & temeritate feriendi homines.

3. Prodeũt è ſcholis facti noui Æſculapij, cum potius ſint Phœbi, ſeu ephœbi, nimirum imberbes. an neſciunt Phœbum Æſculapij patrem imberbem ab antiquis pingi ſolitũ, filium verò Æſculapium (medicinæ profeſſorem, ac Deum iuxta communiorem opinionem) prolixâ barba; ad ſignificandum, quod medici debeant eſſe viri graues, & ætatis maturæ? & certè ſi contra medicum iuuenem omnia iura clamant: contra adoleſcentem (qualis apud nos videtur) *Si homines tacebunt, lapides clamabunt.* Imberbes ſunt, quaſi ne pilum quidem periti medici, vel teſtem peritiæ habentes.

Horatius in poëtica iuuenes vult deſcribi tamquam prodigos, *prodigus æris*, inquit. & talem facit Euangelium adoleſcentiorem filium, qui cõſumpſit omnia. At dic quod adoleſcentes medici, quantum ſunt per ætatem prodigi, tantum fiunt per vitium auari. tam exiguo ſtudio, & annis ferè puerilibus videntur medici euaſiſſe, vt non medici facti; ſed nati eſſe videantur, & tunc ſtuduiſſe, quando in ventre matris erant, vel fuiſſe ſtudioſos antequam eſſent homines. nec iam verum videtur: *Poëtæ naſcuntur, oratores fiunt*: ſed, medici naſcuntur: oratores (immo omnes artifices) fiunt.

4. Scis qui ſint medici nati, non facti? canes, feles, & alia bruta. nam quia nequeunt medicinam ſtudendo obtinere, natura effecit illa proprij corporis medicos, vt ſciant naturaliter herbas quaſdam ſuis morbis medentes. Si ergo Medici de quibus loquor, nati medici videntur, & in immatura ætate, vt etiam bruta; fatebor ipſos eſſe animalia æqualia ipſis brutis: hoc vno excepto, quod brutis dici poteſt, *Medice cura teipſum*, quia hoc præſtant: at imperiti iuuenes nec ſibi, nec aliis mederi ſciunt. vnde Tiraquellus de nobilitate, capit. 31. refert illud, *Medice curate ipſum*, adagium natum fuiſſe, eo quòd ſæpè medici haud bene valeant, cùm alios ſanare promittant: indeque in prouerbium tranſiiſſe, *color medicorum*, nos dicimus, (a) *cera di medico.* Tiraq. de nobil. c. 31. (a) Facies Medici, pro malè ſanâ aut lucidâ.

Auaritiâ ducti medici comedunt vuam acerbam lucri ſcilicet intempeſtiui; & dentes infirmorum obſtupeſcunt. Vide quantum obſtupeſcãt, vt nequeant amplius comedere in hoc mundo, nec in alio. Quod dictum intelligemus de medicis nimis immaturæ ætatis, quibus ante tempus medicinam exercentibus, & lucrum nimis tempeſtiuè edentibus accommodari poteſt prædictum prouerbium.

2. *Medici ſunt Principes mundi etiam ſuper reges.*
3. *Abſque proceſſu, & aliis huiuſmodi citò dant ſententiam ferri & ignis.*
4. *Nimis iuuenes medici pluribus iterum carpuntur, vt carnifices mundi.*

2. INTEREA ad quid prodierunt iſti adoleſcentes, ſeu pueri? prodierunt, vt Principes conſtituti ſuper omnem terram, imo plus quam prin-

principes; nam quilibet medicus, si famosus fiat, eo peruenit, vt sit, rex regum, & dominus dominantium. Ne credas me de pueris & ludentibus loquentem cum ipsis ludere: nam vt Plin. libro 24. capit. 1. *Imperatoribus*, inquit, *vna medicina imperat*. At fortè dicas imperium hoc esse leue imo maius est imperio Regum. cui enim Regi liceat impunè necare homines, vt non in discrimen veniat ipse propriæ vitæ per furorem populi in se concitatum? At Plinius loco citato ait de medicorum ignorantia, *Nulla præterea lex est, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ*. & paulò post ait, *Medico tantùm occidiße hominem summa impunitas est*. quæ licet aliquatenus exaggeratiuè dicta, reuera tamen vera videntur. De hac licentia necandi, tum de licentiis, quas quidam illorum nimis facilè concedunt, vt soluendi ieiunia, & similia; dici potest, Non amplius dicendum de magnâ licentiâ adagium, *Poëtica licentia*; sed *licentia medica*.

Plin. li. 24 cap. 1.

Plin. loc. cit.

3. Quis iudex subitò procedit ad sententiam ferendam etiam de exiguo agro, vel auro, nisi audiat vnum & alterum causidicum rationem vtriusque partis dicentem, scripturasque recitari faciat, leges regni consideret, & cetera? de sententia vero sanguinis quid fiet, quando in re tam paruâ summa adhibetur maturitas? At medicus, vt ægrotum secet, & vrat, vel iubeat secari, & vri, vel pharmacum (quod diximus supra ex medicis omnibus esse bona ex parte venenum) porrigat; quamdiu expectat? quos oratores audit? testes excipit? scripturas videt? vix intrauit ad ægrum, pulsum contrectauit, & quatuor verba cum illo, vel eius curatore miscuit; statim sedet pro tribunali: scribit sententiam sanguinis, vel ignis, & sæpè etiam per ignorantiam. quod si medicus scelestus sit, & ab aliquo herede futuro infirmi corruptus donis; etiam per malitiam scribit sententiam mortis. cum ergo citò hæc faciat, certè non citò debuit ea didicisse, vt faceret. sed diutinum studium, & examen talium rerum, oportet, vt antea in scholis adhibuerit. Hæc ita sunt, vt diximus & tamen tanta facilitate pueri constituuntur Principes in mundo, quasi collegia alicuius Vniuersitatis velint Christum æmulari, qui rudes, & paulò ante imperfectos discipulos medicos simul, & Principes mundi effecit, iuxta illud, *Constitues eos Principes super omnem terram*. sed videant hæc collegia, si potuerunt conferre suis, quæ Christus contulit discipulis, nimirum facultatem de cælo & virtutem ad munus suum ritè obeundum: & tunc etiam pueros ignaros constituant Principes, & medicos. quod Christus constituerit suos discipulos medicos, dicendo *curate infirmos*, &c. iam supra dixi. quod etiam medici sint Principes, paulò ante probauimus.

4. Reminiscantur qui nimis immaturæ ætatis, & exiguæ scientiæ prouehunt ad Lauream medicinæ constituentes illos Principes, quod scriptum est, *Væ terræ cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt*.

mane comedunt prædicti adolescentiores medici, dum in mane adolescentiæ comedunt (vt dicebamus) vuam acerbam; & dum comedunt manè, causa sunt per inexperientiam suam, & iudicij inopiam, vt ægri nõ comedant vespere, hoc est in senectute, videlicet ante illam moriendo. Nondum didicerunt Donatum, & transeunt ad Galenum: imo iam medici effecti promittunt (cum adhuc caput frangunt Prisciano) illud sanare toti mundo.

Scientia, vt aiunt Philosophi, est habitus: & consequenter talis est medicina. at isti non obtento habitu volunt deuenire ad actum, non obtento habitu descendere ad professionem, hoc est ad exercendam medicinæ artem: quod est idem ac si quis in religione velit emittere professionem ante habitum.

Tyrones sunt veterani in occidendo, hoc est sunt fortes, & validi in necibus inferẽdis.

In hoc bello imperitorum medicorum contra ægros: tyrones, in occidendo sunt veterani, hoc est fortes. & quia antea diximus, quod aspectu puerili videntur Cupidines vt etiam cæcâ eiaculatione; adde, quod hic locum habet, quod fingitur de Cupidine: qui cum morte eodem in hospitio noctu dormiuit. at idem Cupido mane surgens, præ cæcitate suà errore deceptus, arma cum morte commutauit, hoc est tulit arma eius: vnde posteà feriendo homines, pro amore mortem inducebat. sic isti cupidines mihi videntur habere huiusmodi arma, vt dum volunt sanare, sæpè occidant.

Adhuc pueri, & iam medici; nondum per ætatem sui ipsorum arbitri, & iam iudices aliorum; vitam quam nondum ipsi perfectè hauserunt, aliis promittunt. currunt (nimirum breuiter studendo) in speculatiuâ, præcipitant in practicâ.

Italicè dicimus, *Le male pratiche, menan li huomini alla forca*, hoc est, iniquæ sodalitates ducunt homines ad patibulum. At hoc ipsum videtur posse dici (vt sic loquamur) de malis practicis, hoc est de inexperientiis medicorum adolescentiorum; quia illæ homines eo deducunt, dum hominum carnifices effecti, ipsos impunè occidunt. & mercedem insuper necis accipiunt; vt in hoc vtroque priuilegio, dum & ipsi communicant, ostendant se esse carnificibus pares. quamuis ex alio capite peiores sint, scilicet, quia illi noxios, isti occidunt etiam innocentes: illi mercedem à principe exigunt, hi ab ipso, quem necant. (a) *bisogna paghin il boia, che li frusta.*

(a) Coguntur mercedẽ pendere carnifici, qui illos flagellat.

Dimittuntur adolescentes à scholis, quasi, ad circuiendum tota die per ciuitatem, & per domos ægrorum, scalasque conscendendas, plus requirantur pedes quàm capita. Vix subtraxerunt manum ferulæ, cùm eam armant ferro ad ferienda hominum membra, vel secanda per se vel per alios. Cùm Hypocrates clamet. *ars longa, vita breuis*; inferre vult, quod medici artem hanc callere nequeant, neque morti iam vicini & decrepiti. at nostri eam exercere audent vix nati. Et cùm iuxta leges vsque ad 25. annum iuuenes *minores* vocentur, & sub tutore esse debeant. qui opes eorum gubernet: dabitur sæpè casus, vt qui ex lege non æstimatur aptus ad administrandam

rem ſuam, declaratus ſit publicè idoneus ad regendam ſalutem, & vitam alienam. & qui domi ſuæ eſt ſeruus (nam *heres*, vt ait Apoſtol. *vſque ad præfinitum tempus à patre nihil differt à ſeruo*) in domibus aliorum ſit dominus. cùm tamen dicatur ab eodem Apoſtol. *Qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?*

Quid plura? In quot ordinibus hominum, vel collegiis, aut Rebuſpublicis per leges arcentur iuuenes vſque ad vigeſimumquintum, vel trigeſimum annum ab hoc, vel illo munere, vel magiſtratu? at in arte omnium maximâ, ætas ſufficit minima. cum tamen ſæpe illi magiſtratus iudicent de hominum re, iſte de ſumma rerum, nimirum de vita: illi de aliquo quod homines habent, iſti de toto, quod homines ſunt. Vſque adeò inter homines nihil eſt vilius homine: cum, vt ſupra partim innuimus, omnis ætas, & omnis diligentia, quæ in omni re & arte ad vitam ſpectante ſufficeret, in ſolâ medicinâ exigua ſit; iuxta illud, *Ars longa vita breuis.* è contrario, vitio hominum fit, vt cum nullus labor, & nulla ætas ſufficere putetur ceteris artibus, ac rebus; ſoli medicinæ quilibet labor, & ætas ſufficiat. Valde dolemus quod homines magnifaciant corpus, non animam: at hinc apparet eos, nec curare corpus, nec animam, cum huic inconuenienti Reſpublicæ non medeantur.

2. *Iuniores medici, medentes abſque vllo vſu artis comparato ex praxi.*

3. *Accepta Laurea Doctoratus valedicunt libris.*

4. *Acceleratio in medendo, & pluralitas curarum impediunt medicos à ſtudio.*

2. CVM, vt Plinius ait, medicinæ artis ſit efficaciſſimus magiſter vſus; & id Orbis vniuerſus, & ipſi medici buccis concrepantibus inſonent; tamen apud nos multi, vt audio, dedignantur ante exercitationem artis, circuire tanquam aſſeclæ alicuius medici ſenioris, vt non ſine aliqua experientia adoriantur curationes. Si tamen aliqui etiam id agunt, quantocyus ab hac re ſe expediunt, quaſi dicentes, *vt quid perditio hæc? potuit enim vnguentum iſtud* (hoc eſt tempus) *venumdari.* Sed nota quod qui comitabantur olim magnates aliquos, vocabantur *vmbræ*. quod inter adagia Manutij inuenias. Ergo ſicut vmbra Petri ipſum comitata, etiam ipſa ſanabat infirmos, vt in Act. refertur; ita & qui fit vmbra periti medici, paulatim diſcet & ipſe ſanare.

Sed times fieri vmbra, ne obſcurus ita euadas, ſcilicet denigres hoc pacto claritatem famæ, vel nobilitatis tuæ? at falleris. nam Deus (qui vt Apoſtol. 2. Corinth. 4. 6. *Dixit de tenebris lucem ſplendeſcere*) *Quicumque*, inquit, *honorificauerit me, glorificabo eum, & qui contemnunt me erunt ignobiles.* an non eſt Deum honorare, ad eius ſeruos curandos niſi debitâ diligentiâ præmiſſâ accedere? Si te feceris vmbram, hoc eſt tenebras; de tenebris his Deus faciet 2. Cor. 4. 6

ciet splendescere lucem, scilicet gloriæ.

3. Alia maxima ægritudo in medicis (vnde alicui eorum dicatur, Medice cura teipsum) est, quod non solum non student ante exercitium artis, sed neque in ipso, nam sicut Italicè dicimus, (a) *Passato il punto, gabbato il santo.* (quamuis verè non Sanctus, sed peccator infidelis in Sanctum solummodo decipiatur.) sicut inquam transacto puncto illo periculi, nil amplius curat de soluendo voto ei sancto, cuius intercessione obtinuit salutem: ita medicinæ discipulus transactis punctis illis, qui sibi propositi fuerant, vt eos rectè recitando admitteretur ad facultatem medendi, nihil amplius curat de ipsorum (vt ita dicam) sancto, nimirum de Galeno, vel Hypocrate, cuius auxilio euaserunt reprobationis periculum, Lauream recipiendo: hoc est, numquam amplius eos auctores legunt, vel vident.

(a) Exacto periculo, illuditur Sanctus.

Ita dum aggrediuntur dare *vale*, hoc est, sanitatem infirmis; *vale* dant medicis, nimirum legendis, vel audiendis. Alphonsus Rex cognominatus sapiens dicebat, meliora consilia præberi nobis à mortuis, quàm à viuis; per mortuos intelligens libros. Ita ergo dicendum, quod quia nolunt hi medici consulere mortuos, vt consulant viuis. ideo faciant mortuos de viuis. quia nolunt discere, mortuos legendo; discunt mortuos faciendo. nam (vt Plin. ait, lib. 29. c. 1. de his imperitis medicis) *discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt.*

Plin. lib. 29. c. 1.

Lauream huius magisterij exiguo præmisso studio petentes, vel aliis concedentes parum peritis, dicunt apud seipsos, propter conscientiam sufficit scire ea, quæ præcipua sunt in hac arte, & sæpius accidunt. de ceteris verò sufficit, scire dubitare: quando autem talia dubia & casus peculiares contigerint; oportebit studere. At cum de facto hi casus adueniunt; quia ob curarum seu ægrorum copiam, & ob auaritiam vix tempus aliquod inueniunt ad studia; dicunt aliud adagium, nimirum contrarium priori: quia tunc dicebant, oportebit studere; & nunc clamant, *Oportet studuisse.* & ita post humeros abiiciunt curam studendi. Si non studeo, ait medicus; patietur, & fortè morietur infirmus: at si studeo; patietur, & fortè morietur medicus. hoc est, si ex occasione morborum præter totius diei laborem in inuisendis infirmis; adhuc studij causa somnum mihi eripiam, & caput lædam, me ipsum necabo: & ita non medici sanabunt infirmos, sed infirmi ægrotare facient medicos.

Sed dic, & si in omni scientia, atque arte exercenda falsum esset illud adagium *Oportet studuisse*, sicut reuera verum est: tamen in medicina semper esset verissimum. nam primo id aduertit Hypocrates, cum ait, *Vita breuis, ars longa*, & statim subdit, *occasio præceps.* quid est præceps, nisi, vbi in subitum & apertum discrimen deueniunt medicus, & infirmus (quamuis vario modo) ceruices frangendi, nos diceremus *di scauezzarci il collo?* nam vocatur sæpè medicus ad

ægrum

ægrum tali vulnere, vel morbo laborantem, vt periculum ſit in mora, nec ſit tempus ſtudendi pro ignoto illo morbo vel plaga, ne, dum medicus abit ad loquendum Galeno, infirmus abeat ad loquendum Pilato. (ita enim vulgò exprimunt mortem hominis) ergo in medicina veriſſimè, *oportet ſtuduiſſe.*

Sed, quid dico de caſu ſupradicto? quando quæſo, non eſt medico *occaſio præceps*, ita vt non ſit verum in eo, *oportet ſtuduiſſe*? quot medicos inuenias, & quoties, qui viſo, & audito infirmo, vel eius curatoribus domeſticis, non ſe dehoneſtatos putent, niſi ſtatim ſedeant ad ſcribendam in infirmum ſententiam de vtendo ferro ad ſanginem eliciendum, vel ad carnes ſecandas, vel præbendo pharmaco, quod ſuprà probatum eſt eſſe de genere rerum venenoſarum, aptumque in multis caſibus ad necandum? niſi fortè dicas quod aliqui medici illum medicum imitentur, qui poſtquam periculoſam potionem, vel aliud quippiam tale in ægrum ordinauerat, poſtea in libris diſquirebat, an eſſent apta illa medicamina ægroto.

4. Habent in pedibus pennas aquilarum, in manibus anſerum. illis vt citò volent de domo in domum, iſtis vt citò ſcribant, & præſcribant ægris medicamina. Sed ſæpè qui ſic volant vt aquilæ, vident vt noctuæ. pharmaca ſcribunt calamo anſerino, vtinam non & ingenio. Vide ergo an non in medico ſit *occaſio præceps:* vide an non oporteat eum ſtuduiſſe. & tamē, quamdiu & quantum multi ſtudeant, antequam in hunc campū deſcendunt; iam vidimus. Oporteret eum habere præ manibus omnes medicos hoc eſt Scriptores medicinæ. Sed cum manus exiguæ ſint; non poteſt in manibus habere vllum medicum, dum in eis vult omnem infirmum; hoc eſt dum plurium curationibus vacat medicus, vacationem ad ſtudia non habet.

Phœbus, qui idem eſt ac Sol, à multis, vt ſupra dixi, habitus eſt Deus medicinę, quem in hoc imitantur medici multi. nam ſicut ille curſu velociſſimo tranſit per varia ſigna cæli quæ ab Aſtrologis vocantur etiam *domus*, & tranſeundo plurimos necat; hoc eſt ratione temporū, quę decurrendo ducunt ad mortem: ita multi medici velociter tranſeunt per domos terræ, vt ille per domos cæli, & hac celeritate, & temeritate homines necant, dum non patiuntur ſe (paululum morando apud ægros) inſtrui, quantùm oportet, de eius morbo; vt deinde maturè ſuper eo cogitent.

2. *Celeritas, & curſus medicorum iterum damnatur.*
3. *Confluunt medici ad diuites, non ad pauperes.*

2. SENECA epiſtol. 40. reprehendens in Philoſopho nimis cōcitatam locutionem, & pronuntiationem, dicit quaſi magnum abſurdum: *Quis medicus in tranſitu curat?* At vtinam de medicis plures curas habentibus, non debeat potius dici; Quis medicus in tranſitu non curat? Putant ſe quaſi Petros; quia *illo tranſeunte* ſanabantur ægri per vmbram eius: Senec. epiſt. 40.

eius; vel tanquam Christos; ille enim *pertransiit benefaciendo, & sanando.* Quasi monstra quædam se faciunt huiusmodi medici, quæ simul atque ostenduntur aliquibus; ostensores mercedem illico exigunt. & quasi monstrum est medicus alicuius nominis, qui prędicto modo nō se prębeat monstrum; quasi ægri possint dicere medico: *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* sæpè medici dum currunt, curant. imo quia currunt non curant, quia in plumis ambulat medicus, è plumis non surgit infirmus.

3. Dixeram hos medicos velut aquilas volare ad ægros, seu potius ad omnes ægros, non contentis paucis curis. sed vtinam *ad omnes*, hoc est etiam ad pauperes. At *vbi fuerit corpus* (hoc est lucrum) *ibi congregantur* istæ *aquilæ*, hoc est vulturum genus, quod oritur ab aquilis; sed degenerando ab eis, sunt aquilæ imperfectæ. Volant ergo ad diuites, & ad tribuentes. at vbi ægri habent chyragram, medici habent podagram: vbi illi habent argētum bonum in manibus, isti habent argentum viuum in pedibus. *Turba medicorum perdidit Imperatorem*, dixit olim Adrianus de se moriente, & abiit in prouerbium. at turba medicorum non perdidit baiulum. imo sæpè nec medicus vnus. quia, vt dixi, *vbi fuerit corpus congregantur aquilæ*, at in domo inopis ossa potius sola sunt; sine carne, ideoque nec vna ex his aquilis aliquando ibi inuenitur. In ciuitatibus opulentis nonne vides quot ex his vulturibus congregati sint ex omni tribu & lingua, & populo & natione. at in pagis, & villis vix vnus medicus, isque quā peritus, quàm expertus Deus scit. vnus, inquam, pro ingenti populo pauperum. catenâ duræ necessitatis detinetur: eo quod meliorem conditionem non inuenerit.

2. *Imperiti medici notati varijs modis.*
3. *Romani ne in hos inciderent, tot sæculis sine illis vixerunt.*
4. *Maluerunt braßicam habere in medicum, quàm malos medicos.*

2. PROPTER ea quæ diximus, & alia multa, cōcludendum est, plurimos mortales medicorum imperitiâ, aut socordia perire. vnde quidam aiebat, Huiusmodi medicos ab his, qui sub eorum cura perierunt (nempe mortuis) longè abesse, ne sanguis effluens à cadauere homicidas detegeret.

Stratonicus apud Antonium in Melissa Serm. 39. dicebat cuidam medico: Laudo tuam experientiam, quia non sinis infirmos computrescere, statim eos à vita liberās. Plutarchus in Laconum apop. ait, Pausaniam Lacedæmonium percontantibus ab eo quomodo Thraces possent vincere, respondisse, Si medicum constituamus ducem (nempe imperitum) qui plurimos ex iis interimat. *Strat. in Melis. Ser 39.* *Plut. in Lac. apop.*

3. Quàm magnum malum sint imperiti medici, hoc vnum sufficeret ad euidenter id probandum, quod ait Plinius libro 29. capit. 1. nimirum, Populum Romanum sapientiæ famâ adeo clarum, nec lentum in recipiendis artibus etiam valde leuioris momenti, quàm medicina, sit *Plin. lib. 29. c. 1.*

cum

cum esset auidus huius artis, eam recepisse, & expertā damnasse. nō inquit Plinius damnasse medicinam, sed medicos, & modum medendi eius temporis. & addit, Per sexcentos annos, & vltra sine medicis eumdem populum fuisse. addit idem Plinius, Multa millia gentium sine medicis viuunt, non damnantes medicinam, sed medicos. Quæ omnia fortasse indicant tunc temporis cum nondum tot docti medicinæ auctores extitissent, imperitiores fuisse medicos, quàm nunc sint, saltem in numero. Alioquin scimus non esse reijciendos medicos in vniuersum. nam dicitur *Da locum medico*, Ecclesiastici 38.

Eccl. 38.

4. Cato apud Dioscoridem testatur, Romanos toto illo tempore, quo medicis caruerunt sola brassicâ sibi mederi solitos fuisse. Vide ergo quā perniciosa res sit solum periculum malorum medicorum, vt Populus sapiens potius elegerit tamdiu vilem brassicam in suum medicum, quàm medicos vniuersos, ob periculum incurrendi in aliquos ex illis imperitos.

2. Mali medici sanitates ope cœli factas assignant sibi, neces à se factas incontinentia ægrorum.

3. Vnus sanatus à medicis eos laudat, & ob oculos hominum est, plures necati quia silent, & non videntur, extra memoriam hominum sunt.

4. Censores medicorum certis temporibus illos examinare, vt noui Episcopi confessarios solent, super doctrina deberent.

2. SED fons huiusmodi malorū in Humana Republ. est hic nimirum, *quod oculus non videt, cor non dolet*. Quia non videmus occisiones hominum fieri à medicis; ideo nec terremur, quamuis fortasse eas fieri credamus. non terremur inquam, neque remedia tanto malo quærimus, vel optamus. Hæc est, inquiunt, felicitas medicorum, vt si inter curationes suas vnus Dei ope, vel à Deo intercessione alicuius Sācti, vt alterius hominis sanus fiat, iuxta illud antiquorum, *Euasit fati ope, non medici*: tamen ipsi medici gloriam facti sibi assumunt, mercedemque & gratiarum actiones exigunt, & obtinent. cùm sæpè nec Deo, nec Sanctis gratiæ, vel etiam vota illis facta soluantur. Econtrario cum medicus veraciter necauit ægrotum, Deo assignabit mortem, vel ipsi infirmo, quasi incōtinenti in cibo, vel potione, aut in re huiusmodi. & ita, sicut carnifex, postquam necauit hominem, insuper (vt mos est alicubi) solet eum spoliare honestis illis vestibus, quibus nuditas operiebatur, & illum nouo ludibrio exponere: ita medicus, vt verum se ostendat carnificem enecatum hominem insuper spoliat honestate opinionis & famæ, dum tamquam sui ipsius homicidam facit.

3. Adde præterea, quod simulatq; ille qui sanatus est, prodit in conspectum omnium in forum, in Ecclesiā; ibi statim à medico cunctis digito ostenditur quasi tropheum gloriæ suæ. ipseque sanatus vicissim sui medici præco & prædicator factus, apud omnes super astra eum tollit. At contrà, cū idem medicus innumeros

occiderit; quis est eorum, qui amplius videatur ab hominibus, imò non statim & in obliuionem abeat? *obliuioni datus sum tamquam mortuus*, dicitur in Psalmo. Nemo ipsorum occisorum os aperit contra homicidam. vox quidem sanguinis occisi, velut Abelis, *clamat de terrâ*; sed eius idioma nō intelligitur ab homine. Quid horribilius in mundo, quā tot animas quotidie damnari? at quia hoc oculus non videt, cor non dolet & parum de remedio cogitat, ita in casu nostro. in his tenebris eorum errata, & neces operientibus confidunt, & gaudent miseri homicidæ sub titulo medicorum. *Exultatio eorum sicut eius, qui deuorat pauperem in abscondito.*

Prædictam tamen imperitiam, & temeritatem medicorum in assumendo hoc exercitio absque debita sciētia, & experientia coërcuit Reutha Scotorum Rex, vt testatur Hector Boëtius l. 2. Cùm enim inquisitione facta comperisset multos ab eis necatos fuisse per imperitiam, constituit sub pœna capitis, ne quis impósterū, nisi post longam experientiam nomē medici assumeret.

Boetius libr. 2.

4. Et certè, si statutis temporibus solent in Prouincijs constitui, & per eas mitti iudices superiores, seu censores, qui examinent iudicia facta à Prouincialibus, & inferioribus iudicibus: quamuis eorum acta non operata fuerint in tenebris, vt opera medicorū, sed in luce fori, nec præcipitanter, neque fuerint semper de vita hominum. Si etiam super spirituales iudices, nimirum confessarios cōstituti sunt Episcopi, qui non solum initio Episcopatus iterum examināt prædictos confessionum auditores, quamuis antea ab alijs examinatos; sed etiam alicubi eos admittunt tantum ad annos singulos, vt timore noui examinis semper studeant. Si quicunque tutores pupillorum, gubernatores locorum, monasteriorū, vel reddituum alicuius, cogūtur sæpè, vel saltem quando leges, vel Domini iusserint, reddere rationem villicationis suæ. Quomodo medici soli, qui constituti sunt iudices vitæ omniū hominū, & id in tenebris agūt, & sæpè imperiti sunt, & infamiā laborant apud homines, quod multos necēt; liberi omninò exēptique erūt, ne statutis tēporibus inquisitores super eorū acta constituantur, vel saltem velut confessarij iterum examinentur in doctrina? Nonne seniores & doctiores medici possent disquirere de actibus, & de sciētia ceterorum? disquirere an iuxta canones artis hunc, vel illum curarint, & similia statutis temporibus?

Quis Licentiatus in medicina, nisi sit valde timoratæ conscientiæ, sciens hanc indefinitam exemptionem ab omni examine, non statim ac è schola exiuit velut alter Iudas vendat, & prodat magistros suos, nimirum Hippocrates, Galenosq; Iudæis? quis inquam non ita prodat, vel in profundum aliquod præcipitet omnes prædictos medicos, vt etiam post medicos præcipitet, & prodat infirmos? & nos mirabimur, si tanta imperitia, & audacia in pseudomedicis reperiatur cum tantâ licentiâ? At dices reddent rationem in fine vitæ de his omnibus Deo? Sed nescis

Eccl. 7. 11. Ecclesiastem dicere 7. 11. *Quia citò non profertur contra malos sententia, ideò absque timore vllo filij hominum perpetrant mala?*

Si errat confessarius culpabiliter nedum inculpabili ignorantiâ; nonne tamen sæpissimè per bonam fidẽ excusatur pœnitens? operatur cõfessarius, seu agit cum pœnitente iuxta opinionem probabilem, licet fortasse non veram: nonne (saltem exceptis casibus quibusdam) excusatur & confessor & pœnitens? At si erret medicus siue cum culpa, siue sine culpa: quando inde non læditur infirmus? agit medicus iuxta opinionem medicinæ probabilem in eumdem ægrum: si illa non sit vera; illæsus ne inde euadet ægrotus? & tamen confessarius iterum examinatur à nouo Episcopo, medicus non iterum examinatur.

2. *Medicus esse debet iaculator tam peritus, vt pomum de capite pueri decutiat iaculo, puero illæso, scilicet ita medendo homini, vt illi simul non noceat.*

2. NONNE periculosũ est hoc negotium, vt maxima illi cura debeatur? Audiui de iaculatore quodam, qui super caput filij sui pomum collocabat, & mox præsentibus multis iaculo feriebat pomum illæso ipso filio. ita medicus iaculo medicamenti debet deijcere malum, scilicet morbum ab homine, illæso ipso. Vide ergo quoties dum vult vni hominis membro, vel morbo mederi, an periculum non sit ne alteri membro, vel parti noceat? vide an non bonus iaculator requiratur, quando ita feriendus est lupus, vt nõ lædatur infãs, quem ille in ore tenet. Vide an non sæpè accidat misero ægroto id, quod dicitur, quod dũ fugit pruinam, irruat super eum nix, & dum fugit à facie Leonis, occurrat ei vrsus, vt alibi dicitur; hoc est, dum vult liberari ab vno morbo, in alium incurrat, & aliquãdo in maiorem, vt nix deterior est pruinâ. cùm dixerimus, imperitos medicos, & maximè adolescentes (qui sunt ex aspectu puerili & cæcitate ignorantiæ velut Cupidines, seu Amores) per tenebras temerè eiaculari, velut Amor solet: vide tu an possit credi, quod ictus tam certos, & mirabiles facturi sint. Dixi sagittare velut Amores, sed melius dicam velut odia; nam & odium cæcum est veluti & amor. non enim amor est, sed odiũ sic temerè in re tanta procedere.

2. *Imperiti medentes cæci sunt in campo ægrorum pleno gladium vibrantes circumquaque.*

3. *Iidem bellum omni bello sæuissimum mundo inferunt.*

4. *Medicorum auaritia, depauperant ægros.*

2. SED rursus dicamus, quod non satis explicauimus. dicamus inquam maximum, & sæuissimum bellum contra Orbem vniuersum exerceri vbique, & tamẽ homines tam ingenti malo obdormiscere, & illud pacem existimare. est autem hoc bellum ab imperitis, vel temerarijs medicis, qui armati ferro, igne, atque mille generibus pharmaco-

 rum

rum contra homines vbique grassantur. Nonne probauimus medicinę artem esse plerumque tenebras; imperitos autem esse cæcos, atque sine lucerna vlla scientiæ, vel cum exigua tantum illius fauilla? campus ergo, in quo currit, & se exercet medicina, seu medici, est cāpus tenebris plenus, in quo passim infirmi atque languentes, & absque armis, ac viribus ad se defendendum iacent. Nonne ergo sæuissimi hostes sunt, qui per hunc campum currentes magna temeritate contra miseros prædictis armis pugnant? Verè de hominibus qui ob inaduertentiam non agnoscunt hoc bellum potest dici illud ex

Cap.14.22. Sapientiæ 14, 22. *Sed & in magno viuentes inscitia bello, tot & tam magna mala pacem appellant.* nos enim hoc tempus pacis putamus, cum sit tempus belli. fiunt viæ istorum medicorum *tenebræ & lubricum.* quid magis lubricum ad lapsus, & errores quam curationis ars, in quâ, vt ipsum oraculum medicorum ait, *Occasio est præceps, experimentum fallax, iudicium difficile?* quis in hoc campo non videat ingentes tenebras ex ipsismet verbis illius? sed sequitur etiam ibi in Hippocrate id quod magis hoc exaggerat: Angelus autem malus, angelus auaritiæ, angelus ille, qui mortes induxit in homines, hostis sæuissimus generis humani, hic in his tenebris stimulat prædictos medicos, & est angelus Domini persequens eos.

3. Sed dices isti non occidunt volentes. imò dico plus quàm volentes, nam non solum volunt necare cum necant, sed tamdiu antea id virtualiter voluerunt, quanto antea facultatem per artis exercitium temerè necandi assumpserunt. ergo odium ipsorum tantò maius, quantò magis est inueteratum odijs ceterorum hostium. Bellum hoc omnium sæuissimum, hostes omnium sæuissimi. quod enim bellum antiquius isto, & tam inceſſabile, imò immortale? bellum iam necessarium effectum est hoc, non est in vna prouincia, neque contra vnam gentem. Hostes hostibus infensi: at isti amicos & inimicos necant. *Si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem vtique, & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo; tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus,* &c. Hostes vni genti sunt hostes: isti, toti mundo, nam vniuersum si possent vellent curandum assumere, consequenter & occidendum vellent habere ea voluntate, quæ à Theologis dicitur voluntas, seu voluntarium in causâ. Bellum intestinum & intra domesticos parietes, in quo *inimici hominis domestici eius*, in quo plebeius necat nobilem, stultus sapientem, impius iustum, puer senem, consanguineus cognatum, vicinus vicinum. vtinam non & sæpè frater fratrem: & vir vxorem, & filius parentem. in quo hostes non lacessiti nocent, honorati necant, præmiati occidunt. in quo diaboli isti (velut olim pater ipsorū cum primis parentibus) promittunt vitam, & dant mortem, exhibent se in verbis medicos, in factis carnifices, in loquendo Mercurios, in necando Martes, aspectu Æsculapios,

esse-

effectu Charontes, in specie Hipocrates, in re hypocritas, hoc est barbâ tantum & titulo medici, at ne pilum quidem medicinæ veræ habentes in mente, cum plurimos vanitatis habeant in mento.

4. Se faciunt medicos, vt alios faciant mendicos, & quos ex morbo iacentes inueniunt, & spoliatos, in breui per auaram curationem faciũt nudos. Latrones in nemoribus, & solitudinibus spoliant homines: at hi corã omnibus, & in proprijs domibus. Frigebat, & tremebat prius æger ex febre; vocauit medicum, vt hanc febrem auferret. at ille & alteram addidit, nimirum paupertatis, vt ob hanc nudus effectus plus frigeat, & maiori tremore agitetur. cogit ægrum ad dietam per curationem; deinde nimis ab eo exigendo ad eandem cogit per auaritiam.

Ad diuites accedunt, vt ab eis lucrentur; ad pauperes, vt in eis medicamina experiantur. ad illos, vt obtineant nummos, ad hos vt illud obtineant, vnde acquirantur nummi. Sæpè in ipso exercendæ artis initio liberales se simulant, mercedes non requirendo, & beneficia curationum donando. at hæc donatio est seminatio quædam. sicut enim seminant homines in agris, ita & seminant isti in ægris, volunt enim postea tantò plura metere.

Medici, initio exercitij artis, maturè; postea præcipitanter agunt, partâ iam famâ.

Cum incipiunt exercere artem, vix tres visitant infirmos horis duodecim. at paulò pòst aucto numero suorum ægrorum, duodecim infirmos visitant vna hora. primum coram ægroto loquuntur etiam superflua, deinde fortasse nec necessaria. initio etiam fabellas, postea nec que veritates. Cum iuuenes sunt, in ægris inuisendis ambulant seniliter: cum senes, iuueniliter: hoc est, tunc tardè, postmodum celeriter. nec tantum hæc præstant in modo ambulandi, sed in modo medendi. Sed vide ridiculam rẽ. quãdo minus agunt pro ægris, tunc plus ab eis recipiunt, & e contra. quasi merces non operi soluatur medicorum, sed paucitati, vel copiæ ægrorum. qui enim vel nihil, vel parum obtinebat ab ægro, dum ipsum cum altero tantùm curabat; mox, cùm plures curet, obtinet plurimum, quamuis hęc copia infirmorum non ex opinione scientiæ, sed sorte, vel fauore illi contigerit. & sicut medicus ob paupertatem ab initio duobus pedibus ambulat, & pedetentim, materialiter loquendo; & deinde quatuor incidit pedibus, nimirũ equitãdo: ita etiam ab initio maturè incendit in medendo, at postea cursim, non aduertens prouerbium, *Chi và piano, và sano.* ibit autem sanè si sanabit.

Ars longa, vita breuis: vtinam id etiã non verificetur in eo, quod vita nostra breuis fiat, quia ars medicinæ longa est: nimirum quia ob magnitudinem suam non satis addiscatur in hac breui vita; præcipuè à medicis eam abbreuiantibus nimis, seu præcipitantibus, breui ipsorum studio; & consequenter nos per illam deturbantibus, vitasque nostras abbreuiantibus.

2. *Medici curas prolixas agentes.*

2 VTINAM etiam non sit vita breuis, quia ars longa; eo quòd quidam medici, cum possent breui medela, facilique negotio, ac nullius impendij sanare; longis, & longe petitis curationibus, & pharmacis id præstent, vnde vita hominum macerata breuior exinde fiat. Plinius, & alij docti apud Tiraquellum de nobilitate, c.31. valde detestantur pharmacorum exquisitam compositionem, & à remotis partibus magno dispendio conquisitam; quam inquiunt, sicut ciborũ compositionem & varietatem nocere videmus, ita nociuam valde esse hominibus: & consequenter abbreuiare vitam. cùm præcipuè dicant, nos in hortis nostris habere, vnde breuiter, & sine expensa sanemur, nimirũ herbas medicinales, quæ simplicia vocantur. & prædictas compositiones auaritiâ medicorum fuisse excogitatas. Quæ quàm vera sint, videant peritiores. Iuxta ergo prædicta, quia faciunt artem longam, erit inde vita breuis.

Tiraq. de nob. c. 31.

3. *Probitas in medicis requiritur magis quàm in plurimis alijs professoribus artium, vt audeant ægros ad pœnitentiam vocare, & confessionem.*
4. *Medicina ditat suos.*

3. QVOD si nulla diligentia adhibenda esset in ceteris omnibus artibus, vt professores earum probæ conscientiæ essent; tamen in hac vna medicina, vt tales essent totis viribus, & omni hominum ac Regnorum studio, & auctoritate esset conandum. Nam quid ad salutem æternam magis videtur conducere, quàm bonitas, & diligentia sacerdotum, & animarum pastorũ? tamen illi plerumque magis remotè animarum salutem prouehũt, quàm medici. cum enim illa per vltimam vitæ dispositionem acquiratur, & hanc Deo adiuuante medici admonendo de vitæ discrimine, & cõfessionem suadendo soleant, vel possint excitare: certè in hac parte in qua rerum summa consistit, medici si timorati existant, animas quantum in ipsis est, saluant, præcipuè cum ante hanc denuntiationem medicorum factam religiosi nõdum admitti soleant ab ipsis infirmis. & in casu etiam, quo admittantur, semper ægroti plus credent medico mortis periculum protestanti, quàm religiosis ipsis. Quis autem medicus nisi virtute præditus, audebit (maximè cùm periculum sit nè ægrotus sibi propter hoc succẽseat, & in mercede reddenda minus largus fiat) infirmum de rebus tantis & horrendis monere? præcipuè cùm præscripta veterum medicorum talia vetẽt indicari ægrotis: eo quod inde contristati magis videantur periclitari. Quomodo inquam hæc præstabit medicus, nisi Deum timeat; cùm scriptum sit, quod *probata virtus corripit insipientes*? quod idem videtur, significare, ac, hominem probatæ virtutis, corripiendi habere vsum, & sufficiens cor, vt etiam alibi legimus: *vos qui spirituales estis, corripite huiusmodi in spiritu lenitatis.* Cur iura-

iuramentum medicis impositum, quo cogantur infirmos ad confessionem inducere; nisi quia timebatur eos nihil eâ in re effecturos? sed qui peccatum non timet, sæpè nec iuramentum timebit, vel cauillando se ab obligatione eius subtrahet, hoc est falsò se liberatum putabit. Quomodo autem, & quando teneantur medici prædicta præstare sub mortali; non est nostrum hic minutè, & scholasticè exponere, ipsi tenentur hæc scire.

4. Nil minus, nec magis differt, quàm medicus & mendicus. nam in vocabulo parum, in re plurimùm differunt. Nam aiũt, *Dat Galenus opes, & sanctio Iustiniana: Ex alijs paleas; ex istis collige grana.*

Qui modo venisti nostram mendicus in vrbem
Paulum mutato nomine fis medicus.
Pharmaca das ægro, argentum tibi porrigit ille
Tu morbum curas illius, ille tuum.

Iuristæ, & Medici pares.

Iurisconsultorum idem status, & medicorum est,
Damna quibus licito sunt aliena lucro.
Hi morbis ægrorum; ægrorum litibus illi
Dant patienter opem, dum potiantur opum.

Dignitas medicorum.

Te formidati metuunt; Galene, tyranni:
Stat regum in vestrâ vitaque, morsque manu.
Arbitrium vobis vitæ, mortisque potestas
Summa data est; vni proxima pene Deo.
Nos damnare neci, sed non sine crimine, iudex,
Nec sine teste potest: tu sine vtroque potes.

Vita omnium in manu Principis, sed vita Principis in manu medici, vt & in manu Dei. De Deo dicitur. Psal. *Terribili, & ei qui aufert spiritum principum.* & medicus ideo terribilis: quia id potest, & vtinam non fecerit cum pluribus dominis. Plus quàm iudex medicus, & quasi Deus: potest necare sine iudicio, sine teste, crimine. ideo ait potestatem proximam penè Deo medico datam; quia Deus potest occidere absque ijs conditionibus.

Medici quasi Dij: ob dominium in vitam Principum & in mortem, & quia eos sibi subditos, & obtemperantes reddunt in ægritudine, etiã in minimis, vt ne guttam aquæ quidem gustent absque licentia medici, neque aliud quid agant. Cum igitur medicus regat Reges, & ijs dominetur amplius, quàm ipsi reges subditis, & austeritate regulæ arctioris: ideo, quasi alter Deus, dici potest *Rex regum, & dominus dominantium.* præsertim cùm ditatus tandem etiam opibus & dignitate videtur rex euasisse.

De primatu inter medicos & Iuristas sententia.

QVidam neotericus refert, prætorem Venetum, ortâ contentione inter Medicos, & Iuristas de primatu in quadam ciuitate; vt litem dirimendo, notaret malos, qui sunt in vtraque professione; pronuntiasse

in hunc modum sententiam: Incedant per viam, vt solet carnifex cum fure. Atque ita declarans Iuristam debere præire medicum; taxauit malum Iuristam vt furem, malum medicum vt carnificem.

LACRYMÆ.

2. *Lacryma secundum baptismus.*
3. *Homo renascitur ex oculis, filiusque est pupillarum.*
4. *Lacrymæ sunt aqua vrens dæmonem: peccata in eis vt in diluuio merguntur.*
5. *Deflens temporalia damna omissis spiritalibus; aquâ extinguit incensum stabulum, patriâ neglecta quæ ardet.*

D. Bern. serm 1. in Oct. Pas. 2. . BERNARDVS Ser. 1. in Octauam Paschæ dicit, (quod antea Chrys. dixerat) nempe lacrymas esse alterum baptisma, & addit, super baptisma habere, quod illæ sint baptisma iterabile. Adde; hominem aliquando non posse habere baptisma defectu ministri; at in hoc secundo baptismate non potest carere illo, nisi careat se ipso. Caret aliquando baptismo defectu aquæ. at legitur, Deum fontem aperuisse olim, vt quidam baptizaretur in carcere. Sed propter hoc baptisma secundum, duos aperuit fontes in vnoquoque homine, nunquam aquâ carentes, hoc est oculos. Ier. 2. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Ier. 2. 9.

3. Baptisma sunt lacrymæ: nam ex ijs regeneratur homo spiritualis, homo interior. lōgè maior est homo interior exteriori, & tamē valde exiguos habet parentes, & plus quàm pumiliones. gigas nascitur ex pigmæis, nempe homo ex oculis. Et sicut *mors sæpè ingressa est per fenestras*; ita & vita inde nascitur: vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret; & qui in oculo vincebat, in oculo quoque vinceretur. sic homo resurgit ex oculis, quasi ex loculis. & pupillæ, quæ dicuntur esse absque patre, incipiunt non esse sine filio. *Filius lucis* dicitur iustus in Scriptura. & vnde nasci debuit filius lucis, nisi ex luminibus? sic enim & vocantur oculi.

4. Lacryma lacryma est, & tamen sæpè est risus. August. in Psal. 127. *Dulciores sunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum.* aqua est, & abluit hominem; sed tamen incendit diabolum. D. Petrus Cellensis, de panibus, cap. 12. de fletu, ait, *vrit certè aduersarium refrigerium nostrum.* Aqua est, & mollis; & tamen dura quæq; emollit, nempe corda lapidea. *gutta enim cauat lapidem*, fons huius aquæ peccatum est, & tamen fluuius exsiccat fontem, vt idem Cellensis ait. Exigua res lacrymæ; tamen (ad illud Psal. 31. *In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.*) Hier. in epist. 46. ad Rusticum ait, *Vide quanta magnitudo sit fletuum, vt aquarum diluuio comparentur.* Lacrymæ demergunt ea, quæ homini intima sunt, hoc est peccata; & potest dicere homo, *intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam*: tamen ita occidunt coniunctissima homini, vt dent vitam

Aug. in Psal. 127. D. Pet. Cell. de panib. cap. 12. de flet. Psal. 31. Hier. in epist. 46. ad Rust.

tam homini ipsi mortuo, cum illis vna coniuncto. sic idem Cellensis ait loco citato; *lacryma naufragantium est vitiorum, portusque naufragantium.*

5. Insania quàm inaudita, si flumen sit in tua potestate, & ardeat ignis magnus iam imminens de proximo patriæ tuæ, & tamen tu diuertas fluuium ad stabulum equorum tuorum, quod iam penitus combustum est, nil curando de vrbis conflagratione. Flumen lacrymarum tibi concessum est, vt ignem inferni imminentem tibi, familiæ, & patriæ tuæ, totique mundo, cures extinguere. vt enim ait Chrysost. Hom. 1. in 16. Lucæ, si veraces sint, & feruentes; *ipsum etiam gehennæ incendium norunt extinguere.* at tu effundis illas super combustum stabulum, hoc est super temporale damnum, cui iam mederi non possis fluendo. Defles enim defunctum filium, amissas opes, & similia, quæ respectu rei supradictę multò minoris momēti sunt, quàm stabulum respectu patriæ vrbis. Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* cur? fortasse ob detrimentum in regno, in filijs, aut aliquo huiusmodi? respondet, *quia non custodierunt legem tuam.* Ambros. Serm. 17. illum in locum ait, *A sancto viro plus culpa, quàm crumna defletur.*

Chrysost. Hom. 1. in 16. Luc.

Psal. 118.

Ambros. serm. 17.

2. *Fletus ob temporalia, sterilis etiam fructuum temporalium.*

3. *Mulieribus inhibitum flere olim super Christum: quantò magis vetandus fletus super diabolum; hoc est super amissas peccandi facultates?*

4. *Flens temporalia, omissâ animâ suâ, alienum defunctum alibi deflet, cum suum domi teneat.*

5. *Viri sancti, oculi sunt in corpore Ecclesiæ. ideo facilè plorant. non ita cæteri.*

6. *Lacrymæ tribulationis dant intellectum. Spontaneæ, guttæ sunt spontè promanantes ab arbore, Deoque chariores.*

2 PETRVS Cellensis vbi supra, inquit: *sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum.* Aquæ cæli, hoc est aëris, non fructificant nobis in cælo, sed in terra. & aquæ terræ, nempe lacrymæ, nō fructificāt nobis in terra, sed in cælo, hoc est sparsæ ob res cælestes. Steriles sunt hic, ibi tantum fœcundæ steriles sunt duplici sterilitate, (saltem vt plurimum) nimirum fructus spiritualis, ac etiam temporalis. quia per mundanum fletum neque gratiam acquirimus, neque temporalia damna.

3. Quæ lacrymæ quæso iustiores, quàm quæ super Christum ductum ad crucem fundebant illæ mulieres? tamen prohibet eas Lucæ 23. 28. *Luc. 23. 28.*
Nolite flere super me. flebāt ex affectu quodam naturali, inquit quidam Doctor, non ex supernaturali charitate. & non flebant super æternam mortem imminentem sibi, & filijs suis, sed super temporalem Christi. vnde ait: *sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* non flebāt super peccata sua. vnde instabat illis destructio ciuitatis, siue mundi per iudicij diem. Si ergo arguuntur flentes Christum, eo quòd præstaret deflere peccata propria, mala propria:

quid erit de his,qui deflent diabolú? An non deflent diabolum à se auferendum, & quasi moriturum, qui deflet peccata, seu occasiones peccatorum à se remotas, vel remouendas? deflet ille amasiæ amissionem: alius iniusti lucri perditam facultatem, siue honoris, aut rerum huiusmodi. Hi omnes plorant super diaboli caput,cum deberent fletum effundere super Christi pedes,vt Magdalena. Si arguuntur, seu prohibentur flere, qui deflent; quid fiet de his qui rident? Si sic agitur cum his, qui deflent Christum; quid cum eis,qui rident Christum? Nonne rident Christum,qui rident membra eius, hoc est Christianos, præsertim spirituales, & simplices,mundique contemptores? nam *quod vni ex minimis meis fecistis,mihi fecistis.* ergo *super vos ipsos flete; & super filios vestros*, scilicet super opera mortua vestra, aut super filios mortuos per peccatum?

(a) Domi funus habes,& aliò abis ad deflendos mortuos?

4. Adagium est, (a) *Tu tieni il morto in casa, e vai à pinger l'altrui?* hoc dicendum deflentibus temporalia, vel defunctos consanguineos. mortuam animam domi suæ habent, nempe in corpore suo, & lacrymas, quas tanto cum lucro super illam effundere deberent (sic enim ipsam suscitarent) super alios defunctos frustra proijciunt, quos nequeunt à mortuis suscitare. Quando in nocte Dominus occidit omnia primogenita Ægypti, credendú est multos casu,aut occasione id ferentibus, in domo aliena fuisse, & ignorasse quod euenerat de omnibus primogenitis occisis. quia & si Moyses id prædixerat Pharaoni: tamen credibile est, eum, quantum fieri potuit, celasse hoc, ne turbaretur regnum ante tempus,&quia fortè non plenè id credebat. Quidam ergo, vt credibile est, in aliena domo plorabant mortuos alienos, cùm domi suæ retinerent proprios. sic in casu nostro accidit. mortuus ille,si loqui potuisset,dixisset hospiti se deflenti,seu hospitibus, *nolite flere super me, sed super vos ipsos flete,& super filios vestros.* idem dicerent defuncti nostri,& dicunt, si audirentur.

5. Oculi apud omnes symbolum sunt rerum inter alias puritate & excellentiâ præstantium. vnde & oculi in corpore mystico Ecclesiæ, sunt insigniores vitæ munditiâ, & virtute viri. Cantic. 1.15. *Oculi tui columbarum.* Zachar. 2.8. *Qui enim tetigerit vos,tangit pupillam oculi mei.* sicut ergo oculi quamuis mūdissimi sint, & ab omni vel minima labe, vel puluere, illibati, tamen sæpè lacrymis se ipsos abluunt, & lacrymantium symbolum sunt: ita qui ab exigua etiam labe peccati quantum, possunt in hac vitâ seipsos præseruant, & purissimi sunt, & denique sunt oculi Sponsæ; tamen ijdem frequenter lacrymis se abluunt pœnitentiæ, vel etiam tribulationum vndâ purificantur ab ipso Deo. Et sicut oculi, non solum super se,sed & super reliquum corpus demittunt aquam fletus, vt illud abluant: ita illi etiam deflent super reliquum corpus Ecclesiæ, scilicet super proximorum peccata. Et sicut cetera mēbra, etiamsi immunda sint respectu oculorum, non tamen habent vsum laua-

Cant. 1. 15.

Zachar. 2. 8.

lauacri istius:ita imperfecti homines (saltem communiter loquendo) etiamsi immundi sint; tamen in pœnitentia sua ad lacrymas non pertingunt, in recogitatione malorum suorum in oratione nō solent erumpere frequenter in lacrymas. miraculum ferè habetur mundanus homo in his casibus lacrymabundus, quasi si pes, vel manus ploraret. Vidi potius, inquit Hieron. innocentiam, quàm veram pœnitentiam. Oculus vero tam in proprio corpore, quàm in mystico, nempe sponsæ, lacrymis deditus est; quia est oculus, hoc est quia videt, cognoscit. dictum est ciuitati, *Si cognouisses & tu; vtiq; fleres: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* nos quia membra alia sumus, non videntia; non deflemus.
6. Id proportionaliter dicendum de fletu per tribulationē. nam, quos amo, inquit, corrigo, & castigo, qui pupillæ sunt oculorum meorum. ij vtique sæpè deflent; eos plorare facio, non autem in mundanis sic accidit, nam ait: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Sed absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sponsæ. Legitur, Indos quosdam existimare lacrymas vtiles valde esse pueris. nec dubium est ita expurgari ab ijs superfluam humiditatē cerebri, quâ illa ætas laborat: vnde & ob hoc rationis pleno vsu expertes sunt. cum verò illa paulatim exsiccetur, ideo sapere perfectè incipiunt in maiore ætate. Propterea, vt legi, Indi illi puerulos ipsorum filios vrticis pungere frequenter solent, vt fletum eliciant. Sic ergo Deus flagellat omnem filium quem recipit, & cōuerti eum facit *in ærumna suâ, dum configitur spina*, vel pungit tribulis, vnde tribulatio dicta: vt ita superfluos emittendo, quos vulgò vocant humores cerebri, hoc est vanas affectiones inde mens prudens fiat; filios ita pungit: ne *Prosperitas stultorum perdat illos, sed vexatio ijsdem det intellectum.*

Balsamum, & huiusmodi odorata, vt & thus, quę non aliud sunt, quam guttæ arborum, vulgò *lacryma arborum* dictæ, partim verò, vt periti docent, spontè emanant ab ipso stipite, partim ferreis, quasi vnguibus vulneratæ plantæ eam lacrymam emittunt. & quia melior est gutta, quæ spontè à non incisâ plantâ emanat; ideo Ecclesiastici 24. 21 *Et sicut libanus non incisus vaporaui habitationem meam.* hoc est sicut thus absque incisione profluēs ita ergo charior Deo est lacryma spontè promanans ab homine, quàm quæ ex vulnere tribulationis elicitur, cum nempè prodigus filius ex fame afflictus ad meliorem frugem reducitur. tamen hæc lacryma non facilè prouenit absque vulnere; ideo Dominus eo vtitur ferro, vt illa scaturiat. tamē vtramq; lacrymā tanquam thus, vel balsamū recipit Deus in odorem suauitatis, sicut vtroque modo excepta ex ijs arboribus illa, de qua dixi, non desinit propterea esse lacryma pretiosa, & odorifera. quamuis vulgus adeo insaniat, vt nares delicatiores habere velit, quam ipse Deus. Quia fœtet populo lacryma omnis pœnitentię, quæ à tribulatione originem duxerit: quasi etiam ex spinâ nō nascatur rosa. *Conuersus sum*, inquit, *in ærumnâ meâ*

Eccl 24. 21.

meâ dum configitur spina. fœtet vulgò igitur etiam rosa ipsa ob hanc causam: fœtet illi thus, & balsamum ab incisâ plantâ prodiens. quia si quis se in religiosam familiam à sæculari vita recipiat, vel aliter vitam commutet post infortunia aliqua; conuersionem eius desperationem appellant. vel, si tenuis fortunæ erat; lacrymas eius non thus, hoc est orationem, & Dei cultum; sed panem potius, & vinum olere dicunt, quasi ob Cererem, & Bacchum sequatur Christum.

D. Amb. lib. 3. Exam. Confirmat D. Ambrosius quæ diximus lib. 3. Exam. dum ait, lacrymas esse *balsamum, & electrum.* additq; differunt lacrymæ istæ à lacrymis cerasi arboris, vel lentisci. Rex non ponet in conspectu suo lacrymas cerasi, vel lentisci, hoc est guttam earū plantarum sic appellatam, sed potius balsamum, & electrum, quod & ipsum est lacryma arboris. sic Deus nō ponet in conspectu suo velut sibi acceptabiles lacrymas inutiles ex mūdano tantum interesse prodeuntes, sed pretiosas, vt quarum pretio ematur ipsum cælum. Tales sunt illę de quibus dicere possit Deo Psal. 55.

Psal. 55. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Vel dicendū lacrymas vilium plantarum esse eas, quæ peccatorum in peccatis suis persistentium sunt; ceteras verò, de quibus supra; esse iustorum, & pœnitentium. Hæ postremæ sunt thuris guttæ, & balsami. vtrumque enim, ratione odoris ascendentis, sacrificum repræsentat. præsertim thus sacrificantium materia, &

Psal. 50. Psalm. 50. *Sacrificum Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* odoratur inde odorem suauitatis. *non despicies* inquit. si non despiciet has lacrymas, ergo aspiciet. ponet eas in conspectu suo. Nonne videmus quam oculis delectabile sit succinum? nonne ipsum ob oculos nobis libēter ponimus? at quid est succinū, nisi lacryma plantæ? ita ergo Deus libenter intuetur lacrymas hominis, qui est arbor. à fructu enim cognoscitur.

Ioan. 15. 2. Ioan. 15. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: & omnem, qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat.* palmites purgantur putatoriâ falce, vel gladio, & vulneratione quadam, vt de arboribus balsami; & thuris dictum est. & iidem palmites ex amputatione, in ipso loco vulnerum aperiunt orbes quosdam exiguos, quos nostri appellant *oculos vitium*, quod oculis similes videantur. ex his vites emittunt deinde lacrymas. Sic enim vites dicuntur vulgò flere. mox germina prodeunt, quæ apud Latinos dicuntur *gemmæ.* vnde dicuntur vites gemmare apud eosdem Latinos. & tandem fructus, & suauis liquor exinde colligitur. Sic ex gladio correptionis, plures & noui oculi acquiruntur à iustis. quia etiam illis vexatio dat intellectum: & lacrymæ tum doloris, tum pœnitentiæ de leuibus erratis, & negligentiâ admisâ profluūt. Exinde hæ lacrymæ conuertuntur in gemmas, seu germina, sanctorum desideriorum, propositorumque: vnde fructus suaues procedunt atque copiosiores boni operis. Vel dic lacrymas palmitum verti dein-

verti deinde in gemmas pretiosas coram Deo, per gratiarũ merita hic, vel in cœlo per gloriam. sic Chryſ. ait Hom. 30. in Geneſ. *oculis lacrymantibus ob pœnitentiam nihil formoſius, quaſi margaritarum decore ornatis.* & Suidas, & Pier. li. 28. aiunt margaritarum ſymbolum eſſe lacrymas. Adde ſicut in vite, ita in prædicto myſtico palmite lacrymas conuertendas in dulciſſimum vinum, hoc eſt in lætitiam, cuius, ipſum vinum eſt ſymbolum. nam vinum lætificat cor hominis. ſic dictũ eſt, *plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. vos verò contriſtabimini. ſed triſtitia veſtra conuertetur in gaudium.*

Chryſ. Hom. 30. in Geneſ. Pier. li. 28.

2. *Lacrymis coaluit puluis, vnde formatus eſt homo. lacrymis homo interior formatus.*
3. *Lacrymæ gloriam cœli pariunt.*
4. *Agrum animæ etiam non ſeminatum parere faciunt ſubito.*
5. *In mari ferè omnia inueniuntur quæ ſunt in terra, hoc eſt, piſces omnia repræſentantes: ita è mari lacrymarum iuſtus omnia obtinet.*
6. *Lacrymæ dæmonem plus quàm infernus torquet.*
7. *Lacryma aqua eſt ad debita ſoluenda vtilis.*
8. *Vita corporis, & ſpiritus incipit à fletu.*
9. *Homo ex puluere pœnitentiæ, & lacrymis factus, iiſdem rebus renaſci, & ali poteſt.*

2. STOBÆVS Themiſtium citat tractatu de moderatione affectuum, dicentem iuxta antiquorũ ſententiam, (quod & alij referunt) in plaſmatione hominis, quam volunt à Prometheo factã fuiſſe, lacrymas loco aquæ ad compingendum in vnum materiam corporis, ſeu puluerẽ vnde efformatus ſit homo, adhibitas eſſe, & ideo dolorẽ & fletũ eſſe homini propria. inde colligunt, quam lacrymabilis ſit & miſer ipſe homo, præſertim corporis causâ, morborũ, & vitiorum eius. neque vlla ratione poſſe lacrymas deponere, niſi cùm in priſtinum puluerem redigetur. Sed prædicta rei noſtræ adaptando, dicamus in hominis regeneratione ex aquâ baptiſmi, vel pœnitentiæ lacrymis (quę ſecundus baptiſmus vocantur) per lacrymas illum efformari: & ſine illis non eſſe niſi puluerẽ miſeriæ, & conſumptionis, ac perditionis. Niſi enim *pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.*

3. Auctor fertur eſſe Sabellicus, Auguſtum ſolitum aliquando inter Horatium, & Virgiliũ ſedere ac quibuſdam interrogantibus quidnam ageret, cùm Horatius oculorum vitio lacrymas in oculis haberet, Virgilius verô ſuſpirabundus naturaliter eſſet; dixiſſe, *ſedeo inter lacrymas, & ſuſpiria, vt immortalis fiam.* Hoc poteſt dicere pœnitentiæ lacrymis, & doloribus deditus. & ſicut ille ex eis lacrymis, vt ita dicam, ſeu ex commoratione inter eas lacrymas, & ſupiria gloriam immortalem adeptus eſt, nimirum in verſibus amicorum vatum adhuc perdurantibus; ita, ſed multò magis, æternam gloriam conſequetur pœnitens ex re ſupra dicta. Hæ lacrymæ, dicere poterat Auguſtus, conuertentur mihi in cantica perpetua, vt verè accidit.

at multò veriùs id dicere poteſt noſter lacrymator. *quia plorabitis, & flebitis vos, ſed triſtitia veſtra conuertetur in gaudium, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* vnde *exaltationes Dei in faucibus eorum*, dum cantant, eſſe dicuntur. vnuſquiſque dicere poteſt, *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*

4. Aquæ omnes, ſiue pluuiales, ſiue fontium impinguant agros, & eos germinare faciunt fruges antea ſatas. Sed quid, ſi aquam tibi oſtendam, quæ agros etiam non ſeminatos producere faciat triticum? Bruſonius de miraculis ait, Indum fluuium hanc habere facultatem non enim, inquit, ſolùm irrigat, ſed etiam ſeminat agros, ſuper quos effunditur. affert enim magnam vim frumenti, & aliarum frugum. At hoc melius præſtat fluuius baptiſmi, & lacrymarum pœnitentiæ veræ. non ſolum enim abluit à peccato agrum cordis, ſed frugem gratiæ & virtutum ſeminat, vel potius exoriri ſubito facit in ipſo articulo iuſtificationis per contritionem.

5. In aqua, & in mari ferè omnia reperiuntur, quæ in terrâ. vt videre eſt apud Maiolum colloquio de piſcibus. *Maiol. coll. de piſc.* Ælianus præcipuè, apud eundem, dicit ibi reperiri *piſcem* arborem, qui non niſi in lato mari habitat propter ramos, quos habet velut arbores noſtræ. item ex plantis ineſt aquis *paſtinaca*, & *vrtica.* hæc pruritū generat, ſi attrectetur, vt terreſtris ſolet: ſicut paſtinaca, vt Plinius ait, habet vim mordacē. de animalibus res nota eſt. non ſolum ſcilicet Leones, equos, lepores, canes, &c. huiuſmodi, ſed & homines marinos, imò & monachos, & epiſcopos, hoc eſt marina monſtra, eâ figura, & habitu corporeo viſa eſſe ſæpè à nautis. ibi piſcis *ſpatha*, & *lucerna*, & *ſerra*, & *acus*, & alia, quæ non ita vocantur, niſi quia eandem formam, & qualitates habent cum rebus ipſis terreſtribus, quæ omnia habentur apud Maiolum ibi citatis auctoribus. Addit Vincentius in Speculo morali, piſcem *cymbam*, qui vnâ ſui parte cymbam repræſentat, alterâ velum alterâ gubernaculum, alterâ verò remos, quibus remigādo iter facit. *Vinc. in ſpec. mor.* Tale eſt ergo mare, ſeu talis eſt aqua lacrymarum. in ea enim iuſtus omnia inuenit. ex eâ omnia expiſcatur: vt Magdalena veniā inde obtinuit delictorum, reſurrectionem fratris, viſionem Angelorum, & Domini. Deniq; per lacrymas obtinetur Deus, in quo omnia. cum dicatur, *quidquid orantes, petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* ſi quidquid orantes, quomodo non quidquid plorantes; Hieron. in ca. 38 Iſaiæ, *Oratio Deum lenit, ſed lacryma cogit.* *Hiero in cap. 38. Iſaiæ.*

6. Dæmon adeo miſer eſt, vt nō ſolum ab igne, ſed etiam ab aqua aduratur, nimirum à lacrymis. ſi non vis per ipſum vri igne, ipſum modo vras aquâ. Hieron. in Epiſtola quadam apud Thomam Hibernicum lacrymam alloquens, ait: *Magis crucias diabolum, quàm pœna infernalis.* *Hieron. in Epiſt.*

7. Si in officinam ingrediaris, vbi omnia aquarum genera ad varios effectus vendantur; hanc audies oculis, illam ſtomacho, aliam auribus, aliam alteri rei vſui eſſe. at fatuus æſtimandus eſſes, ſi aquam ibi peteres ad ſoluenda debita confectam. tamen gratis

gratis parauit tibi Deus hâc aquam, quâ id facias, dicēdo, *Dimitte nobis debita nostra*, eaque deflendo: imò &
4.Reg.4. debita temporalia. nam 4. Regum 4. mulier illa clamando, &, vt credi par est, flendo, obtinuit vnde soluerct hæc debita per seruum, nempe per Eliseum. quomodo non obtinebit per ipsum dominum hoc alius plorans?

8. Hominem regenerari diximus per aquam lacrymarum. adde etiam in hac secundâ natiuitate eum nasci
Sap.7.3. in lacrymis vt in primâ; de qua Sap.
Bruf. ca de ris. 7.3. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Brusonius capite de risu ait, infantes per 40. dies à natiuitate nō ridere adde tu, sed quasi perpetuò flere. sic renati Deo Quadragesimā quandam, vt ita dicam, agere solent in lacrymarū pœnitentia; quæ Quadragesima (sicut accidit in Quadragsiema nostra) incipit ab illis verbis
Ioelis 2. Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in ieiunio, & fletu, & planctu.*

9. Vel dicendū est iuxta prædicta, hominē ab antiquis per Prometheū Deorum ministrum efformatū credi ex puluere & aqua lacrymarum. cùm verum, notum, & certum sit illud Philosophi. *Ex eo alimur, ex quo sumus.* oportet enim id, quo aliqua vestis resarcitur, esse simile vesti resarciendę. & cum etiam in regeneratione per pœnitentiam dici possit, hominem regenerari ex puluere, & lacrymis; dum per illud *memento homo, quia puluis es*, & per illud *conuertimini in fletu,* mouetur ad conuersionem: vt regeneratio sit similis generationi. ideo etiam alimentum debet esse simile alito. vnde Dauid renatus per pœnitentiam dicebat Psal. Psal. 101.
101. *Cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Nos verò sicut prægnantes euadimus, quæ sæpè abominantur carnes, & alia, quæ congrua sunt corpori, & alimento, vnde roborari possint; & non nisi pessima, aliquando etiam carbones, calcem, & similia ex corrupto appetitu deuorant. sic & nos abominamur cinerem, & fletum pœnitentiæ, vnde geniti sumus, & quibus constamus, & quibus in interiori homine secundum Deū regeneratꝯ possimus roborari: & miramur deinde si appetentes, & vorātes contraria infirmemur? Breuiter, sicut homo ex puluere, & lacrymis pœnitentiæ dictus est nasci: ita ex ijsdem rebus erat regenerandus, & alendus.

2. *Pœnitentia hominum mundi quàm tepida. similes rem gantibus in triremè in pannis suis in mare mittendis, & subitò inde eleuandis.*
3. *Verus pœnitens quasi in piscem mutatus, à mari pœnitentiæ non redit ampliùs in terram voluptatum suarum.*
4. *Lacrymæ margaritæ minores sunt, quas tradit homo vt emat pretiosam margaritam cœli.*
5. *Christus in inferno amoris, & in siti ardoris petit guttam velut diues, hoc est lacrymam.*

2. VIDI aliquando partim cū risu, & partim cum commiseratione miseros ad triremes dānatos pannos suos, qui fortasse per plures annos aquam non senserūt, per funem de superiori parte triremis

in

in mare demittere, & vix demissos sursum retrahere, & ita eorum perfecta est purgatio vniuersa: cum nec ignis, vt ita dicam, ne dum tactus aquæ eos mundare posset. hoc reuocauit mihi in mētem nostrorum hominum mortem in pœnitētia. Conscientiam enim suam, quæ, velut pannus damnatorū illorum, immundissima, & per annos illota perstitit, obiter in mare confessionis demittūr, & retrahunt inde, (a) *& è finito il bucato.* & iterum pannum hūc (velut illi) rursus sordibus nouis incipiunt replere. si iuxta Isaiam 64. *Omnes iustitia nostra quasi pannus mēstruatæ*; & ideo dicit, *iustitias iudicabo*; (vnde & ob hoc, dicebamus sancti viri continuis lacrymis pannū conscientiæ suæ abluūt, ne dū plāgunt præteritas, & ablutas culpas) si inquam ita est, vide si conscientia mundani hominis nō est vt pannus damnati ad triremes. audi David Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo.* Gregorius & Eutim. apud catenam Lip. hic intelligunt per *lectum*, cōscientiā. Hier. legit ex Heb. *Enatare faciam stratum meum lacrymis.* de Petro legitur, quod tota vita sua defleuit peccatum suum, & pannicu-lum ad lacrymas colligendas semper secum gestauit.

(a) Et perfecta est lotura.

Isaia 64.

Psalm. 6.

3. Rerū Indiæ scriptores de quodam animali eius regionis scribunt, quod ex terrestri in piscem commutari soleat, & mare ingrediens numquam inde exeat. talis est perfectus pœnitens, qui per pœnitentiam regeneratus, relictâ terra arida voluptatum, à lacrymarum mari & aquâ penitus distante, in mare fletuum amarum ingrediens, numquā amplius ab eo exire nouit. Talis extitit Petrus, vt supra dixi: tales existūt, qui conuersi, & sæculū quasi terram relinquentes, in mare amarum arctæ vitæ & religionis ad deflenda peccata sua, ad recogitandos annos suos in amaritudine animæ suæ intrant, nec vltra reuertuntur ad pristina. Piscis naturā cum induerit illud animal, in aquis cibum, & potum, & cubile suum inuenit, eique non amaræ, sed dulces & naturę suæ congruæ videntur aquæ. ita homini conuerso dulces fiunt lacrymæ, pœnitentiæ opera: fiunt illi lacrymæ suæ *panes die ac nocte, dum dicitur illi quotidie, vbi est Deus tuus?* nonne in aqua cubile suum habuit David, nonne in piscem conuersus erat, cum diceret iuxta versionem Hieron. ex Hebræo, *enatare faciam stratum meum lacrymis?* non solum ipse, sed etiam lectus eius, vt ita dicam, in piscem mutatus erat, & in aqua natabat. multos pisces luto pasci comperimus, aquâ potari; & ille *cinerem*, inquit, *tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.*

Hoc differt inter hominē, qui aliquando natationis gratiâ in mare se immittit, & inter piscem, qui idem faciat: quod ille statim defessus natādo, & amaritudine aquæ, ac periculo pereundi deterritus, rursus ad littus redit, seque abstergit ab vndâ, ita vt nec guttā eius in se residere patiatur: at piscis secus omnino se gerit, vt supra explicaui. Vt homo intrat in mare lacrymarum, & statim inde exit, qui post compunctionem & lacry-

mas

mas reuertitur statim ad terram pristinam defessus ex natatione, hoc est ex conuersatione & operibus pœnitentiæ, amaritudineque & periculo, quod falsò ait se subiturum in vita corporali, si verbi gratiâ in incepto rigore vitæ, vel in religione perduret. vnde ita inde discedit, vt neque stillam pristinæ aquæ, & conuersationis in eo reperire possis. nam, vt est in prouerbio, *Nihil lacrymâ citius arescit.* qui verò ingreditur mare in piscem mutatus; inde nunquam exit, sed lætanter ibi viuit, vt supra dictum est.

4. Diximus ex Suida, & Pier. lacrymas symbolum esse margaritarum. scitum enim est quod scribunt naturalium rerum scriptores, nempe ex guttis roris, quæ videntur quasi lacrymæ plorantis aëris, dum in conchis exceptæ fuerint, gigni margaritas. cum verò Regnum Cælorum dicatur pretiosa, & insignis margarita; pro eâ negotiator ille omnia sua vendit, & impendit, vt illam possideat. tradet vtique omnes margaritas minus pretiosas, quas apud se habebat, vt illam emat. quia homo vniuersas lacrymas, quas effundere potest, tradit, vel tradere debet, tradit inquam omnes margaritas istas viliores, vt emat illam. vnde Chrys. Hom. 30. in Genes. ait, *Quid, dic oro, Dauidis illis oculis formosius perpetuo lacrymarum imbre, quasi margaritarum decore ornatis?* tanta est, & tam pretiosa illa margarita, illud Regnum Cælorum, vt Dauid non tantum dederit, sed compluerit margaritas coram Deo ad illam emendam, hoc est enim, imbrem quasi margaritarum effundere. *Inuentâ vnâ pretiosâ, dedit omnia sua.* etiam si deflendo totâ vitâ sua non cessaret vmquam, donec vniuerso humore, quo puluis corporis compactum manet, in lacrymas effuso, & consumpto, in cinerem redigeretur; non nimis faceret, vt compararet eam. Hæc locum habebunt præsertim iuxta priscorum gentilium fabulam, qui corpus priorum hominum lacrymis compactum affirmabant, vt puluis vniretur tali humore ad illud efformandum. Alia omnia licet accommodatitiè dicta sint, non dissonant tamen à literali sensu.

Chrys. Hom. 30. in Genes.

Sed addo etiam: tam pretiosam esse vel vnam lacrymam, vt illâ solâ homo emat illam pretiosam margaritam. vnde & ipsa lacryma, cum margarita sit, vt supra vidimus, etiam ipsa dici possit pretiosa margarita. Et, si saltem per accommodationem dicatur negotiator iste esse Christus, qui quærat has pretiosas margaritas, nempe lacrymas (ad has enim quærendas de cælo descendit,) vtique *omnia sua dedit*, labores, doctrinam, vitam, sanguinem, vt vel vnam à peccatore margaritam, hoc est lacrymam, obtineat: quatenus pro omnibus, & pro singulis hominibus mortuus est, & in vnâ verâ lacrymâ possit esse vera pænitentia, propter quam obtinendam à peccatoribus ille omnia pertulit.

5 Ferè totum sanguinem effuderat Christus, & illi conueniebat illud Psal. 21. 16. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.* vnde ait, *sitio* quasi dicat: peto à te, peccator, saltem guttam

Psal. 21. 16.

vnam lacrymarum pro tam multo sanguine, quem tibi effudi. fatigatus ex itinere passionis & sitibundus, peto à te peccatore, quasi à Samaritanâ, *Mulier da mihi bibere.* pro sanguine peto aquam, pro flumine guttam. Idem clamat (vt Origenes, & Dionys. & alij explicant illa verba Psal. 17.) *Dolores inferni circumdederunt me.* Ex ardore maximo sitis, velut tuæ conuersionis, in igne, & inferno amoris constitutus (quia *fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*) Sitio, inquit, & adhæsit lingua mea faucibus meis: peto quasi effectus alter diues in inferno meo, guttam aquæ fletus tui, quâ refrigeres linguam meam. hac refrigerabis infernum meum, extingues infernum tuum. petit calicem aquæ frigidæ, vt det cælum, & negas: petit guttam, & negas. vide an hæc crudelitas Paradisum mereatur ab eo.

Origenes & Dion. & alij exp. illa verba Psal. 17.

Chrys. Hom. 5. de pænit. ait, *multus enim peccati ignis, & modica lacryma illum extinguit.* Omnia maria, & omnes abyssi aquarum neque vnum peccatum veniale abluere possunt, neque vnam scintillam eius ignis extinguere. at tu potes id vnâ lacrymâ. Vide ergo quanti valoris illa sit. vide ergo quomodo illa diluuium sit immensum: cum ignis peccati tantus sit. nam peccatum, vt aiunt Theologi, obiectiuè infinitum est: ratione enim personæ offensæ, quæ infinita est, etiam offensa crescit, & ideo infinita dicitur. Si ergo vniuersus Orbis arderet, & tu posses etiam lacrymis sanguinis nedum aqueis extinguere ignem, diluuiumque aquarum effundere, nonne id toto conatu faceres? verè locutus est Nazianzenus de lacrymis iustorum, dicens, *quorum lacrymæ sunt peccati diluuium, & mundi expiatio.* Vide ergò quàm magna sit contritio, & lacryma, vt totus orbis, imo peccatum (quod diximus esse rem infinitam obiectiuè) in ea aqua absorbeatur, & quasi homo vnus in mari demergatur. Accommodari potest hic illud Ier. Thr. 2. *Magna est velut mare contritio tua.* vel si lacrymas vis æstimare quasi guttas exiguas; en quomodo peccata mundi, quæ res sunt tantæ magnitudinis, ab ijs ad hoc rediguntur, vt in guttis quibusdam aquæ mergantur, & pereant?

Chrys. Hom. 5. de pænit.

Ier. Thr. 2.

2. *Anima flendo potest Purgatorium suum in lectum commutare.*
3. *Lacrymæ piæ secundus Paradisus sunt.*
4. *Sunt nectar.*

2. QVID si daretur optio tibi commutandi Purgatorium immensi ignis in balneum exiguum tepidæ aquæ, imo ego tibi illud in lectulum conuerterem, vt in eo iacens expiares peccata tua? Audi Chrysost. loco citato Hom. 5. de Pœnit. *Lauabo, per singulas noctes lectum meum, ait Dauid: vt ostendat lacrymarum, & Purgatorium peccati lacrymas esse.* ita ille. ergo in lecto, nedum in balneo Purgatorium habere potes. nam ait Psalm. 4. *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* hoc est peccata cordis in cubilibus expiare per compunctionis lacrymas.

Chrysost. loco citato Hom. 5. de pænit.

Psalm. 4.

3. Psal.

Psal. 41. 7. Vide Psal. hunc, Quemadmodū desiderat ceruus ad fontes aquarum. & inuenies totū esse desiderantis ad faciem Dei venire.

3. Psal. 41. 7. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus?* hinc videtur probari fletum iusti, vt qui assumitur ad solamen priuationis visionis Dei & Paradisi, esse supremam post ipsum iucunditatem, esse quasi Viceparadisum in terra. Creticum vinum, vt quod in Creta insula Iouis patria nascatur, quidam dicebat esse nectar Deorum, celebratum ab antiquis: quod Beatitudinem apud illos significabat, eiusque voluptatem. & in Script. etiam Beatitudo nomine vini explicatur, Marci 14.

Marci 14. 25.

25. *Non bibam de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in Regno Dei.* sicut ergo qui non potest Creticum bibere, quod ille *nectar* vocabat; solatur & lætificat cor suum vino, quod ei fit secundum in bonitate, quale verbi gratia est id, quod vulgò *lacryma* dicitur: ita nondum habens nectar, seu veri Iouis Creticum, solatur se, & lætificat lacrymarum vino. nam *vinum lætificat cor hominis.* D. Bernardus vocat lacrymas *vinum Angelorum.* qui ergo non potest bibere vinum Dei, saltem se solatur vino Angeli, iuxta illud cuiusdam, *Qui boue caret, in iuuenco aret.* ita aquæ, quæ super cœlos sunt, vt quæ respectiuè ad has inferiores, proximæ sunt Empyreo, & Paradiso, videntur significare lacrymas iustorum, quibus se consolantur in oratione, & in spe suspirando ad Beatitudinem proximam sibi quo ad meritum, & vicinam in lætitiæ spiritalis dulcedine. Si etiam dicas, aquas illas esse Cælum cristallinum, vt aliqui exponunt; cùm piæ lacrymæ cælestes sint, & cælitus datæ sanctis viris, plenæque dulcedinis, videntur esse alterum cælum, & secundus Paradisus. sic dixit Augustinus dulce magis esse flere propter Deū, quàm ridere cum mundo.

4. Vis agnoscere lacrymas iustorum esse nectar, & secundam Beatitudinem; potum, cibumque similem cibo potuique Beatorum? considera quod qui per horam hic comederunt, & biberunt, fastidio pressi vltra nequeunt procedere. at quibus nectar est pro alimento, qualis est fletus, hoc est cibus, & potus Cælestis, ij perpetuò edentes die, ac nocte, & bibentes non satiantur. vnde hic dicitur, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* hoc est perpetuò. Quid fletui cum pane? cur non potum potius vocat? dic, vt significet eas non esse dulcedinis cuiusdam aëreæ, & imaginariæ; sed solidæ & veræ, atque sensibilis in corde, ac etiam in corpore, vel sunt *panes die ac nocte,* quia sustentant, & cor hominis confirmant in die prosperitatis, & nocte aduersitatis. vel *in die*, quia sunt pro pane, hoc est sustentaculo cibi; & *in nocte*, quia sunt pro sustentaculo somni, hoc est pro quiete & restauratione animæ à laboribus vitæ.

2. *Varijs similitudinibus exponitur illud, Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes, &c.*

2. DIXERAT: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus,* &c. Non potuit iuxta

sitim ardentissimam inebriari, vt cupiebat, ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potari, supplet ergo fonticulos pro torrentibus, & ait, *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum, &c.*

Non minorem, Ambrosius ait, *febrem esse dixerim amoris, quàm caloris.* hoc verum est etiam de amore sancto. *Amore langueo*, inquit illa. sed sicut ardentissima febre decumbens, & sitiens, cupiensque, si posset, in fluuio aliquo immergi totus, & illo se implere, interea tamen sitim suam solatur exiguo liquore destillato, quo guttatim aspergit sibi labia, vulgò dicimus, *vn poco di stillato*: ita anima lacrymis, quæ destillantur per ignem amoris & doloris ab oculis, se refrigerat, & consolatur in febri, & siti suâ.

Vel dic, quod sicut mos est, vt panes ante alia in mensa apponantur etiam per plures horas: si maximè quis esuriat, dum expectatur reliquum conuiuii; se interea, ne fortè deficeret, panis esu aliquo detinet, donec afferantur epulæ lautiores. ita Deus lacrymas huiusmodi, nempe in sanctis desiderijs, & contemplationibus, meditationibus æternæ Patriæ, & similium rerum, quasi panes apposuit nobis, vt eis confirmemus cor. nam *panis cor hominis confirmat.* Voluit hoc pacto nos prægustare futurum conuiuium, vt ex parua ista prægustatione magis accendamur ad illud esuriendum, & quærendum. ita August. super hunc locum dicit lacrymas panes dici; quia, velut panis sitim magis auget, ita lacrymæ illæ sitim maiorem excitabant in Propheta Diuini fontis, ad quem sitire se dixerat. Bene ergo Dauid, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes*, &c. *dum dicitur mihi*, &c. hoc est dum expecto lautiorem cibum.

Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Septuaginta *exitus aquarum descenderunt oculi mei.* Ambr. Serm. 17. in hunc Psal. præter aliam expositionem loci huius, sic exponit, vt per exitus aquarum etiam ipsi oculi in fletus videantur descendere, & effundi. *eo quòd tanta vis lacrymarum sit, vt putentur oculi in fletus resolui, & in lacrymas effundi.* *Psal. 118. Dauid deflebat ipsos oculos, hoc est in lacrymas destillabat. Ambr. Serm. 17. in hunc Psal.*

3. *Oculi beatiores ob fletum pium, quam ob Paradisi intuitum.*

4. *Dæmon licet ardeat, horret aquam.*

3. CHRYSOS. Hom. 12. in Epist. ad Coloss. de Pauli lacrymis ait, deque eius oculis: *Viderunt Paradisum isti oculi, viderunt tertium cælum. sed eos non tam censeo beatos propter hoc spectaculum, quàm propter lacrymas, per quas viderunt Christum.* *Chrysost. Hom. 12. in Epist. ad Coloss.*

4. D. Petrus Cellensis libro de panibus, cap. 12. ait: *Satan tolerabilius sustinet flammam suam, quàm lacrymam nostram, acriusque contriti cordis lacryma, quàm flamma infernalis incendij torquetur.* Hinc dicendum est, *Lacryma est Paradisus iusto, purgatorium pœnitenti, infernus diabolo.* Crucior inquit diabolus in hac flammâ: sed nihil minus petit, imo nil magis abhorret, quàm guttas aquæ, siue fontes aquarum, nempe lacrymarum. Canis rabidus est diabolus contra nos præ odio, & inuidia: rabidus *D. Petrus Cellensis libro de panibus, cap. 12.*

bidus etiam præ ignis ardore, quo vritur. nam canes præ calore nimio rabie afficiuntur, ideoque in grauissimis æstibus id eis contingit. at notum est, hos canes rabidos maximè abhorrere aquam, quasi tormentum maximum, & ab ea fugere. quod euenit passim etiam morsis ab his canibus. Sic ergo dæmones exhorrent aquam. fugiunt eam etiam morsi ab illis, scilicet peccatores. nam vt August. in Psal. 118. Serm. 7. *Nescit flere qui flenda committit, & cum sit ipse lacrymabilis, non habet pœnæ lacrymas suæ.*

August. in Psal. 118. serm. 7.

2. *Fletus noster fletum facit dæmoni.*
3. *Fletus cuicumque vtilis, dæmonem dirumpit.*

2. VIDE si non charitatem erga nos habet dæmon. eius enim est *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* ridet ad nostrum risum, flet ad fletum. lacryma pœnitentis est ablutio hominis, risus Angeli, fletus diaboli. risus Angeli, quia *gaudium est coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* lacryma lætificat cælum, purgat mundum, torquet infernum, delet peccatum, cruciat diabolum.

3. Lacryma accendit contritionem, decorat confessionem, implet satisfactionem. suauis est in innocente, vtilis in pœnitente: lac in incipiente, panis in perfecto, qui potest dicere, panes mihi fuerunt lacrymæ meæ, &c. aqua est in ariditate orationis, pluuia in sterilitate boni operis. aqua pura est in immundo, odorifera in mundato, societas solitario, purgatio oculi contemplatiuo.

Addit D. Petrus Cellensis vbi supra (alludens ad Iob 40. 18. vbi de dæmone dicitur, *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* & puto etiam Num. 15. ad aquas zelotipiæ, quæ si ebiberentur ab adultera vterum eius rumpebant) ait ergo de diabolo lacrymas fugiente, *flumina omnia absorbet. sed hanc tamen aquam non sorbet. rumpuntur namque ventris eius interiora, si conspersa fuerint hac aqua; dentes excutiuntur.* &c. ecce quod dicebam de illo, qui in flamma positus non petit sorbere aquæ guttam, vt diues ille. aqua zelotypiæ est lacryma, siue illi comparatur. nam si eam aquam in te retinens, non emittas foris; tu ipse, si peccator es, dirumperis. hoc est dicere, si non agas pænitentiam, peribis: si verò à te effundens, in os & ventrem diaboli infuderis, ipsum facies dirumpi. si Iudas eam aquam non retinuisset, non crepuisset medius. diabolus ille erat. dictum enim fuit, *vnus vestrûm diabolus est.* quid mirum, si hæc aqua intra illum manens ipsum dirupit? cum, vt dixit Cellensis, illa dirumpat dæmonem? dixi, si peccator es, ea aqua te dirumpet: idem est dicere, si adulter es, siue si anima tua adultera est. nam notum passim in Scriptura peccatum vocari adulterium, eo quod sponsus noster sit Deus.

D. Petrus Cellensis vbi supra alludens ad Iob 40. 18. Num. 15.

Heraclitus, Democritus.

Iste nihil nisi risit; & iste nihil nisi fleuit.
Istene ridendus, flendus an ille magis?

Sic quidam cecinit satis acutè. Qui voluerit hîc esse Heraclitus, timeat, ne in alio sæculo sit Democritus, hoc est semper fleat. nam, *Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis.* Cælum plenum Heraclitis, quo ad risum lætitiæ, infernus Democritis, quo ad fletum tristitiæ.

AMOR INIMICI,

AVT ODIVM.

2. *Vindictæ amor quantus in aliquibus hominibus sit.*
3. *Odium non quiescit donec in puluerem redigat inimicum.*
4. *Iusti bona reddunt pro malis.*

Vincent. in Spec. hist. l. 4. c. 19.

2.  INCENTIVS in Speculo hist. lib. 4. cap. 19. ex historia Alexandri sic habet: cum Pausanias Philippum patrem Alexandri lætaliter vulnerasset (vnde postea obijt) Alexander superueniens facinori, Pausaniam comprehensum trahi iussit ad parentem adhuc spirantem, & gladium in manum patris immisit, & manu sua patris manum impellens occidit Pausaniam. quo facto, ait Philippus, libenter morior nunc: quia vltus sum iniuriam inimici; & his dictis expirauit. At maius odium nostrorum est, qui sæpè dixêre, damnari non abnuo, dummodo me vlciscar. mortem æternam subeam, dummodo momentaneam inimico afferam.

Sic indulgeant fel odij ex dulcedine vltionis, vt illa in dulcem mortem, & infernum sibi ipsis, res scilicet tam amaras.

3. Odium inimici non quiescit donec in puluerem redegerit aduersarium, & ea quæ ad ipsum pertinent. sic Val. Max. cap. de odio narrat, Hannibalem, cùm adhuc esset nouem annorum, tantò odio arsisse contra Romanos, vt percusso solo, & excitato puluere coram quibusdam, dixerit, tunc inter Carthaginem & Romam finem futurum odij & belli, cum alterutra ad similem puluerem redacta fuerit. Psalmista alludens ad simile odium, ait, *Persequatur inimicus animam meam, & conculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* sic non sufficiebat Iudæis Christum perdidisse; nisi vsque ad puluerem viderent redactum: ideo post mortem eius iubent custodiri sepulchrum, donec scilicet corpus in puluerem, (vt putabant) rediret, nec posset surripi à discipulis iam corruptum. Prosper in sententijs, seu in lib. Sentent. ait: *Sic diligendi sunt homines, vt eorum non diligantur errores. quia aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt.*

Val. Max. c. de odio.

Prosp. in sentent.

4. Cant. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* spinæ pungendo, & quasi lacerando lilia, ab ipsis è contra recipiunt aliquam albedinem, & odorem suauem. spinarum enim est attrahere suis cuspidibus, & quasi vnguibus aliquales partes à re contrectatâ. sic inimici lædendo iustos, ab illis sæpè ex hac læsione beneficia accipiunt, vt Iudæi lapidando Stephanum eius orationem lucrantur. sic Bern. in dictum locum Cant. simili allata ratione, ait: si amicum te præbeas inimicis, iure proprietatis lilium es.

Cant. 2.

Vide miram rem. Incudes feriuntur à fabro crudeliter, & sic percussæ illi

illi præstant beneficium fabrefaciendo ei instrumenta, quæ cupit: vel, si aurifex est, ei formando etiam coronam auream. Sic iusti percussi ab inimicis, vt incudes fortitudine, nedum lædunt lædentem, sed quasi spinarum semente recepto rosas illis producunt, fabricant illis instrumenta ad salutem, fabricant coronas gloriæ, quod non est nisi ipsos percutientes reformare in melius. sic Chrys. ser. de 12. Apost. *O incudes*, inquit, *animatæ, quæ dum ferimini, eos, qui feriebant ad intelligentiam fabrefecistis.*

Chrys. serm. de 12. Apost.

2. *Amor mundi ignis terrenus est, extinguitur aqua iniuriarum, ardet oleo beneficiorum, charitas ignis cælestis aqua tali pascitur.*

3. *Ignis hic cæli est vt ignis sphæræ cæli, ad quem non peruenit diluuium aquarum tribulationum.*

4. *Patiens gigas est aquas illas altitudine vincens.*

Cant. 8. 6. 2. CANT. 8. 6. *Lampades eius, lampades ignis*, &c. Hebræa, *Carbones eius carbones ignis flammæ Domini.* prætterquam quod potest dici esse Hebraismum, quo significetur flamma vehementissima, vt cum dicitur *montes Dei*, & similia; aliqui Doctores obseruant posse dici vocari *flammam Dei* ad distinctionem flammæ, & ignis terreni, eo quòd hic aquâ extinguatur; at ignis, qui à Deo miraculosè descendit, non solum non extinguatur aquâ, seu retardetur à quacumque materia contraria, vt potius pascatur eâdem aquâ, & rebus sibi contrarijs. 3. Reg.

3. Reg.

c. 18. descendit ignis à Deo ad Eliæ preces; & dicitur de eo, *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides; puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens:* quia Elias fossam aquæ plenam circa altare vndique per ministros effecerat. Eodem modo cùm ignis Dei descendit in Sodomam, nedum vrbes incendit, sed etiam aquas. vnde D. Bonauent. de hoc igne intelligit dictum illud Sap. 16. 19. *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat*, &c. & Brocardus 1. par. cap. 7. ait, se ibi vidisse (hoc est vbi Sodoma erat) aquas ardentem & fumantem vaporem emittere, ita vt appareat adhuc ignem in eis viuere. Ergo lampades, seu carbones charitatis, (quæ ignis est) dicuntur esse *flamma Dei*: quia non solum sustinent, & deuorant ligna, & oleum beneficiorum, & obsequiorum ab amicis exhibitorum (vt solet amor terrenus, qui est ignis hominum, & non Dei) sed etiam sustinent aquas persecutionum ab inimicis in se iactatas; quia *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* quia vt ait Apost. *Charitas patiens est.*

c. 18.

D. Bonau. de hoc igne intell. dict. illud Sap. 16. 19.

Brocard. 1 par. cap. 7.

Infunde adipem, iniice paleas, vel ligna etiam (nimirum beneficiorum) igni amoris, quo amicus erga te est affectus, & ardet: inde nutrietur hic amor, hic ignis, & augebitur, at si semel aquam iniuriæ infundas, quasi nihil ei antea contulisses, statim ille ignis valde contra te strependo per querelas & maledicta, & fumando per iram, extinguetur. At non sic ignis Dei, charitas quia

Aqua

Aquæ multæ, &c. Extinguetur ille ignis terrenus, nec amplius te calefaciet calore auxiliorum, vel illuminabit luce bonorum consiliorum, vt solebat, nec lætificabit suo claro aspectu: sed obscuram & toruam faciem, seu turbidam ostendet, quasi ignis aquâ suffocatus, fumoque vltionis seu superbiæ iniuriam non ferentis in te insurget, & lacrymas fortasse excutiet, seu etiam suffocabit te, & necabit.

Sed obserua; non solum dicit *Charitas patiens est*, sed addit, *benigna est*. non solum tolerat aquas, sed etiam ijs quasi concupitis cibis nutritur. nimirum persecutionibus, & tribulationibus illatis. & ideo benignam se exhibet persecutori, quem sibi per hoc vtilem, & quasi amicum reputat, quia sibi desiderata subministrat. est enim hic ignis *ignis Dei*; & de illo dictum est quod *vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, & aquam lambebat*. & in Sap. quod *exardescebat in aquâ*. quod est dicere nutriebatur aquâ. Vulgò dicimus, non possum deuorare hanc iniuriã. at ignis Dei mysticus, scilicet charitatis non solum in hoc sensu deuorat, seu sorbet (quod etiam de iniuriis dici solet) ipsas iniurias, & aquas persecutionum, scilicet tolerando, & obliuiscendo; sed etiam in sensu supradicto ipsis se nutriendo quasi cibis. Nonne fuit ignis Dei charitas Stephani, quæ in vtroque sensuum istorum deuorauit lapides inimicorum in se proiectos, sicut ignis Eliæ vorauit lapides altaris. de quibus lapidibus Iudæorum dicitur: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*. & obserua quod de igne Dei dictum est, quod *lambebat aquas* qui est proprius actus animalium, & canum bibentium, vel etiam hominum erga cibos valde delicatos, & dulces, cum ipsos vel eorum reliquias lambunt. Sic ergo ignis charitatis dicitur *ignis Dei*; quia pascitur aquis tribulationum velut epulis, & illis non solum non extinguitur, sed maior, & clarior fit, vt maior, & clarior facta est flamma charitatis Stephani per passionem, & ideo lucet in cœlo, & in mundo apud omnes. Vide quomodo aquæ sunt cibi huius ignis, cum dicatur, quod Agatha lætanter, & glorianter ibat ad carcerem quasi ad epulas inuitata. cupiebat enim saturari opprobrijs, sicut de Domino dictum est, quod *saturabitur opprobrijs*. *Charitas* ergo *patiens est*, *benigna est*, vt apparuit in Stephano, qui nedum tolerauit persecutores, sed pro illis orauit, quasi soluendo eis pretium pro dulcibus epulis lapidum sibi appositis, quia illi dulces fuerunt.

3. Probat Greg, animam iusti esse cælum, eo quod dicat Deus, *cælum mihi sedes est*, & alibi, *Anima iusti sedes est sapientiæ*. sicut ergo sub cælo est sphera ignis elementaris, qui potest dici ignis cælestis ratione loci vbi est, & potest dici ignis Dei, si ex eo pluat Deus aliquando super vrbes, vel homines, vt super Sodomam. (quod fortasse credibile est) sicut inquam hic ignis cælestis cælo coniunctus est; & diluuium Noè omnem ignem terrenum extinxit, at non peruenit ad extinguendum illum cælestem, Deique ignem: ita diluuium aquarum, hoc est tribulationum

tionum & persecutionum ab inimicis factarum extinguere solet ignem amoris terreni, non autem peruenire ad extinguendum ignem cælestem & Diuinum charitatis. sic Psalm. 31. 6. Dauid de iusto, charitateque ornato loquens, ait, *Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non appropinquabunt*, hoc est, in multitudine tribulationum non fiet, vt illæ appropinquent ad iustum, quasi dicat ad extinguendam illius charitatem. quia carbones eius, scilicet charitatis, *carbones Dei* sunt, vt supra ex Hebræa dixi, & *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. nec flumina obruent illam*. Cæli erant Apostoli qui *enarrauerunt gloriam Dei*, & miraris si dicant, *Quis nos separabit à charitate Christi?* &c. hoc enim esset velut separare cælos ab igne elementari ac cælesti.

Ps. 31. 6.

4. Miraris aquas diluuij, quæ super altitudines montium excreuerunt non peruenisse ad ignis Spherã: & mysticè, diluuium tribulationum non peruenire ad extinguendum ignem iusti? inde ergo considera quã alti, & quàm excelsi animi sit, qui charitatem habet erga inimicos, & ab eorũ persecutionibus (vtpote eorũ superior) non occupatur, & læditur. *Charitas* enim *patiens est*, hoc est facit hominem patientem. Ad quæ verba ait Chrysost. patientem dici longanimem, quasi longam habentem animam atque magnam; nam vt ille obseruat, eum, qui altus & longus est staturâ, dicimus etiam magnum. vide ergò quàm alti & magni animi sit, qui tamquam minima & inferiora sibi despicit, & cõculcat omnia mala sibi illata. verè huiusmodi homo dicitur magnanimus.

Extiterunt aliquando in nostris regionibus gigantes aliqui, ad quos videndos confluebant (vt legi) ex omni parte populi. at quid fecissent homines, si gigantes illi turrium Ecclesiarum magnitudinẽ æquassent? Aliquos autem tantæ molis extitisse scribunt graues Auctores, & Augúst. de ciuit. Dei ait, in littore Vticæ dentem gigantis inuentum, qui centum dentes magnitudine æquabat; vnde gigas ille centies maior ceteris hominibus esse debuit. Si ergo tantus stupor est in videndo homine magni corporis, quantò plus erit videre hominem magni animi? & tam magni, vt dicatur, quod *in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*. tam magni, vt illo cælum ipsum pertingat. nam vt ait Augúst. *quamuis corpore multa in terrâ sustineat; corde tamen*, hoc est mente, & animo, *fixus in cælo est*. Ad tantos gigantes cum stupore spectandos non solum totus mundus, sed Angeli quoque merito concurrunt. quid enim est illud Apostol. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus?* Ipsemet Christus, ipsemet accurrit Deus aperto cælo quasi è fenestra stans, & prospectans talem gigantem, Stephanum scilicet omnibus inimicorum iniuriis superiorem, Ipsemet Ethnicus Seneca vocat *spectaculum Deo dignum* huiusmodi hominem, qui mortem contemnat.

AVGVST. de ciuit. Dei.

Christianus iniuriarum patiens, *Christophorus* est. est, inquam, vt ille vulgò dicitur fuisse, gigas, Christũque ferens. nam glorificat, & portat

Deum in corpore suo. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem in Christophoro, materialiter loquendo de aquis, nec flumina obruerunt illam. non inquam impedire potuerunt quin suam exerceret charitatem. portauit enim super se viatores trans flumen. Sic aquæ tribulationum ab inimicis toleratæ non impediunt gigantem, & Christophorum nostrum quin toleret super se viatores, hoc est homines, & inimicos seipsum grauantes. (*viatores* enim à Theologis vocantur homines viuentes in mundo.) & quamuis intumescant hæ aquæ, & flumina; non ascendunt ad extinguendum Christum, & Deum à Christophoro nostro deportatum, hoc est ad extinguendam in eo charitatem. nam *Deus charitas est*, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. ergo *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Sed non solum flumina non extinguunt charitatem, sed nec mare ipsum in gigante nostro. Quidam, vt satisfacerent difficultati illi, quomodo nimirum potuerint primi homines à loco natiuitatis suæ transire ad insulas habitandas, cum nondum nauigia adinuenta essent: dixerunt (ridicule sanè) fuisse inter eos, gigãtes adeo magnos, vt potuerint pedibus transuadare maria aquâ ad ora eorum non ascendente. id quod legi apud Lorinum in Sap. referri, nec memini an nomina auctorum huius commenti recitet. At quod ipsi dixerunt de illis hominibus, verè adimpletur in nostris gigantibus. quis enim nesciat mare fluctuosum esse hoc sęculum ratione periculorum, & procellarum, quæ in eo patimur. & tamen gigantes nostri ita ambulant eminentes toto pectore, & capite ab his vndis, vt non intrent aquæ vsque ad animam ipsorum. adeo vt, cùm dicat Chrysostom. *fieri posse, vt semper gaudeamus, si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput.* imo cum dicat, id dici ab Apostol. cum ait *semper gaudete*, consequens certè est, eum, qui non comprehenditur à fluctibus malorum, quos cõtra se excitat mare mũdi, & inimicorum; esse gigantem, quem incedentem per huius maris profundum, aquæ non possint superare, nec æquare. Sed quid dico aquæ maris, seu mare aquarum, hoc est tribulationum, cum neque diluuium talium aquarum id possit? iuxta illud, *In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* CHRYS.

2. *Temporaliter nocens puerilia aufert, ideo ridendus.*
3. *Deus vult nos perfecto odio inimicum prosequi peccatum feriendo, non hominem.*
4. *In imperfectis periculum est vt pœnas exigendo ab inimico per iudicem, inimicum odio habeant.*
5. *Germanorum exemplo sol non occidat super iracundiam nostram.*
6. *Iustus arbor dans fructus percutienti se.*
7. *Turcis peiores qui religiosa acturi opera odia non deponunt.*
8. *Iusti membra sunt Christi. in læsionibus os non habent ad querimoniam, sed caput eorum pro ipsis habet.*

2. MA-

2. MAXIMVS Tyrius Philosophus quamuis gentilis, tamen in Sermone cui titulus: Num referenda sit iniuria? ait: Si pueri coacto concilio sui similium puerorum sententiam ferrent in virum grauem, & heroicum, vt priuaretur rebus suis puerilibus, quibus olim, vt puer vtebatur, velut sunt gladioli, trochus, & illud ligni frustum, quod vulgò dicitur, *la lippa*, & alia huiusmodi; (certè inquit Maximus) ille vir facilè ferret priuationem harum rerum, puerosque illos rideret. Sic (inquit auctor) Socrates risit Athenienses, quod se priuassent vita per sententiam: quia tam vita, quàm cetera mundi bona aliud non sunt apud sanam mentem, quàm ludicra, & puerilia quædam. Dic tu si Ethnicus hæc puerilia æstimat, & videt velut pueros, qui in iis se lædunt, quid acturus est Christianus, cui cuncta sunt *vanitas vanitatum & ea arbitratur vt stercora, vt Christum lucrifaciat?*

3. Vlcisci te vis de inimico tuo? libentiùs credo id ages gladio integro, & perfecto, quàm trunco, & diminuto. Vult Deus vt odio ipsum inimicũ prosequaris, & quasi gladio confodias: sed gladio & odio perfecto. quale est hoc perfectum odium? vide. datur in mundo amor imperfectus, & odium imperfectum imperfectus est amor, qui Cupido vocatur. nonne imperfectus est, cum puer sit, & desint ei oculi? eodem pacto, & puer est & cæcum odium, hoc est, sine oculis mentis. nam odium est ira inueterata, & de ira legitur in Ecclesiaste, quod *in sinu stulti requiescit.* ergo & odium imperfectum est. Vnde & dictũ est à quopiam, quod duo cæci, & duo monoculi Orbem regunt, & sursum, deorsumque agitant, hoc est amor, & odium. sunt cæci. at Orbis solis, & orbis Lunæ, qui dati sunt in potestatem diei & in potestatem noctis, cum vnum singuli oculum habeant, monoculi sunt. Vult ergo Deus, vt odio non diminuto & puerili, atque oculis, hoc est mente deficienti; sed integro, sapiente, & vidente inimicum prosequaris. nam sicut amor imperfectus; quia puer est & cæcus, iacula sua non potest immittere in locum, & rem destinatam. sed plerumque aberrat: ita & hoc euenit odio imperfecto. cum enim ab iniquitate inimici læsus sit inimicus, & ab eius vitio; in ipsam iniquitatem eius, & non in hominem eam habentem debet eiaculari tela iræ suæ. sed cum hoc eius odium imperfectum, & cæcum sit; non in iniquitatem, sed in hominem telum immittit. modo ita Dauid Psal. 138. *Perfecto odio oderam illos.* Augustinus explicat, hoc est odiendo malum, & peccatum hominis, non hominem ipsum. proprium cæcorum est confundere in videndo res ipsas, ac etiã in feriendo. Odium est miles, & minister, quo pugnas contra inimicum. non aufert Deus à te hunc militem, sed pro puero & cæco virum, & videntem tribuit: & de hoc doles?

Orbis Solis, orbisque Lunæ, hoc est cælum Solis, cælumque Lunæ.

Psal. 138.

Sacerdos ex nostris narrauit mihi casum, qui valde facit ad rem propositam. scilicet quemdam damnatum fuisse morte, vel exilio, ni fallor, à Rege Galliarum. post hæc ille præsente Rege malũ positũ super caput

proprij filij longè ſtans iaculo confixit, illæſo omnino filio. id cernens Rex artemque admiratus, eum abſoluit. Ita ſi odium tuum perfectum ſit, & malum, hoc eſt malitiam inimici telo iræ ferire ſciat abſque læſione hominis; tunc abſoluet te Deus a peccato tuo. quod eſt dicere, *ſi dimittas, & dimittetur tibi.*

4. Sed aduerte, quod ſicut valde difficilè eſt ferire malum impoſitum capiti filij ſui, abſque læſione ipſius, & hoc non eſt niſi iaculatoris perfecti, & valde oculati: ita & telum iræ iaculari in malum, hoc eſt in peccatum inimici, & non in inimicū, valde difficilè eſt, & proprium ſolūmodo perfecti odij, quaſi perfecti iaculatoris; perfecti inquam viri, & ſapientis. quod præcipuè locum habet in punitione inimici tui, vel eius, qui te læſit: ſiue à te ipſo, tanquā ab eius ſuperiore, ſiue ab alio iudice, te inſtigante fit facta. periculum enim eſt magnum ne dum prætendis iaculo odij ferire malum, quod eſt ſuper hominem, ferias ipſum hominem, vel etiam filium tuum, ſcilicet ſpiritum & animam tuam. nam, vt dictum eſt, non erat homo & iaculator ordinarius, qui dicebat, *Perfecto odio oderam illos.* Applica prædicta inſtigantibus iudices contra eos, qui ipſos læſerunt titulo iuſtitiæ,

Matt. 23. 8. 5. *Omnes vos fratres eſtis.* Matth. 23. 8. cuncti enim dicimus: *Pater noſter.* & regenerati ſumus eadem matre Eccleſia nos per lauacrum pariente. ergo ſiue Itali, ſiue Galli, ſiue Hiſpani, &c. omnes Germani ſumus. verè enim populi illi ita dicti videntur, eo quod inter ſe velut fratres procędant in ſuis altercationibus. aiunt enim, quod ſi duo ex ipſis duello pugnent, primus, qui ex vulneribus procubuerit humi, ab altero ſtatim relictâ omni contentione & irâ, de terra ſubleuatur, & inter amplexus victoris fouetur, in eiuſque collum imponitur, & ad medicum curandus defertur. ergo illi obſeruant præceptum, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Idem & nos faciamus. ſtatim ac læſerimus fratrem ſiue verbo, ſiue facto; tales nos exhibeamus erga illum, vt vulnera eius famæ, vel honoris ſtatim ſanentur. Vel etiam applica dicendo, quod non debemus crudeliores eſſe in animas noſtras, quàm ipſi Germani ſint in inimicos. nam cum ipſam vulnerauerimus (etenim *romphaa bis acuta omnis iniquitas, & plaga illius non eſt ſanitas,*) Eccleſ. 21. ſaltem poſt hæc ſtatim eam afferamus tamquam Leuitam vulneratum ad ſtabularium, nimirum ad Sacerdotem, qui illam ſanet per confeſſionem. & hoc etiam modo *Sol non occidat ſuper iracundiam noſtram:* in qua ſcilicet in animam ipſam hoſtiliter egimus.

6. *Benefacite ijs, qui oderunt vos.* Qui Matt. 5. ita agit; eſt vt arbor fructus habens: in quam ſi lapides iniicias, vel ſi eam fuſtibus in ramis eius percutias, pro iniuriâ fructus ad te demittit. Sic in Chronicis S. Dominici legitur de quadam Sanctimoniali, ni fallor, Margarita nomine quæ cum ab aliqua, vel aliquo læſa eſſet, ſtatim ad orandum pro illis ſe conferebat, adeo vt in prouerbium abierit apud moniales: Si quis optat orationes Margaritæ, ei aliquatenus noceat.

7. Quid

7. Quid durum, si dicatur nobis, *Cum offers munus tuum ante altare*, &c. nempe quod sit relinquendum munus, & prius reconciliatio cum fratre quærenda; quia inutilis sit oblatio cum simultate & odio coniuncta. cum ipsimet Turcæ etiam simile quid fateantur. nam tomo 1. Historiæ Turcicæ lib. 2. per Lonicerum collecto, cap. 14. de peregrinatione Turcarum ad Mecham dicuntur hæc verba. Peregrinationem hanc suscepturi (nempe ad Mahometis sepulchrum) omnes priùs simultates, atque inimicitias, & odia ex animo abiiciunt: nec nisi reconciliatis inimicis ad iter se accingunt, hæc ibi. Addit deinde expressè, ipsos omnem suscepti itineris laborem cassum reddi existimare, si offensa aliqua in animis ipsorum remaneat. & tantum bonum per hoc se perdere putant, quantum credunt esse in peregrinatione illa. nam sibi persuadent, (vt in libris eorum docetur testante eodem auctore loco citato) eum qui semel Mecham adierit, certum esse æternæ beatitudinis futurum se possessorem absque pœna vlla purgatorij. Dic ergo Turcis ipsis esse deteriores, & crudeliores, qui ad Dei tẽplum accedentes, vel alia pia agentes opera non prius deponunt odia, & reconciliantur inimicis: vel ipsis infidelibus infideliores esse, si parum credunt monitis Christi paulò ante relatis.

Matt. 5.

Tom. 1. Hist. Turc. lib. 2. per Lonic. collect. ca. 14. de pegr.

8. Membra, si feriantur, non conqueruntur, non vociferantur: quia neque os habent. caput tantummodo pro eis loquitur, & dolorem indicat. quamuis ipsum læsum non fuerit ad percussionem pedis: heu mihi clamat, cur me cædis? Nos membra sumus Christi, ideoque monstrum est, si os habere velimus. percussi debemus silere. si quis habet dolorem verbis indicare, is debet esse caput nostrum. ideo dum membra Christi *cæduntur gladijs more bidentium, non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia conseruat patientiam.* cæduntur, & affliguntur membra & caput clamat, *Saüle Saüle cur me persequeris?* Augustinus notat dici *me persequeris*, quia caput dolet dicens, cur me persequeris? cum membra sua (quæ erunt fideles in illo casu) persecutionem paterentur. tandem ille ait Rom. 12. *Mihi vindicta, & ego retribuam dicit Dominus.* membra non cogitant de vltione. quod si quis habet de hoc cogitare, id permittunt capiti: vt in quo cerebrum, & mens dominatur. Si tu vindictam exposcis & moliris; signum est te nõ esse Christi membrum, signum est caput tuum esse caput tibi, non membrum, cum sibi assumat hæc facere. in iustis autem etiam caput est membrum, ideo silet, & non cogitat vindictam. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis si charitatem ad inuicem habueritis.* hoc ita effertur à quibusdam.

Rom. 12.

Ioan. 13.

2. *Parcens inimicis, & faciens amicos eos vlciscitur & necat.*

2. ÆNEAS Siluius, qui fuit in Pontificatu Pius Secundus lib. 3. de gestis Alphonsi ait: Reprehenderunt quidam ex suis Gismundum Imperatorem, eo quod inimicis parce-

Pius 2. lib. 3. de gest. Alph.

parceret. at ille, Ego inimicos, inquit, interficio, quia ex inimicis amicos reddo. Quãdo aliquis occisus est, verè de illo dicitur, quod amplius nõ est. qui non est; certè nõ est inter viuos. vnde de SS. Innocentibus dicitur Matt. c. 2. *Et noluit consolari, quia non sunt*. si verum est dicere de inimico tuo quem tibi amicum feceris, quod inimicus tuus modo non est; ergo iam obiit, ergo necasti eum. ad Rom. 12. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius*. tantum ignis super eum congerere, est necare illum vt inimicum, amicum reddendo beneficiis.

Matt. c. 2.

Ad Rom. 12. 20.

Velut lampas ardebat inimicus tuus iræ & odij flammâ in te. sed sicut si extinguas lumen lucernæ, dum iterum alio eam igne accendis, non dubium est apud eos, qui idiotæ non sint, lumen hoc secundum aliud esse à primo: & consequenter eam lampadem aliam habere vitam. (nam in formis corruptilibus, *A priuatione ad habitum non datur regressus*.) sic ergo dum extinctâ flammâ odij, homo accenditur per carbones prædictos flammâ charitatis; iam potest dicere, *Viuo ego, iam non ego*. sic cum obuiasset amasia amatori, sed qui flammam amoris lasciui in flammã charitatis Dei, & proximi commutarat. (nam lampades eius lampades ignis, atque flammarum) & dixisset, Ego sum illa: ille respondit, Sed ego non sum ille. Necas ergo inimicum extinctâ flammâ odij: aliam vitam ei tradis, accendendo scilicet flammâ charitatis.

2. *Amicitiæ, si expediat, dissuendæ, non discindendæ.*
3. *Nec mors imminens, potest iram, & vltionem cohibere.*
4. *Odium vesanos reddit homines illo affectos.*

2. SI nodus inciderit in funiculo exili, præsertim si serici sint funiculi, vel auro contexti, & dissoluendi eos vtilitas, vel necessitas vrgeat, omnia prius tentanda putamus, quàm ipsos abrumpere. sed idẽ dicendum est si ad articulum eum deueniamus, in quo amicitia dirimenda sit. (nam dissoluenda est, non abrumpenda) neque ad hoc, nisi vbi aliud non supersit remedium, deueniendum est. si enim hoc agimus in funiculo vnius quadrãtis valore empto; ergo amicitiæ vinculum & charitatis minus vno quadrante æstimabimus? notum est pro hac re illud ipsorum gentilium nempe Ciceronis, dum agit de amicitia: *Amicitias dissuendas esse, non discindendas*. vel dic, si incidat nodus aliquis difficultatis, & controuersiæ in funiculum amicitię, quo vnimur cum proximo; omnia ante tentanda, quàm vt ille explicetur abruptione ipsius funiculi, nempe amicitiæ, & charitatis, de qua dictum, *in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. ideo enim Ecclesiastes 3. cum plurima tempora describat, dicens, *Omnia tempus habent*, &c. vltimo ponit, *Tempus belli, & tempus pacis*, quasi indicet non nisi in extremum remedium, & necessitatem esse bellum, & apertam dissensionem admittendam. Adde, dici Eccles. 3.

tempus

tempus belli, & tẽpus pacis, quia etiamsi non nisi post omnia suscipiendum bellum; ta nen neque in eo sistendũ, sed statim ad pacem redeũdum esse, imo bellum non nisi ob pacem futuram admittendum.

3. Quo impietatis,& vesaniæ perducat homines libido vlciscendi se, qnamuis id inexplicabile sit; tamen paucis aliquo modo conabor indicare, vt execremus hoc vitium. Narrat Baronius tomo 8. sub anno Christi 702. de Iustiniano Imperatre illo, qui truncatis naribus eiectus fuit ab Imperio. is cum nauigans cum alij spe concepta recuperandi Imperium in summo vitæ discrimine esset ob tempestatem obortam; quidam ex charis eius ait illi: Vt euadamus hoc periculum, voue, si restitutus fueris in dominium, te de nullo aduersariorum, qui te eiecerunt regno, pœnas sumpturum. cui ille: Me, inquit, Deus demergat in hoc loco, si cuiquam ex eis pepercero. Mors imminens non valuit iram temperare illius.

Baron. to. 8. sub an. Christ. 702.

4. Herodotus lib 4. narrat Psyllis populis aquas exsiccatas fuisse flante Austro. qui in iis regionibus eam facultatem habere credendus est, cum auctores aliqui scribant, ventos quosdam varia variis in locis operari. illi ergo indignati contra hunc ventum, publico concilio contra ipsum coacto expeditionem in eum suscipiunt. cum autem venisset exercitus ipsorum ad campos quosdam arenis refertos, in quibus eius venti vis ipsas arenas quasi vndas conuoluendo valde pollet; excitatâ maximâ earum copiâ, obruti,& suffocati inde sunt. verè dictum est ab Ecclesiaste: *Stultum interficit iracundia.* hæc enim adeo dementat hominem, vt iam contra insensata insensatus ipse irascatur,& pugnet.

Herod. lib. 4.

2. *Vltionis causa in mare periculorum intrant.*
3. *Sero sapiunt post damna.*
4. *Odium dementat homines.*
5. *Rixarum damna.*

2. QVo non potuit dæmon perducere peccatorem alio vllo medio, sæpè perducit per vltionis cupiditatem, quâ incitatus homo, nulla timet pericula, nec scelerum deformitatem. sic (vt habet Liuius libr. 1. deca. 3.) fecit Hannibal cum elephantibus, quod dæmon cum hominibus. cùm enim hæc animalia nulla ratione, aut arte induci potuissent, vt Rhodanum fluuium pertransirent; vnum ex eis à quodam ex ministris vulnerari fecit, qui mox se flumini traijciendo de industria dedit. tum elephas ardore se vlciscendi correptus, fluuium ingressus, insecutus est vulneratorem suum, atque ita alij elephantes post ipsum flumen transierunt. Ita dæmon per cupiditatem vltionis inducit homines, quò nulla alia via potuissent adduci: nempe, vt nihili facientes fortunas, familiæ incolumitatem, vitam cælum & infernum, irruant in gladios & pericula, dummodo sperent se vindicare. cùm alioqui nec lucri gratiâ, nec honoris, aut cælestis Beatitudinis exiguum quid eiusmodi rerum paterentur. Vide an vnquam Ægyptij

Liu. li. 1. deca. 3.

gyptij ingredi ausi fuissent in medium maris rubri euidenti, & nimis tremendo miraculo diuisi, nisi rabies vlciscendi se de Hebræis ad id eos adegisset. Exod. 15. *Dixit inimicus, persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* sic multi quotidie Ægyptij, hoc est peccatores (vt vulgò dicimus) in mare periculorum, ac expensarum, & laborum intrant, vt rixas immortales nutriant ad vltionem inimicorum. *entran in vn mar di pericoli, in vn mar di spese, e di peccati, cioè in vna gran copia di cose tali.* in quo mari tandem miserè pereunt quoad opes, sæpè etiam in corpore, & in anima. ita in eis fit, quod sequitur: *Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Exod. 15.

3. Destitit Ægyptus persequi Israelem, quem pro hoste habuit, posteaquam sui in mari rubro submersi sunt. sic multi tunc tantum rixas, & inimicitias deponunt, cum se iam periisse vident cum familia sua, hoc est post neces suorum, & facultatum consumptionem. Fit itaque in eis quod Plutarchus apud Theatr. vol. 7. lib. 6. narrat Demadem dicere solitum: nempe Athenienses nonnisi pullis indutos vestibus pacem facere, hoc est, post clades suorum. ita & competit eis adagium vulgatum, *Sero sapiunt Phryges*, quod dictum est de Troianis, qui multis cladibus acceptis vix tandem cogitare cœperunt de Helena reddendâ. quod si ab initio egissent; tot euasissent calamitates, & totale exitium. Heu quot familias reperias, nedum quot homines, imo quot Respublicas, & Regna, quæ ad extrema quæque redacta sunt, dum inimicitias, & bella exercent. & ideo sicut verè fuerũt Troes, seu Phryges in eo quod dixi; ita vsurpare possunt illud, *Fuimus Troes.* Psalm. *Viam pacis non cognouerunt.* Basilius ad hæc verba: *admoniti, cognoscent dolentes.*

Plutarc. Theatr. vol. 7. li. 6

Psalm.

4. Tanta est odij vis, & dissidiorum, vt si aliqui quempiam inimicum habeant; non ipsum tantum, sed omnes eius domesticos, aut consanguineos, sequaces, aliquando etiã conciues oderint, & persequantur. Sed vlteriùs procedit rabies humana. nam Cælius lib. 30. cap. 21. dicit, Ægyptios odio habuisse homines omnes rufi coloris, eo quod talis fuerit Tiphon inimicus Osiridis, quẽ ipsi colebant: hosque rufos ludibrio habentes, ipsos vellicare solebant. Addit ibi, eosdem, si asinos reperissent, illos præcipitare solitos, eo quòd in re quapiã eumdem Tiphonem eis assimilari dicerent. verè *stultum interficit iracundia.* quæ enim stultitia maior, quàm contra inanem imaginem, seu picturam tui inimici pugnare? sic dæmon, cum in Deum sæuire nequeat; sæuit in eius imagines, hoc est in nos, qui ad imaginem eius effecti sumus, vel pugnat præcipuè contra iustos, qui in esse, & per gratiam ac virtutes, eius imaginem gerunt. Cælius ibidem narrat, Busiritas adeo odisse asinos, vt neque tubis vti velint, eo quòd ipsas nescio quid ruditui eorum simile dicant reddere. Heu stultitia! audiui quosdam, si suadeantur, vt hoc vel illud institutum laudabile,

Cæl. lib. 30 c. 21

Iob 5.

laudabile, vel opus vtile imitentur; indignabunde respondere, se nolle vlla ratione id efficere eo quod æmulatores sui id agant. ergo abstineant à comestione, eo quòd æmuli ipsorum comedunt. nolunt Busiritæ vti tubis; quia similem sonum putent habere atque asini. quid stultius? *stultum ergo interficit iracundia.*

Horatij notum est illud, *ira furor breuis est.* vide quantus furor, qui hominem suæ salutis oblitum in certam, & manifestam perniciem adducit, dummodo se vlciscatur, vel etiam dummodo animum se vlciscendi frustra ostendat. Saxo Grammaticus libro 6. inquit: Thoomiles Haraldijce regis Danorum iactarat inter conuiuas, se de cacumine baculi sagittâ pomum intacto baculo deiecturum. pomum super sagittatoris filij caput rex iussit imponi, & in eo patrem periculum facere artis suæ. ille iratus tres in pharetra parat sagittas, excussoque pomo inde, & illæso manente puero, postulatur à Rege, cur plures sagittas parasti, cum vna sufficeret? ille autem impotens animi præ indignatione, non sine vitæ euidenti discrimine, & quasi certa pernicie, ait: Quia si primâ sagittâ errassem, secundam in te iacere volui. Aduertant hic potentes & nobiles, ne insolenter se gerant cum minoribus, vel etiam cum seruis; alioquin vita ipsorum, illis in se concitatis, periclitabitur. Si enim ira *furor* est, & *stultitia*; qui in furorem incidit, personarum, & nobilitatis rationem non habet. ideo sæpè à rusticis, & plebeiis videmus necari diuites, & nobiles.

Saxo Gramm. lib 6.

vulgò enim dicimus, *formicæ quoque sua inest bilis.* & iterum, (a) *Ogni tizzone ha il suo fumo.* adde etiam, suum ignem, seu calorem habere, quasi iracundiæ, ideo cauendus est. dum enim ignescit, agnoscit neminem, qui tetigerit se. Morbo laborat, qui dicitur *noli me tangere.* ita Prouerbiorum 6. 35. *zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.* id dicit de furore viri in adulterum, sed locum habere potest etiam in aliis casibus.

(a) Nullus titio, cui suus non sit fumus.

Prou. 6. 35.

5. Polienæus apud Theatrum narrat, quosdam collocasse captiuos hostes in prima fronte exercitûs, quâ ab ipsis hostibus oppugnari poterant agmina sua, vnde hostes, ne suos læderent iaculis, vel lanceis, non ausi sunt lædere hostes. ô tu, qui inimicos aggredi paras, aperi oculos, agnosce ante agmina illorum, siue ante illos stare amicos tuos, animam tuam, conscientiam tuam, imo & opes tuas, domesticosque tuos, filios, & vxorem. per hos omnes transire habent sagittæ, seu gladij tui. nam lædendo, & necando inimicos, lædis eos omnes, quos diximus partim spiritaliter, vt animam, conscientiam, partim etiam temporaliter, quia per iudicē, imo & per ipsum Deum etiam hic puniris, vt supra exposuimus. Si non misereris inimicis, miserere amicis: miserere tibi, si non aliis. nam Tob. 12. *Qui faciunt peccatum, hostes sunt animæ suæ.* Qui rixis vacant, hostes sunt familiæ suæ: domesticos suos, opesque suas perdunt. Si non parcis inimicis, parce amicis, tibi scilicet & tuis. *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.*

Tob. 12.

sumamini. Sa exponit: si inuicem vos læditis.

Polien. lib 7. Idem Polienæus libro 7. hæc scribit. Cambyses pugnaturus erat cum Ægyptiis: quia autem illi adorant animalia multa quasi Deos, vt canes, feles & alia (imo & notum est, eos allia adorasse. vnde Satyricus ille priscus exclamat, *Felices populi quibus hæc nascuntur in hortis numina.*) Cambyses in primâ acie exercitus aduersos eosdem Ægyptios posuit plurima ex his animalibus, quæ ipsi adorabant. illi ergo, ne Deos suos læderent, hosti pepercerunt. ex quo colligitur ipsum Cambysem potius defensioni, quàm offensioni studuisse in eo euentu, cum auctor dicat, ea animalia quasi ad se protegendum opposuisse. Sed, vtcumque res se habuerit, dico: quod si, ne læderent Deos suos canes, & feles, pepercerunt hosti; vide an tu, ne lædas Deum tuum omnipotentem debeas id præstare. nam etiam in hoc dici vere illud potest, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* dum peccas lædendo proximum, ipsum Christum crucifigis denuo, *rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei*, vt est Hebræ. 6. 6. Illi ne lædant canem, parcunt hosti, tu non parces, ne lædas Deum? vis ergo quantum in te est, si dici liceat, Deum inuidere cani, inuidere feli, & dicere tibi, *fac me sicut vnum ex illis canibus?* Maiolus tomo 2. colloquiorum, colloquio 3. dicit, magos quosdam ex pacto dæmonis glandem ferream eiaculando per bellicum instrumentum (vulgò sclopum) in imaginem Crucifixi, necare eodem momento cum hominem, quē voluerint, quocumque in loco ille sit. Sic tu, dum lædis inimicum, priùs eodem telo feris Christum. tu maleficus es. Si diceremus tibi, per Crucifixum hunc transire debet sagitta, vel globus, quo inimicum neces: an id auderes aggredi? non auderes imaginem Christi, & audes ipsum ferire Christum. nam *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. adde quod & imaginem Dei feris, hoc est hominem.

Hebr. 6. 6.

Maiol. to 2. colloq. colloq. 3.

2. *Prætextu iustitiæ sæpè odia exercemus per iudices.*

2. NOs sæpè immunes videmur nobisipsis à culpa, dum, velut Iudæi Pilato ad crucifigendū Christum vsi sunt, vtimur simili iudice ad vlciscendum nos iniustè contra hunc, vel illum, præsertim contra debiliores. Prouerb. 26. 8. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui dat insipienti honorem.* alij legunt priorem partem *sicut qui ligat lapidem in funda.* alij pro *fundâ*, habent *in purpura*. stultus, hoc est ineptus, ac etiam iniquus, (vt Scriptura accipere solet hoc verbum passim,) est lapis ligatus in funda, quando est indutus purpurâ, hoc est in magistratu: quasi funda prædicta sit ex purpura confecta, siue coloris purpurei. cur ita? quia indocto, vel iniquo iudice, velut lapide in funda posito vtimur ad confringendum caput huic, vel illi inimico nostro. Circumducimus ipsum quocumque volumus, dum mediante eius stultitia, siue vitio accipiendi personas; vel suasionibus & informationibus, vt vocant, falsis, Prou. 26. 8.

quas

quas nobis odium suggerit; vel etiam opinione potentiæ nostræ, & diuitiarum; dum inquā his mediis ipsum inducimus ad cōdemnationem proximi: & in his sæpè culpam non agnoscimus: quia odium sicut & amor excæcat. ita iusta putamus persuadere iudici, dum, aliquando & & iniusta persuademus.(a) *Guidiamo, e giriamo come ci piace il giudice sciocco, ò cattiuo come vna siomba col braccio de' donatiui, ò delle false informationi, & interessi. giriamo sasso, e lo spingiam' contra'l nemico nostro. ò lo girian col braccio del fauor di alcun potente intercessore.*

(a) Iudicem malum aut indoctū, tamquā fundam, circumagimus brachio munerū, aut falsæ informationis &c.

2. Crudelitas in seruos.
3. Dimittite, & dimittemini.

2. SI miser quispiam, præsertim etiam ex famulis surripuit aliquid à nobis, vel alia ratione nos læsisse videtur; non possumus vel vnâ obdormire nocte, nisi illum non solum tamquam reum euulgemus apud omnes, sed etiam nisi per iudicem nos de illo vlciscamur. Gregor. Turonensis Episcopus de gloria confessionis, cap. 62. pulchrum exemplum contra hæc affert. Sanctus Elias Episcopus sepultus fuerat: quidam fur ad ipsum spoliandum accedit. ille quamuis defunctus furem apprehendit manibus: fur excutit se, vt à cadauere se liberet, neque potest. hoc indicio detectus fur, à iudice per ministros conuenitur, vt rapiatur ad pœnam. sed Sanctus perstitit in ipso fure continendo, neque satellites potuerunt eum de manibus eius eripere, Iudex suspicatus Sanctum nolle sæuiri in miserum promittit Sancto se ei veniam daturum. tunc sanctus furem dimisit. At nos non traderemus eum in manus iudicis, nisi promitteret, se eum puniturum alioqui fortasse iustitiam, vt dicitur, nostris facturi manibus.

Greg. Turon. Episc de glor. conf. cap 62.

3. Ecclesiastici 28. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?* filius Dei est Christianus. ideo ait, *Pater noster*, &c. quid est *reseruat iram?* tu te præbes filio carnificem, & eius patrem poscis tibi medicum? quid enim est ab eo medelam querere? carnificem agis in proximum, dum odisti: quia vt Ioan. 1. capit. 3. *Qui odit fratrem suum homicida est.* scilicet voluntate, si odit ad mortem. actu igitur occidis filium coram patre, & ab eo interea medelam petis tuarum plagarum? dum illum efficis mortuum, petis, vt te pater efficiat viuum, imo & sanum? si quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, ergo dum ipsum Christum (quantum in te est) occidis, vis vt ipse Christus te viuificet. Hæc non dicuntur, vt qui odit proximum, cesset ab oratione, quę aliquomodo ei vtilis erit, sed vt videat quantum obicem ponat per odium gratiæ Dei.

Eccles. 28
Ioan. 1. c. 3.

Infirmitas magna, est, insania. vnde stultus specialiter insanus dicitur, quasi non sanus. ira autem insania est. nam, vt est Iobi 5. *Stultum interficit iracundia*; ira furor breuis est, inquit Horatius. Tu ergo obstinate teipsum vis ser[illegible]are insanum, & petis à Deo, vt te facias sanum? hoc est enim *homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?* stultum

Iob 5.

tum interficit iracundia. Vnde illud, *qui odit fratrem suum homicida est*; Augustinus aliter explicat, nempe homicida est sui per peccatum mortale, & per iram perseuerantem in se. nam, vt est Ioan. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* nonne ergo absurdum est, si æger actualiter seipsum necet, neque ab hoc desistere velit; & tamē interea medicinam, seu pharmacum petat à medico? *Homo* igitur *homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?* gladium peccati, & odij de corde non patitur sibi extrahi. (nam romphea bis acuta omnis iniquitas) & tamen petit medicamentum? petit sibi *Misereatur*, & negat proximo *Indulgentiam?*

Ioan. 14.

Diuinum officium inuerteres, & omnes ex choro insurgerent in te, si antequam diceres, *Indulgentiam, & remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis*, &c. non præmitteres, *Misereatur vestri Omnipotens Deus*, &c. vel illud tantum absque hoc recitares. tamen cum hoc agas tu quotidie in officio operum, non verborū; in officio inquam Christiani, quod ex præcepto Dei persoluere teneris; non putas contra te omnes Christianos scilicet persoluentes officium in Ecclesia Dei non manufactā, contra te consurgere? sic, si medicus Diuinus, de quo dictum, *non est opus valentibus medicus*, assignarit ægroto pharmacum ad sanitatem, vel alia ad hoc præscripserit; & ille ea non impleat, imo contraria omnino agat; nonne absurdum erit, si medicinam quærendo medicum eundem accersat? Assignauit ille ad medicinam peccati dimissionem peccatorū proximi dicens, *dimittite, & dimittemini.* cōtemnimus medicinam, & medicinam quærimus? Tamen, vt dixi supra, non ideo omittenda precatio ad opem diuinam implorandam. Sed hæc dicuntur ad ostendendam absurditatem huius peccati.

Primo miseren dum proximo vt indulgentiam nobis petitā consequa mur post ea per hoc.

Bilis, quæ etiam dicitur cholera, quod iracundiam, quæ vulgò *collera* dicitur, excitet, eiusque fomes sit; hæc inquam cholera, febrium & ægritudinum materia communissima est, vt medici asserunt. Qui ergo iracundiâ laborant, quæ etiam per fel significatur (quod fel sit sedes bilis flauæ, hoc est choleræ. nam dicitur. *video te esse in felle amaritudinis*) hi choleram in se nutriunt. Si ego æger nolens euacuare choleram, sed eam nutriens cibis haud sanis, vel etiam nolens à febre inde orta sanari, tamen medicum ex Orbe alio, ex Orbe nouo ad se vocet, & petat sanari, obtestans nolle se purgari ab ea bile, & febre, nonne plus quàm insanus habebitur? tu reseruas iram, reseruas intus choleram, non vis eam deponere, nō vis sanari à febre, quæ ex ea oritur, nempe ab iracundia actuali, quæ est, vt aiunt, in actu secundo, dum persequeris inimicum: nam *febris nostra iracundia est*, inquit Ambrosius: & tamen quæris medelam, medicumque alterius mundi Deum? dicet medicus, Quam medelā quæris, cum tota medicina ferè, & curatio soleat consistere in euacuanda cholera, & in depellenda febre? ergo *homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?*

Tempus dimittendi peccata proximi illud præsertim est: cum oramus, vt nobis dimittantur, seu cum medi-

Dicta per accommodationem dimitte

seruum ut abeat è domo tua illæsus, vel dimitte eũ è carcere quo eum clauseras, vel dimitte in pace, hoc est ut in pace viuat, ut sit in pace.

medicinam & salutem petimus. Seruus tuus læsit te, tu etiam læsisti Dominum tuum, nempe Deum. quando vnus è choro intonat ore: *Salua nos*. statim alter subdit, *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Ambrosius legit, *Nunc dimitte*. quia sensus (vt multi aiunt) eius verbi est, vt petat dimitti, & fit vox postulantis. Quando ergo dicis Deo *salua nos*; puta alium tibi inclamare de seruo tuo qui te læsit, & quem punire paras, *Nunc dimitte seruũ tuum Domine secundum verbum tuum in pace*. secundum *verbum tuum*, inquam: hoc est, sicut dixisti Deo, *salua nos*; ita dic, seu potius fac, vt saluetur & seruus tuus. Ita bonum completorium ages vitæ tuæ, & de teipso poteris dicere Domino eadem verba in sensu suo.

Eccles. 18. 23. Ecclesiastici 18. 23. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* præparatio orationis (quæ est sacrificium laudis, quod honorificat Deum) præsertim sita est in eo, si prius quam offeramus hoc munus ad altare, reconciliemur fratri, qui habet aliquid aduersum nos. Verùm cum id non agimus; sed non dimittentes dicimus, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; docemus Deum, vt non dimittat nobis. & ita absque præparatione orantes, tentamus Deum. Sed vide quando id agimus, nempe tunc, cum petimus dicentes: *Et ne nos inducas in tentationem*. quamuis enim tentare Deum non fit illum in tentationem inducere in sensu, quo nos petimus non induci in illam; tamen sic dicere, est ipsummet inducere in tentationem in sensu Ecclesiastici in allato loco. Adde etiam, quia dicendo, *dimitte nobis, sicut & nos dimittimus*, videmur eum tentare, hoc est irritare, vt tanquam irrisores suos nos puniat; vel dicat oranti re ipsa, si non verbis, *Vade & sicut petisti fiat tibi*, hoc est non dimittantur tibi, sicut tu non dimittis.

MORS.

2. *Mors hominis mille continet mortes, compendium est omnium mortium.*
3. *Saltem in senecta, & sine vitæ pœnitentia agenda. Item dolendum quod tunc tantum agatur.*
4. *Mors ludus sortium, sed non cæcarum. Bene moriens sortes propitias obtinet.*
5. *Fames habendi morte definit tantum.*

2. 
Vm homo sit mundus paruus, vt aiunt, & intelligi possit iuxta Gregor. *nomine omnis creaturæ, eo quòd aliquid habeat ex omni creatura*, vt ipse ibi enarrat: cumque omnis creatura in ipso, & cum ipso tandem moriatur: consequens est, hominem non solum mortalem esse, sed etiam esse compendium omnium mortium. Quid mirum ergo si mortem adeo abhorreat, cum in vna morte innumeras cogatur tolerare mortes? imo vita eius non solum mors est, sed etiam mille mortes. Cùm enim semper moriatur, eo quòd semper tendat ad mortem, iuxta expositio- Greg.

nem loci illius, *in qua hora comederis, morte morieris*, hoc est, mori incipies: ideo quot momenta decurrit, tot numero etiam obit mortes, quia omnis creatura cum ipso, in illis transit, & semper moritur. Vnde dictum accipiunt aliqui illud Psalm. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* hoc est omnia in homine transeunt, cum ex omnibus ille constet. Vide ergo quam miser sit homo, cuius vita sit compendium omnium mortium. omnia enim quæ in eo viuunt, vanitas sunt, quia quolibet momento in illo, & cum illo moriuntur de præsenti. Vnde dictum 2. Reg. 14. Non, omnes moriemur, sed *omnes morimur*, & in Genesi 25. Esau *en morior*: non, en moriar.

Psalm.

2. Reg. 14

Gen. 25.

3. Vita humana, cum, vt dicebam, compendium sit creaturarum, seu vitarum omnium quia ipsæ in illa viuunt; dici potest esse breuiarium quoddam. (nam sic vocatur compẽdium) præsertim breuitate sua breuiarium est. Et sicut in fine breuiarij leguntur Psalmi Pœnitentiales, & commendatio animæ facta Deo; ita in fine vitæ solet homo pœnitentiã ostendere, & Deo animam suã commendare. Sed dicendum est iuxta Augustini mentem, quod quamuis vita alicuius Christiani fuerit iusta, & sancta (dico ego, breuiarium, hoc est, quantumuis tota fuerit in perpetua oratione, atque etiam in verbis Diuinis, & in rebus sanctis versata, quasi alterum breuiarium) tamen non debet sine pœnitentia (vt aiebat Sanctus ille Doctor) è vita migrare. sicut & in eius vita legitur, ipsum in eo articulo Psalmos illos profusis lacrymis coram se positos legisse. Senex, cum sit in fine breuiarij, hoc est vitæ, saltem tunc debet pœnitentiales canere, hoc est agere pœnitentiam, & Deo animam suam commendare.

4. Psalm. 30. 16. *In manibus tuis sortes meæ.* Agellius apud Lorinum hic, putat dictum id propter eos, qui putant mortem sitam esse in sorte, & in filiis Parcarum. Putant mortem esse sortem; occasum, esse casum; & lethum esse Italicè *Lottum*. sic vocamus genus sortis, in quo in vrnam coniiciuntur plures scedulæ albæ, in aliquâ autem signatur gratia, & beneficium sortis. aliter vocatur hæc sors beneficiata. Vulgò aiunt, quando scedula alicuius extrahitur de vase, tunc ille moritur. Sed dic, scedulam hanc non esse in manu pueri, nec in manu cæca, sed in manu Dei oculata. idem enim in Deo est manus, & oculus: extrahit quem, & quando vult. nam Prouerbiorum 16. 23. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* illi scedulæ, quæ signata est gratiâ, (ita nostri loquuntur) redditur beneficium. sic cælum datur morienti in gratia.

Ps. 30. 16.

Pro. 16. 23.

5. Diues hodie emit decem agri iugera, cras lucratur viginti, postea acquirit triginta, postea rapit quadraginta, vt terrâ saturari possit. At miser nescit quid agat. plurimum appetit terræ, vt satietur; cum tamen ex terræ minimo tantum saturari possit, nimirum sex terræ cubitis ad summum, non enim longior est sepultura. Sic Iuuen. Sat. 10.
Pelæo iuueni totus non sufficit Orbis

Iuuen. Sat. 10.

Cum

Cum tamen à figulis munitam intrauerit verbem.
Sarcophago contentus erit
Pelæo iuueni, hoc est Alexādro Magno: cum intrauerit *vrbem munitam à figulis*, hoc est Babyloniam, *contentus erit sarcophago*, hoc ex exiguo terræ sepulchro. Tunc homo in acquirendo dicit, non plus vltra, quando peruenit ad *Non plus vltra.* scilicet in mari vitæ uæ. tunc inquam dicit, sufficit.

Ouid. Auaritiam esse quandam auri sitim tritum est apud Scriptores. vnde Ouid. *Sic quibus intumuit suffusâ venter ab vnda, quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.* nimirum sic auari quo plus bibunt, eo magis sitiunt. Bibunt miseri plures fontes, imo flumina opū, vt sitim expellant: cum tamen vno tantum calice hausto illam pellere possint. Quisnam est hic calix, nisi calix mortis, & pœnarum eam obtinendarum? de quo dicitur Psal. 74.
Psal. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.* de quo & subdit, quod *bibent omnes peccatores terræ.* Hic calix satietatem, & fastidium inducet cunctarum aquarum, de quibus dicitur. *qui biberit ex hac aqua sitiet iterum.* Æger sitibundus inquit, flumen totum potarem. at medicus vno calice includit totum flumen, nempe pharmaci calice vniuersam aufert sitim, ab eo causam morbi tollendo, vnde calix subiit vicem fluminis. sic facit Deus per calicem mortis.

Iuxta illud Iuuenalis auaris siti totus nō sufficit amnis. sed dum moritur cratere contētus erit.

Dicebat quidam de dulcedine quâ ducimus vitam, & funereis facibus ex cera confectis, quæ finis vitæ symbolum sunt, siue sepulturæ; *Scribimus epistolam melle, sigillamus cerâ.*

2. *Mors auarum spoliat.*
3. *Mortis memoria.*

2. (a) *Il ricco auaro come il sole sorge, e comincia à leuante, cioè saglie in grandezza, cō leuar altrui la robba, ma dopo vn lungo giro è forza venga al ponente, cioè à por giù ogni cosa. l'occaso suo, & il ponente è tutto vno. così la morte, & lasciar ogni cosa. van insieme.* Psal. 48. *Ne timueris, cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.* loquitur eo Psalmo de iniustis diuitibus, quorum timor in die mala erit iniquitas calcanei, hoc est oppressio pauperum: *quoniam cum interierit, non sumet omnia.* non sumet omnia, quia omnia ponet, seu deponet. Iste sol perdet etiam splendorem, *neque* enim *descendet cum eo gloria eius.* vnde quidam antiquus huic intonat: *Aufer, rape, congere, posside: relinquendum est.* Mors est vltimus casus, sed vltimus casus est ablatiuus. omnia enim aufert mors. *Possessio* ita dicta quasi pedum positio. quia pedum positione super rem possessam capitur possessio iuxta Iuristas: sed cum homo venit ad occasum, siue ad casum mortis, (cadauer enim à cadendo dictum) cum inquam cadauer factus sit, iam non amplius pedem ponit in solo, non amplius stat: ergo à possessione decidit, quæ est pedum positio. nō amplius possidet, sed possidetur. ceteri enim super eius tumulum, & consequenter super eum pedem ponunt.

(a) *Diues auarus instar Solis surgere incipit in Oriente, qui Italis dicitur Leuante, i.e. tollēs: quia aliorum bona tollendo crescit. Donec veniat ad Occidētem, qui Italis dicitur Ponente i.e. ad mortem, quâ cogitur aliis ablata deponere.* Ps. 48.

3. *Aufer (extremæ dum memor es sortis) tumorem vitæ, per timorem mortis.* Nec insulsum est illud: *Qui non habet caudam*

caudam in capite, habet caput in cauda. hoc est qui mortem mente non retinet, mentem post terga habet, seu pro nihilo.

1. *Vita est infirmitas incurabilis, ex qua tandem quis moritur.*

2. HOSPITALIA nonnulla extant, quæ vocantur insanabilium, siue incurabilium. Mundus huiusmodi hospitale est: & qui in eo sunt, morbo incurabili laborant, nempe naturâ fragili, & mortali. Talisq; est hæc infirmitas, vt ex ea tandem omnes morituri sint. & cùm hoc ipso, quod diu perdurat, etiam ipsa valetudo bona ad mortem appropinquet; consequenter & ipsa sanitas nostra, est dicenda infirmitas ad mortem. Si ergo sanitas est infirmitas, vide quid erit infirmitas ipsa? ipsamet sanitas est infirmitas, dum nimis producitur, & talis infirmitas, est immedicabilis. nam Sap. 2. numer. 1. dicitur, *Non est refrigerium in fine hominis*, hoc est medicamentum, seu remedium contra mortem.

Sap. 2. n. 1

3. *Multi malè moriuntur, quia mortem non gustarunt, vt qui rediuiui iterum deinde moriuntur:*

3. DICI potest in similitudinem metri: *Sæpè malè morimur, quia numquam mortui sumus. Mors, quæ non est prima, homini solet esse secunda.* intellige propitia. *Morti ritè credit solus à morte qui redit. Mortis inexperti, mortis vix sunt bene certi.* Est plorans semper, qui ploratus est semel. plorans scilicet per pœnitentiam. Et quia nos separat amara mors; qui mortem gustauit semel, adeo amarescit os eius, vt omnia suauia huius vitæ illi amarescant. adeo prædurus stomacho est bolus ille mortis, vt qui illum comedit, adeo laboret ventre, & in concoctione epuli huius, vt postea quasi cibum respuens, ferè semper ieiunare videatur. hoc est per abstinentiam; & pœnitentiæ rigorem ita se gerit, eo quòd mortem semel gustarit.

2. *Viuendum, quasi mortui essemus.*
3. *Iusti optant mortem.*
4. *Mors non bene cognita, nisi iam mortuo.*
5. *Nemo mortuus est.*
6. *Mors æquat omnes.*
7. *Mors amara.*
8. *Mors honesta optanda.*

2. BONVM est viuere sicut morituri, melius tamquam morientes, optimum tamquam mortui. morientes enim maximè abesse solent à peccatis, & vanitatibus sectandis. mortui verò non sapiunt quæ carnis, & mundi sunt, *mortui enim estis*, dictum est de morte mysticâ: vide an perfectorum.

3. Peccator mortem pauet, mundanus cauet, iustus auet. primus formidine; secundus sollicitudine; tertius amore. Nascimur vitam flentes, viuimus flantes, morimur efflantes.

4. Cetera possunt prædicare mortales: at mortem tantum mortui. Soli enim, & vix experto creditur Ruperto. prędicatur melius per tumbam,

bam, quàm per tubam, *piu per la tomba, che per la tromba.*

Mors quid sit rogitas? scire si mortuus esse,
Ad me cum fuero mortuus, ergo veni.

Cetera docet eminens pulpitum, at mortem humile Sepulchrum. Mors igitur sola, mortis est optima schola, ibi solum discitur, quod alibi nō capietur.

Epitaphium hominis.

5. *Quis iacet hic? nemo. vacuum sine nomine corpus.*
Hic iacet: ex solo corpore non fit homo.

Potest ergo dici de loco vbi omnes mortales defuncti requiescerent, hic nemo iacet, & hic omnes iacent.

Flumina fluminibus distant: sic nos quoque nobis;
Dum sumus in vitâ, fluminis atque via.

6. *Ingressis pelagum sapor omnibus omnibus idem:*
Mors omnes homines æquat, vt æquor aquas.

Alluditur dicto illi, *Omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur,* &c. vt est Reg. 2.14. & ad illud Eccl. *Omnia flumina intrant in mare.*

Reg. 2. 14. Eccles.

7. Prædicta indicant mortem esse amaram, eam tam ē dulcem esse miseris dixerat Cornelius Gallus. sed quidam ex recentioribus hoc vt nimis amplè dictum cauillatur: forsan, quia, quatenus est violenta naturæ nostræ, ex hac parte non potest non esse acerba. ait ergo.

Dulce mori miseris dixit Gallus nimis amplè,
Dulce quidem miseris, sed Babylone mori.
Moris habet Babylon condire cadauera melle;
Vt defunctorum dulcius ossa cubent.

Acutè Celius Calcagninus in dictis suis moralibus:

Vt tibi mors felix contingat, viuere disce:
Vt felix posis viuere, disce mori.

8. Ibidem: Cùm decreto naturæ omnibus moriendum sit, gratis mori (cùm id gloriosè possis facere) mera insania est. gratis, hoc est absque vtilitate, aut merito, non moriendo pro gratiâ, pro fide, aut virtute aliquâ.

2. *Sæpè contingit Mors inopinata.*
3. *Mortui non resurgunt communiter loquendo ante iudicium.*

2. QVIDAM fabulantur de aquila, quod Iouem interrogauit, quando esset moritura? ille: tunc, cùm orbis terræ volans per aërem incidet in te. illa, putans se immortalem; petijt locum, vbi globi multi ex argillâ vel luto compacti (qui & orbes vocantur) arcubus emittebantur, & vno vulnerata perijt. tunc Iouem incusat quasi mendacē. at ille, quid est, vnde necaris? & illud dictum esse *orbem terræ* audiuit. nam ex terra globulus ille erat cōfectus. Docet fabula, homines sæpè decipi circa tempus mortis, præsertim à dæmone similibus fallacijs illos captante. sicut immortales dixit futuros parentes nostros: ita & in peccata inducit filios eorum, immortalitatem ferè promittendo. Aliqui decipiuntur ab Astrologis per natiuitates: alij à valetudine prospera, & medicorum promissis: qui *cum dixerint pax & securitas; tunc repentinus superuenit eis interitus.*

Sap. 2. 3. *Non est*, inquiunt illi, *qui agnitus sit reuersus ab inferis*. ita Sapient. 2. quamuis etiam iuxta Poëtam, *pauci, quos æquus amauit Iupiter*, inde redierint. Sed iuxta legem communem quidam cùm induxisset volentem litteras dare ad dæmonem per scelestum virum, qui tunc diem suum obibat, subdit similiter iocando, quod opus erat alio qui responsum ad nos referret.

Ast opus est alio tibi qui mandata reportet.
Hic semel hoc mensus non remeabit iter.

4. *Cum interierit non sumet omnia.*

5. *Mortuum diutem sui abyciunt. & exhorrescunt magis, quàm dæmones omnes.*

4. QVIDAM inducit diuitē iactantem se de opibus suis apud quendam, eique sacculos plurimos ostentantem, qui vulgò apud nos dicuntur *groppi di denari*, hoc est, nodi vel glomi nummorum. eo quod sacculi sint colligati. cumque inter loquendum subiratus homini illi dixisset vulgatum illud, an nescis, *che tutti i groppi vengon al pettine*? hoc est, omnes nodi deueniant ad pectinem? ille subdidit, *vi vengon anche i groppi de' denari*. hoc est, etiam nūmorum nodi eo veniūt. quasi diceret ad mortem deueniunt diuitis, nec vltra valent transilire, vt de tuis sacculis eueniet. Adeo arcta est semita, vt ne obolus quidem cum anima pertransire possit, cum huc deuenerint nodi, tunc tela succiditur diuitis. Vel dic, nodos huiusmodi cum eo peruenerint, moriente domino auaro, sæpè dissolui à prodigo herede, sicut staminum nodi solent dissolui, si possunt, cùm ad pectinem ipsum peruenerint.

Alea rerum humanarum vocatur præsens sæculum à sapientibus, ob rerum inconstantiā, præsertim opum at punctus vnus in ludo aleæ, ingentis summæ & longo tempore cōparatæ sæpè iacturam facit. sic punctus vnus temporis, nempe mortis, in alea vitæ nostræ sæpè aufert pluribus annis & laboribus conquisitas opes. nā *in puncto ad inferna descendunt. cum interierit, nō sumet omnia*. hoc est deperdet omnia in eo puncto, quo interibit, in fine ludi illudetur. nec solum perdet ludum, sed etiam ludentem, nempe se ipsum. *perche quando si more, si perde il gioco, è insieme il giocatore.*

5. Psal. 48. cum sermo esset de defunctis diuitibus, dicitur *Auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum.* Psal. 48. communis expositio *auxilium eorum* interpretatur robur corporis, & bonam habitudinem. vnde Chaldæa legit *corpora eorum*, Simon. apud catenam Barbari legit, *Fortitudo eorum tamquam infernus ab honoratâ domo eorum.* supple, expulsa est post mortem ipsorum. verbum enim expellendi addūt Cassiodorus, & Arnob. *expulsi sunt à gloria eorum*. hæc Lorinus hoc loco. Attende igitur eū, qui paulò ante in honorata domo adeo colebatur, & timebatur, statim ab eadem domo expelli, quasi esset ipsemet infernus, & dæmonum omnium cohors horribilis, *come se fosse il trenta paia di diauoli.* Quòd si casu diues non perfectè mortuus, aut supernaturaliter resurgat, & ad suos redeat;

illi tamquam dæmone viso aduersus illum signo crucis se muniunt, & tamquam spectrum auersantur. De ijsdem diuitibus ibi dictum *Sicut oues in inferno*, &c. de qua re audi quæ sequuntur.

2. *Mors vbera diuitum arefacit, nedum emungit, vt scilicet nequeāt amplius acquirere lac opum, vel voluptatum mūdi.*

2. CAPRIMVLGVS est animal sic appellatum, eo quòd noctu ingrediens in caulas caprarum, lac sugat ab eis. sed ita sugit, vt vbera arefacta amplius non valeant lac gignere. alij addunt, eo quòd fortè nimis emungens eliciat sanguinem; inde eas mori. hoc animal Plin. lib. 10. cap. 40. vocat furem nocturnū, vbi de ipso agit. hæc ex Aldrouando libr. 8. de auibus. Cetera infortunia, vel homines, emungunt aliquando nos opibus spoliando: sed non arefaciunt vbera, non auferunt facultatem iterum adipiscendi. Mors verò est caprimulgus, qui cum lacte etiam elicit sanguinem, arefaciens vbera, hoc est facultatem etiam auferendo acquirendi iterum lac diuitiarum.

Plin. l. 10. cap 40. Aldr. l. 8. de auib.

Caprimulgus vocatur à Plinio *fur nocturnus*. Sicut autem dies iudicij aduenit sicut fur nocturnus; ita & solet aduenire mors ipsa. Psal. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos*. id dictum eodē Psalmo, quo dictum est non descendere cum diuitibus opes. Illud *in inferno*, potest etiam in sepulchro intelligi, vt sæpè accipitur hæc vox in Scriptura. Alij legunt, *Mors pastor est eis*. Alij pastores emungunt solum lac: at iste pastor caprimulgus est, qui depascit carnes, & ossa etiam caprarum, vt patet in corruptione sepulchri, quod tandem neque ossibus parcit cadaueris. Mors est ex Principibus & pastoribus illis, qui comedunt oues suas. ergo hi prælati sunt consanguinei mortis, imò sunt mors. nam *mors depascet eos*, hoc est oues suas depascit, sicut illi faciunt.

Psal. 48.

Quod dixi de lacte opum, potest dici & de lacte voluptatum carnalium. aiunt carnales, *Ede, bibe, lude; post mortem nulla voluptas*.

3. *Mors æquat omnes.*

3. MORS *sceptra ligonibus æquat*. tumuli à tumore humi appellati. tumuli ergo, qui inæqualitatem in terra efficiunt, ijdem faciunt æqualitatem in terra. inæqualitas in tumulis, est æqualitas in tumulatis. diuersi sumus in nomine, ijdem in homine: varij in habitu, similes in obitu. Congruit funeri nomen exequiarum; quia nos exæquāt. terra mater communis omnes in se accipit personas; & tamen personam non accipit. imò personas detrahit à personatis, terminatā iam huius vitæ & inconstantiæ fabulā, in quā ille regis, hic serui sustinuit partes. Plures personati incedunt per viam, sed domum ingressis domestici detrahunt eis personas. ibi agnoscuntur qui sint. *Sepulcra eorum domus eorum in æternum*. ibi mater nostra terra, ibi consanguinei defuncti personas à nobis detrahunt. ibidem enim dici-

de mortuo. *Introibit vsque in progenies patrum suorum.* scilicet in tumulum.

Vide quæso quantâ pompâ diues ille sepeliatur, indutus purpurâ, & serico amictu. accede post mensem: & videbis matrem & agnatos eius ipsum spoliasse. ita vt nec inter mortuos securus sit diues à latronibus. vel dicendum ipsos vestem ei imponere similem suæ. nam *operimentum ipsorum vermes*, seu puluis. *lo veston della liurea loro.* Non agnoscebas certè quis esset ille tam gloriosus, & diues: putabas gloriam, putabas nobilitatem eam; quæ lutum est, & vermes. at modo apparuit quod dicitur Macha. 1. 2. *Gloria eius stercus, & vermis est.* non dicit erit, sed est. quia *quod parum abest, nihil abesse putatur.* iā iam videbis in tumulo, qui modo est in tumore. A verbis ergo viri peccatoris ne timueris, quia gloria eius, &c. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo.*

Macha.1. 2.

4. *Mors detegit quales simus.*
5. *Eadem quasi religio monachorum pares efficit differentes in sæculo.*

4. TVNC cognoscitur quid sit homo, cū exit à vētre, & iterum intrat in ventrem, nempe terræ matris. quia tunc nudatur materialiter, & moraliter. vnde dicitur à Iob, *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, hoc est in ventre terræ vnde sum genitus, & quæ idcircò mihi est mater. in his enim rebus apparet vilitas, & conditio nostra. vnde dixi, quòd ex natiuitate, & morte cognoscitur homo. Quantūuis regali & aurea veste indutus, gemmisque ornatus intret Imperator aliquis sepulchrum, tamen potuit dicere, *nudus reuertar illuc.* nudus etiam est per mortem, quia tunc apparet, & nuda fit cunctis conditio eius. apparent pudenda, & erubescenda vilitatis eius. quando propter vim morbi, & mortem iam est mutatus ab illo; quando præ tabe non est agnitus vultus eius; tunc est agnitus. quando amplius non est homo, tunc cognoscitur homo. quando per sepulturam contegitur, tunc detegitur. Iure clamat ille, *Mors sola fatetur quantula sint hominum corpuscula.* exprimit confessionem ab homine de conditione eius potius funis, quo suspenditur, & necatur; quàm funis, quoad extorquendam veritatem torquetur. quia *mors sola fatetur*, vt inquit ille, quid sit homo.

5. Status Religiosus est symbolū mortis, & sepulchri. vnde in professionis ritu prosternitur religiosus quasi mortuus. in vtraque hac morte homo relinquit omnia, quæ possidet. sicut ergo aliquis diues & felix, & alius pauper ac ignobilis eandem aliquando ingrediuntur congregationem, & subito inuicē pares, & fratres efficiuntur, vt etiam hoc nomine nuncupantur: ita & in eodem puluere humilitatis, seu humilis status, in hoc sepulchro quiescunt à tumultibus vitæ sæcularis, eodemque operimento abiectionis, quasi vermium conteguntur. puluis enim, & vermis in Scrip. accipiuntur pro statu humili, & conditione vili. Vel etiam adde, ambos illos Religiosos in eodem,

dem, vt vocant dormitorio cubare, & stragulis, seu operimentis similibus ijsque rudibus contegi. ita diues,& pauper morientes,vtrique tamen eodem in puluere iacent,& vermibus operiuntur. id repræsentare videtur quod apud nos moris est, vt diues, per mortem videatur induisse habitum pauperem religionis, & sic par ac frater Religiosis effectus sic Iob. 21 23. *Iste moritur robustus, & sanus, diues & felix*, &c. *alius moritur in amaritudine animæ absque vllis opibus, & tamen simul in puluere dormient, & operient eos vermes.* antea diuitem operiebant vermes, nempe Serici, per opera sua: modò vtrumque operiunt vermes se ipsis.

Iob. 21. 23.

2. *Mortis metus quanta pariat bona.*

2 QVAM prosit mortis metus, ostendit id, quod habet Sabel. libro 20. imperij occidentalis. ait enim anno 557. Iustiniano imperante Costantinopoli media nocte omnia domorum fundamenta concuti cœpisse; & paulo post terram stridorem, seu mugitum horribilem edidisse, quod timorem ingeminauit. omnes repentè ciues è stratis prosilientes, & quasi impotes animi cum matronis, ceteraque turbâ, è domibus fugientes in vnum commixti sunt eiulantes,& mortem sibi iam imminētem existimantes. quædam domorū tecta ita dirupta sunt, vt sub illis stantes cælum viderent, & tamen iterum in vnum ita coire, vt nec vestigium appareret prioris scissuræ. plures corruentibus ædibus oppressi sunt, & necati. manè facto, in vnum cōuenere omnes, sese mutuo cum stupore intuentes, & simul complectentes, quasi non amplius se inuicem visuri. decem dierum spatio perdurauit terræmotus, omnesque sese ad supplicationes Deo faciendas conuerterunt. Imperator die Natiuitatis Domini absq; Imperiali diademate per vrbē progressus est. quæ in conuiuia expendere solebat, pauperibus erogauit. cœpit in vrbe iustitia exerceri in tribunalibus, in negotijs, & contractibus æquitas. lasciuiæ & turpitudines omnes in exilium missæ. multi relictis opibus, & honoribus solitariam, piamque vitam suscipere, recedentes à sæculo. maiores ciuitatis noctu ciuitatem obambulantes quærebant pauperes & miseros, illos pascentes & induentes. Hæc omnia ibi Sabellicus.

Sabel. lib. 20.

Sicut habitatores illius regiæ, & deliciosæ vrbis dormiebant,& in tenebris erant materialibus, ita bona ex parte in somno peccati, & accidiæ, & in tenebris peccatorum, ac cœcitatis in diuinis rebus versabantur. vt ergo excuterentur à somno, concussit Deus illos, & fundamenta terræ illius, concussit illos ea tribulatione iuxta illud Psal. 81. vbi, Psal. 81.
cum ad iustitiam seruandam (cuius rei in ea vrbe erant rei, quantum colligo ex allatis verbis historici) hortatus esset, & ad pauperum curam, dicendo; *Iudicate egeno, & pupillo, humilem & pauperem iustificate, eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* nolentibus illis à somno excitari his vocibus, subdit: *Nescierunt, atque intellexerunt, in tenebris ambulant. mouebuntur*

tur omnia fundamenta terræ. en casus noster quasi depictus. Nolebat arbor illa dare fructum suum in tempore suo. concussit illam vehementer & quasi baculo percussit ramos eius tunc dedit fructus operis boni, & eleemosynæ. Quoties concutit domos nostras, scilicet familias periculis, tribulatione, amissione opum: & tamẽ in hoc terræmotu dormimus, neque etiam ipsâ ciuitate sic concussâ, infortunijs, expergiscimur. cur hæc, nisi quia non solum dormientes, sed mortui sumus? experrecti sunt viui in illo motu terræ, nunquid surrexerunt mortui? sed vtinam huiusmodi terremotum excitet Christus, vt egit in morte sua, quo petræ cordium obduratæ scindantur, & mortui resurgant.

Concludamus de vnoquoque nostrûm dici posse illud à Saluatore de se dictum, accommodando ad rem nostram, nempe: *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* nisi homo se quasi mortuum faciat, in foueam mortis per meditationem se ipsum sepeliendo, vel tamquam arborem plantando; non dabit fructum.

MORS PATIENTER FERENDA NOSTRA, ET NOSTRORVM.

2. *Mors libertatem affert.*
3. *Non timenda, nec ex desperatione expectanda.*
4. *Ridentur fictè deflentes viros suos defunctos.*
5. *Cur non nimis flendus mortuus.*

2. VIS *me liberabit de corpore mortis huius?* Seneca lib. de ira, cap. 15. putabat licere sapienti mortem sibi inferre in aliquo casu. vnde ait ibi: *Vides illum præcipitem locum? illo ad libertatem ascenditur. vides illud mare? vides illud flumen, illum puteum? libertas illic in imo sedet. vides illam arborem horridam, infelicem? pendet inde libertas. vides iugulum tuum? guttur tuum? cor tuum? effugia seruitutis sunt.* mox: *quæris quod sit ad libertatem iter? qualibet in corpore tuo vena.* Digna hęc; si de morte passionis, non electionis intelligantur. nam antiqui & voluntariè ascitam, laudabilem putabant. Senec. lib. de ira cap. 15.

Extat versus Euripidis circa hoc. *Quis non est seruus, cui moriendi cogitatio nulla?* hoc carmen citat Cicero 9. ad Atticum, & Plutarcus de legendis Poëtis, & Clemens IV. Stromatum, qui id exemplis declarat pueri Spartani capti à milite Antigoni, cui iubente hero, vt sibi in sordido quodam ministerio, quod seruorum erat proprium, ministraret, ille clamans *non seruiam*, caput parieti illisit, & perijt. & exemplo mulierum Dardanarum, quæ in amne filios suffocarunt, hoc elogio addito: *Non seruietis.* & Calani Indi respondentis Alexandro mortem minitanti: *non compelles inuitum facere, quod nolim. Durissimum tormentum est ignis, at eo nos superiores sumus.* quæ etiam citat Seneca epist. 78 & Philo libro Quod omnis probus sit liber. Hæc illi in igno- Cic. 9. Sen. epist. 78.

ignorantiâ infidelitatis. tamen inde discamus mortem à Deo immissam æquo animo pati.

Cel. Calcag. in dict. Mor. 3. Celius Calcagninus in dictis moralibus: *Ea vitæ ratio & constantia tenenda, vt mors neque timeatur, neque expectetur*, hoc est expectetur per impatientiam malorum. vt in priscis sæpè accidit.

Mors charorum patienter ferenda, quamuis in vita magni fuerint virtute, aut aliâ re. Quidam in epitaphio viri excellentis, dicit, Cælum cum terrâ contendisse, quisnam ipsorum tantum virum possideret. tandem Deum litem diremisse, partem alteram terræ, alteram cælo concedendo. *Placita erat Deo anima iusti: propter hoc properauit*, &c. in obitu eius, qui ritè obijt, hæc dicamus ad solatium nostrum.

4. Ait quidam de nimium lugentibus mortuos, & quasi ad ostentationem (vt aliquando viduæ defunctos viros.)

Sunt quibus iste dolor potius dolus esse videtur.
Et dolus in fictis occulitur lacrymis.

Dum nimis flendo defunctos suos ostendere gestiunt dignos fletu, se potius ostendunt dignas risu. præsertim cum aliquando illæ immoderatè defleant viros, quæ sæpè fleuerunt, eo quòd ipsos flere non poterant. hoc est, cernere non poterant defunctos. Ab his sæpè extorquet lacrymas non funus sed fumus; non tumulus, sed tumor. eorum fletus est potius flatus, quo tument, quàm fletus quo plorant. planctusq; ipsarum tam in congruis gestibus, & comarum scissione atque eiulatu vocis exercetur; vt exitus spiritus à corpore viri censeatur fuisse introitus spiritus dæmonis in corpus vxoris. Dumque deflent, quam vocant viri tragœdiam; exhibent spectatoribus comœdiam. maximè quia fletus ille sæpè reputatur *fletus sub personâ* potius, quam verus; & in huiusmodi tam mulieres, quàm viros effeminatos, qui in hoc casu se præstant Heraclitos, cuncti alij se faciunt Democritos. seminant in lacrymis, & metunt risum.

5. Si defunctus vir bonus extitit, laudem potius quàm fletum exposcit. Si verò vanitati, & voluptatibus deditus fuit; etiam mortuus videtur quasi respuere quæcumque nimis tristia sunt, & flebilia, vt adhuc suum retineat institutum. In huiusmodi cecinit quidam Poëta:

Hinc procul ite dolor, gemitus, suspiria, luctus:
Ad vestros mores non facit iste locus.
Hoc quia sunt tumulo risusque iocusque, salesque,
Qui pariter Lepido commoriere suo.

commortuæ, & consepultæ voluptates cum suo Lepido (sic vocat amatorem illum vanitatum & deliciarum) respuunt fletus, & dolores tanquam hostes.

Ecclesiastici 22. *Modicum plora super mortuum; quoniam requieuit.* Eccl. 22. Ægyptij bouem, Apim nomine, pro Deo habebant, adeoque venerabantur, vt cum stomacho legerim transeunte illo adstare solitos viros plures cum argenteis thuribulis incensum ei adhibentes, & ipsa etiam immũda eius excipi solita in vasis argenteis. vide

Thea-

Theatrum vitæ humanæ de hac re, vbi etiam habetur, eo mortuo iustitiam indici consuetam in totâ Ægypto,& homines scissis vestibus, tonsione capillorum, percussione pectorum ipsum deflebant. sciebant quidem ipsum fuisse bestiam: tamen quia eũ colebãt, hoc pacto deplorabant. Ita accidit non raro, vt moriatur hic, vel ille tibi sanguine coniunctus, qui tamen nequam, & bellua quædã fuit sub specie hominis. tamen tu, & familia tua immodicè eum ploratis,& inauditis eiulatibus plangitis. cur hoc? certè quia hanc belluam colebatis, velut idolum adorabatis. in eo spem collocarat vnusquisque vestrum. nimia ergo affectio, in causa est immodici planctus.

Theat. vit. hum. pag. 3930. nar. ann. Dom. 1578. Theatrum vitæ humanæ, pag. 3930. narrat anno Domini 1578. Bacnæ, dum mater, paruulum filium lauat, audit clamorem alterius filij: accurrit, & reperit eum in gladium incidisse, vnde & necatus est. conuertit se ad priorem, & inuenit demersum in aquis. pater superueniens, & impotens sui effectus, vxorem interficit. mox se ipsum præ dolore,& impatientia suspendit. En fructus impatientiæ ob natorum mortem. *Modicum* ergo *plora super mortuum, quoniam requieuit.* Acutè quidam ait, *Præstat deflere filiorum mortem, quam vitam*, hoc est vitam improbam.

Te angit mors tua, vel tuorum? dico, quod si doles de ipsâ, doles de Dei misericordia: quamuis enim tibi immortalitas in hoc miserabili corpore concessa esset: tædio victus tandem mortem exoptares. id significarunt prisci sapientes: aiunt enim, vt testatur Lucianus in dialogo mortuorum. Chironi cuidam à Dijs facultatem semper viuendi factam fuisse. vixit ille plurimis annis. tandem tædio affectus rerum, & seruitutis perpetuæ vitæ huius (vt sunt, semper mutare vices vigilandi, dormiendi, diei ac noctis,&c.) petijt, & obtinuit, vt moreretur. *Modicum plora super mortuum. quoniam requieuit.* Sabell. lib. 2. ex Suet. ait, mortuo Germanico, eo quod carissimus erat Populo Rom. lapidata fuisse templa, euersas aras. quidam etiam Deos Lares, qui domi seruabantur foras eiecerunt. Blasphemans, vulgò dicitur demoliri aras: *tirar giu li altari.* hoc ergo faciunt in morte charorum. dumque Deum vt iniustum accusant; quantum in se est, euertunt eius templa, & aras. quia adoratione quasi indignum significant. *Sabell. lib. 2. ex Suet.*

IVDICIVM TEMERARIVM.

2. *Mundani iustos iudicant carnales, & sui similes.*
3. *Culpa vnius sæpè alij attribuitur. Pœna temerè iudicantiũ.*
4. *Suspiciosi felibus similes.*

2. VIDEBIS hominem sanctum, qui totus spiritualis est in cõuersione, suâ, alienusque à carne, & sanguine in affectibus suis. tamen mundanus homo, qui alios iudicat

dicat ex ſemetipſo, quidquid ille iuſtus operatur ſpiritaliter, putat ex carnali fine, ſeu temporali intereſſe procedere. & ſicut pictores dum volunt animam, ſeu ſpiritum pingere, hunc corporalem repræſentant; ſic mundani, ſicut neſciunt concipere in mente ſua niſi carnem, ita ſi loquuntur cum alijs de perſona aliqua ſpiritali, qualem deſcripſimus, eam verbis depingunt tanquam carnalem; ſcilicet, quia eam iudicant ex ſemetipſis. Eccleſiaſtes 10. 3. *In via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.*

Eccleſiaſt. 10. 3.

Verè enim dicitur, *Quidquid recipitur, recipitur ad modum recipientis*, vt in caſu prædicto. & vulgus iuxta affectionem, ſuam aliorum facta ſolet interpretari. Cuſpinianus apud Zonaram ex Theatro, pag. 2185. dicit: captâ Româ ab Alarico Gothorum Rege, cum nuntius plorans id Honorio Imperatori nuntiaſſet, is, quia in delitijs habebat gallinam quandam; cui ob corporis proceritatem *Romæ* nomen indiderat, hanc ratus captam, ait, quomodo tam ſubito capi potuit, quæ modo inter genua mea requieuit? ita, dum ſapientes & iuſti agunt de rebus magnis, & ſpiritalibus; qui peccatores, & carnales ſunt, hæc omnia carnaliter accipiunt iuxta affectum ipſorum. Si verbi gratiâ, virgo loquatur de ſponſo animæ ſuæ; putabunt loqui de ſponſo terreno. ſic olim Agnes, cum dixiſſet amatori, ſe ab amatore alio, & ſanctiſſimo præuentam; ipſe zelotypiâ in eum exarſit tanquam in hominem.

Cuſpin. apud Zonar. ex Theatro, pag. 2185.

3. Maiolus tomo 2. colloquio 3. Malefici, inquit, vt furem detegant alicuius rei, ſolent per certam magiæ operationem inter alios modos huic rei inſeruientes, eruere oculum furi, vt illo priuatus apparens, agnoſcatur. cum autem quidam Guſcrouij cochleare argenteum ſibi furto ablatum comperiſſet, forſitan putans furem fuiſſe aliquem è famulis, impetrauit à malefico, vt excuſſo oculo fur detegeretur. at ecce filius eius oculo eruto apparens, oſtendit falſo attributum fuiſſe furtum famulis. en igitur quam falſa ſæpè iudicia, & quam iuſtè etiam hic punita. Sæpè filij comedunt vuam acerbam, hoc eſt furantur, vel aliud ſimile domi agunt, & dentes famulorum obſtupeſcunt. ita miſer ſeruus poteſt dicere, *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* quia cogitur ſoluere, vel per mercedem ſuam ſibi non redditam, vel per pœnam inflictam corpori, valorem rei non ablatæ. Vide etiam auaram crudelitatem. Oculo, re totius corporis pretioſiſſimâ, luit cochleare aut bracteam aliquam argenteam. Deut. 19. 21. *Oculum pro oculo,* præcipit exigendum, & *dentem pro dente.* at quia argentum licet exiguum eſt auari oculus, & lumen oculorum eius; ideo oculum pro oculo exigit.

Maiolus tom. 2. coll. 3.

Deut. 19. 21.

4. Qui facilè & irrationabiliter malè ſuſpicantur, videntur ſimiles felibus: quibus ſi appropinquet etiam imperator dum catulos nutriunt, vel dum murem ore tenent, ſubito iraſcuntur, & ſtrident, putantes eum velle auferre ipſis catulos, vel murem, cum tamen ille quidvis aliud cogitare queat quam hoc. felis eſt

 ſym-

symbolum stulti. vulgò enim dicimus, tantum cerebri habet, quantum felis. sed Ecclesiastes 10. 3. dicit, *Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* quasi dicat, cum felis sit, omnes æstimat esse feles, & raptores. adagium apud nos est, (a) *Pensa il ladrone, che tutti sian di sua conditione.* felis autem furis etiam est symbolum, quòd vnguibus polleat. ideo felis stridet, seu obmurmurat contra quoscunque, dum murem ore tenet, quasi feles etiam homines æstimet. sic stultus in via dicitur æstimare omnes stultos, hoc est ignotos etiam, & exteros quoscunque prompte dijudicat. ita dici solet, qui furtum committit, vnum crimen incurrit: qui patitur, centum. quia de plurimis iudicat, quod furti illius auctores fuerint. quod si non simul iudicet de illis, saltem successiuè sæpè id facit, primo de vno, postea de alio. leuia & varia iudicia, leuia & varia gignunt in eis iudicia. Quadrat ergo suspiciosis istis illud Apost. Rom. 2. *In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas. eadem enim agis quæ iudicas.*

Ecclesiast. 10. 3.

(a) Existimat latro omnes esse latrones.

Rom. 2.

2. *Temerè iudicans est iudex, reos absque processu furcæ adiudicans.*
3. *Idem sic iudicans se regem facit stultorum. Super Papam se constituit.*
4. *Etiam super Deum, & Angelos.*
5. *Peccator cæcus est, & tamen iudicat de colore.*
6. *Iudicium de internis Deo reseruatum.*
7. *Suspiciosus ex minimo infert maxima.*

2. SED *& in via stultus ambulans,* cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Hieronym. *Stultus, vt ipse peccat, omnes peccare similiter, atque ex suo ingenio vniuersos iudicat.* non solum reos iudicat omnes iste iudex, & si ipse fur est, iudicat fures; sed iudicat reos, & fures adeo notorios, & insignes, vt absque vllo processu sint damnandi, & suspendendi. ita enim vulgò dicitur de huiusmodi sceleslis. (b) *Egliè vn, vn ladro d'appicar senza processo.* tales inquam iudicat quo ad effectum, dum quasi aliud agens, & etiam ambulando per viam sine alia cognitione eos, quantum in se est, damnat infernali furcæ, nedum terrenæ, dum peccatores æstimat. neque id agit alio processu, quàm pedum suorum, quo procedit per viam, & verè processum in pedibus habet, dum negligit, & contemnit, seu pedibus conculcat debitum examen causæ proximi, quasi processum eius; & ad sententiam ferendam temerè procedit. sed dicendum huiusmodi iudici, *In quo iudicas alterum, te ipsum condemnas.* nam dum iudex adeo temerarius est, vt quoscunque absque processu suspendat, se absque processu dignum, qui suspendatur iudicat. dum, vt Hieron. ait, *ex suo ingenio vniuersos iudicat,* vtique stultos; se ipsum ideam, & typum stultitiæ, & stultorum nolens æstimat, seu iudicat. nam omnes ad sui normam exigit.

(b) Fur est, absque causæ cognitione suspendio dignus.

3. Cum stultus hic omnes iudicet, se facit omnium Regem. nam Regum est iudicare de subiectis. at cùm omnes stultos iudicet; se etiam nolens regem stultorum iudicat. quæ enim maior stultitia, quàm miserum homuncionem, & præsertim insi-

insipientem, se facere non solum Regem, sed plus quàm Reges omnes, plus quàm Pontifices Summos, & totam Ecclesiam: nam non solum illi, sed neque *Ecclesia iudicat de occultis.* vnde si excommunicat hæreticum; non excommunicat hæresim merè mentalem, nullo signo externo indicatam. Solus stultus hic iudicat de occultis, cùm sine sufficientibus signis alios iudicet.

4. Imo plus quàm Deum se facit hic stultus. quamuis enim Deus iudicet omnes, tamen omnia nuda sunt oculis eius, & infinita pollet sapientiâ. at iste, cùm homo, & insipiens sit, & occulta sibi sint hominum corda; tamen præsumit facilè, & subito de omnibus iudicare. præsumit ergo saltem factis ipsis, tantum posse stultitiam suam, quantum Dei sapientiam. de Christo iudicante dicitur, quod *iudicium sedit, & libri aperti sunt.* at iste non sedendo, sed per viam ambulando prætendit legere libros nondum apertos, (cum neque libros apertos fortasse legere sciat) præsumit inquam legere libros, quos nec Angeli legere sciunt, nempe conscientiarum, cùm neque eos, quos pueri legunt, sæpè legere valeat. *Apoc. 10.*

5. In Republica habentur aliqui æstimatores variarum rerum, seu mercium, prout variè periti sunt in ijsdem rebus. ridiculum autem esset, si cæcus se picturarum æstimatorē publicum profiteretur, vel agricola librorum. at quomodo non ridiculum est stultum hominem se facere æstimatorem sapientię, seu ingeniorum? & tamen, vt vidimus, cum stultus insipiens sit, omnes stultos æstimat. Ælian. 2. de varia historia dicit, Alexandrum in Zeuxis officinam ingressum quadam die fuisse: cumque laudaret aliquas picturas, alias verò vituperaret; pueri Zeuxis à tergo eius sese mutuo aspicientes, non poterant se à risu cohibere, videntes quod laudaret illaudata vituperaret verò pulchra. erat enim cæcus iudicans de colore. ita ergo stultum est insipientem de sapientia, vel iudicio hominum iudicare. *Ælian. 2. de var. Hist.*

6. Brus. libro primo, cap. 10. Apelles, inquit, solebat exponere picturas suas transeuntibus inspiciendas: ipse latitans audiebat, quid de ipsis pronuntiarent. sutor quidam dixit astantibus, calceo imaginis indicato, hic est mendum, & expressit errorem. Apelles cum correxit. at cum postridie idem errorem in crure animaduertere se diceret; pictor stomachatus ait, *sutor vsque ad crepidam.* quod deinde abijt in prouerbium. de calceo, vt ita dicam, potest iudicare homo, de his nempe quæ infima sunt, qualia sæpè sunt quæ apparent. at quia etiam ad maiora vult pertingere, & quæ excedunt eius artem, nempe ad interna animi; **audiat** sibi dictum, *Sutor vsque ad crepidam.* nam vt primo Reg. 16. 7 ***Homo enim videt ea quæ parent: Dominus autem intuetur cor.*** Deus dicitur scrutari renes, & corda. Hæc est venatio Principi reseruata, in qua animalia insigniora habitant, quæque ipse tantum scrutari valet. nam Ier. 17. 9. *Prauum est cor hominum, & inscrutabile; quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* *Brus. l. 1. cap. 10.* *Reg. 16. 7.* *Ier. 17. 9.*

Cor eſt labyrinthus inextricabilis. Deus ſolus habet filum velut illud Ariadnæ,hoc eſt cognitionē, & vim ſcrutandi illum. Cor eſt lignum, quod eſt in medio Paradiſi,& eſt lignum ſcientiæ boni, & mali,quatenus per cor iſta ſcimus. hoc ſibi reſeruauit Deus. cetera hoc eſt externa tibi reliquit. ſi de illo comedas, morte morieris in quacumque hora comederis: & vero Paradiſo ſpoliaberis, ſi in iudicio mortaliter peccaueris.

7. Cor eſt metropolis inter corporis membra, ſeu in Regno hominis. Princeps autem cetera loca Regni ſui alijs regenda,& iudicanda tradere ſolet; metropolim tamen ipſe inhabitare, regere, & iudicare, ſic Deus ſibi cor reliquit iudicandum. *A fructibus*,inquit,*eorum cognoſcetis eos.* opera externa iuriſdictioni tuæ ſubdit. ſed nota. non dicit à floribus, vel à folijs,ſed *à fructibus*,quia aliqui ex nutu aliquo, ex verbulo parum conſiderato ſiniſtrè judicant de corde hominis. ſi videant aliquem oculos caſu tollere ad feneſtram, vel in aurem ſocij quippiā inſuſurrare; ſtatim concludunt,iam reos conuictos faciunt, vt abſque alijs teſtibus poſſint appendi. apud ſe ipſos diſcurrunt de viſis,& auditis illis minimis: & quaſi ex grano ſinapis, quod erat minimum,ſtatim feracitate ſoli cordis eorum ad talia ſemina germinanda, arborem producunt. *Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.* at hîc, *parturiet mus naſcentur magni montes.* nam, vt dicitur, ex leuibus illis indicijs, infert *maria & montes.* hi montes ex muſculo nati. lapis ille exiguus, qui ſtatuam percuſſit, in montem factus eſt magnum. ita etiam in caſu noſtro, vt eſt in Prouerbio, *De muſca faciunt elephantem.*

A fructibus eorum cognoſcetis eos. vis cognoſcere cor? illud aſpicies in manibus, hoc eſt in operibus. nam Eccleſiaſtes 18. *Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* Eccleſ.18. præter expoſitionem à nobis alibi huic loco attributam,Hieronymus,Bonauentura, Olympiodorus, & alij ſuis interpretationibus huc tendunt, vt per *dexteram* virtutes, per *ſiniſtram* vitia intelligant. ita ergo à manibus, & in manibus agnoſcitur cor. Dicebat quidam, à facie ſolere homines cognoſci; tamen à manibus ſe amicos ſuos cognoſcere, hoc eſt à beneficentiâ.Non amicus,ſed inimicus homo eſt, qui manus humanas non habet, ſed ferinas, hoc eſt vngues feræ, aut vulturis rapacis. inimicus homo in parabola zizaniæ explicatur à Chriſto eſſe diabolus. at hic depingitur quidem aliquando vt homo,ſed pro manibus humanis habere videtur vngues ferinos, ſeu rapaces. inimicus ergo eſt homo potius, quàm amicus; ſeu diabolus potius, quàm homo; qui manus non habet humanas, hoc eſt benignas ad benefaciendum proximo,& amico, ſed potius ferinas ad nocendum, & rapaces ad auferendum, & accipiendum tantummodo ab eo. Dextera etiam ſignificat beneficentiam, ſiniſtra rapacitatem, ſeu auaritiam. in Euang. audis, *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*,hoc eſt eleemoſynā illius. ergo cum in hac re maximè dignoſcatur homo,iuxta illud, quod

Lydius

lydius lapis est auro, id aurum est homini; ideo *cor sapientis* agnoscitur, & videtur *in dexterâ eius*, quia ibi est; *& cor stulti in sinistra illius.* ideo Chaldæus hunc locum sic habet. *Cor sapientum incumbit ad acquirendam legem, quæ data est manu dextra Dei, & cor stulti ad acquirendas facultates.* adde tu, quod opponitur auaritia legi Dei, quia illa in charitate proximi potissimum sita. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* alluditur à Chaldæo

Deut. 33. 2. Deut. 33. 2. *In dextera eius ignea lex.* est in dextera, & ignea per amorem.

Psal. 118. sic Dauid Psalm. 118. opposuit legi auaritiam, quasi dexteræ sinistram, *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* quasi diceret fac me habere cor in dextera, non in sinistra. cor stulti est in læua eius: in *læua* Latinè, & in *leua* Italicè, quia, vt dixi, cancrum habet in manibus, vnde rapiat, & retineat, quod apud nos dicitur, *leuar, e tener.*

Qui citò credit, leuis est corde, vt est

Eccles. 19 Ecclesiastici 19. De credulis, & temerè iudicantibus, dicitur vulgò, quidquid noctu somniant, id ratum habent. quod si tu eis nocueris in somnio, id in te vlciscuntur in veritate, sic Trogus & Herodotus (apud Rauisium in officina de interfectoribus fratrum) dicunt, quod Cambysi Persarum Regi visus est per somnium nuntius adesse dicens, Mergidem fratrem eius sedere in solio Regis. Qua illa re consternatus, misit quendam, qui fratrem interimeret. sic multi, & si iniuria fit apud eos tantū in suspicione, tamen efficiunt, vt punitio fit in veritate. Applica etiam superbis, vel superbiæ iudicantium, præcipuè magnatum, qui neque in somnis se errare posse putant. & quæ sunt deliramenta & somnia Lunæ, hoc est stultitiæ, putant esse oracula Solis, hoc est Apollinis. melius sonabit, si dicas, putant oracula Solis ea, quæ sunt somnia Lunæ. Luna enim nocte dominatur, *lumen minus, vt præesset nocti.* dominatur etiam inquam tum dormientes, vt rationis vsu pro tunc priuati, lunatici ferè dici possunt.

Ambitio nec per somnium patitur riuales.

2. *Temere iudicans, ne leuis corde putetur, se stultißimum declarat.*
3. *Idem se inhumanum & belluam ostendit.*
4. *Stultum se facit, ne sit stultus.*
5. *Ex vno malo monacho totum monasterium sic iudicat.*

2. VIDE stultitiam malè iudicantis de proximo absque sufficienti cognitione, & suspicantis semper malum, vixque vnquam bene credentis. hoc, ait ille, facio, ne vel imprudens sim, vel iudicer. nam, *Qui citò credit, leuis est corde.* Sed ne sis stultus, imo vt sis sapiens, stultum te facis, & tanquam stultos apertissimâ, & inappellabili sententiâ declaratis. nam Ecclesiast. 10. 2. *Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.* quid est hoc, nisi quod ille semper corde suo tendit in beniorem partem, ad dextras, non ad sinistras interpretationes faciendas; ad pias, non ad crudeles cogitationes suscipiendas, seu admittendas? vnde statim subdit: *Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Ita quidam *Eccles.* 10. 2.

sapiens, cum à populo, cum quo agebat, sinistrâ interpretatione sua exciperentur, dicebat: *Quæ ego dexterâ manu vobis porrigo, vos excipitis sinistrâ.* Sed quamuis Ferus post Salonium accipiant prædicta à Salomone de manu dextera, & sinistra; tamen alij communius exponunt absolutè de corde propendente in dexteram, vel sinistram partem. vnde plures versiones apud Pinedam hic, habent *in dextero, siue ad dexteram, & in sinistro, seu ad sinistram.* ergo vt hic haud rectè iudicans se faciat sapientem, (a) *Si fa (se è lecito à dir cosi) canonizar per matto.* & hoc nedum à Pontifice, sed ab ore immediato ipsius Dei.

(a) Facit se (sit venia verbo) canonizari pro stulto.

Ergò iuxta adagium, (b) *venendo per lana resta tosato.* detonsus est, imo derasus, vt solent fatui. tonsurus venit vt pastor, nimirum vt homo, vt sapiens, apud quem ceteri homines sint tanquam grex. omnes enim stultos æstimans, omnes tondere, seu radere per detractionem internam, iudicium sinistrum de illis agens, voluit. at ipse tonsus est vt ouis. De cælo venerunt forfices, de cælo venit tonsor, si hæc desint in terra, vel sint ad tondendum minus vtilia, vt tonderent hanc ouem, raderent hunc fatuum, seu phrænenticum. nam & hi phrænesi ex calore febris laborantes radi solent. Campensis paraphrasis; *Tanquam ipse solus sapiens sit, obuios omnes stultos appellabit*, vocat alios stultos, cum ipse catenam trahat. Dixi tonsum fuisse vt ouem, hoc est declaratum vt insanum: dum ille alios sic tondere vult. sic enim insani tractantur. vulgò aiunt (c) *sul capo del matto ognun impara à tosare.*

(b) Petens lanam, ipse tonsus est.

(c) In stultis capite, omnes tondere dicunt.

3. Qui in agendo, in operando cor habet propitium, & benignum, is habet illud in dextera. qui in inhumanitate sibi complacet, habet illud in sinistra. rationem reddunt huius rei thesauri linguæ Latinæ; quod quæ dexterâ fiant, rectè videantur fieri, secus quæ sinistrâ. ideo sinistrum, idem est, ac nociuum, & aduersum, vt ijdem dicunt. Virg. 1. Georg. *Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.* qui ergo sinistrè sentit, sinistrè iudicat de proximo; is tamquam iudex crudelis, & infernalis, vt Rhadamantus, (licet non sit iustus, vt ille describitur) cor suum habet in felle amaritudinis, vt dicitur habuisse Simon Act. 8. 23. qui iudicauit donum Dei pecuniâ possideri. iudicauit vile, & mercaturæ materiam, quod est Diuinum. qui ibi habet cor, habet illud in inhumanitate, seu extra humanitatem, & consequenter extra rationem. nam idem est humanitas & natura humana, atque rationalitas, & homo: ergò cor in sinistra est cor stulti, imo cor feræ. Sal sibi habere videntur semper malè suspicando, hoc est prudentiam. sed non habent salis, nisi mordacitatem. non habent oleum charitatis, ideo sunt fatuæ virgines. (d) *Volendo sal, è non oglio, non han, ne sale, ne oglio. son insulsi, cioè sciocchi.* ideo stultus appellatur hic sinistrè iudicans, vt supra diximus; dum se prudentem in ea re facit.

Virg. 1. Georg.

Act. 8. 23.

(d) Volentes sal, & nō oleum; neque salē habent neque oleum. i. e. planè insulsi sunt.

4 Sapientiæ 1. 6. *Benignus est enim spiritus sapientiæ.* ergò è contrario crudelis est spiritus insipientiæ. sub-

Sap. 1. 6.

ditur

ditur statim. *Et non liberabit medicum à labijs suis.* contrarius enim est maledicentiæ, & malæ existimationi de proximo habitæ. ideo in dextera est, & in benignitate: & ideo consultum vult bonæ opinioni proximi. ergo dum te sapientem vis facere malè semper suspicando, stultum te facis. obserua, quod hoc loco cor idem valet, ac mens, seu, vt vulgò dicimus, cerebrum. at tritum est apud mediocriter peritos, cerebrum positum in felle amaritudinis (quod non est aliud quam bilis calidissima, cuius fel est receptaculum) vsum perdere rationis, vt videmus in phræneticis ex bile adurente, quæ cerebrum occupauit. Cùm ergò malignè, & sinistrè iudicans, & condemnans, cor habeat in felle amaritudinis, vt diximus de Simone; quid mirum si stultus sit, qui omnes stultos iudicat? Hæc dixi; quia hi malè iudicantes sic sæpè iudicant, ne simplices, & leues corde habeantur, seu fatui, leuiter credendo hominibus.

Dicit quidam antiquus Poëta: *Dum mortem fugeret, se Tannius ipse peremit. Nonne est iste furor, ne moriare mori?* idem dico ego, dum stultitiam vitas, stultitiam incurris. nonne est iste furor, stultescere, ne sis stultus? stultus est, qui nimis credit, sed stultus est etiam, qui nihil credit, quique desæuit in omnes. nam, cùm *Ipse insipiens sit, omnes stultos iudicat.* nonne furor est in obscura nocte, (ignorantia enim nox est) & in tenebris, in quibus latent conscientiæ, & sapientiæ hominum, in nocte inquam vibrare indifferenter gladium condemnationis in confertam turbam hominum? nonne hoc agebat Pharisæus, cum dicebat, *non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, &c.* nam iudicare Luc. 18. 11. stultos, est simul iudicare peccatores, vt Hieronym. hic exponit. quia peccatores stulti sunt, Deo teste. an parum damni facit hic gladius in manu stulti? nonne cerebrum eruit à capite omnium, nonne vitam ab eis aufert dum intellectum verum, quo viuunt (iuxta illud Psal. *Intellectum da mihi, & viuam*) quantum in se est, aufert? æstimat (vide stultitiam, & improbitatem simul) æstimat famam hominum (quæ maior est, quàm diuitiæ multæ) omnino nihil. nam in atrio aliquo domus vbi nihil omnino sit, solet ludi gladio. vulgò dicitur: (a) *Vi si può giocar di spadone.* hoc est, nihil ibi est. cum ergo, vt dixi, gladium vibret in famam hominum omnium modo prædicto, ostendit se eam nihil facere, ostendit se credere nihil virtutis inesse hominibus. stultus ipse tanquam Rolandus fingitur à poëta nostro: baculum vibrat in omnes, (b) *mena la mazza à tondo.*

(a) Ibi gladio ludi potest. de loco inani dicitur.

(b) clauã in orbem gyrat.

5 Hieronymus exponit hunc locum, dicens: *stultus, vt ipse peccat, omnes peccare similiter, atque ex suo ingenio vniuersos iudicat.* Vbi sunt, qui, si arguantur, quod non se cohibeant à fornicatione, audent respondere, *Non possum.* Nonne & vos etiam in hoc homines estis? neque capere possunt aliquem ieiunare, cum ipsi crapulentur. vide sartoris peritiam, vestem vnicuique conficiebat

bat iuxta menſuram proprij corporis. (a) *ſtà ben à me, ſtà ben à tutti.* hic calceus congruit pedi meo, congruet pedibus omnium. vel congruit pedi vnius monachi, congruet toti monaſterio. ſic, ſi titulus libidinoſi, vel auari congruit ſibi, vel convenit cuidam monacho; omnibus monachis aptare vult. omnes æſtimat libidinoſos; eo quòd vnus in hoc ceciderit; quaſi ipſi ſint ſimul colligati, vt finguntur fuiſſe pulli cuiuſdam, quorum vnum cum miluus rapuiſſet, omnes cum eo rapuit. (b) *Se ad vn calza bene il nome di dishoneſto, voglion che calzi bene à tutti.* inde collige ſtultum eſſe ſuſpicioſum iſtum, qui dum vult ſe facere Germanum, hoc eſt ſuſpicioſum, ſe facit ebrium. hæc enim duo illi nationi ſolent tribui. ebrietas autem eſt ſtultitia breuis, ſed in pluribus illorum eſt longa.

(a) Mihi conuenit. omnibus conueniet.

(b) Si vni conueniat nomen diſſoluti, omnibus id conuenire volunt, vt calceum omnium pedibus aptum.

Crudelem diximus ſupra eſſe, qui cor in ſiniſtro habet: in deterius omnia interpretatur, nulli que parcit. nolo te eſſe credulum, ſed nec volo te eſſe crudelem. nolo te vulpem, ſed neque aſinum, hoc eſt leuem corde, & ſtolidum ad diſcernendum. nec Euam te volo, nempe etiam ſerpenti mentienti credulam; nec Thomam, diſcipulis veritatem non credenti. volo te ouem, ſed ouem Chriſti, oues enim vocem eius audiunt. vox eius eſt in Euangelio. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Qui citò credit, inquis, leuis eſt corde. at tu non credens neque credenda, & cor in ſiniſtra habens manu, iuxta Salomonium ſupra; oſtendis, te leue cor habere, cum in manu illa imbecilli illud geras: & quem putas cor leue habere, habet ſolidum, & graue, nam in dextera illud continet. *Cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* tantum ſtultitiæ habet, vt illam omnibus communicet, & communicando expers eius non fiat, imo ipſâ magis abundet. Dextera, vt eſt validior ſiniſtrâ; ita quod graue eſt, ferre ſolet. cui conſiderationi hic ſupra alluſum eſt.

Cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat. ipſe peccator omnes peccatores æſtimat, iuxta Hieronymum ſupra. Si quis dicat cuidam ex his ſtultis in hac ciuitate, vel familia vir vnus eſt ſanctitate inſignis, ſiue etiam adſunt multi probi viri; reſpondet: Sancti in Cælo ſunt. & aiunt: viros probos manuũ volas piloſas habere. vel illud Hiſpanorum: (a) *Habbianlo por Santo, ma non por tanto.* non credunt prædicantibus virtutem alienam, & ſpiritalem perfectionem. quia *carnalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt.* dicunt, *credere* eſſe ſupererogationis, non debiti. non ſumus inquiunt debitores, vt ſimus creditores. Italicè, (b) *Il creder, è corteſia.* Genus quoddã annulorum eſt, in quo duæ manus inuicem coniunctæ cernuntur in ſignum fidei datæ, & vocantur *fides*, fidem ergo hi homines tantũ in manibus, & in digitis geſtant. nam dicunt, *niſi mittam manum meam in latus eius, non credam.* clamant: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad vnum.* Non vos, inquiunt nobis, magis caſtè; ſed tantum magis cautè. omnes nos agimus bacchanalia. Sed vos laruati. *noi facciam Carneuale, ma*

In 1. Reg.

(a) Habent eũ pro Sancto, ſed propterea non eſt Sanctus.

(b) Credere humanitatis eſt.

ma voi di piu vi fate maschere. Sic car-nalitates, & crapulas suas etiam castis, & religiosis hominibus obtrudere volunt.

In 2. Reg. 13. In 2.Reg.13. occisus est Ammon à seruis Absalon, & ait Scriptura, *Fama peruenit ad Dauid dicens: percussit Absalon omnes filios Regis, & non remansit ex eis saltem vnus.* Dæmon figuratus est per Absalon. hic aliquando necat per peccatum mortale vnum, vel alterum filium Regis, nempe Dei. vnum de aliqua familia, vel religione. at fama venit necasse omnes. quia si quis audiat vnum, vel alterum in ea fornicatum esse, vel quid aliud tale patrasse, iam iudicat omnes illos solitos esse illi vitio vacare. & sicut iudicat, ita & sententiam latam quasi iudex iniquus alijs publicare non timet; & ita ait, *percussit Absalon omnes filios Regis, & non remansit ex eis saltem vnus.* ex morte fratris vnius argumentatur monasterio diem Iudicij, hoc est omnium mortem. quasi, sicut *multitudinis eorum erat cor vnum, & anima vna,* per mortem vnius omnes perijssent. argumentantur, ita vt dixi, sed argumentum hoc verè in *Barbara.* verè barbarum. & vtinam post *Barbara*, sequeretur *Celarent.* vtinam celarent quod argumentati sunt, & iudicarũt apud se, & non potius buccis concrepantibus decantarent: *Absalon percussit omnes filios Regis.* non dicitur, vnus ex familia illa fecit hoc, aut illud; sed familia illa, monachi monasterij huius vel illius id patrarunt. Concludunt apud se ita esse. at non concludunt quod concluserunt, sed mille ostia, hoc est mille ora aperiunt conclusioni, vt exeat, & diffundatur per famam. nam fama describitur à Poëtis vt habens mille ora *Fama peruenit ad Dauid dicens, percussit Absalon,* &c.

Biblia Veneta vbi nostra habent, Omnes stultos æstimat legit, Dicit vnũ quemque stultum esse quia idem est stultos iudicare, & significare alijs quod iudicat. nam cor stultorum in ore ipsorum.

O iniqua absurditas, & absurda iniquitas! peccat vnum membrum in corpore familiæ prædictæ: &, quasi non esset corpus metaphoricum, sed proprium, & corporale; totum punitur, infamiâ totum castigatur. sicut si peccat manus, totus punitur homo: ita si peccat vnus, culpatur tota congregatio. in totam desæuiunt, quasi si vnum corpus materiale essent, non politicum.

Percussit Absalon omnes filios Regis. Videte zelum magnum huiusmodi hominum erga religiosos, & eorum religiosam paupertatem, & ritum in commune viuendi. cum enim illi nil proprium possideant (vnde etiam vestes communes vocent, qui arctioris sunt instituti; dicantque non meum biretum, sed *nostrum*, & ita de ceteris) isti zelatores volunt, vt peccata etiam in commune habeant, & ita nec in *Confiteor* dicant *mea culpa, mea culpa,* sed nostra culpa. non mea stultitia, sed nostra. verè zelus non secundum scientiam. (b) *Perche son dello stesso Ordine, pensan che sia nell'istesso disordine.* quia sunt eiusdem habitûs (nempe vestis) putant esse eiusdem actus. quia habent in communi victum, habeant in communi vitium, *Perche han li stessi voti, habbian lo stesso voto, cioè, vacuità nel capo.* Stultus cum insipiens sit, omnes stultos æstimat.

(a) Quia versantur in eodem Ordine, putant versari in eodem errore.

2. *Iustus omnes iustos putat. peccator malè iudicans regem se facit stultorum.*
3. *Iudicare malum de proximo, & illud dicere alteri simul in stulto incedunt.*
4. *Etiam quæ mala apparent, sæpè fallunt iudicantes, quia in se sunt bona.*
5. *Exemplum de malè interpretante.*
6. *Iudicans interna tinea est rodens mensam, nedum cibos externi operis comedens vt homo.*

2. COr *sapientis in dextera eius. & cor stulti in sinistra illius,* Caietan. hoc loco per dexterum locum digniorem, & res digniores, ad quas sapiens habet cor, intelligit, vt è contrario per sinistram contrarium accipit. dic ergo sapientem, qualis est iustus, & perfectus, cor tantum habere ad dexteram. vnde Hieron. hic, *Iustus sinistram non habet, sed totum in eo dextrum est.* omnes enim (in quantum licitè, & ritè potest) æstimat electos in dextra sessuros. & in sinistra non habet cor, vel non habet sinistrum; non habet quos reprobatos iudicet. cum stultus, & magnus peccator, contraria his ferè cogitet. nam *omnes stultos æstimat.* aliquas ex virginibus illis decem Euangelij, facit sine oleo sed omnes sine salc. omnium illarum, quantum in se est, extinguit lucernas, ne ille solus sit in obscuro. de illo enim dicitur *Stultus in tenebris ambulat.* Campensis fauet datæ expositioni de corde stulti in sinistra, dum habet: *Et tanquam ipse solus sapiens sit, obuios omnes stultos appellabit.* cùm nostra legat, *cum insipiens sit, omnes stultos æstimat.*

Vulgò dicimus, (a) *Gli par di esser Rè delli huomini.* sic de Dauid, vt de fortissimo, & excellenti viro super alios, intelligebant fortasse, qui dicebant, (cum vidissent eum in persecutione, quâ à Saul erat profugus cum ad Achis Regem solus venisset vir tantus) *Numquid non iste est Dauid Rex terræ? nonne huic cantabant per choros dicentes, percussit Saul mille, & Dauid decem millia?* tunc enim non erat Dauid in Regno positus. Regem ergo terræ, & hominum se facit stultus. quomodo? nonne Regis est iudicare populum? at ille iudicat omnes, & vt stultos catenis, & xenodoxio, seu carceri addicit. cum enim ipse æstimat omnes stultos, quid facit, nisi quod eos iudicat, & condemnat vt tales? cor igitur habet in sinistra. quia reputat omnes se inferiores. & adeo superbus est, vt etiam suum ipsius cor, hoc est mens & anima, non permittatur ipsi stare à dextris, sed à sinistris tantum. non solum ceteris, sed ipse vult sibi ipsi præstare.

3. In stultorum ergastulo aliquos audiui ex eis socium mihi digito commōstrantes, & dicentes: ille stultus est, sed ego hic immeritò iaceo. *furtim sublatus sum & hic innocens in lacum missus sum.* similia non raro accidunt inuisentibus illos miseros. Eodem ferè modo accidit stultis, de quibus agimus vt vnus alios omnes stultos æstimet, & asserat, & se ipsū sapientē prædicet. iuxta. Campensem, *Tanquam ipse solus sapiens sit,*

omnes

omnes stultos appellabit. nostra vero ait, *stultos omnes æstimat.* quia simul & semel, quod æstimant, hoc statim vt verum asserũt. (a) *Il pensar, ô sospettar, che colui sia pazzo, ò ladro, ò colei adultera, & il dirlo per certo, spesso è tutto vno.* per stultos enim, vt dixi, rectè possunt intelligi hic peccatores. sic vbi habemus, quod omnes stultos æstimat, alij relati hic à Pineda habent, *Dicit de omnibus, stultus est.*

(a) Iudicare apud se, & pro certo asserere, pænè est vnum idemque.

4. Si quis videret hominem ferri à diabolo per aërem, quis non crederet ipsum esse scelestissimum? tamen scimus Christum asportatum ab illo super pinnaculum templi, & iterum dicitur, quod *Assumpsit eum in montem excelsum valde.* ergo Ioan. 7. 14. *Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate.*

Ioan. 7. 24.

5. Paulò ante diximus cor stulti in sinistrâ, sapientis in dextrâ. quia ille in deteriorem partem, & sinistrè res iudicat, hic secùs facit. ita S. Antoninus tomo 2. hist. cap. 3. tit. 9. narrat, Iulianum apostatam per magum obtinuisse, vt sibi dæmones apparerent, at ex eorum aspectu territum, se crucis signo signasse, dæmonesque inde in fugam conuersos abijsse. laudabat hac de causa Iulianus vim Crucis. at magus inquit, Non fugiunt quod eam timeant, sed quia abominantur. Ita in deteriorem partem, iniqui, res accipiunt bonas.

S. Auton. tomo 2. hist. cap. 3. tit. 9.

6. Hoc differt inter hominem & tineam: quòd homo, si super mensam ligneam cibos videat, ex ijs comedit, ipsam tabulam præterit. at tinea, licet mensa illa sit absque epulis, mensam ipsam rodit, & comedit. Iustus, si proximus eius habeat opera mala exteriùs, ipsa improbando & arguendo (si charitas, & officium eius id exigant,) quasi dente reprehensionis, vel punitionis rodit, & comedit: si verò non cernat hos cibos, nihil ipsi cum tabulâ inferiori, hoc est, nihil ipsi cum corde, & intentione eius interna. hanc non dijudicat, de hac non murmurat, quod est mordere, & comedere, iuxta illud Apostoli, *Si inuicem mordetis, & comeditis.* At peccator, etiamsi non cernat opera quæ rodat per maledicentiam; rodit tamen ipsum cor, seu intentionem. asserit enim proximum suum, verbi gratia, si ieiunet, si eroget eleëmosynam, &c. id ex ambitione, vel alio interesse efficere. inter Phytagoræ symbola est hoc, *Cor non comedas.* potest accommodari, seu explicari in hoc sensu iuxta allatam similitudinẽ de edente mẽsam tinea.

2. *Stultus & peccator obstinatus in suo sensu prauo.*

2. COr *Sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.* sinistrum affectum habet stultus in re aliqua mala, aut falsa opinione, quia sinistrè sentit de re aliqua contra sapientem, qui partem saniorem sectatur. & tamen inde procedit, quod sequitur: nempe: *Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat,* hoc est, vt Pineda dicit, cùm insipiens sit in via, quam sectatur, scilicet in via operis, seu opinationis; tantum abest,

vt se decipi fateatur in hoc, vt potius omnes alios aliter sentientes, & aliud institutum sectantes stultos æstimet. vultque veritatem huius sensus exponi à Campensis paraphrasi, *Quacumque iuerit stultus, vecordia eum comitatur, & tamquam ipse solus sapiens sit, obuios omnes stultos appellabit.* obuios omnes, hoc est quotquot in ea re sibi obuiabunt, contrarium sentiendo, vel suadendo, quamuis sapientes sint. Adde: cum semel cor posuerit in re illa vitiosa, siue opinione insana; cum semel sociam sumpserit stultitiam; non credas, quod ad persuasionem aliquorum facilè velit violare datam fidé stultitiæ, vt eam relinquat, aliquando enim accidit, vt etiam si omnes in congregatione, vel in ciuitate ipsa sibi contradicant in ea sententia, vel mala re, quam sectatur; tamen tamquam solus ipse sapiat in hoc, omnes illos stultos appellabit, nedum æstimabit. Radix huius mali est, quia cor habet in sinistra illa re, cor habet & mentem sinistrè imbutam. qui contra illum dicit; tundit, vt dicitur, aquam in mortario, nam Prou. 27. 22. *Si contuderis stultum in pila quasi prisanas feriente desuper pilo, non aufere tur ab eo stultitia eius.* causa autem huius obstinationis est in casu nostro, quia Prou. 26 12 dicitur *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens*, hoc est vt Ians. hic exponit, spem maiorem habebimus reuocandi insipientem à malo, seu falso proposito; quàm eum, qui cùm insipiens sit, sibi sapere videtur. vnde eos omnes decipi putat, non autem se ipsum.

Prou. 27. 22.

Prou. 26. 12.

Quacunque ierit stultus, vecordia eum comitatur. vulgò dicitur ille desponsauit sibi opinionem suam, sensum suum, hoc est stultitiam, ideoque illa vsque ad mortem eum sequitur, tamquam coniugata virum. nec induci potest, vt aliam pro illa accipiat. *Tamquam ipse solus sapiens sit, omnes obuios stultos appellabit.* cum ipse sit stultus propriè, facit alios stultos appellatiuè. *omnes obuios appellat stultos.* eos enim, qui aliter sentiunt, quam ipse, vel contrario itinere ambulant in via vitæ, vel in opinione, hos putat sibi iniuriã facere. (a) *Pensa che gli faccino incontro.* sic enim explicamus iniuriam, Auarus dicit stultum esse, qui sua disperdit ac dissipat. sic liberalem, & pium in pauperes nuncupat. sic bene Sap. 5. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* obuios enim stultos appellabit. qui alicui obuiat, Itali è dicitur (b) *Affrontar, ò venir à fronte acolui.* hoc autem verbum *affrontar ò far affronto*, idem est, ac iniuriam facere. æstimant ergo stulti prædictos in via morum contrario modo ambulantes sibi iniuriam facere: ideoque inebriati superbiâ & irâ eos stultos appellant. quia virtus iusti, est tacita reprehensio peccatoris.

(a) Existimat eos sibi aduersari

Eccles 2.

Sap. 5.

(b) In alterius vultum vel frontem incurrere.

Addit Pineda hic aliam ponderationem loci iuxta Vulgatam, *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*, quasi dicat, de omnibus, qui sibi occurrunt, notis vel ignotis, etiam exteris & nunquam visis, repente & impræmeditatò temerè iudicat, & damnat illos

los imitatus, de quibus Iudas *Quacunque quidem ignorant, blasphemant.* Sedeat pro tribunali Iudex, (etiamsi Salomon sit) vt iudicet, vel de patre rei familiaris vnius serui; audiet primò patronos differentes de ea causa. at hic stultus deambulando per viam iudicat de re sibi ignota, de fama hominis quæ valet pluris quàm diuitiæ multæ. quia fama, vt Iansenius ait super illud, est de genere boni honesti, quod ex natura superioris ordinis est respectu boni vtilis, ad quod pertinent opes.

Dialecticum est axioma, *Conclusio sequitur debiliorem partem.* sed cum supra dixerit Salomon in Eccles. 10. 2 *Cor stulti in sinistra illius*, (quod exposuimus quod sinistrè interpretetur res proximi) cum pars sinistra, & manus sinistra, debilior sit dexterâ, in quâ sapiens ibi dicitur habere cor: ideo, vt ipse stultus diabolicæ dialecticæ regulas seruet, quando apud se disserit, & quasi argumentatur à quibusdam leuibus indicijs de fratris sui qualitate; efficit, vt conclusio sequatur debiliorem partem, nempe sinistram efficit conclusioné de illo. *Eccles. 10. 2.*

Cum duæ lances sint dextera, & sinistra, quibus librantur res aliquæ; vnde bilances nuncupantur; dextera repræsentat partem benigniorem, quâ proximi res in meliorem partem accipimus, bene de illo sentiendo, & iudicando: sinistra lanx contrarium significat. Cum autem lances in æquilibrio pendent; illa tandem præponderat alteri, in quam adijcimus aliud pondus. Sapiens ergo, quia iustitiæ, & sapientiæ regula est, vt in dubio nemo, sit condemnandus. (nam, *In dubio melior est conditio innocentis, melior est conditio possidentis.* possidet enim famam suam, qui, licet non se ostenderit actibus suis probum, tamen neque malum se exhibuit.) sapiens igitur, vt dicebam, apponit quasi nouum pondus cor suum, affectum pium dexteræ lanci: stultus verò sinistræ. vnde faciunt eas declinare in eas partes. ideo sapiens, seu iustus in prædictis casibus bene sentit de proximo: quia *Charitas non cogitat malum.* & de eadem dicitur ibi, quod *Omnia credit, omnia sperat. charitas benigna est.* stultus autem quia in sinistra parte habet cor, ideo *Omnes stultos æstimat in via ambulantes*, nempe ignotos sibi, quales solent esse viatores alteri per viam eunti.

Aduerte dexteram & sinistrā hic accipi communiter pro parte dextra, & sinistra licet & pro mãu quidam accipiunt, vt ex Pineda supra dictum est.

ECCLESIA.

2. *Turcarum exemplo in templo venerandis, erubescendum nobis.*
3. *Publici peccatores ibi à templis arcentur: viri in templis à feminis seorsim manent.*
4. *Pœna ibi templa non adeuntibus statutis diebus.*
5. *Christus templum petens sanctiorem solito faciem exhibuit quasi consueta sanctitas vultus non sufficeret.*

2. CCLESIASTES 4.17. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias. multò enim melior est obedientia, quam stultorum victima,* *Ecclesiastes. 4.17.*

qui nesciunt quid faciant mali. custodi *pedem tuum*, scilicet affectum, animumque à peccatis mundum illuc affer. vnde in signum huius munditiei ad orandum nos præparantis, aquâ benedictâ in introitu templi nos aspergimus.

In signum huius munditiei ad orandum in templo, ipsumque templum honorandum necessariæ; vide, quid agant ipsi infideles. nam tomo 1. Turcicæ Historiæ libro 2. cap. 6. à Philippo Lonicero collectæ, dicitur de Turcis hoc pacto. Qui ex deuotione templum adeunt, ijs solemne est totum corpus recenti aquâ abluere, quam consuetudinem tam viri, quàm mulieres religiosè obseruant. lotione hac ritè peracta, ter denuò manus abluunt, totidem vicibus os eluunt, ter etiam nares abluunt, & ter faciem, ter quoque brachia vsque ad cubitum, deinde aures & vtraque manu collum mundant, & inter lauandum hæc verba hymni recitant, *Eleache*, &c. postremò & crura vsque ad genua abluunt, paucis additis, subdit: Tardo deinde incedentes gressu, templum adeunt, ne gressuum præceps velocitas animi deuotionem, tum ad orandum intentionem impediat. Ita omninò Auctor. addit ibidem: quod si intereundum accideret ei vel ructus tantummodo, istius lotionis effectus irritus omninò redderetur, eique domũ redeundũ esset. & lotio vniuersa ritu supradicto iterãda, vt possit ad templum accedere. Vide ergo quid nobis agendũ sit circa internã lotionẽ, qui ad veri Dei verum templũ accedimus. Considera negligentiam nostrã, qui neque aqua interni doloris peccatorum, & vnius actus cõtritionis propositique relinquendi peccata nos expiari patimur, vt in templum ingrediamur. non tædet Turcas tanti laboris ad mundandum corpus, & nos tædet vel exiguæ cogitationis ad mundandam animam. Addit auctor ibidem: Si quis fortè ex ignauia lotionem negligeret, tum planè sibi persuasum habent, preces istius non solum non exaudiri, sed grauiorem esse Dei indignationem, quam peccato hoc aduersus se irritet; quàm gratiam, quam precibus suis impetrare possit. hæc ibi. ex his saltem collige, quàm verum sit Isaiæ 1. 15. *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, hoc est peccatis. vnde sequitur statim, *Lauamini, mundi estote*, &c. *& venite, & arguite me. si fuerint*, &c. Turcæ surgent in iudicio, & condemnabunt Christianos.

[Marginal note: Tom. 1. Turcicæ Historiæ libro 2. cap. 5.]

[Marginal note: Isaiæ 1. 15.]

3. Idem tomo eodem libro 2. c. 8. ait, Complures sunt Turcarum, qui bus templa adire, publicisque interesse ceremonijs minimè licet. quales sunt, qui manifestis contaminati sunt sceleribus, homicidæ, ebriosi, aleatores, vsurarij, adulteri, pellices, meretrices. ibidem subdit: Mulieres à conspectu virorum segregatæ, peculiarem sibi locum in templo destinatum habent; ne ex eorum intuitu viri impudicis cogitationibus infestentur, & tum se ipsos, tum templum immunditiâ peccati contaminent. Hæc Auctor. quid dicendum ergo nostris, qui, cùm

[Marginal note: Tom. eod. libro 2. c. 8.]

cùm domus Dei *domus orationis* sit, faciunt eam *speluncam latronum*. pati nequeunt multi ex nostris diuisionem virorum à mulieribus quæ in quibusdam templis cernitur: cùm Turcæ id in omnibus templis suis solemne habeant. quid dicendum ad eos qui sceleribus infecti, in iisque persistentes, tamen per vnum, aut alterum sacrum in templo auditum se se quasi in tuto esse æstimant? quid ad eos, qui ad irritandas mulieres, vel etiã conspiciendas, tẽpla adeũt? *Surgent* Mahometani *Surgent* Turcæ *in iudicio contra generationem istam, & condemnabunt eam*

4. Sed vide quid subdat idem auctor eodem cap. Si quis ex segnitia, vel aliarum rerum cura, templum adire negligat, præsertim diebus ieiunio destinatis; eum Christiano homine deteriorem iudicat, mortuumque honestâ sepulturâ minimè dignantur: sed abiectum à carnifice inter cadauera laceranda canibus, volucribusque prædam relinquunt. Hæc ille.

Lucæ 5. 53. 5. Lucæ 5. 53. dicitur de Samaritanis Christum non admittentibus hospitio, dum inde transire vellet in Ierusalem: *Et non receperunt eum; quia facies eius erat euntis in Ierusalem* nempe, ad adorandum in templo, & ad festum tabernaculorum, qui scenopegia dicebatur, vt Iansf. Baronius, & alij dicunt: putantes hunc esse transitum eius per Samariã cum iuxta Ioan. 7. dicitur *ascendisse ad diem festum hunc quasi in occulto*. supra verò Lucas loco citato dixerat de ipso Domino, *Ipse firmauit faciem suam, vt iret in Ierusalem*. Caiet. & Iansf. explicant, dici ipsum firmasse faciem, quia in ipsa quoque facie appareret hæc firmitas & constantia. ergo cum ibidem dicatur, faciem eius fuisse *euntis in Ierusalem*; eodem modo credi potest propositum eundi illuc expositum esse per ea verba: quia ipsa facie ostenderet etiam, nedum in ceteris actibus, se ire ad templum occasione illius festi. quamuis enim idem Iansf. & Caiet. explicent illam firmitatem respectu passionis magnanimiter perferendæ in Ierusalem, quo tunc ibat; tamen quia (vt Maldonatus, & Barradius, & alij fatentur) hæc passio non incidit nisi multo post, ideo faciei qualitas exteriùs indicata respectu festi, & tẽpli, quod immediatè petebat, videtur explicanda. quia vt Barradius ait hoc loco postquam venit ad festum prædictum, mansit in Iudæa, & iuit trans Iordanem & tandem super asellum venit in Ierusalem ad passionem. Quamuis ergo de modestia, & deuotione faciei, ipsiusque habitus corporis Christi nil amplius dici possit, quam quod erat facies Christi, in qua nẽpe diuinitas, & sãctitas ipsa relucebat omni tempore: tamen quando etiã à longè parauit se, vt ad adorandũ in festo pergeret, dicitur *faciem firmasse*, vt illuc iret, *faciem habuisse euntis in Ierusalem*, quasi (ò tremẽda nimis res) ipsa eius solita facies, solita deuotio nõ sufficeret ad honorem templi, & festi; sed formanda esset eadem facies, aspectusque & habitus corporis in omnem & nouam speciem sanctitatis: quasi deponenda esset facies, vt ita dicam, ferialis; & alia festiua, hoc est festi,

Ioan. 7.

festi, & deuotionis propria, assumenda. Quid ergo dicendum, de nobis, si ipse ad exemplum nostrum ita faciem suam exhibuit? quomodo non commutabimus, non componemus faciem, oculos, incessum exteriora omnia in verbis, in actibus ituri ad templum? quomodo hæc omnia deuotionis, & modestiæ expertia geremus?

2. Ex *cultu vano corporis non templa, sed choreas peti putares à nostris.*

3. *Lasciuè intuentes feminas in templo fulminibus digni.*

4. *D. Hieronymi reuerentia erga templa.*

5. *Paganorum exemplo in hoc confunduntur nostri.*

2. HEus tu matrona, qualis est facies tua euntis in Ierusalem, hoc est ad solemnitatem, Facies mea, inquies, euntis ad templum est, si omni fuco & lenocinio vanitatis speciosa appareat. ita enim diebus festis eam exhibeo, vt in templo conspiciar. Ergo facies euntis in Ierusalem, est facies euntis in Babyloniam. clarius dicam, euntis in theatra, ad choreas, etiam ad prostibulum. non enim magis te ornares, neque alio ornatu, si illuc te conferres. Heus tu qui ire paras ad Virginem Lauretanam, vel etiam fortasse ex deuotione in Ierusalem; & tamen in conuersatione, in verbis, in omni habitu corporis, & vestium nullam præfers disciplinam: estne facies ista tua euntis in Ierusalem? *è questo tuo vn viso, è questo tuo vn mostaccio d'andar in Ierusalemme?* facies ista tua non est euntis ad festa tabernacolum sed tabernarum. properare te putabunt non ad scenopegia, sed ad scenam.

3. CHrysost. hom. 74 in Matth. ait, Multi ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam in Ecclesiam veniunt. non miraris, quomodo vndique fulmina non deferuntur, quomodo cuncta funditus non euertuntur? hæc enim non fulminibus solum, sed etiam gehennæ supplicio dignissima. Quid facis homo? mulierum speciem curiosiùs in Ecclesia perscrutaris: nec horrescis tantâ templum Dei afficiens contumeliâ? prostibulum tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? nam in foro erubescis etiam times, ne quis te videat mulierem sectari: in Ecclesia verò Dei, cum ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat; eo ipso tempore maximè fornicatione, ac adulterio vteris, quo tibi magna voce intonatur; vt ab his fugias: nec pauescis. nec stupes. hæc omnino Chrysost. *Chrysost. hom. 74. in Matth.*

4. Hieron. ait libro contra Vigilantium: *Ego confiteor timorem meum. quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit; Basilicas Martyrum intrare non audeo. ita totus & corpore, & animo perhorresco.*

5. Saxo lib. 14. apud Theatrum vitæ *Saxo lib. 14. apud Theat. v.*

vitæ humanæ, In Vuandalorum vrbe, inquit, Arcon vel Arcone appellatâ, idolum colebatur, cui solemniter quotannis sacrificabant, Sacerdos autem ædem idoli purgans, ne humano halitu numinis præsentiam læderet, compresso spiritu id operis faciebat. cum verò opus esset renouare spiritum, ad ostium templi decurrebat. Vide dicturi quid sint ad hoc, qui nedum spiritum, sed nec loquacitatem comprimere possunt in templo veri Dei. Illi, inquam, qui non timent contaminare sacrum locum fœtido halitu vani, aut etiam lasciui, & maledici sermonis: cùm *sepulchrum patens sit guttur eorum.* hoc thure, hac oratione (dirigitur enim sicut incensum in conspectu Domini,) nares Dei, vt ita loquar, replent, vt odoretur odorem suauitatis. Sacerdos thure, ac etiam oratione, bonus odor est Christi in venerabili loco: at sæcularis profanus à diabolo contra illum opponitur, vt contraria contrarijs destruantur: vtinam ob id non retardetur, & impediatur sępè impetratio orationis bonorum. nam Ecclesiastici 34. 28. *Vnus ædificans, & alter destruens, quid prodest illis, nisi labor? vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus?* Eccl. 34. 28

2. *Ranæ & aues condemnabunt Christianos quod illæ obmutuerint Dei verbis, quod illi non faciunt.*

3. *Siletis minus loquentibus, & non sacerdotibus? exempla mira in sequentibus.*

2. SEd inquis: Vix potest cohiberi sermo in Ecclesia cum socijs ibi existendo, ne inurbanus videaris. Ergo irreligiosum esse & profanum, vrbanitas est? inurbanitas silere coram verme, vrbanitas garrire coram omnipotente? nonne ibi Christus personaliter in Sacramento? Sed loquax sis, rana sis, aut garrula auis: nonne Aristoteles de admirandis auditionibus, lib. 1. cap. 67. Ælianus, & alij multi asserunt, ranas ipsas quibusdam in locis esse mutas, quamuis adeo alibi vocales sint? in Seripho inquiunt mutuæ sunt, & Plin. lib. 8. cap. 58. si extra eum locum, inquit, exportentur canoræ fiunt. Cur ergo saltem in Ecclesia silere non discis, cum vbique possis confabulari? Vide quanta sit loquacitas tua, vt vniuersus mundus ipse non sufficiat, nisi etiam Ecclesiam Dei contaminet. *Exigua lingua totus non sufficit Orbis.* verè vt Iacob. 3. 8. ait, *linguam nullus hominum domare potest.* sed si non potest eam domare homo, quare non possit Deus? quare inquam non poterit Verbum Dei increatum, atque etiam pronuntiatum, obsistere verbo hominis? Arist. de adm. aud. lib. 1. cap. 67. Plin. l. 8. c. 58. Iacob. 3. 8.

D. Ambros. lib. 3. de virginibus ait: Frequens sermo est, cùm plurima ranarum murmura religiosæ plebis auribus obstreperent, Sacerdotem Dei præcepisse, vt tacerent. tunc subito circumfusos strepitus quieuisse. Silent igitur paludes, non silebunt homines? hæc Ambrosius. & Maiol. colloquio 9. narrat de duobus viris sanctis, qui ranas silere fecerunt in tempore orationis. Notum est etiam illud D. Francisci, qui in paludibus Venetorum obstre- D. Amb. lib. 3. de virg. Ambros. & Maiol. colloq. 9.

strepentibus sibi auibus, dum preces sacras recitat, silentium indixit, & obtinuit. Heu! quod illi ranis, & auibus imperarunt, non audemus nos omnibus imperare, nec ab hominibus impetrare. Esto igitur, loquacitate rana, aut auis esses: siluerunt illæ bestiæ imperante homine, tu non silebis imperante Deo?

3. Addit ibi Ambros. hominum tantam esse immodestiam, *vt plerique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati.* quid est hoc, nisi quod silent loquente vel cantante meretriculâ in scena: & non silent, cantante Sacerdote in Ecclesia. silent ad verba diaboli, & non silent ad verba Dei. Heu quid cogimur dicere! saltem id age cum Deo, quod sæpè agis cum diabolo. Rom. 6. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati,* &c. *ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ*, &c.

Rom. 6. 19.

4. Ambros. ibidem indignum ait esse, circumstrepi diuinis eloquijs, cùm *Gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferant.* Notum est gentiles clamare solitos in templis populo, *Fauete linguis*, hoc est, silete. Si non fauetis manibus, erogando eleemosynam; cur saltem non linguis? *Se non fauorite di borsa, perche non almeno di bocca?*

Imperator Turcicus in templo non sedet. Cusp. Theat v. h. pag. 2336.

Cuspinianus apud Theatr. v. h. pag. 2336. Turcarum (inquit) Imperator in templo non sedet, sed humi sicut ceteri, super tapeto tamen, manet.

Osor. l. 9. Æthiopes Christiani nudis pedibus templa intrant.

Osorius lib. 9. ait Ætiopes Christianos non ingredi templum nisi nudis pedibus. ibi flagitium est ridere, sermonicari, deambulare, aut meditari quipiam non sanctum.

Goropius fol. 656. apud Valderama fer. 2. post Dom. 4. Quadr. ait, templum in prima linguâ (puto intelligat Hebraicam) dictum *Tampel*, quod significat frænum, eo quòd frænum sit à peccatis. Sed addamus nos frænum propriè equis immitti. equi autem sunt fornicarij homines, & lasciuientes amore mulierum. Ier. 5. 8. *Equi amatores, & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* templum ergo saltem frœnum debuit huiusmodi equis, huiusmodi iniquis: vt ibi temperent se ab hinnitu, & concupiscentia oculorum, & mentis, erga mulieres. Verùm ex fræno calcar fecerunt. ipsum enim locum & tempus sacrum oportunum iudicant ad hinnitus concupiscentiæ, & oculorum lasciuiæ: ita vt templa, quantum in ipsis est, faciant & talium equorum stabula, & animarum, etiam iuuencarum impudicarumque prostibula. Nonne horribilius est hoc, quàm illud, *Vos autem fecistis illam speluncam latronum*? dum feminas ibi ad lasciuiam mentis inducunt, eas iuuencas efficiunt, & Ecclesiam lupanar.

Gorop. fol 656. apud Valder. fer 2. post Dom 4. Quadr.

Ier. 5. 8.

Quid detestamur fidei persecutores, qui aliquando Ecclesiam in catabulum bestiarum conuerterunt, illuc immissis bestijs, vt Pontifex earum pastor esse cogeretur? quid timemus Turcas, quid hæreticos, qui huiusmodi fortasse iniurijs templa violent? Inter nos habemus tyrannos, habemus Turcas, habemus hæreticos. pro vno Maxentio multi

surrexerunt ab inferis. *Dilectus dilectus meus meus est, qui in domo mea fecit scelera multa.* In templis, vbi latrones, & homicidæ aliquando securi sunt à gladio iustitiæ, & ab vnguibus satellitum, & carnificum; non sunt securæ honestæ matronæ, piæque animæ ab his omni satellite, & carnifice deterioribus equis. cōfugiunt rei ad templum, vt securi sint: at innocentes in casu nostro aliquando coguntur fugere à templo, ne in discrimine sint. Ausus est edoctus in hac schola canere, lib. 2. tristium: *Quis locus est templis augustior? hæc quoque vitet, In culpam si qua est ingeniosa suam.* Pontanus lib. 1. de amore coniugali. *Templa pudicitiam maculant: ni ritè peractis Rebus abis, templi noxia sæpè mora est.* (a) *Il loco di che tremano i diauoli, lo conculcano li huomini diauolosi.*

lib. 2. trist.

lib. 1. de Am. con.

(a) Locū quem horrent Diaboli, contemnunt ac proculcant homines Diabolici.

Templum frænum est. at frænum facit eos infrœnes. fanum facit profanos: missa facit emissarios: Domum Agni, & ouile pastoris faciunt lupanar. Nam feminas honestas quantum in ipsis est faciunt meretrices. mœchati sunt eas in corde suo, cum viderint ad concupiscendum illas. Domum filij Virginis faciunt prostibulum meretricis. Domum Dei faciunt domum diaboli. Templum, quod est scala cæli, faciunt præcipitium inferni. In Ecclesia non solum ecclesiastici non sunt, hoc est religiosi; sed neque Christiani: & in portu salutis faciunt naufragia damnationis.

DETRACTIO.

2. *Calami magis temperantur à gladijs, quàm à gladiolis, scilicet à maledicendo metu coërcentur.*
3. *Sepelienda in pectore mala audita de proximo.*
4. *Lingua detrahens sagitta feriens etiam longissimè distantem, vt quædam sagittæ magorum sic agunt.*
5. *Iaculum est prius feriens Christum, quàm proximum.*
6. *Est conspicillum ostendens multa, quod est vnum amplificando, scilicet relata mala.*
7. *Magi imaginem hominis vrendo ipsum vrunt. sic lædens Dei imaginem, scilicet hominem ipsum lædit.*
8. *Fabula linguæ malæ onus ostendens.*
9. *Mala lingua brutalis est. sola enim deuorat omni seruit.*
10. *Dementia eorum, qui se dirumpendos timent nisi effutiant secretam proximi infamiam.*

2. 
CALAMOS scriptorios gladiolo ad scribendum præparare, Italicè dicimus, *temperar le penne.* Alludendo autem ad Aretinum, qui ob maledicentiam suam in scribendo, in facie dicitur sæpè fuisse vulneratus; dictum est, multorum Aretinorum calamos plus à gladijs, quam à gladiolis tēperatos fuisse: eo quod cum prius malè scriberent, deinceps malo suo admoniti rectè scribere didicerunt. Et bene dicuntur calami temperari in hac re, eò quòd maledicere, seu scribere maledicendo, procedat ex intemperantia

linguæ & calami, qui in hac parte excedit milites iustitiæ. si autem gladij hominum, & metus eorum calamos temperant, & moderantur; multò magis id præstare debet gladius Dei, de quo dicitur, *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea.* Idem proportionaliter de lingua temperanda dicendum; quia lingua est *calamus scribæ*, boni scilicet, vel mali spirituseam instigantis.

3. *Audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te.* ita Ecclesiastici 19.10. Vincentius libro 3. Speculi Histor. cap. 58. refert Socratis dicta, hoc fuisse: Sepultus apud te sit sermo, quem solus audieris. Imo inter Antiquorum illustrium sententias dicitur, cuidam Principi obiectum fuisse, quod eius anhelitus fœteret. Respondit ille: Non mirum, nam multa in pectore meo computruerunt. Significauit non solum mortua, & sepulta, sed etiam putrida, hoc est diu retenta in se fuisse secreta plurima.

Eccl. 19. 10. Vinc. lib. 3. Spe. Hist. cap. 58.

4. Sprengerus parte 2. Mallei malefic. quæst. 1. cap. 16. narrat, maleficos quosdam inueniri, qui sagittarij vocantur. Hi autem iacula in Christi imaginem crucifixam statutâ per dæmonem die emittunt, adhibitis fortasse alijs quibusdam impijs ritibus: & ex pacto diaboli, sagitta iacta subito eum petit, & vulnerat, quem magus vult: quamuis esset in India, & quamuis muris fortissimis cinctus & clausus esset. Ierem. 9. 8. *Sagitta vulnerans linguam*, & ibidem, *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij.* ergo maledicta detractorum iacula sunt huiusmodi generis. Nam quamuis ille cui detrahunt, esset in longinqua regione, & muris, atque armis fortissimis cōtectus; tamen vulneratur ab his iaculis, nempe in fama.

Spreng. part. 2. Mall. malefic. quæst. 1. cap. 16.

Ierem. 9. 8.

5. Imaginem Christi illi feriunt, vt feriant inimicum: & tu dum feris linguæ iaculo inimicum tuum, nonne Dei imaginem viuam feris, nimirum hominem ad imaginem Dei factum? Quid dico Dei imaginem? Ipsum Christum vulneras, vt vulneres aduersarium tuum. An nescis eius verba, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Antequam protuleris verba detractoria, iam in mente detractor sis: & ideo prius lædis Christum, quàm proximum: & consequenter per corpus Christi (quantum in te est) facis transire iacula iniquitatis tuæ ad proximum.

6. Linguæ maledicæ sunt sæpè velut conspicilla illa vitrea quæ pro vnâ re obiectâ oculis, plurimas ostendunt, & tam euidenter, ac si de facto omnes essent veræ, cum tamē exceptâ vnâ sæpè omnes aliæ falsæ sint & assimulatæ. In 2. Reg. 13. 2. Reg. 13.
Absalon necat Ammon. Quid ostēdunt Dauidi conspicilla ista, nonne plures occisos pro vno? *Fama peruenit ad Regem, dicens: Percussit Absalon omnes filios Regis, & non remansit ex eis saltem vnus.* Ita non raro accidit, vt qui in vno peccauerit, factus sit omnium reus.

Prouer. 23. 33. de ebrioso dicitur: Prou. 23.
Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa. Iuxta communem, 33.
videbunt, hoc est, libidinosè inspi-

cient

cient alienas mulieres. at Caietanus explicat videbunt res alio modo ac sunt: vt cum, quod vnum est, ebrius videt tanquam multiplex; quod stat, videt in motu esse. Vnde iuxta hanc expositionem potest dici, non mirum esse quod sequitur; *& cor tuum loquetur peruersa*. Si enim videt res diuerso, seu peruerso, ac contrario modo, quam sunt; quid mirum, si ea etiam ennarret peruerso, seu contrario modo quam sunt? dicatque nummum vnum sublatum ab aliquo, fuisse multiplicem? terram in girum verti, & similia?

Ebrium hunc à Salomone ibi descriptum Gregor. & alij Doctores mysticè peccatorem intelligunt. Hic *inebriatus est, & non à vino*: sed in casu nostro, ab odio in proximum. indeque turbatos gerit oculos cordis, & aliquando etiam corporis: *Turbatus est in ira oculus meus*. inde fit vt res aliquando diuerso modo, quàm sint, se videre putet, & falsitatis testem se oculatum exhibeat: quod vnum peccatum est, multiplex in proximo sibi appareat. *Oculi eius vident extraneas, & cor eius loquitur peruersa*, hoc est inuerso modo & contrario, quam sint: vnde aiunt. *Non possumus quæ vidimus non loqui*. Heu quoties ab aliquo patrati sceleris testes citantur oculati, & quia mendacium breues habet tibias, postridie eius rei neque testes inueniuntur auriti!

7. Sed facit ad id quod dicebam, (nimirum detractorem, dum lædit proximum, qui est imago Christi, ledere ipsum Christum: quia, quod vni ex minimis meis fecistis &c.) facit inquam, quod scribunt qui de maleficis pertractant; eos sæpè exercere quædam maleficia circa imagines eorum, quos volunt lædere. nam sæpè illas imagines cereas ad ignem admouent ita, vt paulatim consumantur: vel acubus illas perforant: & quæ exercēt in eas imagines, omnia illis mediantibus efficiunt in ijs, quorum imagines sunt: adeo vt ipsi sentiant se igne torreri, vel acubus pungi. id quod post alios refert Delrius tom. 2. lib. 3. quæst 4. Ita igitur dum tu vel verbo, vel facto hominem lædis, qui est imago Dei, ipsum Deum lædis: maximè cum Christianum offendis. sic enim ait Paulo, qui Christianos persequebatur, *Cur me persequeris*? quod notat Augustinus. *Delrius to. 2. l. 3. quæst. 4.*

8. Quidam (vt est in facetijs) accusatus à seruis suis, qui ipsum oderant ob perpetua maledicta contra se ab ipso iactata: accusatus inquam de ingenti delicto apud Principem, in quatuor partes dissectus fuerat post capitis truncationem. Iussit Princeps post hæc, vt ijdem serui singuli partes cadaueris singulas super se tollentes ad tumulum ferrent. Quia verò etiam lingua ei præcisa fuerat ob maledicentiam in Principem, & alios; seruus ceteris corpore maior, & valētior, dum expectatur, vt suam & alterius etiam partem eamque ex maioribus tollat; accedens, linguam eius magno conatu simulato, quasi rem grauissimam super humerum ponit. Ridentibus Principe, & seruis, simulque indignantibus, ait illis: Quid ridetis? ego velut maior assumpsi mihi eam partem, quàm nec vos, nec ego portare vmquam potuimus, & quidem om-

nium grauissimam. Nam ipsum dominum sæpè duo ex nobis facilè tulimus in sella gestatoria, vt etiam eius sarcinas: linguam verò eius non tolerare valentes, ipsum accusauimus. Vide quam grauis lingua nequam. Ecclesiastici 28. 24. *Iugum enim illius, iugum ferreum est.* Vide quam graue hoc iugum, vt maledicus illo pressus ad profundum inferni detrahatur. Vnde aliqui Doctores putant diuitem in lingua cruciatum fuisse in inferno, illucque detractum fuisse præsertim ob maledicentiam. quod vitium cum crapula cohærere solet. Chrysologus inquit; *torquetur in lingua, qua maledixit pauperi.*

Eccl. 28. 24.

9. Lingua in bruto est tantum ad edendum, non ad loquendum: eo quòd gustus, comestioni inseruiens, in radice linguæ sit constitutus, vt docent Philosophi. homini verò data est ad vtrumque ex Arist. de Partibus animal. lib. 2 c. 16. Cum verò detractio, sit quædã deuoratio, iuxta illud Galat. 5. 15. *Quod si inuicem mordetis, & comeditis; videte ne ab inuicem consumamini*: Et cum detractor linguam non habeat nisi ad comedendum (eius enim locutio ferè semper est maledicentia) consequens est, vt ipse sit monstrum: eo quod habeat caput hominis, linguam bruti.

Arist. de Partib. anim. l. 2. cap. 16. Gal. 5. 15.

Hic deuorator proximi, famæ alterius fame laborat. Comedit carnẽ sæpè coctam, semper crudam: sæpè animalis, semper hominis. Circa carnem humanam celebrat carnispriuium semper, Quadragesimam numquam, *Fà sempre Carneuale, mai Quaresima.*

10. *Si inuicem mordetis, & comeditis.* Detrahere est comedere eum, cui detrahitur: quia sicut sine cibo viui non potest, ita detractor viuere se non posse putat sine detractione. Ait enim cibum suum esse facere voluntatem patris sui, hoc est diaboli, cuius voluntas & malignitas est, vt sit *Accusator fratrum.*

Apoc. 12.

Hæc adeo vera sunt, vt Ecclesiasticus 19. 10. coactus sit occurrere huic falsæ opinioni, dicendo: *Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te; fidens quod non te dirumpet.* Dirumpi, & mori simul incedũt; imò vulgò dirumpi ponitur pro mori. Dicitur enim, (a) *Crepar di collera, ò di dolore,* &c. hoc est mori. Ergo: Times, inquit Ecclesiasticus, mori; nisi reueles proximi infamiam. mori inquam times quasi ex inediâ, nisi tuo cibo vescaris, fratrem tuum comedendo. sed falleris; nequaquam morieris.

Eccl. 19. 10.

(a) Rumpi irâ, dolore, inuidiâ.

Sed si sumamus verbum dirumpẽdi magis propriè, & strictè: Times tu, ne homo non comestus te dirũpat. Verè antequam comederis bibisti, & inebriatus es. Nam quis dirumpitur à cibo nondum comesto? Times, ne homo non comestus te dirumpat: imò comestus te dirumpet. (Quis enim possit tantum bolum, hominem scilicet integrum deuorare absque eo quòd dirumpatur?) Hoc certè peccatum, hominis scilicet deuoratio, Disrumpet te inflatum sine voce. Hoc enim eueniet damnatis. Deus enim *Disrumpet illos inflatos sine voce*, vt est Sapient. 4.

Sap. 4.

Vide autem hominum cœcitatem, & insensata corda. *Os impiorum deuorat iniquitatem.* Prouerb. 19 Bibit

Prou. 19.

Iob 15. *bit quasi aquam iniquitatem.* Iob 15. Vulgò dicimus,& verum est; (*a*) *Ilà fatto vn mar di peccati.* Ergo mare integrum iniquitatis potauit. Cumque peccauerit *super numerum arenæ maris,* quod est deuorasse littora; non mirum,& bibit maria. *Deuorant plebem meam sicut escam panis.* Psalm. 13. *Deuorant domos viduarum.* Marci 12. Deuorant regiones integras, & in ventrem mittunt. *Regionem vestram coram vobis alieni deuorant.* Isa. 1. Deuorant Sanctos ipsos Cælestes: *Ruina est homini deuorare Sanctos.* Prouerb. 20. Deuorant ipsum cœlum, & terram. Nam *Posuerunt in cœlum os suum,* nempe per maledicentiam. Et quasi exiguus bolus fuerit cœlum eorum stomacho; subditur, *Et lingua eorum transiuit in terra.* alij apud Lorinum. *Transiuit in terram.* Cum igitur tot,& tam ingentes cibos deuorauerint; non timent ab eis disrumpi: imò alios super istos addunt: quia *Absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Cum autem vnum verbum aduersus proximum audiendo (vt ita dicam) comederint; ab hoc tantum sentiunt se grauatos, ab hoc dirumpi timent vẽtrem, nisi illud statim euomant. vnde oportet eis succurri hac quasi theriacâ præsentanea: *Commoriatur in te, fidens quod non te dirumpet.* Timet se dirumpi à culice, cum glutierint camelum, imò camelorum greges innumeros, hoc est peccatorum ingentium.

(a) Mare peccatorum accumulauit.

Psal. 13. Marc. 12. Isa. 1. Prou. 20. Eccles. 8.

Vulgò dicimus de re, quam grauiter ferimus: Hęc res meo stomacho hæret. *Mi stà sul stomacho, non la posso digerire;* non possum scilicet eam cõcoquere. Vide ergo si stomachi struthionum, non sint potius stomachi culicum, aut papiracei, (*stomachi di carta,*) respectu ventriculorum istorum, quos tot,& tanta deuorata non aggrauant, sed & ea sorbent,& digerunt velut sorbilia oua, ac recentia, *Come oua fresche.* Non grauantur istis oneribus in ventre: ideoque aiunt, *Peccaui, & quid mihi accidit triste?* Ecclesiastici 5. 4. Ideoque non cogitant euomere ista per confessionem. Saturitas ista non solum sinit eos dormire; sed *Non dormiunt nisi malefecerint, & rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint.* saltant, exiliunt, postquam se tot rebus ingurgitarunt; leuiores facti, cum pleniores. exultant enim vt victores captâ præda: & in eo quod fiunt hœdi, hoc est peccatores, deuorando vt supra; fiunt simul hœdi, hoc est leues,& saltantes: quia *exultant in rebus pessimis.* Eccl. 5. 4.

Putant isti se stomachum habere papiraceum, imò habent cœlo, ac terra solidiorem,& duriorem. cum de cœlis dicatur in Iob 37. 18. *Qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Nam cœlum,& terra non potuerunt sustinere peccatũ, vt in Lucifero apparuit: sed quasi (vt ita dicam) dirupti sunt, vt ipsum Luciferum, onus istud super se habentem, sinerent ruere in centrum terræ. Mitto terram ipsam sub Dathan,& Abiron apertam,&c. & Dauid vir tam fortis, tamen de paucis peccatis respectiuè, ait: quod *sicut onus graue grauatæ sunt super se.* at ventres horum peccatorum prædicta tam leuiter ferunt, cum deinde à verbo timeant dirumpi. Iob 37. 18.

Sed aduerte illud monstrum. cum proximi probrum, quod audisti, soleat

leat esse eius aliquod crimen,& consequenter iniquitas,quam ille deuorauit (iuxta prædicta, quòd peccare sit comedere, & bibere; *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt*, Prouerb. 4.) Cum inquam ille deuorauerit hunc noxium cibum; tamen tibi venter dolet, & ab eo cibo times dirumpi. Ille comedit vuam acerbam, & dentes tui obstupescunt. Sed adde monstrum deterius. times dirumpi ab epulis, quas deuorauit ille,& satagis ea euomere: & nō times dirumpi ab ijs quas deuorasti tu, neque cogitas per confessionem ea euomere: præsertim cum tuæ fortasse copiosiores sint, quàm illius. Prou. 4.

Adde tertium monstrum. Dum alienum peccatum dicis, tuum facis. hoc est, dum reuelas peccatum deuoratum fuisse ab alio; tu tuum deuoras. detrahere enim est deuorare hominem, peccare est deuorare. ergo adeo insensatus es, vt stomachum onerando velis ipsum releuare;& deglutire camelum, putes esse ipsum euomere. An negas Euangelium? nimirum peccare grauiter, esse velut *glutire camelū*? Angeris, æstuas ex cibo nimio,vel noxio assumpto: consulis medicum dicens, Timeo dirumpi, nisi euomā. at ille pro medela dicat, deglutias camelū. Quid diceres huiusmodi medico? Diabolus est iste, qui hæc tibi consulit, vt in fine dirūpat te inflatum sine voce: & tamen eius consilium recipis,dum ne dirūparis,camelum deglutis,scilicet peccatum infamandi proximum.

Maledicētia, vel propensio ad maledicendum,& detrahēdum est quidam gladius, iuxta illud, *Lingua eorum gladius acutus.* Psal. 59. 5. venenū est, *Venenum aspidum sub labijs eorum.* Psal. 13. Si cohibeantur in corde, vt non erumpant ex ore corporis, vel animæ;homo ab eis non læditur, sed iuuatur. Si verò foras eijciantur reuelando proximi infamiam; tunc cor hominis ab eis necatur, & dirumpitur: cum contrarium eueniat in gladijs, & venenis ceteris. sic ad rem nostram facit, *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum, vt deijciant pauperem, & inopem: vt trucident rectos corde. gladius eorum intret in corda ipsorum.* Hoc quod dicitur de gladio euaginato contra iustos, potest intelligi de quocumque instrumento, vel medio præparato à peccatoribus ad nocendum iustis. & præsertim de gladio linguæ educto de vagina oris, verificatur quod *intret in corda ipsorum* iniquorum, adeo vt incidant in foueam, quam fecerunt: Quod verò hic gladius linguæ cohibitus in pectore, vitam donet; docet Psalm. 33. *Quis est homo qui vult vitam?* &c. *Prohibe linguā tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Psal. 59. Psal. 13. Psal. 36. Psal. 33.

Fidens quod non te dirumpet. Homo per peccatum vipera fit. Matth. 3. 7. dicitur peccatoribus: *Progenies viperarum*: peccatores peccatorum scilicet filij. Tales præsertim fiunt homines per indignationem, & per venenatos animi affectus ad lædendū proximum. De irato dicitur, (a) *Egli diuenne come vna vipera.* At nota est historia viperinos fœtus erūpere & nasci rumpendo matris ventrem, tāque necando. Affectus igitur odij in Matt. 3. 7. (a) Infist vipera erat.

in proximum, seu verba audita contra ipsius famam sunt vt quidam foetus animis ventre cordi in concepti. verbū enim mentis à Philosophis dicitur ab ea generari, quasi eius proles: vnde & dicitur *conceptus* mentis. Cum ergo homo per peccatum, & præcipuè per odium fit vipera; & viperinos intra se affectus, seu proximi infamias iis affectibus inuolutas habet; facilè erit, vt ipsi quasi viperini foetus dirumpant matrem impatientes moræ, vt inde exeant. Ne ergo fias vipera, nec concipias viperinos affectus in proximum: & tunc eris *fidens, quod non te dirumpant*. erumpunt enim ab his, qui præ facilicitate peccandi, vel præ indignatione, se reddunt impotentes animi, & incontinentes corde.

Apis etiam est Hieroglificum hominis odio, & irâ æstuantis, ex quâ procedit ad pungendum aculeo damni, vel potius maledicentiæ: vt
Psal 117. dicatur, *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis*, quod ostendit indignationem magnam. Sic in adagiis de eo, qui maledicto in proximum iactato abit, dicitur: *Inflicto fugit aculeo.* De ape igitur, &
Arist. Hist. an. li. 3. c. 11. aliis huiusmodi insectis ait Aristide Hist. an. libr. 3. cap. 11. Si aculeum perdant illum extra se emittendo, (quod faciunt pungendo aliquem ex ira) viuere non posse. Viuunt ergo iracundi, si intra se aculeum contineant: pereunt, si illum maledicendo notabiliter, in alium infigant. Apis etiam ob susurrum, murmuratoris est symbolum. ex murmure illa ad pungendum procedit; sic homo post murmur ad apertam detractionem descendit.

Adde, apim, vt aiunt Philosophi, ideo mori aculeo perdito, hoc est in vulnere relicto; quòd cum illo etiam viscera sua effundat. eodem modo detractor, cum reuelet proximi infamiam aculeo maledicentiæ inflicto in ipsum; etiam viscera sua vnà effundit, & vitam, hoc est vitam spiritualem. Quomodo effundit viscera? quia de eo, qui velut *stultus profert totum spiritum suum*, dicimus, quod effundit viscera sua, iuxta illud: *Effundite coram illo corda vestra.* timet enim, ne dirumpatur, nisi euomat quidquid habet in pectore. Vide ergo eius stultitiam. ne dirumpatur, dirumpitur: ne moriatur, & viscera euomit: quia patefacit omnia sua interna, & quia euomendo proximi infamiam, cum illâ eiicit à se omnia interna bona, & spiritalia gratię quia Ecclesiastę 9.18. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* Sic effracto carcere vnus fugiens, vt omnes fugiant causa est. Eccles. 9. 18.

Hostem sicut apis pungit; sed deperit ipse.
Sic feriendo perit: sic pereundo ferit.

Quid est apis, nisi musca flaua? Vt significemus leuissimum aliquem dolorem, dicimus, Fuit velut muscæ punctura. Vide ergo stultitiam detractoris, vt in alium exerceat puncturam apis; exercet in se necem hominis, scilicet sui ipsius. vt alium pūgat tantum in cute, seipsum transfodit vsque ad animam. nam dicuntur illi velut apes ferire: quia totum damnum, quod inferunt, non est nisi velut punctura apis respectu necis sibi illatæ.

Dirumperis iterum, ne dirumpa-

ris, vt dicebam, cum proditor fias proximi, euadis & proditor Christi; (quia *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis:*) Prodis enim eius secretam infamiam, prodis ipsum. vnde Chrysostom. Hom.3. ad popul. ait, *Qui detraxerunt; rogant ne alteri dicat. postquam ipsum prodidisti, salutem eius quæris?* Ita ille. Dic ergo, cum proditor, & Iudas fias proximi, & Christi; hoc ipso crepas medius, & diffunduntur omnia viscera tua. crepas, ne crepes; & diffundis omnia viscera pietatis, & charitatis. Pœnam proditoris, & Iudæ, vt ita dicam, habes in ipsa culpa. crepas, etiam modo supra dicto: quia euomis quidquid habebas in corde, & perdis omnia bona interna. Iudas euadis, ne Iudas euadas. ergo,

CHRYS. *Hom.3. ad pop.*

Commoriatur in te: fidens quod non te dirumpet.

Psal.117. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Non solum velut apes feriendo crepant, & viscera effundunt, & pereunt; sed etiam sicut spinæ ardentes iracundiâ, & per maledicentiam crepantes, & crepitantes. de illis dictum est Act. 7. *Dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.* en tibi spinas ardescentes ostendi. Ergo dirumpuntur, ne dirumpantur. Vulgò dicunt, (a) *Egli crepa di rabbia.*

Actor.7.

(a) Irâ dirumpitur.

2. *Maledici, quia acuunt ingenia in pungendo, & pungunt, apes, & spinæ sunt.*

3. *Ex bobus se apes faciunt in maledicentia.*

4. *Indulgentes erga se in alios acerbi rebus & verbis.*

2. CIRCVMDEDERVNT *me sicut apes*, &c. Maledicentes *apes*, & *spinæ* vocentur. Nam huiusmodi homines dicuntur pungere proximum. Nil acutius est, & magis penetrat quàm aculei Apum, & spinarum; ita dicacitates, & scommata, atque maledicta maledicorum solent esse valde acuta; (in eo enim maxime ingenij aciem exacuunt) solentque penetrare vsque ad animam eorum, in quos iactantur. Ideo lingua maledica dicitur in scriptura *gladius acutus*, & *nouacula acuta*, & *sagitta vulnerans*.

3. Olim apud Ægyptios bos vnus quasi in apem conuersus Apis vocabatur; at hodie plurimi boues, hoc est rudi, & crasso ingenio homines apes fiunt, vbi ad murmurationes, & maledicentiam venitur: & de pistillo cerebri aculeum faciunt. (Dixi enim apem ob susurrum, & aculeum murmurationis & maledicentiæ symbolum esse.) Sicut etiam lingua nequam, vt est in adagiis, Elephantum de musca facit, exaggerando alterius mala; ita etiam se de boue apim efficit. vel etiam de musca, hoc est de valde indocili & fatuâ, efficit elephantum, hoc est ingeniosam, & acutam. nam apud Pierium, & alios musca indocilitatis, elephas ingenij symbolum est: cum inter omnia animalia elephas. vt omnes testantur, acumine præstet; adeo vt Ælianus, eum etiam scribere aliquando dicat. de stupido autem dicitur, *egli è balordo, come vna mosca.*

Item se elephantum de musca facit: quia vbi agitur de maledicendo; cùm musca esset, ostendit se na-

sum rhinocerotis habere, hoc est valde acutam esse. (loquimur enim de lingua nequam.) Vel dicendum est, omnia aculeata, qualia etiam sunt muscæ aliquæ, si non omnes, esse symbolum maledicorum. Nam adagium de maledico ait, *Infixo fugit aculeo*, hoc est iactato conuitio. Ergo qui musca est in reliquis; etiam velut musca ad pungendum habet aculeum, hoc est acumen subtile. cum in ceteris sit musca, hoc est animalculum ceterorum stultissimum (vt ita dicam) acutus tamen est ad detrahendum. vel nasum rhinocerotis habet ad discernenda etiam subtilia, & tenuissima vitia aliena, & ea notanda, vulgò dicimus, (a) *A dar delle nasate al prossimo*. Musca animalium stolidissima ad feriendum habet aculeum subtilissimum. sic rudiores sæpè in nocendo acutiores. Villicus Euangelij, villicus erat, neq; inter ciues habitabat: & tamen adeo acutū aculeum ad nocendum domino hæc musca habuit, vt ipsemet vulneratus laudauerit mucronem, quo fuerat perforatus.

(a) Vt alios naso suspēdat acuto.

4. Obserua etiam, Apes esse symbolum maledicorum, & crudelium in proximos. *Circumdederunt me sicut apes* &c. & alibi in Script. per apes irati intelliguntur, & rigidi in aliquos. quia glomeratim, & magnâ irâ illæ effunduntur in eos, qui se irritarint. vnde legitur de quibusdam gentibus apud Maiolum vbi de apibus agit, quod examina multa apum immiserunt contra hostes suos, eos ita vincere parantes. Aduerte autem apes simul esse symbolum hominum, qui erga seipsos valde indulgentes sunt, seu dulcissimi, at in alios amarissimi. quia illæ præ ceteris animalibus dulcissimum sibi parant cibum, nimirum mel. quamuis indocti ex vulgo putent eas mel nobis parare. Ergo dicendum est murmuratores; & maledicos, sæuosque homines apes dici: quod ij potissimum qui erga se solent esse dulcissimi, in alios solent esse amarissimi murmurando, & lædendo. Facit prouerbium, *Vbi mel, ibi fel: vbi vber ibi tuber*. vbi est mel voluptatum, & indulgentiæ erga se, ibi est fel odij, & detractionis in alios: & vbi vber delitiarum pro se, ibi tuber superbiæ, & indignationis in proximum. Vbi dapes, ibi apes. nam in crapula, & in mensa solent homines fieri apes hoc est detractores, & iracundi. ideo quidam Patres putant diuitem in lingua cruciatum fuisse, quia cum crapula maledicentiam coniungeret. verbum *dapes* continet in se apes: ita & in re *vbi dapes, ibi apes*.

2. Qui infamiam reuelantes silentium exquirunt ab auditore quam fatui. ijdem in sequentibus variè notati.

2. CHRYSOS. Ho. 3. ad pop. ait, *Qui detraxerunt rogant, ne alteri dicat. postquam ipsum prodidisti, salutem eius quæris?* Addit Chrysost. huiusmodi detractorem silentium exigentem ab eo, cui vitia alterius reuelauit; esse similē nationi Iudæorū, quæ prius occidit Prophetas, & postea monumenta eis ædificabat, vt dicitur Luc. 11. Adde tu hunc detractorem prodere infamiam proximi, & statim ei monumentum fabricare, hoc

CHRYS. Ho. 3 ad pop.

Luc. 11.

hoc est pectus auditoris ei constituit pro sepulchro. solent enim dicere: Quæso hæc res apud te sepulta sit. Occidunt famam proximi: & vt ei intulerunt mortem, volunt in te dare illi sepulturam.

Sed plerumque frustra exigunt secretum, quod ipsi præstare nesciebant. nam cum dixisset Ecclesiasticus

Eccles 19. 10. 19. 10. *Audisti verbum aduersus proximum tuum? Commoriatur in te, fidens, quod non te dirumpet.* subdit statim: *A facie verbi parturit fatuus, quasi gemitus partus infantis.* Cum autem qui audiuit à te verbum plerumque fatuus sit, hoc est peccator; nec admodum constantis animi in secretis reticendis; velle, vt ille sileat id, quod ei committis ferè idem est, ac velle, vt grauida in doloribus pariendi constituta, parere non conetur. Sensus enim loci prædicti est, quod fatui angustia donec pariat id, quod audiuit, est velut gemitus mulieris parturientis, hoc est parere conantis infantem.

Italicè dicimus: *Non vuoi che si sappia? non lo fare. non vuoi che si dica? non lo dire.* ist est: Non vis sciri? ne facias. non vis dici? ne dicas. *Commoriatur in te.* Non vis in te mori, & putas in alio posse sepelire? Non pateris te commisso secreto esse aluum, & credis alterum fore illi sepulchrum? non es passus fieri illi breue hospitium, & putas alium illi forè æternam domum? Peperisti illud quasi mater infantem, & quasi in alterius matris aluum, hoc est auditoris, transfudisti: & credis hunc à te exclusum infantem suam istam secundam genitricem reddere posse infantem, hoc est non fantem? Credis infantem hunc ab vtero transferri ad tumulum, cùm tamen iterato introeat in ventrem matris, & iterum nasciturus sit: quasi in his secretis fiat quid simile opinioni Pythagoræ, de qua Virg. *Rursus vt incipiant in corpora velle reuerti;* de animarum transmigratione loquens.

At detractor loquitur *verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* dicit enim: Dicere hic secretum huic, est velut dicere lapidi. Verum dicis; sed cui lapidi? nimirum ei, qui *index* vocatur, qui symbolum est garruli, & omnia reuelantis. indicat enim hic lapis cuius metalli sint quicumque nummi eum attrectauerint. Ita ferunt, Mercurium vaccam furto ablatam Batto pastori, rei conscio, donasse eâ conditione, vt id nemini diceret: rursúsque ei apparuisse formâ mutata, oblatâ alia vacca, si reuelaret ei prioris vaccæ furtum. reuelauit Battus, & in pœnam mutatus est in lapidem indicem, qui adhuc suum retinet morem indicandi. Dixisti ergo lapidi, sed lapis iste clamabit vt in alio sensu dicitur Habacuc 2. Habac. 2.
Clamabit lapis de pariete. velut solent ædificia, lapidesq; clamare per echo, repetendo statim, & enunciando, quod tu dixisti.

Commoriatur in te. Vult te in auditum verbum fieri carnificem, illud necando: & ille se exhibet illi matrem ipsum pariendo, vult te illius fieri tubam, dum in te necas, & sepelis; at ille se illius facit tubam, dum ex se prodit, & parit. Italicè melius,

Tomba è tromba: quorum illud tumulum significat, hoc tubam.

Aliqui dicunt, *Amicorum omnia communia*, est Pythagoræ celebratum dictum ideo rem communicaui cum familiari meo. Sæpè huiusmodi reuelantes communicant cum amicis aliena mala, cum tamen non illis communicent propria bona. Volunt amicos participes habere in alieno dedecore, non tamen in proprio honore. hunc enim non communicant.

Cum detraxerint, inquit Chrysostomus *rogant, ne alteri dicat*. Vsitatus est sermo in hac re: Hoc tibi dico in confessione. *Mi confeßo hoggi da voi*. Vide deuotionem, in qua ipsa confessio est peccatum, ipsa confessio est confitenda. Se tibi exhibet præconem & exigit te sibi confessarium.

Audi, sed quæso, ne dixeris, inquiunt, vectem, seramque oris à se auferunt: tibi immittunt. (a) *Leuan la musarola à se e la pongono à te*. quod non tacent ipsi iubente Deo, putabunt te taciturum petente homine? Audi hoc, sed non audiaris in hoc. quid est hoc, nisi dicere; Audi, & non audi, dicas, & non dicas? factis enim te docet dicere, dum ipse dicit; verbis vetat dicere. simul calcaribus pungit, & frœnum inhibet vel adducit. Dicet auditor: Tu in hac re mihi magister es, eam me docuisti. non est discipulus super magistrum. sufficit discipulo, si sit sicut magister eius. ergo si tu siluisti, & ego silebo eam.

(a) Frænos ori suo demunt, tuo iniiciũt.

Hæc non dicuntur, quasi is, cui reuelatur infamia alterius ab amico, possit licitè propalare eam; sed ad improbandam temeritatem amici eam reuelantis.

2. *Præ amicitia reuelans amico secretam infamiam vult illum dirumpi, quia eum amat.*

3. *Incontinens animi infernum sentit si secretam taceat.*

2. EXCVSAS te iterum dicens: Reuelo, seu communico rem cum amico meo ex beneuolentia, quà inter nos omnia communia. At qualis est amicus iste tuus? Prouerb. 13. *Amicus stultorum similis efficietur*. Prou. 13. tui similis est. Quid igitur ex amore confers amicissimo isti? Cibum mortiferum, seu venenum, quod tu ipse ferre nequis, nisique illud euomas, times quod te dirumpet, vt supra ex Ecclesiastico diximus. Euomis tu hoc venenum, & pro amore tuo erga illum vis, vt ille fiat canis recipiens tuum vomitum? *Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quod non te dirumpet*. cur hoc ait, nisi quia multi timent ne dirumpantur? vnde & subdit, *A facie verbi parturit fatuus: quasi gemitus partûs infantis*. ergo (si credimus tibi) parum abfuit, ne dirũpereris, nisi euomuisses; vel etiam fœtum illum malignum peperisses (dolores enim partus sentiebas.) dum ergo communicas amico id quod sileat, præ amore amicum ipsum dirumpi, & dolores partus sustinere. hiccine est amor?

Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti, hoc est secretum. Si ergo dicis te ex amicitia communicare amico secretam proximi infamiam; ergo sagittam ex carne tua edu-

eductam in carnem amici infigis, & hanc vocas amicitiam? Amor ne tuus est Amor Cupidineus sagittas iaciens in suos? Iacis sagittam, & prohibes ei medicinam, vetas sagittæ eductionem: & putas quod tibi obtemperabit?

Vide detractoris stultitiã, & prauitatem simul. Cum enim detractio sit quædam sagitta infixa in eum cui detrahitur, *Sagitta vulnerans lingua eorum*, vt Hierem. 9. ille putat sagittam, quam non infigit in proximum, infixam habere in seipso.

Hiere. 9.

3. Inferni pœnas sustinet stultus, hoc est peccator deditus garrulitati, dum secretum seruat alienum. nam in inferno mors perpetua est in damnatis, quæ numquam finitur: at cum hoc secretum sit in corde eius id, quod est sagitta in carne, hoc est, sit quoddam telum cor eius semper perforans, & consequenter mortem perpetuam efficiens; consequens videtur vt eius pœna sit quodammodo pœna infernalis. At dum se ab hoc imaginato inferno liberat, inferno verò se condemnat. Dixi fatuum sustinere infernum retinendo audita, hoc est, talem sibi videri reticentiam propter incontinentiam linguæ.

Cũ fatuus statim à conceptu verbi contra proximum, illud conetur parere; iuxta locum relatum, *A facie verbi parturit fatuus, quasi gemitus partus infantis*; & præsertim mulieres in hoc peccent, dicendum est illis: Quomodo, qui per nouem menses continetis in ventre hominem, per nouem momenta non valetis continere verbum?

Commoriatur in te. quia est latro, est sicarius famæ alienæ. Deus constituit te iudicem super hunc latronem, vt in ditione tua illum morti des. nisi pereat reus, peribit Iudex. nisi moriatur reus, iudex erit reus. laqueum, quem tollis de collo latronis, impones collo iudicis, hoc est, tui ipsius. Anima tua erit pro anima ipsius.

Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester? In Euangelio hæc duo inueniuntur vnita. nam qui *peccatores* sunt, solent plerumque *publicatores* esse secretorum. Sunt quidem publicani etiam in sensu proprio, (si loquamur, vt nostrates solent) hoc est, (a) *Perche attendono à scoprire i contrabandi delle persone.* Hoc nomen *contrabandi* significat ea, quæ contra leges importantur, vel exportantur. & metaphoricè sumuntur pro operibus turpibus. hæc enim etiam solent abscondi: quia *qui malè agit odit lucem.* Isti ergo sunt *publicani* etiam, quia, sicut veri publicani excutiunt sarcinas hominum, vt inueniant apud eos ea, quæ iis habere non licet, vel non licet secum asportare; ita isti excutiunt facta aliena vt detegant in eis illicita opera, & contra legem Dei facta, eaque publicent. Propriè dicti Publicani in publicum Magistratûs locum deferunt reperta ab ipsis, quæ prius abscondita protulerant de sarcinis, vel apothecis viatorum, seu artificum: hi verò passim ea euulgant.

(a) Quia inuigilant detegendis occultis vitiis vel actionibus proximi, sicut Publicani detegendis fraudatoribus vectigalium.

Intolerabile visum fuit semper, vt qui aliquo laborat vitio, eiusdem vitij sectatorem arguere audeat: Adagium

Adagium apud nos est, *Tu me stultum vocas, & catenam trahis? Mi chiami matto, e strascini la catena?* Quantò magis, cùm qui arguit, maiori quàm qui arguitur nota est maculatus in eodem genere mali? In priori casu

Rom. 2. 21 congruit illud Romanor. 2. 21. *Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?* Cum detrahens furetur famam proximi, & sæpè (vt dicebat Chrysostomus supra) roget auditorem suæ detractionis, ne alteri rem dicat: optimè ei quadrabunt verba prædicta (a) *Come il monacho predicarebbe ben la Quaresima, se comparisse in pulpito con la maschera da Carneuale?* furaris famam proximi apud me, & prædicas mihi ne furer ipsam, ne reuelem audita?

(a) Quâ facie prædicabit Quadragesimam monachus personatus?

Sed intolerabilius est quod detractor detractione sua contemnat, & accuset proximum de re ignominiosa, cum ipse longè ignominiosiorem rem in ipsa sua detractione committat. Nam quid turpius solet obiici alicui, vel reuelari de ipso, quam latrocinium? at cum Prouerbior. 22.

Prou. 22. 1. 1. *Melius fit bonum nomen, quàm diuitiæ multæ*; certè deterior latro est, qui illud aufert, quam qui ipsas. Fama, vt ait Iansenius hîc, pertinet ad bonum honestum, quod ex genere suo, vt omnes fatentur, est excellentius bono vtili, ad quod pertinent opes. Vnde Cato: *Omnia si perdas famam seruare memento.* Considera ergo, quod non ait Bonum nomen esse melius diuitiis, sed *diuitiis multis*, & inde collige quantus latro sit, qui aufert tale nomen. Detractor ergo, dum proximum accusat, verbi gratiâ furti occulti; hoc ipso maioris furti seipsum reum facit, & detegit.

Quid diceres, si aliquis in luto se volutans irrideret vel accusaret immunditiæ eum qui esset puluere aspersus? aut eruens sibi oculos, vellet sic illudere lusco? At tu quid facis aliud, dum latrocinando famam, accusas furem pecuniæ, qui aufert id, quod longè minus est, quàm fama? Ergo glutire me vides culicem: & vt de hoc me vituperes, deglutis tu camelum? vides festucam in oculo meo & vt me irrideas, immittis in oculos tuos trabem.

Diogenes, vt notaret Platonis luxum in quibusdam stragulis, ea pedibus premebat dicendo; *Calco fastum Platonis.* subdidit Plato: *Sed alio fastu.* At in casu nostro si tu dicas: Damno proximi peccatum: damno proximi furtum: Respondebo, sed maiori peccato sed maiori furto.

Sed vt redeamus ad illum locum Ecclesiastici 19. *A facie verbi parturit fatuus quasi gemitus partus infantis.* Eccles. 19.
Narrat Leuinus Lemnius primo de occultis naturæ miraculis, c. 5. quandam matronam sua tempestate, dum esset grauida, viso quodam viro plebeio, sed pleno, & succoso corporis habitu, appetitu carnis eius correptam fuisse, more prægnantium, quæ etiam non comestibilia, vt calcem, & crudas carnes, & alia appetunt, & vorant: quæ, inquit auctor, si eis denegentur, solent adduci in discrimen tum ipsæ, tum fœtus ipsarum. Ille ergo vir, vt ei succurreret, passus est sibi carnis bolum mordicus eripi: at cum ipsa etiam alterum velles

Leuin. Lemn. 1. de occult. nat. mir. c. 5.

vellet arripere, & ipse id ei negasset; postea peperit geminos, alterum viuum, alterum defunctum. aitque existimat fuisse, si illa secundum carnis bolum edisset, etiam alterum filium superstitem futurum fuisse. Noster igitur detractor grauidus appetit non aliquos bolos carnis humanæ, sed integros, & viuos homines deuorare. nam, vt supra dixi, detrahere, est comedere hominem. *Si inuicem mordetis, & comeditis.* Nisi ergo comedat hominem hunc, reuelando eius infamiam; putat se mori timet dirumpi.

Potest tamen (vt puto) exponi locus ille Ecclesiastici, *A facie verbi parturit fatuus, quasi gemitus partus infantis,* hoc modo: vt sicut parturiens correpta doloribus vociferatur, & viciniā totam implet clamoribus, quasi hoc modo significando quid habeat in ventre; nimirum fœtum: ita fatuus vt concepit audiendo verbum aduersus proximum, statim quasi parturiens vociferetur, propalando omni viciniæ, vel cunctis hominibus secretum auditum, quasi notificando quòd fœtum habet in corde, nimirum illam proximi infamiam.

Eodem modo videtur posse exponi quod sequitur: *Sagitta infixa femori carnis: sic verbum in corde stulti.* nimirum, quòd sicut habet sagittam femori infixam, statim clamat, & testatur omnibus, seu est causa per voces suas, vt omnes sciant sagittam eū habere infixam carni: ita qui audiuit infamiam proximi, non potest cohiberi, si stultus sit, ne vociferando eam omnibus patefaciat. Si autem explicemus quorumdam lectionem apud Iansf. qui legunt *infixa femori canis*, melius procedet hic sensus: vt dicatur, stultum, velut canem vulneratum sagittâ, voces suas omnibus ingerere quocumque discurrit, notificando scilicet verbum auditum quasi sagittam femori suo infixam. Nisi hæc probentur in sensu litterali, accipiantur accommodatitio.

2. *Fama, res delicata, etiam re tenui quomodo perdatur, & auferatur.*

2. ECCLESIASTES 10. 1. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Pretiosior est sapientia, & gloria, parua, & ad tempus stultitia.* Sensus litteralis, & communis Doctorum, vt Pagnini, Vatabli, Isidori, Montani, Caietani apud Pinedam hic, ipso subscribente, est, vt hic fiat comparatio: nempe quod sicut muscæ, licet exiguum animal, perdūt suauitatem vnguenti in eo morientes: ita sæpè parua stultitia pretiosior fit, hoc est pluris æstimetur, & plus momenti habeat, quàm sapientia, & gloria alicuius hominis, quatenus non obstante hac sapientia, & gloria hominis, ipsum dehonestat & bonum odorem famæ eius corrumpit. Sic Campensis legit; *Sic pauca sæpè stultitia homini ob sapientiam, & reliquas naturæ dotes claro, multum existimationis adimit.* vbi aduertit Pineda *vnguentum* hic significare gloriam, & sapientiam, de qua illa procedit; seu significat virū gloiosum, & sapientem. dicitur enim ab Ecclesiaste 7. 21. *Melius est nomen bonum quàm vnguenta pretiosa.* Aduerte ergo quàm delicata sit fama proximi, vt vel aëre volitantes muscæ

Eccles. 10. 1.

Eccles. 7. 21.

ipsam

ipsam perdant, nempe vnum verbulũ etiam errore linguæ à te elapsum, vel nutus quidam oculorum, aut gestus. aut etiam cum reuelatur quod tantum est veniale, sed infamatorium. Lessius de Iustitia de detractione dub. 3. exemplificat: vt cum de viro graui, & religioso quis dixerit, eum esse mendacem, licet mendacia non essent mortifera; Doctores asserunt eum per hoc infamari. & idẽ dicendum in casibus similibus: quãdo per reuelationem huiusmodi defectuum aliquis iudicatur notabiliter læsus in honore. licet enim mentiri semel, vel iterum, regulariter nõ valde æstimetur; tamen mendacem esse, in casu prædicto censetur detrahere famæ illius notabiliter.

Lessius de Iustit. de detrac. dub. 3.

Hæc *stultitia parua* famam hominis lædens (vt notat Pineda hic ex communi sensu Doctorum) est erratum leue, siue peccatum & defectus. *musca* est huiusmodi stultitia parua. & tamen res adeo tenuis est, & delicata fama hominis; vt vna musca eã auferre queat. sic pro *muscæ* in plurali, alij legunt hic *musca* in singulari. Omnes res prædictæ quæ sæpè famam lædunt, muscæ sunt, quia exiguæ videntur: & tamen perdunt suauitatem vnguẽti. (a) *Sin le mosche, che van per aria posson leuarci la fama.* Muscæ, præsertim symbolum sunt verborum leuiter & temerè à nobis elabentium. nam stolido, & leui impetu quodam muscæ ferũtur. Per talia ergo verba, quasi per muscas in vnguẽtum proximi se immittentes; fœtere ipsum facimus. fœtere facimus nomẽ proximi, iuxta illud Exodi 5. 21. *Fœtere fecistis nomen nostrum coram Pharaone.* Biblia Veneta habent: *Musca moritura facit fœtere, & exhalare vnguentum pigmentarij. sic qui pretiosus est propter sapientiam, & gloriam fœtet propter stultitiam paruam.* quamuis enim hic fortasse *muscæ* pro *musca* in plurali ponatur, tamen cum vna stultitia corrumpat gloriam, vna musca id facit, Præterquam quod vascula vnguenti odorati aliquando adeo minuta fiunt, vt vel vna musca fortasse vnguentum corrumpat. vel etiam illud, *facit fœtere*, intelligitur, reddit abominabile vnguentum ipsi domino vnguenti. ideo Pineda obseruat in Vulgata dici quod *perdunt suauitatem vnguenti*, quamuis fortè non corrumpant; quia abominabile faciant.

(a) Etiam muscæ per aërẽ volitãtes, nobis existimationem detrahere valent.

Exod. 5. 21.

Quidam legunt hic apud Pinedam. *Muscæ mortuæ corrumpunt condimentum olei dulcedinis.* ita Complutensis, & alij. imò Hieronymi versio hic apud Pinedam habet: *Muscæ, si moriantur in vnguento, perdunt odorem illius, & saporem.* Vnde videntur facere hoc vnguentum non tam vnguentum, quàm aliquomodo cibũ. & præsertim Complutensis. Sicut ergo, si quis inuideat cibum aliquem lautiorem alicui, vt ipsum à se amoueat, muscam in eum inijcit: sic aliquando inuidus aulicus, cum videat Principẽ satis sibi complacere in æmulo suo, nempe conseruo, & quasi ex cibo sibi prædulci suauitatem ex eo capere; muscam in hoc oleũ dulcedinis malitiosè immittit, scilicet illi per calumniam apponit aliquod erratum saltem exiguum, si magnum non possit sciens Principis stomachum delicatum, vel ex leui crimine

illum à sua beneuolentia, quasi à mensa reiecturum. & ita sæpe accidit. per muscam enim istam Princeps obliuiscitur, & abominatur omnem præteritam dulcedinem, & saporem, atque salubritatem eiusdē cibi, hoc est, omnes virtutes illius serui, atque obsequia ab eo sibi præstita. *Sic qui pretiosus est propter sapientiam, & gloriam fœtet propter stultitiam paruam.* Ob meram suspicionem criminis alicuius de hoc seruo sibi charo(puta infidelitatis, vel furti, aut alterius huiusmodi rei, quæ suspicio à calumniatore sibi iniecta fuit. quam suspicionem diximus etiam muscam posse vocari) siue propter confictū crimen, iste seruus incipit fœtere Domino. vnde & eum amouet ab aula, & à facie sua.

Verè obseruat Pineda hic, se non intelligere quomodo oleum medicatum fœteat, licet scateret muscis, nedum vnicâ tantum. sed exponit, quod dicatur *fœtere* iuxta varias versiones, nempe per metaphoram. hoc est displicere: vt etiam homo dicatur fœtere ob stultitiam paruam, hoc est, malè audire. quidam enim reddunt hanc secundam partem: *Reddit eum qui bene audiebat malè audientem,* subaudi: *Stultitia parua*, id facit. Quādo igitur vnguentum hoc, nimirum homo sapiens & gloriosus, tibi fœtet ob vnam, vel paucas muscas, nempe exiguos defectus, imò ob vnam tantum: (nam dicitur fœtere ob stultitiam paruam in singulari) tunc nō fœtet vnguentum sed nasus tuus nimis delicatus, & superbus fœtet tibi. Italicè dicamus: (a) *La puzza, che hai nel naso, cioè la superbia, questa è quella, che ti puzza. di questi delicati, che non ponno soffrir vn difettuccio nel prossimo, dicono per prouerbio, che gli putiscono le rose.* Tu ergò potiùs fœtes vnguento, id est, homini sapienti; quā vnguentum tibi. nam cum vnguentum arceat etiam à cadaueribus magnis fœtorem, multò magis odore suo obruet fœtorem exiguum, qui posset exhalare ab vna, vel altera musca. Idem dic de vnguento mystico respectu paruæ muscæ, nempe stultitiæ. Fœtet ergo homo sapiēns per exiguam maculam naribus stultorum, non sapientum: vt Pineda etiam hic obseruat. Musca, quæ facit tibi fœtere vnguentum non est illa, quæ in vnguento residet, sed quæ in naso tuo. Italicè enim, irâ corripi, & muscâ nares aggrediente impeti, idē est; (b) *gli salta la mosca al naso.* fœtet tibi musca non quæ in odorato est, sed quæ in odorante; musca inquam superbiæ, musca iracundiæ. ambæ enim muscæ sunt, si non ob aliud, saltem quia stultitiæ sunt, quia peccata sunt. stulti enim cuncti peccatores in Scriptura vocantur, & peccata stultitiæ. Stultitia est ira specialiter. quia vt Lyricus cecinit, *Ira furor breuis est.* breuis ergo est stultitia, de qua Vulgata nostra loquitur. quamuis & de similibus stultitijs intelligatur etiam locus ille. Errare, dicimus vulgò, *Muscam capere. Pigliar vna mosca.* muscam ergo capis, dum putas fœtere totum vnguentum ob vnam muscam. ideo per hanc etiam muscam tuam in te morientem, fœtorem sentis.

Fœtet tibi ille ob vnicam muscā. verè vt dicimus. (c) *Chi deue dar, fa citar.*

(a) Superbia, quā tu fœtes, aliorum opera tibi fœtere facit. Delicatulis istis, etiā Rosæ fœtent.

(b) Musca naribus eius insilit vel nares eius subit. i. e. irascitur.

(c) Debiti appellat ipse, qui debet

tar. fœtet tibi coniux tua alioqui odorifera ob vnicam muſcam ſuſpicionis,quam leuitas tua in eam iniecit,tamquam in vnguentum odoriferũ.& quaſi quatriduana eſſet,& fœteret,eam ſepelire cogitas, nedum amouere de domo tuâ,cogitas inquã ſepelire,hoc eſt de medio tollere.ob ſimilem muſcam,quatriduanũ putas ſeruum tuũ; & tibi fœtet.quia,vt dicitur, *Elephantem de muſca facis*.exiguã eius ſtultitiam, exiguũ errorem, magnum quiddam facis: adeò, vt velis vincere anteacta bona opera, & reliquas virtutes eius.vis muſcam deuorare omnia illa,ſeu omnia illa auferre:ergo eam facis elephantem, qui multa dorſo ſuo portat,& auehit.

Prædicta dicenda his, quibus ob exiguum erratum in concione,vel in libro,aut alio negotio,aut opere,tota concio,liber,aut negotium fœtet. Item his qui ob exiguam culpam, vel ob delictum vnius monachi, vel diſcipuli,vel ciuis,auerſantur totum monaſterium,ſcholam,ciuitatem. ob vnam, vel paucas muſcas nares occludunt vnguento vniuerſo, ac pretioſo.

Meminerint illud Lyrici in Poëtica.

Quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

Et paulò ſuperiùs.

Verùm vbi plura nitent in carmine, non ego paucis.
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.

Vbi inquam eſt vnguentum odoriferum virtutum,non offendar paucis muſcis, vel vnicâ muſcâ erroris. at illi contrarium argumentum faciunt ſeu contrario modo concludunt;volentes fieri vnguentum abominabile propter vnicam muſcam, cum ipſi velint ſuſtineri,& amari habentes Beelzebub ſecum, hoc eſt Deum muſcarũ, qui in ipſis per peccatum regnat.

2. *Error exiguus non maculat ſapientem, nec vnus malus monachus monaſterium.*
3. *Detractor ſagittat etiam muſcas.*
4. *Peccator in iuſto nec muſcam leuis errati pati poteſt, cum in ſe plures toleret Camelos peccatorum grandium.*
5. *Idem à muſcis necatur mortis.*
6. *Idem libentius capit muſcas, quàm aquilas hoc eſt, leues errores, quàm ſapientiam.*

2. MVSCÆ *morientes perdunt ſuauitatem vnguenti pretioſior eſt ſapientiâ & gloriâ, parua, & ad tempus ſtultitia.* hoc eſt(vt ſupra ex communi ſententia explicauimus,)ſic parua ſtultitia præualet ad maculandam ſapientiam, vt muſcæ ad reddendũ vnguentum abominabile. Hier. Olimp.Raban.Dion.Chart.Arboreus, & alij per *muſcas* intelligunt hic peccatores,per *vnguentum* bonos. & D. Franciſcus, vt eſt in vita eius, vocabat monachum otioſum,& carnalẽ, hoc eſt ventri deditum, & pigrum, muſcam.Dic ergo,quod quãuis mũdus tẽpore Noë eſſet plenus muſcis innumerabilibus, nempe peccatoribus,muſcis inquã immundis ob peccata carnis;(muſca enim immunditiæ præſertim ſymbolũ eſt, vt Pine-

da hic notat, insidens marcidis, & sordidis rebus.) muscis corruptis,& morientibus, seu mortuis corruptis. (*nam omnis caro corruperat viam suam.* vnde, & ab ijs dicitur terram corruptam fuisse. tamen tot muscæ morientes, & corruptæ in peccatis non potuerunt corrumpere vasculũ exiguum vnguẽti, nempe Noe, qui de illis erat, de quibus dicitur, quod *sicut odor balsami erunt ante te.* imo nõ solum non fœtuit ob circumstantes muscas, sed Dominus ab eius sacrificio dicitur odoratus odorem suauitatis. Vnde Ambros. l. de Noë, & arca cap. 4. ait: *Dicitur Noë apud Dẽũ gratiam inueuisse. simul ostenditur, quod hominem iustum non obumbret aliorum offensio.* Cum ergo mundus plenus muscis non perdiderit suauitatem odoris vnius vasculi odoriferi vnguenti, hoc est, non fecerit illud fœtere in naribus Dei; vide corruptionem magnam nariũ, & sensus mundanorum hominum, quibus vas ingens vnguenti, hoc est, monasterium, vel monastica Religio tota fœtet ob vnam, vel aliquas muscas, nempe monachos peccatores, vel otiosos, quod B. Franciscus muscas vocitabat. dixi vas ingens vnguenti, imo apothecas multas odoramentorum. nam quid est Religiosum monasterium nisi locus huiusmodi vnguentorum? Christi bonus odor sunt iusti in omni loco.

Ambros. l. de Noë & arca cap. 4.

3. Peccatores *intenderunt arcum, parauerunt saggitas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* sagittant detrahendo. nam vt dicitur Ier. 9. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* sagittãt Religiosas Congregationes, sagittãt bonos viros. Sed quo dirigunt sagittas suas? vide si mundus habeat sagittarios ita peritos, vt sunt isti sagittarij diaboli. nam in muscas ipsas iaciunt, & infigũt sagittas suas. Musca enim est, vt dixi, exiguus error viri probi, vel exiguum aliquid mali in monasterio bono, nempe aliquis frater musca. Culicem, & festucam in homine probo existentem feriũt: iuxta illud de liquando culice, & de festuca oculi. Alterum oculum claudit sagittator, vt non videat nisi scopum suum. vide quomodo claudat hic iaculator ferè vtrumq; oculum. nam corpus virtutum iusti hominis non videt, non vult videre; sed tantum festucam, culicem, muscã super eum stantem inspicit, quasi idẽ iustus nil vlterius boni haberet in se. Faciunt de trabe festucam, vt festucã inspiciant, & feriant. hoc est, de crassitie ingenij sui quasi de trabe, efficiunt festucam, hoc est, per subtilitatem, & acumen, illud quasi festucam reddunt, vel acum, vt quasi festucã & acu tangant, hoc est, indicent proximo certa & peculiari euidentia festucas bonorum, & eas de festucis faciant trabes amplificando verbis, vel pro trabibus iudicent. nam quid est paruam stultitiam pretiosiorem sapientiã & gloriã esse (nempe iuxta opinionem vulgi, vt Pineda exponendum intelligit) nisi festucam esse maiorem trabe asserere, seu existimare?

Ier 9. 8.

Fœtet sapiens ob stultitiam paruam, sicut vnguentum propter muscam, vt Veneta Biblia habet. Arabica autem legit: *Musca moriens fœtere, & corrumpere facit vitem boni olei.* vnica,

ca,& parua stultitia,seu parua musca quomodo potest vtrem olei boni, hoc est, odoriferi fœtidum redderet at dic,indicari, quod diximus, nempe quod vnica, & parua musca exigui erroris naribus vulgi deprauatis faciat fœtere etiam virum alioqui valde sapientem:vel vna musca, nempe vnus monachus inutilis, seu malus, faciat fætere totam Cōgregationem. Si enim mundani videant in religioso, vel sapienti viro, & probitatis opinione & gloriâ insigni risum aliquē paulò solutiorem, vel faciem nōnihil iratam, vel quod aliquid non vilissimum comedat; cum hæc omnia muscæ sint, statim ab vnaquaque harum muscarum fastidiuntur, easque pati nequeunt.

4. Totus mundus respectu harum muscarum, (nempe defectuum minorum) Apulia prouincia est. (a) *Abondano come le mosche in Puglia.* sic Eccles. 1, 15 *Stultorum infinitus est numerus.* Symm. Veneta,& alij pro *stultorum*, legunt defectuum. vt dicatur, defectus non posse numerari. quod maximè dici potest de defectibus minoribus. non enim est inuenire in hac Apulia mundi cubiculum, nec mensam, nec patinam (licet apud Reges,) sine aliquibus muscis. quod est dicere: Non est homo, qui non peccet. quia) *Nihil ab omni parte beatum.* At cum in templum Salomonis, (vt refert Pineda hic ex libro nuncupato Capitula Patrum) non intrarent muscæ; cumque iusti sint templum Spiritus sancti; vellent mundani, illos esse templa Salomonis. vellent inquam iu-

(a) Tot sunt muscæ in Apuliâ. Eccl. 1. 15.

stos sine muscis leuium peccatorum esse.

De Imperatore quodam legitur, quod quotidie per aliquod tempus in cubiculo muscas, quas capere poterat configebat stilo quodam cumque cubicularij tunc interrogarentur, an aliquis intus esset cum Principe, responsum fuit: Ne musca quidem. quod abijt quasi in Prouerbium. Quemlibet ergo virum sapientem vellent esse hunc Imperatorem, vt ne musca quidem apud ipsum sit. De imbecilli animi viro, & stomachabundo dicitur: (a) *Non può sopportar pur vna musca.* Item: *In pulicis morsu Iouem inuocat.* at deterior est hic homo, qui ne muscam quidem pati potest in alio, imo nec muscam morientem, vel, vt alij legunt, mortuam. Si musica insidet sapienti; quomodo tu ab illâ molestaris, & clamas? cur? nisi quia iuxta adagiū: De musca facis elephantem?de musca in alio facis elephantem in te,hoc est contra te,de culice camelum: hoc etiam aliquando facis, dum ex leui defectu iusti iudicas in eo maiora crimina. Vide quàm fortes sint isti Atlantes,qui neque humeros animi habent ad muscam tolerandam, cum sæpè præsumant de illis esse, de quibus dicitur in Iob, *Sub quo curuantur, qui portant orbem*, quod exponitur de Principibus. Sub musca ergo curuantur, qui portant quod nec cœlū,nec terra portare potuit, nēpe peccatum. Lucifer enim, cum sicut onus graue grauata esset super eum iniquitas sua, nec à cælo, nec à terra sustineri potuit, sed in abyssum descendit. illi ergo portant pecca-

(a) Ne muscam quidem pati potest.

 tum

tum in omni vita, & muscam portare nequeunt in alio.

Heb. & Epiph lib. 1. cap. 3.

5. *Muscæ morientes*, &c. Hebræa, & Epiph. lib. 1. cap. 3. contra hæreses legunt: *Musca mortis*, & ipse explicat ibidem, *musca mortifera*. Sap. 16 9. *Illos enim locustarũ & muscarum, occiderunt morsus.* in sensu mystico de his explicatur hic locus. ergo muscæ huiusmodi mortiferæ sunt mortiferæ sunt maledicentibus, quando ab eis excitantur ad diiudicandos bonos viros de maioribus vitijs; vel peccatum vnius attribuunt pluribus eiusdem Ordinis viris. & per vnam muscam faciunt fœtere totum vnguentum. ergo tam fortes sunt, vt muscæ eos occidant, & muscæ eos ad infernum pertrahant, muscæ etiam mortuæ.

Pretiosior est stultitia parua, quàm sit sapientia, & gloria, hoc est (vt ex communi doctorum exposuimus) plus potest iudicio populi, licet iniquo, ad abolendam gloriam sapientiæ, & meritum, quàm hæc possint ad obumbrandam, & excusandam illam stultitiam paruã. Cum verò dixerimus hanc exiguam stultitiam hîc vocari muscam; & sapientia, & gloria sit lucerna ardens vnde ardent lampades istæ in virginibus prudentibus, quæ figura sunt sapientum, & extinguuntur in fatuis: cùm muscæ, quæ Italicè dicuntur *Farfalle*, irruere solent in lucernas, ipsæ ab eâ potius comburatur, quàm eam extinguant: tamen vulgus hoc loco asserit, muscam extinguere lucernam, hoc est paruam stultitiam extinguere gloriam cùm potius contrarium eueniat. Et si *charitas operit multitudinem peccatorum*; multò magis vnam, vel paucas muscas comburere potest. nam *lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* Aquila symbolum est sapientiæ, & gloriæ propter acumen oculorum, & Solis intuitum stabilem, & quia super aues regina est, & volando super eas eleuatur. vnde ob hoc Ioannes aquilæ comparatus. *facies enim aquilæ desuper ipsorum quatuor.* volunt ergo hi homines plus præualere muscam aduersus aquilam, quàm aquilam aduersus muscam. volunt muscam vincere, & extinguere aquilam. Breuiùs dicamus: volunt, seu æstimant lucernam esse muscam, muscam esse lucernam; aquilam esse muscam esse aquilam. (*a*) *D'vn goffo dicesi, che prende lucciole per lucerne. ma è peggio pigliar mosche per lampadi, pigliar, ò comprar vna mosca per vn' aquila.*

(*a*) De stolidis dicitur, quod accipiant noctilucas pro lucernis. Sed maior stolíditas est, accipere muscam pro lampade, aut emere muscam pro Aquilâ.

6. Pretiosior est etiam stultitia parua quàm sapientia, & gloria sapientis, hoc est (in æstimatione vulgi) maledici: quatenus hominibus charius est, & dulcius audire, seu deprehendere in sapienti viro, & glorioso exiguum aliquod erratum, seu stultitiam, quàm eiusdem magnam sapientiam, & gloriam. quod procedit ex inuidia quadam naturali contra eos, qui nobis maiores videntur in aliqua re. tum etiam ex libidine quadam maledicendi de proximo; & de his qui virtute sua videntur cõdemnare nostra vitia. quatenus audiendo, seu deprehendendo illorum errores, facultatem videmur obtinere ipsos auctores humiliandi. Carius emit peccator muscam momo-

Supra dictum est aliquam significare sapientiā, vt & lucerna id significat. musca & papilio stultitiā.

monachi, vel eremitæ, quàm aquilam; papilionem, quàm lucernam: cariùs emit, & maiori pretio curiositatis & importunitatis prædicta satagit inquirere. vt etiam carius, & pluribus emptoribus vendit has merces tamquam res haud vulgares, & cibos electos, quorum ad præsentiam auiditate, & lætitia magna ora ad cachinnos aperiant auditores. Vide horum stultitiam in vnguento odorifero muscam aliquam insidentem quærunt neglecto ipso vnguento, hoc est neglecta sapientia. verè aranearum fratres, vt sæpè de eis dici queat, *Telas aranearũ texuerunt*. araneæ sunt. ideo non venantur vnguentum, vel margaritas, sed muscas aucupantur solummodo. ita audito sapiente per concionem, vel per librum loquente, aut viso religioso viro in monasterio suo multa bona agente, vel dicente; tandem homo carnalis non defert secum ad suos, nisi muscas aliquas studiosè captas, nimirum exiguos aliquos defectus, si fortè exciderint loquenti, vel scribenti. & tunc se prædam optimam fecisse putat, quando redit cum manibus muscarum plenis. Aliqui apud Pinedam hic legunt *Ponderat præ sapientia, & præ gloria stultitia parua.* in mendacibus stateris vulgi, musca vna plus ponderat, quàm omnia prædicta, quàm orbis terræ. hoc enim est stultitiam paruam, scilicet muscā, ponderare præ sapiẽtia.

2. *Libri prohibiti cariores bonis. Mali libri fœtere faciunt bonos mandanis.*
3. *Idem faciunt comœdia de concionibus & vanitates de deuotione.*
4. *Boni in reliquis actibus per maledicentiam se malos faciunt, & detegunt.*

2. QVANDO libellus stultitias, & doctrinam haud rectam continens prohibitus, & vetitus est, ac proinde multò plus venditur, quàm libri maiores, & sapientia pleni; atque etiam ab auaris Bibliopolis, vel irreligiosis fidelibus quasi gemma aliqua inter alios libros, asseruatur, seruatur, seu potius reconditur: nonne inquam in his libris sic carius venditis dici potest; *Pretiosior est sapientiâ & gloriâ*, parua, & *breuis stultitia:* Refert Pineda hoc loco, Idolum Beelzebub (quod vocabulum aiunt significare, *Deum muscarum, propriè Deum muscam*) fuisse vnam muscam. & quia simulacra eorum argentum, & aurum; fortasse erat musca aurea, vel argentea, & vt credi potest, ingens proportione sui generis. cum ergo illa esset ipsorum Gentilium Deus, & aurea fortasse esset; in his casibus pretiosior erat musca, quàm aquila apud prædictos homines. ita etiam in casu nostro, cum in musca illa, nempe libello stultitiæ habitet Beelzebub Princeps, dæmoniorum ad nocendum, & loquendum hominibus per dictũ librum; & iste liber aureus aliquando fit in eloquio; haud mirum si ipsis seruis dæmonij illa musca fit pretiosior aquilâ, quàm dixi significare sapientiam, & ita verificari, quod pretiosior sit parua stultitia magnâ sapientiâ, & gloriâ. Libri etiam Comœdiarum, & Poëtarum recentium vulgari idiomate, vt plurimque sunt

sunt exigui, & pleni vanitatibus; sic chariores esse solent præ plurimis alijs auctoribus plenis sapientiâ, & gloria insignibus. adeò vt potius sustinerent aliqui viuere sine Sacra Scriptura, quàm sine Ariosto. Huiusmodi autem muscæ superuenientes vnguento odorifero librorum sapientum, perdiderunt illius odorem suauitatis, seu vt alij legunt, fecerunt illud fœtere, hoc est displicere hominibus, qui antea illo delectabantur. (a) *Dopo che han posto il naso nelli Ariosti, & simili; fanno scartocci del Donato, e di Ciceron. comincia loro à puzzar il Granata, e simili.* id dicendum præsertim de adolescentibus scholas frequentantibus. ita parua stultitia & breuibus pretiosior est, quàm sapientia, & gloria magna; hoc est, contra illam præualet ex hominum vitio. qui sensus parum discrepat à communi supra allato. Epiphanius l. contra hæreses pro muscis morientibus, legit *muscas mortiferas.* sic vocat prædictos homines. Dicendum ergo in hoc sensu plures occidi à muscis, quam à Leonibus, vel vrsis, & alijs huiusmodi feris.

(a) Simul ac leuiter delibarũt Ariostũ, Donatũ & Ciceronem piperis aut Scõbroui inuolucris destinant: iam Granatensis similesq; illis putere incipiunt.

Epiph. l.

3. Sicut muscæ exiguum animal perdunt suauitatem vnguenti, cui superueniũt; ita modica viri stultitia præualet, seu fœtere facit sapientiã, & gloriam magnã quam habet. hũc sensum diximus à multis dari huic loco. tamen non videtur illiteralis etiã is, quẽ postremo attuli de libris malis sapientiam, bonorum librorũ insuauem reddentibus. Simili modo si sapientiæ Concionatoris, vel Doctoris, eorumque gloriæ per actum docendi acquisitæ, superueniat societas comœdorum, vel spectacula alia vna repræsentantium, vel alia huiusmodi curiosa stultitia, videbis muscas istas perdere suauitatem vnguenti, hoc est homines ab illo abscedere quasi si muscæ illũ corrupissent. Societas stultorum iuuenum, vel degustatum aliquid amoris Cupidinei, vel choreæ, vel aleæ, vel huiusmodi stultitiarum, facit fœtere adolescenti orationis vnguentum. nam *phialæ odoramẽtorum sunt orationes Sanctorum*, vt est in Apoc. Vel deuotionem fœtere ei facit. vel corrumpunt in illo virtutem, vel discendi studium, vel bonũ nomen, & gloriam per vnguentum significatam. Modicum quid degustatum in prædictis rebus, paulatim saltẽ abducit hominem à virtute. nam, *qui spernit modica, paulatim decidet.* Ita etiam in aula Principis sapientia & gloria alicuius ministri erit in aliquo honore. at superueniet alius scurra, & adulator, qui dicterijs, iocis, & assentationibus suis Regem sibi breui deuincit, & excluso sapiente introducitur in eius locum, officium, ac beneficium: ita modica stultitia pretiosior est, magis præualet, plus æstimatur quàm magna sapientia, & gloria. quia hæc musca fecit fœtere coram Principe vnguentum sapientis. postea quam enim nares admouit Rex illecebris istius hominis; fastidire cœpit puritatem sapientiæ. O nares corruptas, quibus fœtet vnguentum pretiosum, suauiter autem olent muscæ immundissimę. O nares, quibus vnguẽtum sunt muscæ, muscæ autem sunt pro vnguento. quasi bubali dicunt alicui

Greg lib. Mor. 18. c. 18 & Bernar. serm. de triplici custodia per vnguentum hoc sanctitatem, & virtutem significari aiunt.

alicui ex his muſcis quaſi Deo ſuo, *trahe me* (quaſi per nares odore tuo) *in odorem vnguentorum tuorum curremus*. ſæpè enim aliquis ex his ſtultis, ſeu muſcis Regem quomodo ipſi libuerit, regit, trahitque quocumque vult.

4. Cygnus, ſicut & columba, eſt ſymbolum innocentiæ: coruus, peccatoris. vt ex Geneſis hiſtoria ſaltem de columba & coruo emiſſis à Noe de arca Doctores dicunt. dic ergo quòd quidam, etiamſi alioqui innocentes, tamen ex ſuperbia ſpirituali pares ſe exhibent peccatoribus in contemnendo ceteros, & denigrando famam proximi. talis erat Phariſæus dicens, *Non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Sicut ergò cygni, ſiue columbæ, & corui vmbra æqualiter nigra eſt ad candorem parietis obſcurandum ſicut & niuis ſuper quam tranſit, vel vbi hæret: ita & ipſi pares ſunt in maledicentia, & ad denigrandam candidam famam proximi, imo & ad auferendum ab illo ſplendorem, ſeu lumen gloriæ.

Sicut corpus à Sole illuſtrari neſcit, niſi vmbrâ ſuâ denigret, & luce priuet id, quod ſibi proximum eſt: ita multi neſciunt ſe ipſos illuſtrare laudibus, vel operibus, niſi ſimul proximum denigrando, & lucem gloriæ ab eo auferendo. talis erat Phariſæus dicens, *Non ſum ſicut ceteri hominum*, &c. Sed cùm ſe prædicant vt cygnos, tamen crocitando in alios, ſe detegunt coruos. cygnorum enim, hoc eſt candidorum & proborum, eſt canere, ſcilicet benedicere, non crocitare, hoc eſt detrahere. columbæ item eſt gemere: ſcilicet iuſti eſt accuſare ſe ipſum non alios. nam *iuſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis*. Qui coruus erat, ſed ſimulatus albo nimirum colore ſuperinducto, creditus eſt columba, vel cygnus cum ſileret, at loquela ſua manifeſtum illum fecit, hoc eſt crocitatio maledicentiæ. ſi enim *ſtultus tacuerit, ſapiens reputabitur.* Phariſæus non tacuit. & detectus eſt quod erat coruus.

Phariſæus ille, cum Catonem ſe, hoc eſt iuſtum, & rectum æſtimaret, ſe vtique etiam Cenſorinum fecit. &, velut ſecundus Cato apud Donatum, vitia aliena non ſua animaduertebat, & quaſi dicebat verba illius: Cum ego Cato animaduerterem quam plurimos homines errare in via morum, &c. ſed cum aliena animaduertant, non ſua in alios ſunt Catones, in ſe catti. apud nos enim fatuus per cattum denotatur, dum dicimus, tantum habere cerebri qui ſtultus eſt, quantum cattus habet.

2. *Malunt mori, quam non maledicere. exemplo probatur id.*
3. *Maledici à canibus necati. Pati ſolent in ſe alios maledicos.*
4. *Sibi potius nocent quàm alijs.*

2. TEXTOR in Officina titulo de his, qui ſibi mortem conſciuerunt ait: Labienus Poëta, videns libros ſuos ob nimiam carpendi libertatem publico decreto comburi, ſuis ſuperuiuere non potuit monumentis, ac propterea ſpontaneam oppetijt mortem. Vide libidinem

maledicendi in maledico. mortem æstimauit minus malum, quam vitam absque maledicentia, saltem per scripta, & libros exercitâ. imo non passus est viuere, quia etiam post mortem (nempe per scripta) non poterat maledicere. Vulgo dicimus: (a) *La sua vita è la tal cosa.* sic vita maledici adeo sita est in maledicentia, vt sine illa viuere non possit.

(a) Eam rem vitam suam existimat.

3. Per canes in Script. intelligi oblatrantes contra Christianos, quod faciebant infideles, aiunt Augustin. Hieronym. Ambros. Hilarius & alij apud Syluam alleg. verbo canis. Sic exponit Alcassar illud Apocal. 22. 1. *Foris canes.* Tritum est etiam apud auctores alios, canem sumi pro maledico, siue pro eo qui ceteris oblatrat. quia verò Sap. 11. 17. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur;* ideo Rauisius in officina de occisis à canibus ex volater. ait, Lucianus Sophista Samosatenus à canibus laniatus est non sine diuinæ vltionis indicio. nam à fidē Christi desciscens eam insectari cæpit. Item Diogenes Cynicus, (vt Rauis. ibidem ex Volater. ait,) qui *canis* dicebatur quod contra alios oblatraret, morsu canis eodem die obijt, quo Alexander Babylone mortuus est.

Apoc. 22. 1.

Sap. 11. 17.

Peculiare canibus est, vt inuicem adlatrent sibi, & se inuicem mordeant. sic maledicorum (iuxta illud Gal. 9. 19. *Si inuicem mordetis, & comeditis,*) proprium est vt id inter se agant. vnde est illud, *Qui quæ vult dicit, quæ non vult audit.* quod igitur dixi de duobus illis à canibus interemptis, dicendum est de alijs maledicis, allato prius exemplo illorum.

Gal. 9. 19.

quia cum canes sint, alios item canes patiuntur, qui se lacerent, sicut illi passi sunt. Dictum supra *Foris canes,* hoc est non intrent in Ciuitatem Cælestem. quia, si per impossibile possent illuc intrare, etiam in Sanctis ipsis, & Angelis quasi inuenirent per suam malitiam vnde eos morderent. cum etiam de illis in terra viuentibus, nempe de his canibus, dicatur: *posuerunt in cælum os suum.*

4. Psal. 63. *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Theodoretus exponit, *quemadmodum iacula à pueris emissa nihil damni afferunt his, qui petuntur: sic istorum linguæ nihil offendunt eos, qui configuntur.* Rectè maledicentia vocatur sagittæ, & sagittæ paruulorum. nam sicut qui timidi sunt, nec audent accedere ad inimicum (quales solent esse pueri) à longè stantes, & in loco tuto, aliquo pacto velut per sagittas conantur ipsum lædere; ita pusilli, & abiecti animi homines, eo quod non valeant, vel non audeant accedere ad eum, quem oderunt cominus contra eum pugnando; assumunt sagittas maledicentiæ, vt à longè stantes impunè eos feriant. Verè hæc maledicta sunt *sagittæ paruulorum,* nam omnia arma pusillorum, & vilium, cum minus viribus, & corde polleant, in maledicentia sita sunt. ideo mulieres, & pueri plerumque in hoc bello sunt fortiores viris. robusti canes latratus habent in dentibus, timidi verò, & catuli dentes habent in latratibus. cum mordere nequeant, tantò magis latrant. Sed vide quales sagittas assumant fortes isti pugnatores, tales nimirum, vt distantes ab host. quantum

Psal. 63.

tum

tum distant cæli à terra, & pluribus operti parietibus; imo habentes quandoque & montes pro loricis, ipsos ferire tentent. maledicentiæ enim iacula etiam in ita distantes, & diuisos feruntur.

Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Chaldæa, *& offendunt se ipsos lingua sua.* cum illi ex pusillitate, & abiectione animi paruuli sint, aut etiam paruuli fiant mente præ ira,& odio, dum per hos affectus excitati prorumpunt in maledicta; & impotes animi effecti velut paruuli, aut bruta, linguam continere suam non valent: idcirco, vt diximus, eorum sagittæ vel parum, vel nihil nocent, quia aliquando neque qui ab eis maledicuntur, neque auditores maledicentiæ, eorum maledicta, aut detractiones curant, aut credunt; scientes ea procedere à passione, & imbecillitate mentis. sicut maledicta paruulorum apud viros irrideri solent potius, quam æstimari, aut fidem habere. vnde rectè sequitur, *& infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Ista infirmitas,& impotentia nocendi per maledicentiam puerilem contra ipsos maledicentes pugnat. *Offendunt se ipsos lingua sua,* quia per maledicentiam suam detegunt, & infamant se ipsos, ostendendo se maledicos, & rabie ac impotentiâ animi correptos, viles, & paruulos, qui vt catuli sine dentibus non valeant nisi latrare. *Sagittæ paruulorum.* adeo infeliciter tractant arcum, & ignari adeo sunt iaculandi. vt sagittas contra se ipsos vertant & iaciant, dum

Psal. 77. putant iacere contra inimicum. Psal. 77. *Conuersi sunt in arcum prauum.* vbi Hieron. *Arcus prauus est, qui, dum contra inimicos sagittas putatur iacere, sauciat tenentem. Sic & Iudæi, qui in Deum iniquas eiaculantur sagittas.* offendunt se ipsos maledici in fama, at multò magis in anima, de qua offensione prædicta etiam accipi possunt. non enim nocent animæ eorum, de quibus maledicunt, sed suæ.

Qui maledicit de alijs sæpè & de se ipso etiam nolens maledicit. vnde quidam ad Dacianum:

Mundus ais malus est, cum sis tamen vnus eorum,
Quorum operâ mundus sit, Daciane, malus.

2. *Beneficentiâ maledicos in amicos conuertimus.*

2. SCARDEONVS l. 3. classe 14. Histor. Patauinæ Iacobus Grandis, inquit, qui ex Carrerensibus primus Patauij imperauit, cum esset causidicus,& aduersarius semel in eum linguâ esset inuectus, in aurem ei insusurrauit: præcidam tibi linguam hanc. at ille inde contra ipsum magis debacchatus est maledicentia. cum verò hic aduersarius domum se contulisset, Iacobus misit ad eum currum onustum tritico, insuper & suem ei dono dedit. hæc aduersarius lubens accepit, & addidit, *en dominus meus à me linguam præcidit, & mutum absque ferro contra se effecit.* ergo *Noli vinci, à malo, sed vince in bono malum.* Sit, qui tibi oblatrat, non solum canis, sed etiam Cerberus, scilicet canis inferni, canis diaboli: an nescis à Virgilio etiam hunc

Scardeonus lib. 3. classe 14. Histor. Patavinæ.

hunc offâ obiectâ acquieuisse Æneæ ad inferos descendenti? Memento illud: *Si esurit inimicus tuus*, &c. *carbones ignis congeres super caput eius.* tui amore inflammabis; obturabit os etiam Cerberi.

FAMVLI.

2. *Famuli murmurant de dispensatore, & insatiabiles sunt, euulgantque detractiones suas.*

3. *Famuli suffurantes à dominis: sæpè sunt pigri. Obediant vt Religiosi non contra regulam religionis suæ, quæ est Christiana religio.*

4. *Angelus primo apparens serua apparuit.*

D. Hier. in Epist. ad matr. & fil.



. HIERON. in Epistola ad Matrem & filiam ait, *Dispensatorem domus omnes famuli rodunt, & quod domina non dedit, illum clamitant subtraxisse. querulum seruorum genus est, & quantumcumque dederis, semper eis minus est. non enim considerant ex quanto, sed quantum detur, doloremque suum solis, quod possunt, obtrectationibus consolantur. homines facilius credunt mala, & quodcunque domi fingitur, rumor in publico fit.*

3. Facit cum prædictis, quod fingitur dixisse quidam dominus, nempè, Vnus me seruus vestit, omnes expoliant. Qui seruorum copiam ad pompæ titulum, vel ministerij vult; oportet, vt nec pauper sit, nec auarus in ipsis pascendis, & mercede eis soluenda. Serui, hoc est emptitij, emuntur semel, famuli semper. volunt esse famuli, sed non famelici. exercent tecum artem seruilem, seu mechanicam, tu erga eos liberalem. non sunt (si de malis loquamur) Briarei manibus ad tibi seruiendum, nisi fortè ad te deprædandum; sed sunt Hydræ ad comedendum. septem capita enim habebat hoc monstrum, & septem ora. (a) *Mangian per sette, & non seruon per vno.* sic famulos habes multos, famulantes paucos & plures ex illis vix agnoscis famulos, nisi in annonâ aut mercede soluendâ. Boni famuli debent seruire Domino, quasi Religiosi Deo, scilicet seruando paupertatem, castitatem, obedientiam. paupertatem, vt contenti stipendijs suis, & alimentis, à Domino non suffurentur. castitatem, ne scorta nutriant, præsertim domini impensis; vel ne mulieres heri, & familiæ concupiscant. obedientiam, vt obediant quidem, sed velut Religiosi, scilicet secundum regulam non contra illam. Religio autem sua est Christiana religio. multi enim non solum dicunt domino, *paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire;* sed, paratus sum tecum in infernum, & ad diabolum ire. domini autem ita debent seruis dominari, vt eos nolint damnari; ita sibi parêre, vt nolint perire. Obedire autem dominis contra Deum, est obedire contra regulam religionis suæ, quam diximus esse Religionem Christianam.

(a) comedunt pro septem, vix seruiunt pro vno. i. e. comedũt quod septem seruis sufficiat, vix vnius ministerium implent.

Vtinam non verum sit quod ait quidam Comicus, famulos esse velut fructus de genere cucumerum, quos mellones vocamus, è quibus vix in

in quinquaginta vnum bonum reperias. talis erat Centurionis seruus, de quo Lucas ait, quod *erat illi pretiosus*, cum multos sub se haberet milites fortasse non tales.

4. Obserua tu, qui despicis seruos seruasque tuas, quod notat quidam Doctor: primum Angelum qui in Scriptura legitur apparuisse hominibus, apparuisse Agar seruæ fugitiuæ, & alijs nominibus abiectæ, & (quod magis refert ad casum nostrum) afflictæ & in solitudine positæ, vt eam consolaretur. descendit ergo Angelus de Cælo, vt consolaretur miseram ancillam: & homuncio nec dignabitur hilarem faciem seruo, aut famulæ afflictis ostendere? Sed quærit idem Doctor: cùm prima legatio illa referatur facta hominibus ab Angelo; quarè non facta est alicuius magni negotij gratiâ, & ad personam illustrem, ne ministerium Angelicum, præsertim in principio sui, dehonestaretur? respondet consentaneum quidem id fuisse: sed inde probari, nullum officium magis gloriosum esse, quàm descendere ad opitulandum misero, atque seruo, ipsumque consolandum.

2. *Plures domus ardent, ignem ancillarum in se continentes, & nemo considerat.*
3. *Ignis hic, si non dominos vrit, vret seruos, aut domini filios.*
4. *Ignis mulieris etiam distantes, & parietibus diuisos vrit, quantò magis proximos?*
5. *Si mulieres expugnantur alienæ quantò facilius domesticæ, & ancillæ?*
6. *Exemplum recens de hac re.*

2. SED quia de ancillis mentionem fecimus, in hac materia res accidit magistrorum omnium spiritalium vocibus conclamanda, & detestanda, & ferro atque igne à nobis fidelibus extirpanda: scilicet, abusus nutriendi famulas adolescentes, & præsertim speciosas, cum peccato dominorum simul & ancillarum ex proxima occasione, & commercio turpi cum illis. Væ nobis miseris. si caminus vnus domûs ardeat, statim campanaria multa magno, ac concitato sonitu exaudiuntur, concurrunt omnes ad ignem extinguendum. sed exardescunt tot familiæ, tot incenduntur domus, ardent integræ ferè ciuitates igne, & incendio: & vix est, qui consideret, qui os aperiat ad illum extinguendum. *ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina; ignis est, qui ardebit vsque ad inferni nouissima.* nimirum libido erga ancillas in domibus multorum habitantes.

3. Cum huiusmodi ancilla ingreditur, ingreditur ignis in domû tuam. at dices, Spero cum Dei gratiâ, quod me non comburet, Deum timeo. Risum mihi facis sic loquendo, vel potius fletum. sed concedamus falsum: ignis ingreditur, partem, cui adhærebit, comburet; si non comburet lapidem, qualem te facis, comburet ligna. non comburet dominum, comburet seruos; non comburet patrem, comburet filios comburet alios domesticos, ignis est, & semper calefacit, factâ alteratione tandem introducitur forma ignis. si non comburet hodie, comburet cras: si ignis non inuadat te, tu vel alius accedetis ad

 ignem,

ignem, insufflabit dæmon. an nescis *Iob.41.12* Iob. 41. 12. quod *halitus eius prunas ardere facit?*

4. Vix est, qui ab igne huiusmodi non comburatur, etiamsi ab eo (scilicet à femina) longè distet, & ipsam tantummodo in transitu aliquando videat. Ardet multi hoc igne, quamuis parietes, & montes, & flumina, & maria interponantur inter ipsos, & illum. tu verò ipsum habes in penetralibus, in cubiculo, adstat tibi prandenti, cænanti, & quodlibet aliud agenti; & tutum te à calore eius semper futurũ putas? sed fortem te facis. *Prou. 7. 26.* an non Prou. 7. 26. dicitur, *Fortißimi quique interfecti sunt ab ea?* sed fortasse ferreus es? at non audis Hieronymũ clamantem, *Ferreas mentes libido domat.* ignis est mulier, & illâ visâ Ec- *Eccl. 9. 9.* clesiastici 9. 9. *Concupiscentia sicut ignis exardescit.* an non ignis emollit etiam ferrum? An tu fortior in amore, quam Iob in dolore, nempe susti- *Iob. cap. 6.* nendo? qui tamen dicebat c. 6. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea nec caro mea ænea est?* Dicas tu, fortitudo lapidum fortitudo mea, & caro mea ænea est; nonne ignis emollit vtrumque? quot lapides, quot æra legimus deuicta ab hoc igne muliebri? mulier, vt quidam aiunt, ita dicta quasi molliens herum: quod prǽsertim verificabitur in ancillis istis. addam ipse, ita fortasse dici, quasi molliens æra, hoc est solidissimas mentes. Vt ignis naturalis lapides, & æra mollit, ita & carnalis id præstat.

5. Plurimi sunt, qui impugnant munitas, ac fortissimas arces alienarum mulierum, idque cum expensis quàm plurimis, atque vitæ discrimine ob earum consanguineos, aut riuales in amore: vel deuorant cum prodigo filio substantiam suam cum meretricibus, cum corporalis valetudinis periculo, & boni nominis iacturâ; & secura erunt apud ipsos oppida mænijs omnibus nudata ipsarum ancillarum, quæ non asello auro onusto, sed æris exiguo marsupio, vel duplicato obolo capi possunt? capi possunt, & possideri absque vulneribus, hoc est absque valetudinis periculo, aut fame? *La roccha della donna è di canna: vedi se facilmente si vincerà.* Feminea arx, scilicet fortitudo, arundinea est. alluditur ad colum, Italicè *roccha,* quæ vox & arcem significat.

6. Sed quid, quod aliqui audent vti huiusmodi ancillis, huiusmodi ignibus, in ministerijs magis intrinsecis, & priuatis ad famulatũ proprij corporis, vt amborum maius insurgat periculum? Surius in historia sui temporis, quæ ferè etiam est temporis nostri, narrat de Gropero quodam iuuene, qui cum ancillam ex familia in cubiculo suo inuenisset sternentem sibi lectum, sancto pudore suffusus, ipsam eiecit è cubiculo, & mox lectum quasi infectum pestilentiâ è fenestra præcipitauit. In vita D. Caroli Cardinalis sic legis: Quidam pius nobilis, dum oraret in cubiculo, ancillã ad lectum sibi sternendum ingressam videt. tentatur: resistit dæmoni. tandem victus surgit eam violaturus. S. Carolus repente illi adstat facie adeo minabundâ, vt à re ille destiterit. Pius, deuotus erat ille, orabat. tamen victus est, & oportuit Sanctos de cælo venire ad frænandum impetum eius. vide quid fiet

fiet in indeuoto, in confabulante cũ ancillis, vel dormiente in cubiculo.

2. *Idem periculum peccati ex ministerio ancillarum ostenditur.*

3. *Ancillæ vulpes Samsonis incendentes fruges.*

4. *Licet ancilla vtilitate sit tibi manus dextera, amputanda est, si scandalizat te.*

5. *Paterfamilias suorum peccata vltimus audit. vigilare debet in nocte super gregem suum.*

4. Reg. 5. 2. QVARTO Reg. 5. de vna ancilla lego, quod Dominum suum mundari à lepra, & ex infideli religiosum, hoc est Deum colentem, fecerit. at plurimæ inueniuntur, quæ ipsos inquinant leprâ immunditiæ, & ex probis improbos efficiunt. Illæ ipsæ, quæ obsequuntur dominæ in mundo muliebri, obsequuntur hero in immunditia virili. quæ emundant domos, inquinant dominos. dum heros per famulatum spoliant vestibus, sæpè seipsas, & illos spoliant verecundiâ, & veste innocentiæ. sternunt lectos heris non tam alienæ quieti, quàm propriæ impudicitiæ. etiam nil tale cogitantes in laqueum tamen miseræ aguntur ab aucupantibus dominis. Si securæ non sunt mulieres etiam clausæ in cubiculis suis, in stratis proprijs à petulantia virorum; quomodo tutæ erunt in cubiculis tuis, & euoluentes cubilia tua? tutæ non sunt aues volantes in aëre: & tutæ erunt in reti tuo conclusæ?

Genes. 21. Dicam ergo tibi, quod ait Sara, Abraham Genesis 21. *Eijce ancillam hanc.* At dices: illa proba est, bona est mihi etiam in famulatu; huiusmodi non erit mihi vir famulus. sed dico tibi, Ecclesiastici 42. 14. *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Eccl. 42. 14. melior tibi erit vir malus, & ineptè seruiens, quàm mulier bona, & benefaciens tibi. Mulieres eædem sunt, quæ coquunt tibi, & quæ coquunt te, quæ ignem nutriunt in coquina, & in cubiculo.

3. Dæmon fit quasi alter Samson per huiusmodi ancillas, aduersus homines. illas quasi vulpes innumeras ignem ferentes spargit per regiones nostras, efficitque, vt ardeant fruges animarum. De quibusdam regibus legitur apud recentiores historicos, quod vt integras incenderent vrbes, plurimas aues, quæ sub tectis earum (sicut hirundines apud nos) degere solent, inde abreptas ignibus appensis dimiserunt (puto per noctem) quæ reuersæ ad locum pristinum, ingressæque in easdem domos, vrbem incenderunt. simili astu dæmones integras ferè succendunt vrbes immissis ancillis ignem ferentibus in domos, & familias hostium, scilicet hominum. abijce ergo has *vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.*

4. Horrescimus cogitantes ignis diluuium, & incendium mundi in extremo iudicij tempore, at dico, *Nunc iudicium est mundi.* nunc horribilibus est incendium. nunc est *Dies iræ dies illa, quæ soluit sæclum in fauilla.* quot enim domos videas, quæ non ardeant vel igne hoc ancillarum, vel saltem alio non minus iniquo? Stratonicus, vt est in collectore

Apopht.

Apopht. vt notaret quandam ciuitatem frequentiæ & copiæ tabernarum, cum in ea parum versatus esset; tamen dixit ciuibus, velatis oculis ducite me per vrbem vestram, & semper edicam vobis, vbi sim. id fecêre. & interrogatus subinde, vbi esset, semper respondebat, iuxta tabernam, & ita erat. at in casu nostro, fortasse rectiùs potuisset dicere, iuxta lupanar, tum ob impudicitiam multarum ancillarum, tum aliarum mulierum. ergò *eijce ancillam*: & ne dicas, vtilis mihi est. manus inquis dextera mea est illa, est oculus dexter. at Christus inquit, *si oculus tuus scandalizat te, erue eum. si manus tua scandalizat te, abscide eam.* hoc litteraliter facit ad hanc rem, vt patet, & Hieronymus exponit. præstat intrare in cælum cum vno oculo, & vnica manu, quam cum duobus oculis, & manibus ingredi gehennam.

5. In cubiculo aquam lustralem habere vis ad fugandos dæmones: & in ipsum cubiculum introducis ipsummet diabolum, nempe ancillam? retines aquam, & introducis ignem? Quid prodest tibi prohibere filijs lupanaria, cum domi eis nutrias lupas? Sed inquis, filij mei modesti sunt nil mali in hac parte noui de illis, sicut nec de ancillis. An putas te, quando effectus es liberorum & familiæ pater, simul factum esse eorum confessarium? an ignoras dominos postremos esse plerumque ad cognoscenda mala familiæ? Postremi sunt ad resciendam culpam, qui primi erunt ad luendam pœnam. eruntprimi: tum quia sæpè plus culpæ in hoc admittunt, cum per socordiam fuerint causa malorum; tum quia, sicut sunt seniores, sic primi exeunt è vita, & recipiunt iudicium. Patresfamilias sæpè Pharisæi sunt. *dicunt, & non faciunt*: at domestici è contra in malis suis, *faciunt, & non dicunt*. Venerei laneos pedes habent. Venus iungitur Sabbatho, hoc est Saturno. Saturnus vulgò tacitus.

Morbi sunt occulti, si Medici non sunt oculati: & sæpè contingit in familia, peccata omnes scire, præter eum, qui non debuit ea ignorare; hoc est præter eum, qui mederi debuit, & potuit. Heli, vir alioqui probus, & Sacerdos Domini, tamen 1. Regum 2. dicitur, quod audiuit peccata filiorum, cum iam omnis populus ea sciret. *Heli autem erat senex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israëli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Senex valde hæc audiuit, quia fortasse longo tempore ignorauit, cum omni Israeli ea nota essent. Dormiebant filij Heli cum mulieribus vigilantibus ad ostium tabernaculi (quod tunc erat, vt nobis templum) & tu securus es, quod tui id non agant cum ijs, quæ obseruant ad ostium cubiculi ipsorum, hoc est paratæ sunt ministrare illis in famulatu, quem diximus? *Obseruabant*, hoc est excubabant orantes, vt litteraliter exponunt *ad ostium tabernaculi*. erant ergo deuotæ mulieres, & tamen corrumpebantur à filijs Heli ipso ignorante: & tu securus es de ancillis tuis, & de filijs, eo quòd fortasse aliquam coronam videas ab eis recitari? Illæ, vt ita dicam, non erant securæ in Ecclesia, & tuæ erunt securæ

1. Reg. 2.

securæ in domo ; imo aliquando etiam in filiorum cubiculo? Vide eodem in loco acerbam punitionem Heli, & domus eius, quamuis corripuerit filios. de qua re alibi dicimus. Tu pater custos es tuæ familiæ. sed custodiæ præpositus in militia (nam militia est vita hominis) noctu præsertim debet vigilare. in rebus claris, & in die nil mali vides, hostes non aduertis. sed dicendum tibi id Isa.21. *Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* quid est quod in occulto, quod etiã in nocte faciũt filij tui? tu dormis nocte, & filij dormiunt, sed sicut & dormiebant filij Heli, cum dormiret bona fide pater eorum, scilicet ignorantiâ. dormiebant inquam cum mulieribus. canes symbolum sunt custodũ, *Canes muti non valentes latrare.* noctu præsertim munus hoc canes peragunt. sed noctu in cernendo oportet esse feles, vt in custodiendo, & latrando simus canes. feles enim dicuntur noctu videre.

2. *Dominæ nutriunt domi famulas pulchras in caput suum.*

2. CAVSA verò tanti mali, nimirum nutriendi in domibus ancillas adolescentes, & præsertim pulchri aspectus, solent esse vxores dominorum, quòd huiusmodi famulas in obsequio suo velint. sed in eis impletur illud Ecclesiastici 27. *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet*; & illud, incidit in foueam, quam fecit. Nam duo prȩsertim sunt tormenta vxorum, primum, si earum forma despiciatur, præcipuè à viris; alterum, quod ex illo cõsequitur, est Zelotypia. sed cùm speciosas retinent ancillas, quid agunt nisi quod carnifices sunt contra se ipsas vtroque hoc cruciatu? præcipuè cum concupiscentia, & dæmon pulchriores videri faciat seruas ipsis vxoribus, ipsis scilicet viris. quia *nitimur in vetitum*, & vt quidam ait, aliena mulier speciosa videtur: *Vt vetitus, pulcher creditur esse liber.* Ambitio est, quòd honorari velint vt pulchrȩ, atque ambitio est secum pulchras trahere ancillas. at vna ambitio aliã punit. Dolent de viris quod ipsas feriant gladio zelotypiæ, at ipsæ gladium in manus eorum immittunt, dum ancillas, & æmulas parant sibi ipsis. Superbia est tales requirere seruas: At quæ sic se exaltat humiliabitur. quia serua amata à domino dominæ suæ vult dominari eamque despicit. sic superbia dominæ se ipsam punit, & Prouerb. 29. *Superbum sequitur humilitas.*

Eccl. 27. — Prou. 29.

Finis Primæ Partis.

SYLVÆ RERVM MORALIVM, SEV PRÆDICABILIVM, PARS SECVNDA.

EVCHARISTIA.

2. Stupenda dignatio hominem admitti ad tantum mysterium.
3. Lapides, & sepulchra aperta in morte Christi quasi ita tali corpori inhiando. Sic ostenderunt quam pretiosum esset.
4. Lapides vestigia Christi suscepere, & corda nostra non suscipiunt.
5. Vt Angeli puritate deberent esse, qui communicant.
6. Silentium vbi expositum est hoc Sacramentum seruandum.
7. Modus soluendi creditori de eius mensa insuper edere sæpè sic fit in hac mensa.

RES adeo admiranda est, atque tremenda Christum Dei filium è tradere homini comedendum; tamque plenum miraculis est Sacramentum Eucharistiæ: vt non solùm ob alias rationes meritò coniungantur hæc duo in accedente ad altare, scilicet crucis consignatio dicentis, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & accessus ad aram per verba, *Introibo ad altare Dei*: sed etiam iustissimè id fiat vt exprimatur admiratio tãtæ rei, & dignationis Christi erga homines miseros. Meritò inquam hæc duo iunguntur ob alias rationes, sed etiam iungenda videntur ob affectũ eximiæ admirationis, sanctique timoris, quoad hoc mysteriũ appropinquare debemus. in admiratione enim & timore magno cruce nos signare cõsueuimus. ita hic Sacerdos dicit, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Introibo ad Altare Dei*. quasi dicat, Oh rem stupendam: ego vermis introibo ad altare Dei, ego infelix homo conficiam, sumamque tantum Sacramentum.

3. Si enim *terra cõtremuit* suscceptura corpus extinctum Christi, quantò magis Christianus suscepturus viuũ, & in modo essendi plus quàm mirabili, contremiscere debet? Matth. 22. 51. *Terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt; & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt.* Petræ scissæ sunt, non tam dolore, vt ita dicam, mortis Christi, quàm vt aperirent ora, & inhiarent Sanctissimo illi corpori. ita & monumenta aperta sunt, nõ tam vt corpora Sanctorum ex ipsis exirent viua, quàm vt corpus Sancti Sanctorum in se ingrederetur mortuum; quasi certatim ei inhiarent. Ergo etiam si lapides essemus, scilicet duritiâ cordis, & insensi- *Matth. 22. 51.*

sensibilitate deuotionis;etiamsi vnica tantum forma consecrata in vniuerso mundo haberi posset,sicut tūc vnicum corpus in esse naturali haud poterat nisi ab vno recipi sepulchro: Si inquam res in eo statu essent,neq; fas esset locum dare corpori Christi intra nos, nisi scissis pectoribus, aut cordibus nostris carnalibus;scindēdi omnino essent lapides pectorum, & cordium, vt locum præberemus, ostiumque aperiremus tanto hospiti, quamuis incerti in cuius pectus ille descensurus esset. Scindenda forent pectora cunctorum mortalium, vt certatim tam pretioso bolo inhiarēt. *Multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt.* in tumulis pectorum nostrorum corpus Christi suscepturis, plura virtutum proposita,&feruoris desideria, quæ sopita in eis fuerant, debēt euigilare. Vel prædicta applicanda peccatorum pœnitentiæ præmittendæ Eucharistiæ sumptioni: vt prius terra peccantium concutiatur, & lapidea eorum corda scindantur per contritionem, quam recipiant corpus Christi; ne peiores,& duriores sint homines ipsis lapidibus. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat.*

4. Baronius anno Christi 34. ex antiquis auctoribus refert saxum, in quo stetit Christus ascēsurus in cælū in OlFiueto, vestigia pedū eius ita firmiter recepisse, vt neque exercitu Romanorū illuc postea cō scendente abolita fuerint. Væ nobis miseris. pectora enim saxis duriora, vel etiam corda retinemus. quoties enim descendit Christus intra nos? & tamen viscera,& corda nostra numquā susceperunt vestigia sancta eius,hoc est imitationem viarum, & virtutum illius. emolliūtur saxa,super quæ descendit Christus, & corda frigida, & obdurata non emolliuntur,vel si aliquando vestigium quoddam Christi in eis remāserit,statim aboletur:cùm tamen ille dicat, *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* vult seipsum poni super cor velut sigillum regium nullatenus violandum, & abolendum.

Baron. an Christi 30.

5. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Matth. 6. 11. habet, *Panem nostrum supersubstantialem.* Ambros. Cypri. Tertull. Hieron. Athan. & alij apud Maldon. hic exponunt de Eucharistia, quæ quotidie saltē ab Ecclesia sumitur. sed obserua dici ante hæc verba, *Fiat volūtas tua sicut in cælo, & in terra.* In præparatione ad tantū Sacramentum vult homines in terra (quoad possibile est) volūtatem Dei tam perfectè facere, quantum eam complent Beati in cœlo. Cum terra per mansionē Christi, & Dei,in hoc Sacramento, fiat alterum cælum dignitate; docet nos petere & operam dare,vt quantum possibile est,alterū cælum etiam fiat sanctitate. dixi terram,hoc est homines, qui eam incolunt,& fideles sunt. Cum de illo pane dicamus, *Panem Angelorum manducauit homo*; vult nos Angelos fieri, vt panem Angelorum edere possimus. Ideo ergo primo dicendum, *fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*, & postea, *panem nostrum*, & cū hæc duo coniuncta fuere,vt discamus in nobis ea simul debere incedere modo explicato.

Matth. 6. 12. Ambros. Cypri. Tertull. Hieron. Athan.

Ideo Chrys. Hom. 24 in primam ad Corinth. ad illa verba Lucæ 17

Chrys. hom. 24. in 1 ad Cor ad ill. verba Luc. 17.

 Vbi

Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ; aquilas vocari,inquit, ad hoc corpus, hoc eſt eos, qui humi non ſerpunt, ne quid commune habeant cum terra, ſed ſeorſum ad Solem iuſtitiæ aſpicientes ſint. *Aquilarum inquit, non graculorum eſt hæc menſa.* Quid eſt hoc, niſi Angelos debere eſſe, qui Angelorum pane veſcuntur? Aquila eſſe debuit is, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit: & quomodo aquila non debet eſſe is, in cuius pectore, & viſceribus Dominus recumbit?

6. Aquilæ ſint,non graculi,qui cõgregantur vbi fuerit corpus, hoc eſt qui cõueniunt in Eccleſia,vbi Corpus Chriſti apponitur fidelibus. Cõgruit locus iſte per accommodationem,(vt eum Chryſ.accipit)cõgruit inquam præſertim venientibus in Eccleſias ad orationem, dum ibi Corpus Domini expoſitum eſt. huiuſmodi verò, qui ſpiritales nuncupantur, vel fortaſſe eo titulo appellari gaudent, non eſt æquum eſſe graculos;quòd huiuſmodi aues garrulæ ſint, & à ſono vocis graculi vocantur. vnde eſt verbum Italicũ, *gracchiare.* non inquam æquum eſt eſſe graculos,hoc eſt garrulos in Eccleſia, & inuicem verba miſcentes coram Chriſto. quod vitium ſæpè cadit in mulieres, aliosque huc conuenientes non tã propter Chriſtum, quàm propter Lazarum,hoc eſt,propter curioſitatem cernendi illos, vel illas, quæ illuc confluunt, vel etiam propter apparatum,& melodiam. Ita adagium eſt de garrulis ad inuicem colloquentibus, *Graculus adſidet graculo.* Vbi loquitur rex,vbi Pontificis verbum auditur, quis audeat vel os aperire? & vbi auditur verbum Dei omnipotentis per Sacerdotes; imo vbi ipſe Pater profert nobis Verbũ ſuum ſubſtantiale, ſcilicet Filium ſuum in Euchariſtia præbet adorandum; audebimus loqui, & vana loqui?vbi Verbum eſt diuinum,audet verbum audiri humanum? vbi eſt Verbum Dei, audet audiri verbum hominis; imo verbum diaboli? nam vox graculi, vox vana, & indeuota coram Chriſto, nonne verbum eſt diaboli?*Dum medium ſilentium tenerent omnia*, &c. *Omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit.* Vniuerſa vult ſilere, dum Sermo eius dum Filius eius naſcitur in ſtabulo,& nõ ſilebunt duo homunciones, dum adoratur in templo? Vbi ergo fuerit corpus,ibi congregentur aquilæ, nõ graculi. *Aquilarum, non graculorum eſt hæc menſa*, ait Chryſ.

Graculi præterquã quod ſint garruli,imitantur etiam ſermonem humanũ,ſi & docti fuerint,aiunt Scriptores. congregentur ergo vbi fuerit Corpus Chriſti, & locus orationis aquilæ potius, quàm graculi, hoc eſt contemplantes magis,& meditantes Solem illum iuſtitiæ:quàm ſolummodo garrientes vocales quaſdam preculas quaſi graculi, & pſittaci abſque mentis attentione, & deuotione. *Contemplor* à templo dictum volunt, vel *templum* à contemplando.

7. Explicauimus verba illa, *fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra* tamquam documentum præparationis ad ſuſcipiendum Sacramentum, de quo ſtatim dicitur,

Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Sed & quæ sequuntur verba, ad susceptam Eucharistiam pertinere videntur. (saluis alijs expositionibus) nimirum, *Et dimitte nobis debita nostra.* Vide quæso quodnam remedium, quamuis graue & acerbum non adhiberet, qui grauatus est ingenti ære alieno, vt se ab illo solueret. At qualis esset creditor ille, qui debitorem suum ingentis summæ non solum non mitteret in carcerem, sed insuper doceret eum, vt sæpè assidens mensæ suæ, scilicet ipsius creditoris, ita debita exolueret? præsertim regio, & pretiosissimo vtens cibo. Nonne qui regi debitor est, diceret potius in egestate constitutus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, & auge nobis debita nostra? Quid autem si debitores poscũt augeri sibi beneficium, & minui pensionem? Si dicat debitoribus, reddite quod debetis, verbi gratia centena millia aureorum; & illi respondeant, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra? Tamen adeo bonus est creditor noster, vt doceat nos tam grandis summæ debitores dicere, *Panem nostrum supersubstantialem*, seu *quotidianum da nobis hodie; & dimitte nobis debita nostra.* hoc est dimitte nobis, præsertim mediante hoc pane. nam vt D. Thomas inquit, in sermone in festo Corporis Christi, *Nullum etiam Sacramentum est isto salubrius, in quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur.* Petimus ergo, & obtinemus à Christo, vt sæpè sedentes ad mensam eius sic soluamus ei debita ingentia. imò ipse ad hoc nos vocat.

Cum medici tot facultates, seu virtutes in herbis, pharmacis, & cibis inuenerint, numquid inuenerunt aliquid ex ijs, quod facultatem habeat debita soluendi, si suscipiatur? quanto in pretio foret hæc medicina, vel hic cibus, si id præstaret? at medicus ille, de quo dictum, *non est opus valentibus medicus*, hanc adinuenit medicinam, hunc cibum, quem tamen non vendit, sed omnibus fidelibus suis liberalissimè donat. vnde docet nos dicere, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, & præsertim illo mediante *dimitte nobis debita nostra.*

Remedium ad soluenda debita est potius ieiunium, iuxta adagium illud de soluendis quotidianis debitis ab homine tenuis fortunæ, *Và à dormir senza cena, e la matina leuerai senza debiti.* hoc est, vade cubitum absque cœna, & surges absque debitis. Vel saltem remedium fuerit ad hoc vesci cibo vili. At Deus in casu nostro vult nos epulando, & conuiuium magnum sæpè agitando, cibũ diuinum edẽdo, soluere debita. Ieiunijs etiam & eleemosynis purgantur peccata, quod est solui debita. tamen adeo proterui sumus, vt si dicatur nobis, ieiunate, vt debita soluatis; nolumus ieiunare: si dicatur, comedite, vt soluatis debita; nec volumus comedere. Si dicatur erogate eleemosynas, nolumus erogare; si dicatur, accipite ergo vos eleemosynam, nẽpe thesaurum absconditum in agro, ipsum Christum, vt Hilarius Hierõ. & alij exponunt, vt vel sic exsoluatis

tis debita; neque id volumus. *Panem supersubstantialem* vocat Matth. 6. eò quòd sit super omnes substantias, hoc est diuitias. quid mirum ergo, si illo soluantur debita? si dicatur, *panem nostrum substantialem da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra*?

Matt. 6.

De prandio extremo damnatorum ad mortem, iactatum est illud apud nostros, *Conuiuiū Ducis, seu Principis*: eò quòd magistratus, nomine Principis in eo casu appellatus, lautum prandium exhibeat huiusmodi damnatis. Cum autem rei isti, debitores sint iustitiæ, scilicet ad soluendas pœnas; numquid per illud prandium dimittitur eis hoc debitum? imò tale conuiuium signum est pœnæ soluendæ. At cum debita nostra, nimirum peccatorum sint pœnarum luendarum, per Principis, hoc est Christi prandium nobis (eis pœnarū dimittūtur debita multa debiti supplicij. vnde dicimus, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra.* quia etsi etiam alijs medijs purgamus peccata, hoc præsertim Sacramento id agimus.

Quidam Imperatores Romani panem aureum singulis conuiuis apposuerunt. de illo quidem pane potuissent dicere Imperatori, *Panem nostrū da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra.* quia per illum poterant soluere debita aliqua. at multò magis id potest panis supersubstantialis Christi; eò quòd sit super omnes substantias, hoc est, diuitias.

Multi pluris æstimant pilum Christi, vel guttam sanguinis eius quam ipsum Christum. nam plurimum studij, & operis impenderēt, vt prædicta haberent in pixide, cum ne parum quidem curæ suscipiant, vt habeant ipsum Christum per Eucharistiam in pectore.

2. *Terra indigna est, qua à communicante calcetur.*

3. *Christus in quendam infernum descendit, vt cum amata anima sit.*

4. *Communicans quasi hostia Sacramenti terram in puncto tangat, vt sphera.*

5. *Malè communicans peior dæmone Communem amarescere facit nobis mundana.*

OBSERVATVM est lupos semper macros videri: & tamen libēter agnos comedunt. sic multi fratres sunt luporum. nam licet sæpè Agnū comedant, tamen adipe, & pinguedine non repletur anima eorum. non impinguantur spiritu.

2. D. Dominicus, vt est in vita eius in Chronicis sui Ordinis, cū Romæ missam celebraret, visus est manifestè ab his, qui aderāt eleuari à terra. qualia admiranda probabile est accidisse alijs iustis post receptionem Sacramenti. si enim legimus multos ex illis in excessu mentis, & contemplatione orationis ita eleuatos; quando magis rapiuntur animæ Deo plenæ in huiusmodi excessus, & affectus, quàm cū sponsum æternum intra se susceptum complectuntur? Eleuatus ergo est Dominicus à terra, vt Deus per id doceret nos, eum, qui accessit ad hoc sacramentū, non debere amplius ambulare in terra, sed quasi Angelum eleuari ab omni terrena conuer-

uerſatione nam, vt dicebamus, vbi fuerit hoc Corpus, ibi cōgregari debent aquilæ, non graculi. item ſignificaretur terram nō eſſe dignam, neque quæ calcetur ab eo, qui ſanctè accedit ad hoc myſterium. fieri enim ſic communicantem ex illis, de quibus dicitur, *quibus dignus non erat mūdus.* (a) *La terra non è pur degna di toccar le ſuole delle ſcarpe d'vn ſanto communicāte, ò Sacerdote.* Datur Chriſtus in viaticū in morte nō ambulaturis amplius neque materialiter in terra, ſed properantibus ad Cœlum, ſicut & in figura datus agnus euntibus in terram promiſſionis.

(a) Digna non eſt terra tangere ſoleam calcei eorum qui ritè ac ſanctè communicant.

3. Quando Chriſtus deſcendit ad inferos, non deſcendit ad habitationem dæmonum, quæ eſt infernus tamen ob amorem ſponſæ ſuæ, ſcilicet animæ, maiora quodammodo facere videtur, quam tunc fecerit. nam cum in corpus obſeſſi à dæmonijs ingredi non exhorreat, in quo nonnūquam legiones integræ dæmonum eſſe poſſunt, vtique quaſi videtur in infernū deſcendere, cū in habitationem eorum deſcendat. infernus enim vulgò dicitur domus diaboli, *caſa del diauolo.* Chriſtus tolerat ſe eſſe, vt ita dicam, in inferno ipſo, dummodo cū amata anima ſit. imò hunc infernum ſibi reputat Paradiſum ob cōtubernium eiuſdē animæ. nam inquit, *deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.*

4. Sphera, vt aiunt philoſophi, planū tangit in puncto. ita hoſtia, ſeu forma orbicularis, in qua eſt Chriſtus ſacramentaliter, repræſentat eū, qui intra ſe Chriſtum ſuſcepit per Sacramentum. vnde ſi non valet omnino eleuari à terra per conuerſationem quaſi alter Dominicus, ſaltem terrā debet vt hoſtia erecta, & vt ſphera, tangere tantum in puncto, & ſolum quoad neceſſaria communicare cum terra.

5. Qui indignè communicans, vel ſtatim ſumpto Sacramento ad peccatum recurrit, ſi nondum conſumptæ ſint in eo ſpecies ſacramentales, ita vt adhuc in ijs ſit Chriſtus, is iniquus nequior diabolo eſt. nam diabolus aſſumens Chriſtum tulit eum ſuper pinnaculum templi, & ſuper montem excelſum: at ille aliquando ducit eum ad lupanar, vel ad tabernam, vbi ſe inebriet.

Cardanus de ſanitate tuenda, ca. 78. dicit mel infecto pane corrumpi. ita amareſcit dulcedo illecebrarum mundi, & peccati, adhibito vſu panis Euchariſtiæ: *guſtato ſpiritu deſipit omnis caro.* vt ait quidam. Iulius Scaliger in 2. de plantis, mel, inquit, ſi coquatur, amareſcit, eò quòd ignis euaporare faciat partes eius ſubtiliores, in quibus dulcedo ineſt; terreſtres verò partes eius ſeparatæ, amaræ ſunt. Inde intellige, dulcedinem mellis, hoc eſt voluptatum mundi, in aëre, vt vulgò loquimur, conſiſtere, eſſeque aërem, imaginariam, vanam, & fugacem. nam dulcedinem mellis ſitam eſſe in partibus tenuioribus, & ſitam eſſe in partibus aëreis, non autem in terreſtribus & ſolidis. vnde Virgil. Georg. *Aërei mellis celeſtia dona expediam.* ex aëre enim conficitur, & dicitur à Philoſophis eſſe quidam ros decidens ſuper flores, quem apes colligunt, non tamen efficiunt, vt vulgò creditur, ſi Ariſtoteli credimus. inde ſcias dulcedinem

cap. 78. Card. de ſan. tuēd.

Iul. Scal. in 2. de plant.

rerum

rerum mundi per mel significatam, aëream, & ferè imaginariam esse. Idcirco mel arcetur in lege à sacrificijs, Leuit. 2. *Nec quid fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Cum autem Sacramentum Eucharistiæ sit ignis ille forcipe ablatus de altari; haud mirum si amarescere nobis faciat mel vanitatum mundi, & euanescere faciat eius aëream dulcedinem.

Leuit. 2.

2. *Communio iram sedat in nobis, pacis mater.*

3. *Eadem roborat in tentationibus.*

2. MARSILIVS Ficinus in antidoto epidemiæ, cap. 25. Tunc, inquit, fuge cōsortia hominū, & maximè cum es ieiunus. faciliùs dicere voluit pestilentiā hominem infici, cum ieiunus est. idem dicendū de infectione per peccatum, quod in Script. pestilentia appellatur: *in cathedra pestilentiæ non sedit.* ideo dicitur Psal 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulāt me.* aduersus dæmones, & tentamenta eorum. Adagium est, & experientiâ comprobatur, *Fames bilem irritat.* vnde facilè ante prandium irascimur, & truculenti sumus in proximum: at saturati mitescimus, & mites, & amabiles ceteris sumus. Cibus animæ est Eucharistia. ideo proportionaliter idem operatur quod cibus corporalis in fame & satietate, præsertim quoad iram, vel mansuetudinem. nā hoc Sacramentum præcipuum effectum habet pacis, & vnionis constituendæ inter fideles. sicut enim hostia materialis, seu forma, quæ consecrari solet, maximè apta est, & inseruit conglutinationi duarum rerū, ita, & longè amplius sacrata hostia vnioni animorum.

Marsf. Fic. in ant. epid. c. 25.

Psal. 22.

Nauarr. ca. 25. n. 18. & Rodriguez dicunt, reum, si dum Eucharistia defertur per viam, ipsam apprehenderit, non posse à satellitibus inde auelli, hoc est non posse licitè. Insequuntur te dæmones, insequuntur satellites (de dæmone enim dicitur, *calcauit hostem fortiter superbum ac satellitem*) Insequuntur te vitia; accurre ad Eucharistiā, & saluus eris. muni te ipsum frequentatione talis mēsæ, & non poterunt contra te. Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.*

Nauarr. c. 25. n. 18

Psal. 22.

3. Etiamsi dæmones (vt olim in filijs Iob) domum in qua es, super omnes in ea existentes corruere faciāt; mensa ista, cui assides poterit aliquādo te saluum facere, ceteris oppressis, ita Martinus Polonus in Annalibus anno millesimo nonagesimo septimo, & Nauclerus anno millesimo nonagesimo quarto narrant, Siracusis in Sicilia circa ea tempora Dominica die maiorem Ecclesiam ex terræ motu corruisse, dum missa maior decātaretur, & omnem populum, & clerum oppressisse, & interfecisse exceptis Sacerdote Diacono & Subdiacono Missam celebrātibus ad altare. Ecclesia materialis repræsentat Ecclesiam Catholicā, quia ergo vrgente graui aliqua, & cōmuni tentatione, atque occasione peccati, quasi desuper collabente mole ædificij; qui in illa distant ab altari, hoc est longè absunt ab vsu & frequentia Eucharistiæ, opprimi solent, & in anima interfici, ijque incolumes à ruina illa permanere, qui adhærent sacræ

Mart. Pol. in Annal. an 1097.

Naucl. an. 1094.

eræ mensæ, hoc est frequentationi illius Sacramenti. ideo per factum illud enarratum videtur repræsentatum fuisse id, quod postremò diximus, scilicet quod mensa illa parata sit aduersus omnia, quæ tribulant nos, & plerumque ij tantum, qui Eucharistiam frequentant illæsi permanent à tentationibus à quibus ceteri vincuntur facili negotio, saltem respectu ad illos priores.

2. *Mortuos peccato, & inueteratos suscitat præsertim sæpè sumpta.*
3. *Interdum ægros sanat materialiter.*
4. *Quantum scelus ea indignè sumere.*
5. *Tota Frisia demersa ob vnum virum, qui irreuerenter eam tractauit.*
6. *Alphonsus equo desiliens eam delatam ad ægros comitabatur.*
7. *Eam non frequentantes, ne intermittant voluptates, aut negotia bestijs inferiores.*

2. POST alios auctores collector adagiorum, qui postremò fuit Manutius, seu potius corrector, ad illud adagium, *Glaucus poto melle resurrexit*, refert vsurpari solitum hoc, cum quis ex insperato in publicum venit, qui vulgari opinione mortuus habebatur. Ferunt enim, hunc Glaucum iam defunctum, cum in os eius mel iniectum esset, siue in stomachum, illo epoto reuixisse. vnde prouerbium ortum. *Cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos*, vt dicitur in Festo huius Sacramenti, quod ob suauitatem suam mel dici potest. De cibo valde suaui; & præsentanei roboris

Credendū non fuisse verè mortuū.

ad confortandū dicitur vulgò, [a] *vn cibo da risuscitar vn morto.* cum ergo cibus hic, siue mel figuratū fuerit melle illo, de quo in summitate virgæ gustauit Ionathas, & illuminati sunt oculi eius [1. Regum 14.] quia præ inedia, & debilitate caligauerant, vt communiter exponunt cumque in pane, qui erat vmbra huius cibi, (3. Reg. 19.) ambulauerit Elias quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; ideo, cum qui præ debilitate spiritus, & frequentia labendi in peccata, siue iacendi in illis erat vt mortuus; vel vt Ionathas iam caligantibus oculis velut moribundus, & penè deploratus; cum postea dignè sumptâ Eucharistia post confessionem, quasi resurrexisse videtur à morte, vt Glaucus, & apparet mutatus in virum alterum quoad fortitudinem, & vitæ probitatem; nonne de illo rectè vsurpabitur prouerbium: *Glaucus epoto melle resurrexit?*

(a) cibus est qui vel mortuum resuscitare valeat.

1. Reg. 14.

3. Reg. 19.

Adde, si non ex prima illa, & probe digna sumptione huiuscibi semper Christianus ita mutatus appareat, sæpe ex frequentia sumēdi appareat, hoc enim vt præstantissimū remedium contra relapsum in vitia, & debilitatem in praxi experti sunt toties confessarij in pœnitentibus. de his ergo etiam dicetur, cum conualuerint: *Glaucus siue Ionathas epoto melle resurrexit.* est enim cibus *da far risuscitar vn morto*, iuxta modum dicendi allatum.

Addit D. Th. q. 77. art. 3. Summæ 3. par. Sacramentum hoc etiam id operari perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius consciē iam,

D. Tho. q. 77. a. 3. sum. 3. pa.

Hoc est dicere Attritum inuincibiliter ignorantem se non esse contritū, iustificari per hoc Sacramentum. & affectum non habet fortè enim primo nō fuit sufficienter contritus, sed deuotè, & reuerenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiā charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionē peccati: ita D.Tho. & cum eo alij. vnde magis propriè in hoc casu dicetur, Glaucus potato melle surrexit à mortuis.

D.Tho. *art.* 8. 3. Addit Suar. in quæst. cit. D.Th. art. 8. esse piam, & probabilem opinionem aliquorum, quod Sacramentum hoc interdum conferat salutem corporis, si animæ expediat. Cyril. *Alex. lib. 4. in Ioa. cap.* 17. fauere videtur Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioa. ca. 17. vbi de hoc Sacramento dicit quod *morbos omnes depellit, & sanat ægrotos.* & ipse audiui à fide digno congregationis nostræ qui in valde graui morbo sumptâ Eucharistiâ, dixit sibi visā esse quasi præsentaneum remedium ad sanitatē, quam est assecutus. Vide ergo stultitiam eorum, qui in mortis periculo hoc Sacramentum quasi mortis nuntium accipere exhorrescunt, si Corpus mortuum Elisei, suscitauit mortuum, nempe ossa Prophetæ tactum cadauer 4. Reg. 13. *4. Reg.* 13. quantò faciliùs Corpus Christi sanabit moriturum? Sanato ergo illo, qui vt mortuus quasi plorabatur; si pharmaco prædicto conualuisse putatur, dicendum est, *Glaucus melle potato resurrexit à mortuis.*

Tandem cum dicant Doctores communiter, vt videre est apud Suar. in 3. par. quæst. 79. ser. 2. *Suar. in 3. par. quæst.* 79. *sec.* 2. huic Sacramento specialiter tribui resurrectionē corporis, & gloriam eiusdem iuxta illud Ioan. 6. *Ioan.* 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo illum in nouissimo die.* & Concilium Nicenum hac fortasse ex causa vocat hoc Sacramentum *Symbolum resurrectionis.* alias auctoritates Sanctorum Patrum, & Scripturæ super hoc vide apud Suar. ibi. igitur & ob hoc dicamus, *Glaucus epoto melle resurrexit à mortuis.*

4. Henriquez lib. 8. c. 56. *Henri. lib. 8. cap.* 56. Quædam iura, inquit, olim statuebant dari Eucharistiā homini suspecto de crimine ad experimentum; vt metu sacrilegij, si indignè communicaret, potius manifestaret crimen, sicut nunc dato iuramento, ne periurus fiat, solet reus fateri veritatem. Inde, inquit, collige quantū scelus sit indignè sumere illud Sacramentū. de lege prædicta vide, inquit, Angelum verbo purgatio, & sors. & Sotum dist. 12. quæst. 91. art. 6. Nauar. *So. dist.* 12. *quæst.* 91. *art.* 6 *Nauar. cap.* 11. *nu.* 40. ca. 11. nu 40. Si Christiani credebātur potius crimen suum cum vitæ discrimine manifestaturi, quàm indignè cōmunicaturi: vide an facilè quis debeat indignè communicare.

5. Eucharistiam indignè sumens (cum ipse sit habitatio diaboli per peccatum, & materialiter se ipsum etiam aliqua ratione faciat domum Dei, dum Christū suscipit in Sacramento;) sumens inquam Eucharistiam indignè, collocat Deum in domo diaboli,) sic vocatur infernus) & ponit diabolum in domo Dei. collocat arcā cū Dagon. dixi. enim. hunc impium quodammodo fieri domum Dei. Nauclerus generatione 41. *Nauc. Gen.* 41. sub finem ait, anno 1218. ob vnius pugilis exhibitam Eucharistiæ irreuerentiam totam Frisiam

æstu

æstu maris demersam fuisse, perijsseque centum, & amplius millia hominum. hæc apud Maiolum colloquio 20. pag. 641. Dubitas fortasse de veritate historiæ, & quæ multæ calamitates, quarum causas ignoramus, ex hac causa accidăt regnis, & prouincijs? vide si Arca testamenti, quæ, vt omnes testantur, erat tantũ figura huius mysterij, vide inquam si tot millibus virorum mortem attulit ex eo solum, qui indignè eam cepissent, vel etiam irreuerenter solum aspexissent, vel curiosè tãtum. primo Reg. 6. *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* dixerat autem id fecisse, *eo quod vidissent Arcam Domini.* Considera ergo an timere debeat sacerdos, vel laicus indignè accedens ad hoc Sacramentum.

Maiol. coll. 20. pag. 641.

1. Reg. 6.

6. Sed inter alia modicus honor exhibetur Domino, dum diu pulsatâ campana tamen vix tandem quatuor pauperculi adueniunt, & comitantur ipsum, dum ad ægrotum defertur. In aula alicuius magnatis vix signo campanulæ audito, vniuersi vsque ad coquum confluunt ad domini comitatum in eius egressu ex domo; at iter agente Christo res ita se habet, vt diximus. Christum sic delatũ comitantur humili obsequio Angeli, & dedignantur comitari eum homines, dedignantur vermes, nam filius hominis vermis.

Sed ad confusionem superbiæ tantæ audi Fulgosum lib. 5. cap. 1. Mos erat, inquit, Alphonso Aragonio Siciliæ Regi, vt quocumque in loco ferri vidisset Eucharistiam, relicto equo, cui insidebat, eam pedibus sequeretur vsque ad locum, quo deferebatur.

Fulg. l. 5. cap. 1.

7. Multi sunt, qui ne à suis vitæ oblectamentis se abdicent, spiritalẽ vitam ducere, & hoc Sacramentum frequentare negligunt. hos autẽ iumentis ipsis deteriores, & impudentiores esse exemplum hoc probabit. In vita S. Dominici, quæ habetur in Chronicis eiusdem Ordinis, legitur in disceptatione Catholicorum cũ hæreticis, præsertim circa veritatem Corporis Christi in Eucharistia, hæreticum dixisse Catholicis, & D. Dominico, apponatur mulæ ex vna parte cibus eius, dũ esurit, & ex alia adsit Eucharistia, si non ad cibum suum, sed ad adorandã Eucharistiã se conuerterit, signum erit populo verum Christi corpus esse in illa. Factum est hoc, Sancto viro ex Dei instinctu conditionem acceptante. mula autem coram populo relicto cibo suo, ad Eucharistiam adorandam se conuertit. In Christianis verò sæpè contrarium accidit. cum enim ex vna parte habeant consuetas voluptates, & illecebras mundi, ex alia verò eis proponatur vsus, & frequentia Eucharistiæ, atque institutum vitæ melioris; illi non ad illam se conuertunt, ne se à suis oblectamentis sæcularibus amoueant, sed ad ipsas voluptates, ad præsepe suarum delitiarum se conferunt, vel potius, ne ab his se separent, ad prædicta spiritalia non accedunt. Ne se priuent hordeo iumentorum, se priuant pane Angelorum. Idem dic de ijs, qui, ne recedant à negotijs, & lucris, vel dignitatum exercitijs

saltē per horam aliquam in hebdomada; ne inquam à tali pabulo abstineant, à tali hordeo per aliquam morulam; tam Diuino cibo, & salutis æternæ tanto remedio se priuāt. in qua re eo iumento peiores se exhibent. Vnde illis nō dicendum, nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus: sed studete fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Mula surget, vt ita dicā, in iudicio cū generatione ista, & condemnabit eam: quia illa relinquente pabulo, vt Eucharistiam veneraretur suo modo, Christiani contrarium efficiūt. Sit hodie expositum Sacramentum in Ecclesia aliqua, & ex alia parte histriones in platea, vel in theatro fabulas agant, & quasi præsepe apponāt ad trahēdas bestias, vide quot conuertentur potius ad vile hoc pabulum, quàm ad adorandum Christum.

Thom. Ang. *in ps.* 17. *v.* 24. Thomas Anglicus in Psa. 17. ver. 24. citat Auicennam Canone primo dicentem, itinerantiū cibum debere esse multæ substantiæ, & nutrimenti, sed exigui grauaminis. nos in via sumus, & ad patriam pergimus. ideo dicimus. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* veraciter est plus quàm substantialis, & non solum non grauat, sed roborat, & expeditos reddit ad iter cæli. ideo stantes cum baculis, & vt statim profecturi ad promissionis terram edebant agnum in figura mysterij huius. sic Elias in fortitudine cibi illius ambulauit, &c.

2. *Eucharistia lapis Goliath, scilicet Dæmonem prosternens.*

3. *Abutentes illa quam impij.*

2. PHILO de antiquitatib. Bibliæ dicit Dauidem in primo lapide ex quinque collectis ad pugnandum contra Goliath, inscripsisse nomen Abraham, in secundo Isac, in tertio Iacob, in quarto Moysis, in quinto Iosue qui Hebraicè idem est ac Iesus. Probabile autem videtur, cum lapides non exigui essent, & vltimus in peram positus fuisset hic quintus, primum venisse hunc ad manum Dauidis, præsertim cum victoria de Goliath fuerit figura victoriæ de dæmone obtenta à Iesu. *Philo. de ant. bib.*

Ait Dauid. 1. Reg. 17. *Tu venies ad me cum gladio, hasta, & clypeo, ego autē venio ad te in nomine Domini exercituum.* hoc dictum implebatur, seu verificabatur etiam attento nomine Iesu in lapide inscripto. candor lapidis faciebat ad repræsentandum candorem specierum huius Sacramenti. ipsum lapidem in peram, vbi pastores panem gestare solent, impositum puta indicasse panem diuinum Eucharistiæ. Congruit prædictis, quod illud Apoc. 2. 17. *Qui vicerit, dabo ei calculū candidum, & in calculo nomen nouum scriptum.* Hugo Card. de hoc Sacramento exponit. Sicut & figuratum est per calculū ignitum, quo mundata sunt Isaiæ labia. ergo factum illud Dauidis figura esse potuit, quod per Sacramentum fortes efficimur contra hostes, & Goliath, hoc est diabolum, iuxta illud Psal. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Totum hunc conceptum habet auctor eruditus. si cui placuerit, subscribat illi. nam alicui *1. Reg. 17.* *Apoc. 2. 17.*

alicui fortsitan videbitur solidiori fundamento niti debuisse.

3. Si Sacramentum est quasi lapis Dauidis, & præsente inimico tuo Goliath, Christus tibi hūc lapidem porrigit, vt hostem deijcias; quid agis, quin indignè communicas nisi quod eum lapidem non in Goliath, hoc est dæmonem, sed in ipsummet Christū, qui eum tribuit, immittis? quid agis, nisi quod Christum contra Christum lapidem facis. Fingit quidam quemdam brachium inimico amputasse, & deinde eo brachio ipsum necasse: at tu nonne Christū ipsomet Christo percutis? lapidas inquam, & percutis quantum in te est: quamuis non diiudicas corpus Domini. Si Sacramentum est calculus ille Apocalijpseos illi, qui vt scelera sua contegant, aut honestent, communicant: post comestū panem diaboli, & mendacij; quasi stomachum sigillant calculo veritatis, calculo Christi. ijs cōpetit illud Prou. 20. *Suauis est homini panis mendacij postea implebitur os eius calculo.* sigillant epistolam diaboli hostiâ Christi. (nam hostia vocatur apud nos & illa quâ sigillamus literas) vt non diaboli videatur esse, sed Christi. de iustis dicebat Apos. *epistola nostra vos estis.* &c. Suauis est aliquando mulieribus hypocritis panis carnalium deliciarū in occulto deuoratus nam ait impudica illa Prou. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior*, hoc est fornicatio occulta & vetita: at deinde impletur os eorum calculo coram hominibus. magnum scelus maiori sigillant scelere, maiusque est sigillum epistolâ.

Prou. 20.

prou 9.

PERSEVERANTIA

2. *Desistens à bono incepto punitur à Deo.*

3. *Mala Iudicij futuri ob huiusmodi deficientes à bono præsertim venient. Angeli præcipitati, quod in veritate non steterint.*



AVDIMVS sæpè hunc, & illum interijsse, vel saltem laborare febre, quam vocant malignam, aut alia grauissima ægritudine, & si de origine interrogas morbi; dicunt illum ex magno æstu, sudore, & fortasse labore repente ad frigus transiisse, atque ad cessationem motus; vnde sudor frigescens in corpus iterum ingressus sit sic si quis antea strenuè laborabat, vt operarius in vinea Domini, & sudores honestos virtutis emittebat, si in eo mox refrigescat charitas, quæ ardebat, heu quanta mala illum consequi solent, quàm facilè illi mors aduenit æterna; aut damnum aliud! Sic dictum illi: *ecce iam sanus factus es iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ioan. 5. 14. & quæ illi sanato dicta sunt, intelliguntur spiritaliter dicta etiam cuilibet sanato à peccatis, in quo ardeat charitas; cum ille typus esset huiusmodi hominum iustificatorum. Ioa. 5. 14.

3. Vere qui ex bono fit malus, ex calido fit frigidus iuxta illud: *vtinā calidus, aut frigidus esses.* sed obserua; Possuntne plura & grauiora mala

accidere, quàm quæ superuenient in die iudicij? at quibus euenient potissimum, nisi ijs, de quibus dicitur, quod refrigescet charitas multorũ eo tempore? Deus ille pijssimus & patiens, qui per tot sæcula pertulit mundum pessimè peccantem. cum ventum est ad eos, qui in charitate refrixerunt, videtur quasi amittere patientiam, neque posse expectare quin statim non effundat in eos, & in vniuersum mundum eos continentem totum oceanum furoris sui. an nescis quod ait, *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq; &c. tu vero homo vnanimis, &c.* quasi dicat hoc nequeo sustinere & in signum quod non sustinuerit; en tibi quomodo ipse Iudas, de quo ibi loquitur Dauid in persona Christi, statim post traditionem iudicium suũ pertulit, dum laqueo suspendi permissus est, & damnationem obtinuit. post exaggeratum peccatum hoc Iudæ, quasi excandescens irâ subinfert statim: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* An non ita fiet ingratis prædictis in die Iudicij, cum terra, vt Doctores aiunt, aperietur, & illos in tartarũ absorbebit, vt qui refrixerunt igne cælesti, incalescant infernali, & qui in illo non perseuerarunt, in isto in æternum ardeant, non amplius in Dei amicitiam & hereditatem recipiendi?

4. At quid dico de hominibus? arserunt charitate Angeli, qui postea reprobi facti sunt, ac ita Principi eorum dictum est Ezech. 28. 14. *In medio lapidum ignitorum ambulasti.* & cum frigefacti essent, statim *venit mors super illos*, hoc est, æterna, & descenderunt in infernum irremediabiliter. nam sicut Plinius ait, nihil est, quod habeat partes adeo inter se vnitas, sicut adamas, sed cum fractione rumpitur, istæ partes inter se ita separantur, & in diuersa dissiliunt, vt in nullius rei diuisione hæc tanta disgregatio cernatur, nec vllatenus possunt amplius reuniri. nam licet de quodam genere adamantis dicatur quod frangi nequeat, tamen experientiâ constat multos confringi. Sic ergo quantò magis aliqui vniti erant amicitiâ siue cum hominibus alijs, siue cum Deo; ita si separantur inuicem, maxima ista est separatio, & sæpè numquam reconciliantur inter se. Crede hoc Apostolo Hebr. 6. 6. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati; gustauerunt etiam donum cæleste, &c. & prolapsi sunt, rursum renouari ad pœnitentiam.* Scio graues Doctores ac Patres hoc de maxima difficultate redeundi ad pœnitentiam explicari, quæ hic vocetur impossibilitas.

Ezech. 28. 14.

Hebr. 6. 6.

Et quia dicebamus huiusmodi transgredientibus de iustitia ad peccatum, de proximo instare perniciem, Apostolus post sententiã prædictam, paucis additis ad eius ampliationem, statim subdit: *Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo; proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* alluditur fortasse ad vsum agricolarum, cum solent incendere vepres, & alias

alias inutiles plantas ad terram expurgandam. Ecclesiastici 26 27. *Qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad rompheam.* iam iste est velut reus in publico ac ferali theatro cui carnifex iam colla nudauit nec deest nisi vt sublatum gladium in collum eius deijciat. iam enim miser est omninò paratus ad gladium prædictum. Exempla talis iustitiæ sæpè videmus, in his præcipuè, qui à Religioso statu discesserunt, etiam ante professionem, quod in reprobum sensum tradantur multi eorum, & malè pereant.

Ecclesiast. 26. 27.

2. *Dantur Insulæ mobiles. talis est inconstans in bono.*

3. *Tales qui immobiles videbantur in bono, & tamen moti sunt.*

4. *Eo deteriores fiunt quo antea meliores erant, scilicet, si deficiunt ab incepto.*

2. IN Ægypto insula quædã est, de qua scriptores antiqui, & post hos Zacharias Lilius in compendio de mundi regionibus, aiunt, quod à ventis flantibus modo huc, modo illuc agatur, quamuis in ea templum maximum esset Apollini dicatum. dic tales esse, qui non ædificarunt domum suam supra petram, sed super arenam, *& descendit pluuia, & venerunt flumina & flauerunt venti, & fuit ruina illius magna,* vt dicitur Matth. 7. hi sunt arundines vento agitatæ, & qui circumferuntur omni vento doctrinæ, vel nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.

Zach. Lil. in com de mundi Relig.

Matth. 7.

3. Vel dic non esse rem admirandam arundines, vel nubes sine aqua vento agitari, hoc est homines exiguæ virtutis, & stabilitatis, & ponderis. at mirum etiam Dauides, & Salomones, & Petros, qui erant insulæ, & terræ solidæ ex vento tentationis, vel vnda commotos fuisse. Propter hoc videtur Deus multas tales insulas condidisse, quæ à fluctibus mouentur huc illuc, & ab auctoribus vocantur Insulæ saltuariæ, vel simili nomine, vt per hoc philosophantibus ostenderet, neminem debere se putare securum, dicendo vt Dauid; *Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum:* ne illis eueniat quod ipse expertus est: *Auertisti manum tuam à me & factus sum conturbatus.* Videtur fabula esse hominibus parum in Historiâ versatis quod suprà narrauimus de insulis, quæ mouentur: & tamen historia vera est. sic & quasi fabula videtur de viris illis sapientibus, quod exiguâ vndâ, vel vento tentationis dimoti fuerint. & tamen veritas est. Eodem modo eas insulas videtur Deus condidisse, vt qui innixi solidæ ipsorum prosperitati, vel sanitati, vel honori, putant se immobiles, & dicunt, non mouebor in æternum, discant & ipsos facile posse dimoueri, & amittere omnia, velut Aman, & tot alij repente delapsi. Recordentur qui sibi videntur esse quasi insulæ in virtute stabiles, eò quòd multum temporis est ex quo seruiunt Deo, recordentur inquam illius dicti: *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* Demus ipsos esse

Dei seruos, esse, vt ita dicam, Angelos, esse insulas. tamen serui non sunt stabiles, neque in Angelis inuecta est stabilitas. Dixit (*ecce*) ad admirationem ostendendam. erant enim insulæ: & tu putabas immobiles esse. at *flauerunt venti, surrexerunt vndæ*, & ecce insulæ motæ sunt, cunctis qui viderunt stupentibus.

Quidam qui Sancti videbantur etiam leuiter tentati peccant. Sed quid dico de ventis, vel fluctibus à quibus mouentur insulæ, cum graues scriptores passim affirment etiam ad pedum commotionem eorum qui saltant super eas, commoueri aliquas insulas, & cum ipsis saltantibus saltare? Nonne ob hoc insulæ saltantes vocatæ sunt? vnde & aliqui tradiderunt eas ad sonitum instrumentorum musicalium saltare, eò quòd hominibus super ipsas saltantibus, & simul pulsantibus talia instrumenta saltare, hoc est commoueri, & ipsæ cernantur. Ita ergo aliquos videbis, qui stabiles, & insulæ quædam videntur: tamen si dæmon, vel mundus illis nonnihil citharam suam pulsent, statim videbis has insulas saltare. tales sunt, qui sodalibus suis sibi per malum exemplum lyram pulsantibus, vel apud se saltantibus, statim & ipsi saltant. E contrario autē quidam, cum homines sint, & non insulæ, Christo sibi tibijs canente fiunt insulæ, hoc est immobiles ad saltum. fiunt asini ad lyram, ita vt dicat de eis Dominus: *Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis.*

Dixi, quod non saltant ad lyram Christi, & fiunt asini ad lyram. at vtinam asini fierent, ne asini essent: nam *asinus cognouit præsepe Domini sui.* hoc est saltauit ad tactum prædicti instrumenti, nimirum beneficij sibi exhibiti. & vidimus ad confusionem Christianorum asinum circulatoris per Italiam ductum, qui ad sonitum, seu instrumentum quoddam saltabat præsente populo, ob hoc stipem domino animalis porrigente. hic cognoscebat possessorem suum: at Israel (hoc est Christiani) me non cognoscit.

4. Dicit quidam; iste homo per pœnitentiam, siue per innocentiam velut nix effectus est candidus, iuxta illud Psal. 50. *Lauabis me & super niuem dealbabor.* credo igitur, quod licet relabatur in peccata parum deturpabitur. at ego, cum nix recens ceciderit, ostendo ei vias ciuitatis candidissimas, sed paulò post easdem ostendo, dum pedum attritu turbæ, & iumentorum in lutum conuersæ sunt, & ecce immundiores apparent, quàm si nunquam niue dealbatæ fuissent. vnde Sancti Doctoris vox fuit, nunquam se vidisse meliores; vel deteriores, quàm qui in monasterijs profecissent. dealbatio per gratiam, & bonitatem. (Psal. 67. vt PP. & recentiores litteraliter exponunt) dicitur fieri velut per niuem, *Niue dealbabuntur in Selmon*, hoc est albescent velut mons Selmon cum niue operitur. accidit enim aliquando relabenti in pristina, quod Matth. 12. 43. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. tunc dicit, reuertar in domum meam, vnde exiui: & veniens inuenit eam vacantem.*

Psal. 50.

Psal. 67.

Matth. 12. 43.

vacantem, scopis mundatam, & ornatam. tunc vadit, & assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. magis immunda tellus fit hic homo, quàm aliæ viæ, vel terræ quę niue co spersę non erant.

Assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi (a) per vn diauolo che hauea, ne ripiglia sette. ita in pœnitentia sua, (quantum ad hunc effectum relabendi,) vt ita dicam, non abiecit, sed seminauit diabolos, non abalienauit eos, sed ad vsuram dedit. nam pro vno, quem eiecit, septem recepturus erat. (b) se era cattiuo, è tristo semplicemente, diuien poi tristo in sette solari. sed quamuis diaboli isti sint vna septimana quo ad numerum, sunt tamen vna ætas quo ad mansionem. nam non vnâ hebdomadâ, sed tota vita peccatoris solent in eo degere. nolunt hominis domum pro hospitio, seu taberna, sed pro mansione ordinaria. nam *intrantes habitant ibi.* inueniunt hanc domum scopis mundatam & ornatam; ita vt homo videatur domum diabolo scopis mundasse, & ornasse, quasi aliquo perillustri Domino. cum verò ille hic vocetur immundus spiritus, & in Dialogis B. Gregorij referatur ipsum in forma immundi suis visum fuisse, sicut & in porcos intrare cupiuit, & obtinuit in Euangelio: ita homo ille, vt ita loquar, videtur domum mundasse porco, ne tam munda bestia pollueretur.

(a) Vno diabolo expulso, recipit septem.

(b) Si anteà malus erat simpliciter nunc malus euadit septiplicitér.

2. Peccator interdum incipit à Mirabilia, at desinit in Defecit. Alluditur initijs horæ nonæ, & sextæ.

3. Idem est fortis in labore mundi, & peccati, debilis in opere virtutis.

2. Ecclesiastes 10. 2. *Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.* Communis sensus Hieron. Bonau. Olymp. & expositorum aliorum est, sapientem cor habere ad virtutes, & bona æterna, stultum ad vitia, & ad temporalia deditum, & inclinatum. nam per dexteram, & sinistram hic plerique intelligunt partem dexteram, & sinistram: quarum illa ouium est, hæc hœdorum. exponit Salonius, Viennensis, & Ferus manum dexteram, & sinistram. quia ergo stultus, etiamsi perfunctoriè veniat ad pœnitentiam, seu confessionem, tamen cor retinet suum, vt ante erat, *in sinistra*; scilicet vitijs inclinatum, & ex praua consuetudine deditum: ideo etiamsi initio propositi non amplius peccandi, & in ipsa confessione, seu conuersione cœperit à *Mirabilia*, paulò post venit ad *Defecit*, vt est in prouerbio Hispanico. nam in via deficit. ita iuxta septuaginta statim sequitur, *Etiã in via cum stultus ambulat, cor eius deficiet.* Defectum istũ cordis in via de desistentia ab incepto bono explicat Olymp. & Pineda in hunc locũ. Eccl. 10. 2.

3. Stultus habet cor hoc est animositatem affectionem, ingenium in sinistra tantum. (hæc enim omnia per cor intelliguntur.) *in sinistra* hoc est in terrenis rebus, in lucris, in voluptatibus, &c. in his operandis, prosequendis, pertractandis, animosissimus est, non deterretur à labore: in his est ingeniosissimus. totum denique cor, in sinistra habet. in dex-

tera vero nihil cordis positum habet. ideo deficit, nec audit dicentem, *Bonum autem facientes non deficiamus.* deficit cor in semihora missæ, non autem in quatuor horis comœdiæ. & ita in ceteris discurre.

Sed adde stultum deficere; quia sæpè non affert cor rectum coram Deo, sed sinistrum, nec fructum Sacramenti percipit. exemplum sit Simon Magus. hunc Actuum 8. dicitur credidisse Christo, & paulò post ibidem dicitur, quod petijt sibi vendi Dei donum, nempè distribuendum Spiritum Sanctum. cui Petrus, *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Domino.* Cor in sinistra habebat, cor sinistrum, & vt Lorinus ait in hunc locum, non sincerè Baptismum susceperat. non mirum ergò si de illo dici possit, quod cor eius defecerit in via, quæ in eo videbatur bona, sed non erat. Mirabilis apparuit eius conuersio, cum de eo ibi dicatur: *Cui asc ultabant omnes à minimo vsq; ad maximum, dicentes: hæc est virtus Dei, quæ vocatur magna.* omnes Samaritani scilicet. at cum cœperit in *Mirabilia*, desijt in *Defecit*. ita ergò aliquando accidet in his, qui nō conuertuntur ritè.

Actuum 8.

Lor. in hunc loc.

4. *Deficiunt à bono non ob rei difficultatem, sed ob cordis pusillitatem.*

5. *Multi deliquium animi patiuntur in actu ipso confessionis, quamuis ibi labor exiguus.*

6. *In peccatore dextera est sinistra, sinistra dextera.*

4. ETIAM *cum in via stultus ambulat cor eius deficiet.* Siriaca lectio: *Cor eius pusillum est.* vix primum gressum iniuit, & statim defessum se exclamat. vix Paschalia festa egit cum Christo, cum incipit agere ferias cum diabolo. Apud collectores adagiorum narratur de quodam Canterio, qui cum quodam Romano Patritio longissimam cœpisset viam de vrbe discedens, cum ad portam ciuitatis peruenisset, iam se defessum indoluit. vnde quidam ex illis dixit (quod deinde abijt in prouerbium de his, qui deficiunt in ipsis initijs) nempè, *Canterius in porta.* heu quot Canterij inueniuntur in via virtutis.

Etiam cum in via ambulat stultus, cor eius deficit. non dixit cum currit viam mandatorum, sed *cum ambulat.* nec cum ambulat multum, sed absolutè etiam cum aliquem pedibus gradum fecit. adde, Complutensem legere, *ambulat via propinqua.* Cum autem in omni vita sua ambulet vias difficiles, nec lassetur in via iniquitatis; tamen cor eius non deficit, ita vt subsistat. at in via virtutis nedum cor eius deficit, si pœnitentiam ieiunandi per plures dies inceperit, sed etiam si illa fuerit recitandi tantum coronas aliquas. & nota non dici hic deficere ei pedes, vel vires, sed cor. quia quod ille deficiat non prouenit à rigore iniunctæ satisfactionis, vel bonæ vitæ inceptæ; sed à defectu & pusillitate eius cordis. vnde & alij vertunt, *Et cor eius pusillum est.* vel, quia, vt dixi, cor habet in sinistra, non in dextera.

Adde: nos de fatuo per irrisionem dicimus, vt ostendamus eum mente carere, *mentem, seu cerebrum habet*

habet in pedibus, seu in calcaneis. at sicut habet mentem in pedibus, ita habet pedes in mente, seu in cerebro, & corde. cor enim hic ista omnia significat. habet pedes in cerebro, quatenus ambulatio eius, vel vigor ad ambulandum per viam bonam, sicut & lassitudo sua, sita est in suo corde, siue in sua voluntate. in corde inquam, & vt dicitur, in imaginatione. Si enim voluerit, potest: si noluerit, si sua phantasia stulta conceperit se non posse, statim deficit. hic ergò per defectum cordis explicat defectũ pedum: quia in capite habet pedes. idem est apud nos dicere, (a) *Non mi basta l'animo di far ciò, è non ho forza di farlo.* nam vires sæpè in voluntate, & in animositate sitæ sunt.

(a) Non mihi tantum animi est vt hoc efficiam i. e. non tantæ sunt vires meæ.

5. *Etiam in via cum stultus ambulat cor eum deficiet.* multi deliquium animi, seu cordis patiuntur in ipso actu confitendi, vt norunt multi confessarij. in hac repræsentatur quod dixi de cordis defectu post confessionem ipsam; & in opere bono. pallescere eos videas in ipsa confessione, sudores frigidos emittere, & tandem semimortuos iacere; ita vt qui accessit ad eos confessarius, debeat finire medicus. aliqui in medios enses sæpè irruerunt intrepidi irâ insurgente ob vindictam, vel amicæ causa pernoctarunt sub dio hyemis tempore frigidissimo, vel in castris similia passi sunt fortiter, & absque vllo signo pusillitatis. at vix ante pedes sacerdotis procubuerunt, cum exanimes facti sunt ipso examinante eorum conscientiam. Sicut ergo initio pœnitentiæ, hoc est confessionis hi exanimantur, & eam interrumpunt: ita quasi per id signant sic euenire in assumpta pœnitentia vitæ.

Cor eum deficiet, nempe ad ambulandum. vulgò dicimus, (b) *Chi non ha cor, ò chi non ha ceruello, habbia gambe*, hoc est fugiat à pugna, desistat ab incœpto. quia ergo stultus non habet cor, ideo habet tibias, nempe ad fugiendum à pugna spiritali. vel dic, habet pedes, quia caret corde, scilicet habet pedes ad non ambulandum, habet pedes, ne habeat pedes. fugit enim ambulationem. ambulat ne ambulet. iuxta adagium, *Fugit tamquam ceruus, ne seruiat tamquam seruus.* Dexteram manum (quæ etiam significat operationem virtutis) fortiorem esse sinistrâ, aiunt docti plures. quia cor potissimum sit in dextera parte. cum verò in stulto dicatur cor esse in sinistra, non mirum, si dextera, hoc est bona operatio, citò in ipso deficiat. hoc enim est deficere in via.

(b) Qui non habet animum, habeat pedes.

6. Hieron. hoc loco ait, *Iustus sinistram non habet, sed totum in eo dextrum est, & in Euangelio præcipitur, vt nesciat sinistra quid faciat dextera sapientis.* Pineda hic addit, è contrario stultum habere tantum sinistram. Sed intellige, quoad actum secundum: quia non nisi dexterâ vtitur sapiens, quatenus sapiens est, hoc est quatenus bene operatur. non enim illi deest sinistra, hoc est libertas ad male agendum. dic ergò idem de stulto quoad sinistram suam. nos diceremus, (c) *Il matto è mancino, ha la man manca per destra, è la destra per manca.* quid mirum ergo, si manus sapiẽtis non deficiat, deficiat verò manus stulti? nomẽ enim ipsius sinistræ

(c) Stultus, Scæua vel Scæuola est, dexterâ vtitur pro sinistra, & sinistrâ pro dextera.

idiomate nostro indicat defectum ideo enim videtur dici, seu rectè dicitur *manca:* quia deficit. (a) *Nello stolto la destra è manca, cioè quasi mancante. manca del core, che li è lontano, è però manca ancora della forza, è manca nell' oprare.* promptitudinem ergo, & facilitatem, & robur habet manus sapientis ad bene agendum. ideo non deficit, ideo verè dextera est. secus de dextera stulti, quæ illi est sinistra. dextera sapientis est veluti miles, secum, & pro se habens ducem suum fortissimè pugnantem, nempe cor, membrorum Principem: dextera stulti sola est. illa, viua manus est: hæc ferè emortua, stupida, & vitali spiritu cordis destituta. vnde mirum est, si aliquid operetur. Illa est fortis mulier; quia coniugata. vir enim eius non tantum cordatus est, sed est ipsummet cor, est totus cor. at ista est femina vidua, & imbellis. ideo & illa fœcunda, hæc sterilis; quia caret prædicto marito, scilicet corde. *Cum in via stultus ambulat, cor eius deficiet.* Ambulatio hæc in via virtutis, fit manibus, non pedibus: &, vt dicebamus, manu dexterâ, non sinistrâ. ideo deficit stultus citò in hac via; quia dextera eius debilis est, vt quæ sine corde est. Vel dic, viam hanc iniri corde. nam vt Augustinus ait, *Anima non mouetur pedibus, sed affectibus.* affectus enim, & cor mouet deinde manus ad operandum. ideo deficere cor in via est deficere manus, & viam.

(a) Stulti dextra vere manca est, i. e. deficiens corde, atque adeo viribus & operatione.

2. *Pusillitas cordis, & imaginatio suadet homini quod nequeat bona agere, præsertim opera misericordiæ, quasi inops sit.*

3. *Multi damnantur, qui peccarunt sperantes veniam. exemplo pulchro id probatur.*

4. *Fidelitas canis custodientis in via marsupium domini vsque dum fame perierit, perseuerantiam nos docuit.*

5. *Perseuerantiæ firmitudo basis est propositi bene agendi.*

2. SVPRA dixi, Septuaginta legere, quod cor stulti ambulantis per viam deficiet; alios verò, pusillum esse. Arabica legit, *Stultus, cum ambulauerit per viam, indigere facit eum cor suum.* suppositis quæ dixi de pusillanimitate, propter quam ex quacumque difficultate stultus desistit ab inceptis: adde praxim. dicit ille, non possum inter conciues, seu collegas, aut conuictores meos viuere, absque hac vel illa culpa, absque cultu superfluo, vel crapula, aut pompa, &c. indigeo viribus animi maioribus indigeo, inquit alius, maiori gratia, vt conuerti possim. dico illi, dico isti, *cor tuum te facit indigere,* hoc est cor tuum pusillum, imaginatio tua praua. egeo ventriculo validiori ad ieiunandum in quadragesima, validiori capite ad meditandum. patientia Iobi opus esset mihi, ait ille paterfamilias, ad ferendam seruorum contumaciam, ad claudendum os maledictionibus, & similia. at dico de hoc, & de illo: *Indigere eum facit cor suum.* sufficientem ad ista omnia habent Dei gratiam, si illam velint. culpent se ipsos, non illam. alius postulantibus à se pauperibus, vel domesticis, statim dicit, se modici census esse, se summam debere huic, vel illi; tandem, se indigere dicit. at

cor suum facit eum indigere. quodnam cor, nisi quod in sinistra retinet, cum possit illud facilè transferre in dextram, hoc est, de manu, & facultate ad malè agendum, & ad auaritiam dedita ad dextram virtutis, & misericordiæ? quod de hoc postremo dixi, dictum sit de prædictis omnibus. si culpant debilitatem dexteræ, cum debilitas, vt dixi, procedat ex longinquitate cordis, quod per calorem pater est virium; transferant illud de sinistra in dexteram. Si quis dextera suâ se non posse, verbi gratia scribere, aut pingere dicat, eò quòd in sinistra tantum habeat calamum, seu penicillum, nonne stultum hunc vocabis, cum possit transferre ista de sinistra in dexteram? Cor habes, nempe affectum, animositatem, acumen ingenij feruorem, actiuitatem in sinistrâ, hoc est ad operanda quæ mundi sunt. si tantum cor, & prædicta omnia, quia per cor intelliguntur, transferas in dexteram; iam saluus eris. cor est instrumentum ad omnia bona operanda. dicis: homines sumus, imbecilles ad bonum. audi Paulum Rom. 6. 19. respondentem, *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* quod est dicere, sicut cor habuistis in sinistra, ita nunc in dextera illud retinete.

Rom. 6. 19

3. Dæmon suadet peccatum, suggerens tibi, quòd ad modicum dimittes regnum Cælorum, non autem illud perdes, (scilicet si hoc peccatum committas.) statim, (inquit peccator in corde suo) per pœnitentiam restituam me in locum pristinum. at sæpè hoc astu deceptus perit, numquam reuertens ad pristina. ita tomo 1. historiæ Turcicæ libro secundo Corcutes filius Baiazetis (res paulò ante sæculum nostrum accidit) Imperator Turcarum effectus erat absente patre à Constantinopolitana vrbe. dum autem ille reuerteretur Imperiũ recuperaturus si posset; satrapæ Corcutis secretò fauentes patri eius, specie pietatis hortantur eum, vt parentem admittat in vrbem, & in regiam suam, ac etiam è throno surgens illi obuiet, cum ad se appropinquarit in cubiculo. acquieuit filius. dum autem conplexurus patrem accedentem surrexisset à sede Imperatoria, pater subito in ea se collocat, & à Satrapis adoratur vt rex: filius autem excluditur perpetuò. obijt enim priuatus. Sic accidit ei, qui putabat ad modicum se dimittere coronam Beatitudinis, & regni. ideo Apoc. 3. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* item Ecclesiastes, *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. quia curatio cessare facit peccata maxima.* hoc est, si tentatio ingens, vel vt alij explicant, si spiritus malignus, nempe dæmonis, qui est valde potens, te petierit; ne deseras locum tuum, quia hæc curatio, hoc est medicina obuiabit magnis & pluribus peccatis, quæ si ostium semel hosti aperueris, intrabunt. nam vt vulgò dicitur, (a) *Chi ne fà vn, ne fà cento.* quod est dicere, ne semel deseras coronam: ne deseras semel, ne perdas semper. subsequentibus nimi-

Tomo 1. histor. Turcica lib. 2.

Apoc. 3. 11

(a) Qui vnum committit, committit centum.

nimirum peccatis alijs, in quibus pereas.

Ælianus l. 8 c. 30 4. Ælianus lib. 8. cap. 30. Mercator (inquit) Colophonius, cum ad nundinas se conferret, marsupium amisit. deciderat enim ei per viam dominus quidé id non aduertens perrexit itinere suo, sed canis eius constitit super marsupium, neque secutus est dominum. cum verò post aliquod spatium temporis redijsset, inuenit canem custodientem sacculũ prædictum; qui lætatus de domini reditu, quasi commissum thesaurum illi integrum restituens, statim fame expirauit. Canis symbolum est fidelis serui apud omnes symbolorũ auctores. sic ergo, cum Dei seruus thesaurum custodiendũ à Domino sub se acceperit. nam habemus thesaurũ illum in vasis fictilibus. ideo fideliter, & perseueranter debet eum custodire vsque ad mortem, vsquequo veniat Dominus, & tunc lætanter animam Deo reddit. non pluuia, non venti, non longitudo temporis, non fames, non sitis potest hæc animalia sua fidelitate, & perseuerantia priuare, vt præsertim accidit in casu allato. sic iustus clamat cum Apostolo, *Quis poterit nos separare à charitate Christi*, &c. Ergo esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Cognouit bos possessorem suum, & canis sacculum domini sui. Israel autem me non cognouit. verè dicere potest, *Adducam vos in æmulationem in non gentem*, canes enim contra nos excitabit, vt condemnent ingratitudinem, & infidelitatem nostram. canes huiusmodi innumerabiles oblatrabunt, & vlulabunt contra nos, remordebuntque per synderesim conscientiam, & corda nostra. Sed prædicta canis historia potest esse similitudo auari, qui vigilat custodiendo marsupio, illo ipse non vtens, neque alijs, vt vtantur permittens. custodit inquam illud, tot mala interea sustinens ob auaritiam, non manducans neque bibens, donec pereat, & dominus marsupij, nempe heres, cui illum custodiebat quasi canis, sibi illud lætanter tollat. Applica etiam Prælatis animarum, qui sunt canes veri pastoris, qui animam suam dedit pro custodiendis ouibus, vt & canes sui non sint canes muti, non valentes latrare, permittentes lupo rapere gregem commissum. Item applica iudicibus, quibus iustitiæ cura commissa. hi enim fideliter debent custodire thesaurum sibi commissum etiam vsque ad mortem, quando id opus fuerit.

5. Optimè Celius Calcagninus in dictis Moralibus ait: Vt statua basi nititur, ita constantia virtutum omnium fundamentũ est. qui super aëra, & super nihilum virtutes ædificat (hoc est absque fundamento; *è fa castelli in aria*) iste se Deum reputat esse, de quo dicitur Iob 26. 7. quod *Appendit terram super nihilum*. in medio enim aëris illa pendet. sed tamen de illâ dicit Ecclesiastes: *Terra autem in æternum stat*. non ita de virtutibus absque fundamento stabilitatis, & perseuerantiæ. hæ enim corruunt absque solido fundamento. Virtutes ædificia sunt, & statuæ. at sicut statuæ somniatæ, aut fictæ, absque fundamento, & basibus consistere possunt: quæ autem veræ sunt, nequeunt, *Cel. Calc. in dict. mor.* *Iob 26. 7*

consi-

consistere sine prædictis. ita virtutes sine fundamento, aut basi constantiæ & durationis, fictæ potius, quàm veræ virtutes esse videntur quia, sicut somnium auolans, transeunt. mala nostra sunt ærea, bona aërea. At illud Iob 20. 11. *Ossa eius replebuntur vitijs adolescentiæ suæ.* dici potest de huiusmodi hominibus: (a) *Midolla è'l vitio, è pelle è la virtute: quell' han nell' ossa, è questa nella cute.*

Iob 20.11.

(a) Vitia illis pro medullâ sunt, virtus pro pelle: illa intra ossa habent, hanc in cute præferunt.

MATRIMONIVM.

1. *Vxores viros adorantes, defunctos præcipuè.*
2. *Viuu sæpè aduersantes.*
3. *Vxor ne seruiat pompæ.*
4. *Probæ matris sit filia, bene educata.*
5. *Ne nimis docta sit.* 6. 7. 8. *dicitur falsam excusationem non vacandi animæ esse,* Vxorem duxi.

Plinius l. 12. c. 1.

1. PLINIVS l b. 12. c. 1. templum ab vxore Augusti ipsi Augusto in palatio ipsius mariti dicatum ait; & id factum esse etiam ex Seneca colligitur lib. de consolatione ad Polibium. & cum sacerdotes nedum viri, sed etiam feminæ ad cultum eiusdem Imperatoris constituti essent, Dio scribit eandem Augustam sacerdotem viri sui Augusti fuisse, & eandem numerasse summã magnam aureorum Attico Senatori iuranti se vidisse Augustum ascendentem in cælum, vt olim Proculus vidisse dixerat se Romulum. Dic. sæpè vxores idololatras fieri virorum nimio amore. vel si ad secundas nuptias transeant, solent Beatificare semper virũ præteritum, eumque quasi sanctum & angelum habere coram præsenti marito. ideoque multos nolle viduas ducere, ne talia semper domi audiãt. Sed sicut sæpè sunt amatores mortui mariti, ita eiusdẽ viuentis solent sæpè esse quasi inimicæ, & cum eo rixari. In ore habent: Beatus, benedictus, vir prior meus. (b) *Lo canonizan per santo, dannando il presente per diauolo.*

Sen. li. de consolat.

(b) Primum pro Sancto Canonizant, secundum pro Diabolo damnant.

2. Sic dicitur: *mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo.* quia in re, dum se viris contrarias præstant, videntur velle adstipulari sententiæ falsæ Philosophorum multorum antiquorum, & præcipuè Empedoclis, & Parmenidis, primos homines ex putri terra genitos, ad Orientem & meridiem mares, ad Septemptrionem feminas. quia cum volumus dicere duos aliquos inter se esse aduersi ingenij, vel voluntatis, dicimus esse Austrum, & Aquilonem, qui idem ferè sunt, ac meridies, & septemtrio. Italicè dicimus, *son ostro è tramontana.*

3. Seneca de remedijs fortuitorum, de vxore ducenda ait: *Duc bene institutam, nec maternis inquinatam vitijs; non cuius auriculis bina patrimonia dependent; non quam margaritæ suffocent, cui minus sit in dote, quàm in veste: quam in patente sella circumlatam per vrbem populus ab omni parte æquè vt maritus inspexerit; cuius sarcinis domus non sit angusta. hanc facilè ad tuos mores rediges quam nondum corruperunt publici.* ita ille. Dictum: Vxores ducuntur, vt sustineant matrimonium. at ipsæ volunt sustinere patrimonium, nimirum in gemmis, & vestibus quas ferunt.

SENEC. de rem. fort. de vxore ducend.

Igitur

4 Igitur ex præcepto Senecæ, *bene instituta ducenda* est. quia cum eius munus futurum sit addiscere leges, ac viuendi rationes, quæ ei à viro præscribendæ erunt, vt idem Seneca in fine loci, & verborum prædictorum indicat; ideo sicut legum scientiam aggressuri prius eam partem, quæ vocatur, instituta, seu institutiones addiscunt; ita & vxor institutionem bonam habeat, vt leges facilius à viro addiscat. *Nec maternis inquinatam vitijs*, ait Seneca. lepidè nos dicimus Italicè, *che non habbia il mal di madre*, Latinè, non habentem morbum matricalem. *Non*, inquit, *quam margaritæ suffocent.* nam cum in huiusmodi muliere tam deditâ ornatibus, semen, quod est verbum Dei, suffocetur à spinis, imò ipsa ex ijs sit, qui à voluptatibus, & diuitijs, & curis (quæ omnia reposita habet in gemmis, & mundo muliebri, seu margaritis) euntes suffocantur, & non referunt fructum; consequenter dici potest, quod suffocetur à margaritis, & in delitijs talibus viuens mortua sit. hoc est mortua deuotioni, si non gratiæ habituali. Denique vult Philosophus illam non se præbere inspiciendam toti populo. spectatrix debet esse domûs, non vrbis spectaculum. nam huiusmodi mulieres velut hipocrytæ omnia opera sua faciunt, *vt videantur ab hominibus*, & maximo impendio (scilicet ornatûs) emunt quod pro nihilo vendant, nimirum inspectionem oculorum. nam si hanc habeant, & obtineant, *receperunt mercedem suam.*

5. Si credimus Poëtis, vt Euripidi, (cuius versus de hac re refert Muretus 8. variarum Lect. cap. 21.) & Iuuenali in ea satyra, quæ de mulierum vitijs agit; neque ducenda est mulier docta. nam de his timent, vt ait Muretus, ne impudicæ fiant, & nimis callidæ. Iuuenalis ergo sic ait: *Mur. 8. var. lect. c. 21.*

Non habeat matrona, tibi quæ iuncta recumbit
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema: nec historias sciat omnes.

Similia apud Euripidem loquitur Hippolytus, quamuis de Euripide in mulieres valde maledico quidam dixerit, vt ibi Muretus etiam refert: *Euripides mulierum osor in choro, amator in thoro.* in choro, hoc est in carminibus. at de hac re est etiam adagium Italicum. *Dio mi guardi da Tedesco negro, & da donna, che sappi Latino.* hoc est, Deus custodiat me à Germano nigro, & à muliere Latinum sciente. *Mulieri docere non permitto*, inquit Apostolus. vt cum vulgo nostro loquar Mulier veniat ad virum potius bene dotata, quam bene doctorata. nam vir traditus est ei in maritum, non in discipulum. Quæ vult esse Sybilla; maneat & virgo: hoc est non iungatur alicui matrimonio. nam vulgò de femina sapientiam affectante dicimus irridendo. *La sania Sibilla.* Quæ volunt esse Sybillæ sæpè non benè diuinant Italicè. nam apud nos, *non indouinarla bene*; idem est, ac non bene exequi rem aliquam, seu illam prosperè non cadere. Denique sæpè dum volunt esse Sybillæ, sibilantur.

6. Chrysost. Hom. 4. in Isa. præsupponit quod & Hebræi affirmant, *Chrysost. Hom. 4. in Isa.*

Isaiam fuisse coniugatum vnde Isaię 7. illi dicitur, *Egredere in occursum Achaz, tu, & qui derelictus est Iasub filius tuus.* cum autem ille dicat, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum*, Chrysostomus interrogat dicens, *Quis? quis hæc loquitur? Isaias ille spectator cælestium Seraphim, qui cum coniugio comercium habuit, nec tamen extinxit gratiam.* Hoc dicendum illis, qui se excusant à vita spiritali, quod vxorati sint, vel si mulieres sunt, quia coniugatæ. contra hos inuehitur ibidem Chrysostom. dicens, *Adiutor tibi data est vxor, non insidiatrix ac non habebat vxorem Propheta*, (scilicet Isaias) *neque tamen gratiæ obstabat coniugium? Moyses nonne vxorem habebat? & tamen is petram dirupit, aërem immutauit, cum Deo collequebatur, diuinam iram cohibuit. Abraham nonne habebat vxorem? & tamen pater factus est gentium, & Ecclesiæ.* & alia plura addit circa hoc. Non dicas ergo vocanti te seruo Christi ad nuptias, seu conuiuium suum, *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Sed si non venis, dic potius *Vxorem duxi, & ideo nolo venire.*

Isa. 7.

Chrys.

7. Sed ne recedam ab Abraham, ait doctor quidam ex recentioribus, Abrahamus tantam in coniugio continentiam seruauit, vt eius femur sacrum altare videretur. vnde Genes. 24. 2. ad suum seruum ait, *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum. nam sicut per aram, ita & per illud femur iuramentum fieri præcipiebat: quasi nō minus sanctitatis haberet illud femur, in quo erat continētia coniugalis quàm ara qualibet, in qua sua Deo sacrificia offerebantur.* Hæc ille.

Gen. 24. 2.

8. Prima Corin. 16. *Salutant vos in Domino multum Aquila & priscilla cum domestica sua Ecclesia*, hoc est cum eorum domo, & familia. cur autem vocat domum sæcularem hoc sacro nomine? ait Theophilactus, *Quia vbi multa pietas est, & virtus, domus illa Ecclesia dicitur. proinde matrimonio iuncti hic audiant quod matrimonij nomine ad virtutem neque impediantur, neque lædantur.* probi coniugati domum faciunt Ecclesiam: mali religiosi Ecclesiam faciunt domum.

1. Cor. 16. Domus coniugatorum proba vocatur Ecclesia.

2. *Ad ferendam malam vxorem vix patientia Iobi satis.*
3. *Vxoris conditio serui deterior conditione. dote emit seruitutem.*
4. *Vir amet vxorem vt Ecclesiam, & illa ei obediat vt Christo.*
5. *Domus cum mala vxore, pro portu est viro fretum naufragij.*
6. *Patientia Socratis erga vxorem.*
7. *Verberans vxorem, instar patricidæ.*
8. *Vxor inducens virum ad peccatum telum, quo se necet ei porrigit.*
9. *Morosa vxor domi est viro gymnasium veræ Philosophiæ.*

2. CHRYSOST. hom. 5. de Iobi patientia obiicit sibi: Quare vxorem Iobi cum liberis non extinxit diabolus? & respondet, *quoniam viderat magna se cum illa operaturum ad illius insidias.* dic tu, Neque patientiam Iobi putauit dæmon posse perferre malam vxorem, vel potius eius tentationes. tentauit enim illa Iobum dicens *Benedic Deo, & morere.* vnde vulgò dicimus: (a) *Non basta vna patienza di Giob à tolerar vna mala moglie.*

Chrys. hom. 5. de Iob pat.

(a) Iobi quidem patientia sufficit ad tolerandam malam vxorem.

AMBR. 3. Ambr. in exhortatoria ad virgines, *Meliore conditione mancipia, quã coniugia comparantur. in illis meritum emitur seruitutis, in istis pretium ad seruitutem additur.* & quia seruus solet à domino verberari; vxor à viro quem dotauit; dici potest de illâ: (a) *paga il boia che la frusti.* flagellum in manibus olim erat Heiroglyphicũ dominij. vnde rex socer domini D. Paulini vidit in somnis Paulinum sibi flagellum de manibus eripientem, vt habetur in eius vita. ergo mulier emens dote seruitutem, emit flagella. nam de seruitute hac est dictum *ipse dominabitur tui. Igitur paga il boia che la frusti.*

(a) Pretium persoluit Lictori qui illam flagellat.

Ad Eph. 4. 25. 4. Ad Ephesios 4. 25. *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam.* dixerat autem paulò ante num. 22. ibi: *Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Domino.* vbi Chrysostom. Hom. 20. in epist. ad Ephesios, ait, *Vidisti mensuram obedientiæ: audi etiam mensuram dilectionis. vis tibi obedire vxorẽ sicut Christo Ecclesiam? ipse quoque eius curam gere, sicut Christus Ecclesiæ.* Hæc etiam dicenda Prælatis, quorum spiritalis vxor sunt subditi. vultis vxorem hãc, siue vestram Ecclesiam, vobis tamquam Christo obedire? prouidete & vos illi sicut Christus Ecclesiæ.

Num. 22. CHRYS *Hom. 20. in ep. ad Ephes.*

In 1. Reg. 1. 5. Cum Anna vxor Elcanæ, vt est in primo Reg. 1. effugiens Phenennæ contumelias, etiam incurrisset in cõtumelias Heli, qui eam vocauit ebriam: Chrysost. Hom. 1. de fide Annæ ait de hac re & de ipsa Anna, *Effugerat domesticam tempestatem; venit in portum, & rursus inueniet vndas.* forte allusit ad Menandrum dicentem: *Tempestas in domibus est viris mulier.* quidam ex septem Sapientibus Græciæ apud D. Maximum serm. 39. addit, *Mulier est viri naufragium.* vide ergo infelicitatem viri, iracundam & morosam vxorem habentis. elapsus forsitan sæpè fuerit à tempestate maris, & deinde in domo sua tempestatem, & naufragium patitur. vulgò dicunt, (a) *A chi è disgratiato gli tempesta il pan nel forno,* venit in portum, & ibi subit naufragium.

CHRYS. *Hom. 1. de fid. An.*

D. Max. serm. 39.

(a) Infelicibus panis in furno tempestatem excitat.

6. B. Hieronymus. libr. 1. contra Iouin. Cum Socrates, inquit, infinita conuitia ex superiori loco ingerenti Xantippæ restitisset; aquâ perfusus immundâ, nihil amplius respondit, quàm capite deterso, *sciebam futurum, vt ista tonitrua imber sequeretur.*

HIER. *lib. 1. cont. Iou.*

7. Chrysosto. hom. 26. in primam ad Corinth. de maritis crudelibus in vxores suas, & immodicè, ac iniustè corripientibus, & verberantibus ait, *Nam vxorem verberare est extrema contumelia non ei, qui verberatur, sed ei, qui verberat.* & statim addit, *eiusmodi virum (si vir est appellandus, & non bestia, instar patricidæ.* Hoc verò confirmat, quia inquit, si propter eam dictum est, vt dimittat homo, patrem, & matrem; cùm illa tanti momenti sit apud Deum, & velit esse talem apud te; *quomodo non est extrema insania eam contumeliâ afficere?* ita Chrysostomus.

CHRYS. *hom 26. in 1. Cor.*

8. Textor in officina cap. de his, qui sibi mortem consciuere ait: Aria damnato Pæto marito (hoc est sententia Iudicis) corpus gladio fodit: gladium mox ex vulnere suo educẽs Pæto ipsi viro suo dedit, vt idem in seipsum faceret. quod & fecit: se

Text. in offic. cap.

fodiendo

fodiendo eodem gladio. Sic vxori non sufficit sicut olim Euæ, occidere se gladio peccati (nam *romphea bis acuta omnis iniquitas*) nisi etiam eodem gladio necet virum, vel potius præbeat ei occasionem peccandi, vt Eua porrexit pomum, quo se etiam pauerat, viro suo. vnde vterque etiam temporaliter mortui sunt. affer exẽplum vxoris Iob, & Tobiæ, quoad scandalum in viros suos. hoc enim est viris gladium porrigere eundem, quo & illi se confodiant.

CHRYS hom. 26. in 1. ad Cor.

9. Chrysost. hom. 26. in 1. ad Cor. *Dicitur quidam ex Philosophis externis. cum malam haberet vxorem, & nugatricem, & conuitiatricem; rogantibus cur eam sustineret, dixisse: vt domi habeam gymnasium, & palestram Philosophiæ. ero enim, inquit, ceteris mitior, si in ea quotidie erudiar.* & cum hoc exemplum narranti magnus fieret applausus ab auditoribus, ait, *Magna voce exclamastis. sed ego valde defleo, cum Græci sint nobis sapientiores, qui iussi sumus Angelos imitari, imo verò Deum æmulari in ratione mansuetudinis.*

2. *Conuitiator vxoris, & ipse femina fit.*

CHRYS. hom. 15. in Act.

2. IDEM Chrysost. hom. 15. in Acta monens viros, ne vxores conuitiis prosequantur, & ostendens muliebre esse vitium conuitiandi ait, *Contumeliâ afficit mulier? ne fias tu mulier. muliebre enim est contumelia afficere.* si vna mulier adest, ne duas efficias. & tamen multi adeo stulti sunt, vt se mulieres faciant, quò se ostendant viros sed quia tum viri, tùm vxores, si alterum coniugem in contumelias, & alia etiam deteriora prolabi videant, ipsum (quasi solus in hoc peccet) damnant, cum ipsi ad hoc eum irritarint; audiant Tert. lib. de patientia, cap. 10. *Quid refert inter prouocantem, & prouocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, at hic posterior?*

Tert lib. de patien. c. 10.

2. *Vxor non imperet viro.*
3. *Coniuges dissentientes limaces sunt.*
4. *Vxor non æquè vt vir sapere velit, ne se Mineruam faciat.*
5. *Rectiùs sapit quæ virgo permanet, quàm quæ nubit.*

2. LVSIT quidam de vxore viro dominante, & ei subdito viro, quasi illa in virum hic in vxorem commutentur.

Contra naturam & mores legesque loquendi
(Grammatici fugite hinc.) Hæc vir, & hic mulier.

turpe est vxorem barbam gestantem in mento, turpius in mente (nempe inueniri) hoc est per superbiam virilem.

3. *Limaces malè conuenientes sunt vir & vxor.*
Non habitant vnam femina masque domum.

Vulgò dicitur de his, qui se inuicẽ auersantur, Non se mutuo conspicere queunt. tales sunt huiusmodi coniugati. limaces enim cæci sunt, illi odio excæcati, qui se inuicẽ non possunt intueri. Adeo morosi in omnes sunt aliquando coniugati huiusmodi, vt nemo sustineat, & possit cohabitare illis, non seruus non cõiux: vnde sicut limaces, superbiæ cornua

& feritatis gerentes; soli habitare cogantur quasi eremitæ diaboli.
Quidam cœlibatum optimum prædicans, sic cecinit:
Est bona res vxor, melior bona; at optima nulla.
4. Idem subdit de minori prudentia vxorum, quàm virorum:
Cur minor vxorum est, marium prudentia maior?
Eua fuit costæ filia, non capitis.
Inde docemur vxorem non debere sapere æqualiter cum viro. alioquin se volet facere Mineruã Deam sapientiæ ortam de capite Iouis, vt aiunt.
Idem fabulam sequentem memorans de ortu ficto Mineruæ sapientiæ Deæ sic ait:
5. *Orta Iouis cerebro nullis sapientia nupsit.*
Nupsit at è costa coniugis orta sui.
ostendere voluit sapientiorem esse eam, quæ in virginitate permaneat, quàm quæ nubat.

2. *Vxores sæpè paruipenduntur quasi non sint homines.*
3. *Vxor seni noxia.*
4. *Litigantes coniuges simul sepulti.*

2. GALLO *Hispano Italo parui curpenditur vxor?*
Gentibus his mulier nulla videtur homo.
Gallus enim vocat mares *hõmes*. mulieres *femmes*; Hispanus *Hombres, mojeres*; Italus *huomini, donne.*
3. In senem tertiam vxorem ducentem quidam sic;
Prima tibi Clotho, Lachesis fuit altera coniux:
Atropos est vitæ tertia nupta tuæ.
4. Ait quidam de coniugatorum litigijs & perpetuis rixis, vt defuncti simul sepeliantur. *Coniuges vno tumulo ponantur: Mortui vt saltem sileant in pace, Qui viui semper mutuo rixati sunt.*

2. *Tribulationes in coniugio.*
3. *Vxor morosa domo eiecta.*
4. *Superbia, & inobediens inepta coniugio.*
5. *Cæcus vir amore ab vxore duci se sinit.*
6. *In mundo exiguus amor, connubia multa.*

2. PRIMA Corin. 7. *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* 1. Cor. 7.
vnde quidam sic:
Sæpius inquiro totam, Cypriana, per vrbem
Si qua puella neget nubere; nulla negat.
Sed quid agunt? nimium longas breuis illa voluptas
His creat ærumnas; culpaque pœna sibi est.
Nam bene vix nubit multis de millibus vna.
Et bene cum nupsit, non habet illa bene,
3. Idem ad quandam vxorem, quæ ob nimiam in virum suũ molestiam eiecta domo ab illo fuerat, alludens ad Ionæ historiam:
Horrendis domus illa diu iactata procellis,
Ne tandem æquor eis obrueretur aquis;
Te (quâ nil grauius fuerat) proiecit in altum.
Omnia ne pereant, exoneranda ratis.

4. Vir

4. Vir contrahens matrimonium dicitur ducere vxorem, non autem vxor ducere virum. vir ergo dux esse debet, atque rex vxoris; quia ducere, quia regere illam debet. vnde vxor Abraham vocat eum dominum. cum ergo vir & dux, & rex sit vxoris lepidè quidam sic cecinit:

Apta Duci nō est vxor, non aptaque Regi,
Quæ duci non est apta nec apta regi.

Adde tu, quæ est apta duci & regi, quamuis inops, & ignobilis, verè est apta Duci & Regi. quia Ducem, & Regem, qui alios ducunt & regunt, maximè decet vxorem habere ducibilem, & regi facilem: & quæ talis est, dum nubit etiam pauperi, illum repente constituit ducem, & regem. quia super seipsam tradit ei Imperiū. vnde & Imperatorem ipsum facit. quæ verò duci, & regi ob superbiam inepta est, hæc, & si Duci, & Imperatori, aut Regi nubat; tamen eos (quantum in ipsa est) constituit seruos: quia illis dominari vult. sicut è contrario illi hoc ipso quod ei iunguntur, constituunt illam in Ducissam, Reginam, & Imperatricem, licet esset serua.

5. Cum autem amorem cæcum, & puerum, scriptores dicant, quia tales reddit amantes: & quia, vt est adagium, *Adulter est propriæ vxoris, amator acrior.* scilicet imitatur adulterum, quamuis non sit: ideo hic maritus, cum cæcum, & puerum se faciat, quid mirum si duci, & regi se sinat à propria vxore? Dictum quidem, *Diligite vxores vestras:* sed, *sicut Christus Ecclesiam.*

6. *Plurimus in cælis amor est, connubia nulla:*
Coniugia in terris plurima, nullus amor.

nullus, hoc est exiguus amor, præsertim syncerus, & laudabilis, de quo alibi. Imo neque amor speciei, aut generis nobilitas multum valet ad vxorem ducendam. nam vt ait Poëta quidam

Prima Categorias inter substantia sola
Plus in amore potest, quàm genus, aut species.

FILII ERGA PARENTES.

1. *Ingrati in parentes.*
2. *At parentes eis nimis indulgendo, ipsos tales efficiunt.*
3. *Filios non habere, vel per mortem amittere, sæpè vtile parentibus, præcipuè ad vacandum animæ propriæ.*

1. FILII vocantur, & sunt quodammodo fructus parentum, qui ramorum obtinent locum, & nomen, in arbore prosapiæ, seu familiæ. sic filius dicitur in scriptura *fructus ventris.* ergo sicut fructus sæpè posteaquam grandiores facti, & nutriti sunt à ramis, ipsos ramos suo pondere frangunt; sic possunt sæpè parentes dicere, *filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Chaldæus *rebellarunt contra me.* Isa. 1. 2.

2. Tamen dic, ramos ipsos sibi creare interitum fructus suos nimiū pingues efficiendo: sic parentes faciunt dum filiis nimis indulgent. Ecclesiastici 30. 9. *Lacta filium & pa-* Eccles. 30

 uentem?

uentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. tu imples eum lacte, ille te implebit luctu. pro eo quòd pater filium nimis valde amabis, filius patrem nimis citò humabit. hoc est ramos ad terram detrahito, siue, causa erit mortis eius, vel descensionis in infernum, iuxta illud, *Et sepultus est in* Luc. 16. 22. *inferno.* Lucæ 16.22.

3. Si auferantur fructus à ramo iis prægrauato, antequam frangatur, beneficium exhibetur ipsi ramo, & exinde non amplius versus terram cũ periculo inclinatur, sed ad cælum cum salute subleuatur. Sic si filij auferantur à parentibus per mortem; illi, qui prius quàm eos generassent, sine dolore, & periculo viuebant, erecti versus cælum, scilicet per spiritales occupationes, & orationes; & deinde filiis onerati versus terram, id est occupationes, & sollicitudines terrenorum cum periculo, & dolore depressi erant; iterum ablatis filiis, sursum subleuantur ad pristinam conuersationem cælestem. Vide ergo quam stulti sint, qui emortuis filiis, adeo impatientes sunt: cùm ab iis fortasse ipsi velut rami ad terram derracti fuissent. Ecclesiastici Ecclef.16. 16. *Vtile est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios.*

2. *Quàm turpe dissidium inter matrem, & filiam.*

3. *Quantum malum parentibus non obedire.*

4. *Patres fiunt rustici, vt filij fiant nobiles.*

5. *Christus puer obediens feminæ. tu inobediens?*

D. Hieronymvs in epistola ad matrem, & filiam in Galliis, quæ filia se à matre separauerat, ait: D.Hier in ep ad matr.& fil. *Mater, & filia pietatis nomina, officiorum vocabula, naturæ vincula, secundaque post Deum fœderatio. non est laus, si vos diligatis, sed scelus est, quod odistis. Tu verò filia* (iam enim desinam ad matrem loqui, quam forsan & ætas, & imbecillitas, ac solitudo excusabilem facit) *cur domum eius angustam iudicas, cuius non tibi fuit venter angustus? decem mensibus vtero clauso vixisti, & vna die in vno cubiculo vnà cum matre non duras?* ita Hieronymus.

3. D. Ambros. in illud Lucæ 2. Ambr. lib.2.in Lucam. *Descendit cum illis in Nazareth, & erat subditus illis;* sic ait: *Exempla pietatis agnosce; disce quid parentibus tuis debeas. tu matri debes pudoris iniuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matris longa fastidia, matris longa discrimina: cui miseræ in ipsis votorum fructibus maius periculum est; & cum ediderit quod optauit, partu absoluitur, non timore.* hæc ibi.

En: Christus non debebat matri pudorẽ, non virginitatem, non vitæ periculum in partu, non fastidia, & dolores ante partum, & in partu. ita matris erat filius, vt eius esset Dominus, illa serua non debebat ille matri virginitatem, sed illa filio, cui etiam debebat vitam, & omnia, vt Creatori. & tamen ille *erat subditus illis*, Deus fabro, Omnipotens vxori fabri. Et tu vermis, & mortis mancipium non patieris subdi parentibus, à quibus tanta accepisti? Deus creditor soluit debitoribus, homo debitor non soluet creditoribus?

Addit Ambros. ibidem de patre. *Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu; & multiplicatos alienis vsibus census, iactaque agricolæ semina posterorum ætatibus profutura? nonne pro his obsequia saltem oportet rependi?* Sic Ambr. adde tu, si carcerem meretur, qui pro beneficio non soluit pensionem debitam auri; quomodo non meretur furcam, qui pro vita, & omnibus, quæ habet acceptis, nec pensionem reddit obsequij? nonne Deuter. 21. huiusmodi filius ob inobedientiam, & contumaciem in parentes iubetur lapidari? Vide locum Deuteronomij.

AMBR.

Deut. 21.

Damnaberis in vtroque foro, & à iudice punieris, nisi reddas debitum etiam decem aureorum Iudæo, cauponi, vel etiam carnifici: & cum (ratione vitę, quam accepisti) omnia, quæ habes, aut speras, parentibus debeas, etiam obsequij pensionem illis non reddere audebis? Quid clamabit pater, quid mater tua? Tu fili soluis quod debes etiam inimico, etiam scorto, vel Mahometano, aut carnifici. fac patrem tuum sicut carnificem: fac matrem tuam sicut scortum, (ad verecumdiam tuam dico,) fac nos sicut vnum ex istis, imo multò inferiores istis: illis reddis totum pro toto ad iustitiam, nobis redde exiguum pro multo ad recognitionem.

Sed quia, sicut iuuenes voraces & crapulæ ac petulanti licentiæ dediti, si aliquis vir grauis mensam opiparam parauit, statim cuperent ipsum abire, vt possint inter se liberè tripudiando statim eam velut captam vrbem deprædari: (nos diceremus, *per metter à sacco la detta tauola.*) ita filij postquam patres desudarunt, vt eis pararent pinguem hereditatem, quasi conuiuium diu duraturum; statim cupiunt ipsos abire, imo obire, vt libere sine censurâ senis, possint in eo conuiuio genio indulgere; & vt in mensa, & in cibis possint se laxiùs extendere, ampliori loco sibi remanente. Quia inquam ita in patres se gerunt, & eis soluunt pro hac mensa tamquam hostibus, non Italicè, sed Latinè sumpto vocabulo hostis (Italicè, *Hoste*, scilicet stabularius, tabernariusve) idcirco Ambro. statim post verba prædicta de obligatione in patres, addit: *Cur impio* (supple *filio.*) *patris vita prolixior, & communitas patrimonij videtur angustior?*

4. Nota etiam, quod patres cum sæpe nobiles sint, parsimonia, & labore assiduo se faciunt agricolas, vt filij, qui ob exiguam hereditatem fierent agricolæ per diuitias relictas, & luxum viuendi nobiles appareant. Agricolas inquam se faciunt patres, nonne enim est agricola, qui arat, & seminat? patres sunt agricolæ, & seminatores pro filiis, nec enim refert, quod non solas fruges seminent, sed etiam domos, & nummos, & alia. talibus enim rebus, vt seminator seminibus, seipsos priuant, in eo quod suis rebus parcunt, nec eas expendunt; vt in humo negotiationum multiplicata, & aucta, reddantur posteris, nedum filiis: iuxta illud Poëtæ: *Insere Daphni piros, carpent tua poma nepotes.* idcirco Ambros. loco citato dixit, *Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu & multiplicatos alienis vsibus census, iactaque agricolæ semina*

AMBR. loc. cit.

semina posterorum ætatibus profutura? en tibi clarè ex Ambros. patres esse filiorum agricolas, & seminatores. si pater Petri in redditu habebat tantum in iuuentute sua duos modios tritici, & filius hereditate ab eo obtenta habet viginti; quid sunt hęc nisi labor sementis patris? si ergo vitam das ratione mercedis, nedum vitam optas, ei, qui seminauit tibi in annũ; quomodo mortem cupies ei, qui seminauit in sæculum? doles de morte eius, qui tibi seminauit grana, & lætaris de morte illius, qui tibi seminauit granaria? quamquam quot patres sunt, qui anni mediâ parte ne dicam omni, ruri degunt amictu & victu rustico, imo etiam opera; velut antiqui Serrani eodem actu, sed valde diuersa mente laborantes? nos dicimus, (a) *che fanno boaria in casa, dicendo che à far i fatti suoi non s'imbrattan le mani.* & hoc quid est, nisi ex ciue fieri agricolam, & rusticum pro filiis? rusticus enim dicitur homo à rure, & ruris habitatione, atque cultura.

(a) Qui villicum domi gerunt, dicentes: Qui quod suũ est facit, manus non inquinat.

BERN. *ser.3. de resurr.*

5. Bernard. serm. 3. de resurr. super prædicta verba, *& erat subditus illis,* ait, *Attende quid fecerit magni consilij Angelus, quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris vnius, Beatam Virginem loquor, & fabri pauperis.* & paucis interiectis explicat, dicendo: *Bonum erat consilium Christi; qui ait: Quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse; sed mutauit illud consilium, vt nos mundaret ab ea lepra, quæ proprij consilij est. Descendit, & erat subditus illis.* ita Bernard. qui ante hæc exclamauerat, *Quis iam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum sapientia ipsa deseruit?*

Idem serm. 19. in Cantic. ait; *Formam obediendi Puer Iesus pueris sanctis tradidit, sequi illos in Nazareth non despexit, Magister discipulos, Deus homines. Verbum, & sapientia fabrum, & feminam.* hæc ille. Quis non stupeat tam immensam cæli machinam ab vno Angelo per tot sæculorum curricula tam velociter circumagi, nec vllatenus illi resistere, quin prōptissimè eius sequatur impulsum? sed valde, & infinitè maius est, videre eum, qui de nihilo fecit cælum, & tribus digitis sustinet molem terræ, à femina, & à fabro duci, & regi, eosque tanta promptitudine sequi gressibus corporis, & animi. Rapidè olim confluxit Roma ad videndum magnum illud prodigium, ingẽtem nauem, quam multitudo virorum non potuisset mouere, ab vna virgine in testimonium suæ virginitatis linteo vno facilè trahi. at quid hoc est, si conferas illi eum, qui nauis est, quæ *portat omnia verbo virtutis suæ*. ab vna Virgine solo nutu duci, & regi? adde maximè, non ad horam, sed tot vicibus, & per tot annos?

Idem ser. 19 in Cant.

2. *Maledictio parentum in filios quàm exitialis Turcarum etiam testimonio.*
3. *Filij alicubi edunt parentes senes. Similia agunt mali filij.*
4. *Nigredo Æthiopum ex maledictione in Chanaam, vnde illi geniti.*
5. *In qui in patres iniquos sortiuntur sæpè filios.*

6. Filij

6. Filij plebeiorum grandes effecti senes patres relinquunt more bestiarum.

2. Vt timeant filij irritare parentes per mala ipsorum opera ad sibi maledicendum, referam quam horrenda sentiat super hoc Turcarum secta, non vt omnia, quæ illa credit in hac parte vera asseram; sed saltem, vt filij faciliùs credant, quæ etiam Patres, & Scripturæ sacræ ante eos prædicant de huiusmodi pernicie ex maledictione parentum in filios, ipsis imminente. ait ergo historia Turcica tomo 1. libr. 2. per Philippum Lonicerum, recitato secundo præcepto eius sectæ de honorandis parentibus, hæc verba: Addũt præterea huic præcepto, vt filij omni cura, & sedulitate caueant, ne ipsis iure à parentibus maledicatur. maledictionem siquidem à parentibus profectam efficacem, ipsisque liberis exitialem omninò esse credunt. nec vllum flumen, nec ipsius maris profunditatem sufficere certò statuunt, vt à liberis parentum maledictionem mundè abluat. nec vllum animi dolorem, vel vitæ emendationem, vel pœnarum irrogationem, vt grauis, & acerba ea fuerit, eam aliquo modo vel eluere, vel extirpare posse. expressè etiam in libro Curaan (qui habetur apud eos, vt Euangelium apud nos) docetur, liberis, quibus parentum talis incumbat maledictio, Deum numquam ignoscere, nisi parentes vltro verbis expressis liberis culpam condonent, & maledictionem ab ipsis remoueant. Hucusque sunt verba auctoris. Vbi obserua dici eam, nullo flumine expiari, quia

Hist. Turc. to. 1. lib. 2.

Turcæ, vt Hebræos in multis imitantes, multam spem ponunt in lotionibus, quibus vti solent sæpè, saltem in ritibus quibusdam suis, vt testantur auctores.

3. Horrent aures id quod narrat D. Franciscus Xauerius lib. 2. Epist. ep. 3. in quadam Indorum regione, quo ille proficisci volebat ad prædicandum Euangeliũ, morem fuisse, vt fama ferebat, quod si quis solemne conuiuium alteri esset exhibiturus, parentem grandæuum necaret, & conuiuis coctum apponeret ea conditione, vt inuitatus eadem faceret in parente suo. quam rem me alibi etiam legisse memini, vel similem. Heu quàm multi filij apud nos parentes iam senes non gladio ferri, sed gladio doloris enecant, de quo dictum est, *tuam ipsius animam pertransibit gladius*! nam huiusmodi liberi quotidianis sceleribus, & pessima vitæ ratione, ac etiam crudelitate in parẽtes ætate ac morbis debiles breui compellunt eos ad vltimam ægritudinem, & mortem. mox de bonis relictis quasi de carne occisi conuiuia, & tripudia parant. Imitantur etiam Christi crucifixores, qui parente suo, nempe Deo cruci affixo, mortique proximo, aleâ luserunt eius vestes. multi namque filij etiam antequam moribundus parens expiret, impatienti auiditate incipiunt eius confringere arcas, dissoluere saccuios, ne dicam ipsius vestes diuendere, aleæque pretium, & aliis vitiis commessationis, scortationis, &c. tribuere.

D. Franc. Xauer. li. 2. Epist. ep. 3.

Huiusmodi filij Iaponios populos imitantur, apud quos color ater

Mmm color

color lætitiæ eſt, albus verò mœroris. cum enim filij noſtri in parentis obitu atrati apparent, color ille ſæpè apud ipſos lætitiæ eſt: mœſtitiæ verò erat alius, qui lætitiæ videbatur, nempe parente ſuperſtite. Suſpenſus periit Abſalon. quia quercui implicati ſunt capilli eius, rectè ita ſuſpenſus. nam ad ſuſpendium proditoris huiuſmodi in parentem ſuum terra non expectat, vt furcæ ædificentur, ſed ipſa ſponte ab initio mūdi vſque nunc tot furcas protulit, quot arbores; vt indicaret proditores parentum, & iniquos filios in patrē non vna, ſed mille furcis dignos eſſe; atque ideo ipſam tot ex his furcis facere, quæ ſufficiant, etiam ſi mille furcę ſingulis huiuſmodi filiis conſtituantur. Vel dicēdum eſt, adeo abundare malos filios, & proditores parentum ſaltem occultos, & qui ſaltem deſiderio mortuos parentes vellent; vt non pauciores furcas pro illis ſuſpendendis debuerit terra parare, quam ſint arbores. eadem terra furcam parauit Iudæ proditori ſui veri patris, Dei.

Genebr. lib. 1. Chron. 4. Apud Genebrard. li. 1. Chronol. dicitur à Poſtello id quod ſequitur: Certiſſimum eſt originem nigredinis non à regione propriè (vt hactenus exiſtimatum eſt) ob ſolis ardores; ſed à ſtirpe. & ſanguine Chus prouenire. quoniam ſub æquatore, & locis vtrique tropico vicinis inter iſtos nigerrimos ſparſi reperiuntur albi, vel cineritij, qui illic in ſua albedine perſeuerant, vt qui manarint ex ſanguine Abrahæ, Salomonis, Iudæorum, & aliorum inquilinorum. hæc ille. id ipſum fuſius probat ibidem aliis argumentis, refertque traditionem Hebræorum eſſe hanc, quam diximus, illique credendum; nempe in pœnam peccati Cham in Noë patrem ſuum, cum ipſe albus eſſet, vt ceteri, nigros natos eſſe eius poſteros; vnde Æthiopes prouenerint. Paruam maculam putant filij contrahere ex inhonoratione, vel irriſione parentū. at vide quanta ſit, cum illa quæ contracta eſt ex vnica huiuſmodi actione, ſatis fuerit ad denigrandas tot hominum myriadas, neque vnquam deficiet. Cum verò homo peccando fiat Æthiops in anima, hoc eſt immundus, iuxta illud Hiere. 13. 23. *Si Æthiops potuit mutare pellem ſuam, &c. & vos poteritis benefacere*, &c. agnoſce quantam nigredinē contrahat, præſertim ob inhonoratos parentes, cum tantam transfundat nigredinem ex abundantia ſuæ propriæ in omnem poſteritatem ſuam, quamuis ab actu peccati illius innocentem. cum verum illud ſit, *nemo dat quod non habet.* Hiere. 13. 23.

Genebr. ibid. ex Rabbi Selo Gen. 12. dicit, Getulos ex ſtirpe Cham etiam genitos, qui præter nigredinē ore putidi ſunt, vt cogantur ſalem perpetuò habere in ore. Genebr. ibid. ex Rabbi Selo Gen. 12.

Maximus ſer. 23 ait, Solon rogatus, cur legem non tuliſſet (cum Legiſlator eſſet) in eos, qui parentes percuterent? ait, quia inducere in animum non potui, tales vnquam futuros filios. Maxim. ſer. 23.

Pittacus apud Stob. ſer. 177. filium admonens, ne litigaret cum patre. quia, inquit, ſi de illo iniquiora dixeris, quàm ille de te; ob hanc iniquitatem damnaberis. ſi minus iniqua; Pittac. apud Stob. ſer. 177.

ob

ob hoc ipſum etiam damnaberis, hoc eſt, vt qui magis reus exiſtas ob maiora crimina contra te allata à patre.

5. Permittit Deus in pœnam filiorum, qui in parentes iniurij fuerunt, vt iniquos obtineant filios, ſeu nepotes: præter id, quod diximus de nigredine ſucceſſorum Cham. Sic Ambroſ. lib. de Arca, & Noë ca. 30. ait, *Maledicitur Chanaam, qui natus non erat, cum & auctor filij nequitiâ grauaretur. nec enim fieri poterat, vt bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, & naturæ & eruditionis degener extitiſſet.* hæc Ambr. Quæ non debent intelligi de impoſſibilitate abſoluta, ſed de magna difficultate, quę vulgò aliquando vocatur impoſſibilitas quædam.

AMBR. *lib. de Arca, & Noë c. 30.*

Qui alterius reuelat opprobria à Latinis dicitur *denigrare* ipſum, ſiue eius famam. Sicut autem mater grauida, rei, quam appetit, imaginem, ſeu maculam in fœtum imprimit: ita cùm Cham appetiiſſet nigredinem honoris, ſeu denigrationem nominis patris ſui; ita ipſam nigredinem impreſſit in ſemen ſuum modo ſupradicto ex Genebrardo.

Supra diximus filios reſpectu parentum eſſe quaſi fructus reſpectu arborum. Pſalm. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Vulgò aiunt (a) *figli piccoli, faſtidi piccoli, figli grandi, faſtidi grandi,* Sicut enim fructus quamdiu exigui ſunt, non prægrauant ramos arboris, neque frangunt; at grandes effecti, ipſis arboribus graues ſunt, & aggrauant, aut etiam dirumpunt aliquando ramos earum: ita filij paruuli parum graues ſolent eſſe parentibus tum in re familiari, tum in ceteris rebus; at maiores effecti, & expenſis, & moleſtiis eos ſæpè valde premunt, vtpote in lubrico adoleſcentiæ, & ſodalitatis poſiti. quaſi fructus iam maturi multis euentibus.

Pſal 131.

(a) Filij parui, moleſtiæ paruæ: filij grandes, moleſtiæ grandes.

6. Item cum fructus acerbi ſunt, & parui; arbori firmiter adhærent: ita filij cohabitatione, & plerumque etiam amore quamdiu parui ſunt, adhærent parentibus; at grandes effecti, facilè ſeparantur ab eis affectione, vel etiam habitatione. exemplum ſit in filio prodigo. ſic *homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* nam iumenta à matribus non recedunt, dum paruula ſunt, ſicut & pulli à gallinis: at deinde cum hæc animalia creuerint, facilè ſeparantur ab eis, neque agnoſcunt parentes. *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me*, inquit Deus per Iſaiam: Chaldæus *rebellarũt à me.* Adde autem, quod fructus iam maturi, & præſertim marcidi, qui ſe ſeparant ab arbore eorum parente, ſæpè in terra, in quam decidunt, perfectè mareſcunt; & dici poteſt, quod paſtores fiant gregis immundi, dum illum paſcunt ſeipſis. ita filius prodigus, qui ſe ſeparauit à patre corruptus plenè eſt cum meretricibus, & à grege immundo illarum deuoratus, vel etiam paſtor effectus eſt: ſibi atq; aliis vt documentum eſſet, talia accidere ſeparantibus ſe à parentibus.

Hoc verò peccatum derelinquendi parentes, præſertim iam ſenes, & inualidos viribus, cadere ſæpè ſolet in plebem. nam miſeri parentes alunt liberos, & ad firmam ætatem

perducunt in sudore vultus sui, simulque eos docent per se, vel per alios artem, vnde viuere possint. at ipsi filij, sicut pulli volucrum, simul ac bene plumati, & alati extiterint, auolant à parentum nidis, neque parentes amplius agnoscunt: Ita miseri parentes sæpè ob senectam, & imbecillitatem conficiuntur fame, & egestate; dum filij in proprias translati domos, sibi tantum, & suæ prouident familiæ. Ita dicere possunt parentes, *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.*

Veraciter feras & bestias se comprobant huiusmodi filij, & non homines. in hoc enim differunt bestiæ ab hominibus, quod illæ non amplius agnoscunt parentes, postquam adoleuerint, & eorum ope non egēt. at homines etiam post hoc ipsos agnoscunt, & reuerentur vt parentes. Hi filij, feræ & bestiæ sunt, non homines. homines enim homines sunt, quia sunt partes generis Humani, i.e. naturæ humanæ, quod est dicere, naturam habent humanam. at quomodo naturam habent humanam, qui naturam habent inhumanam? quæ enim maior inhumanitas quam miseros derelinquere parentes? Si dicetur in die iudicij, *Ite maledicti in ignem æternum* iis, qui non succurrerunt carnifici, Turcæ, hosti, in articulo, in quo tenebantur succurrere; quantò magis dicetur non succurrentibus parenti? Si damnabitur, qui non subuenerit inimico, à quo non solum beneficia non accepit, sed magna passus est damna; quid fiet de iis, qui non subuenerint parentibus, à quibus vitam, incremēta, alimenta, oculos, manus, pedes, & quidquid sciunt & sunt, acceperūt? Qui inferni, qui ignes, qui diaboli satis erunt ad torquendos huiusmodi impios?

Dicebat beatus quidam ex Franciscana Familia, Quantum imperti- res, vel deberes, si cæcus existeres, restituentibus tibi oculos? si surdus, aures, si mancus, manum? at Deus hæc omnia tibi tradidit, dum te creauit. Addo ipse: Quantum etiam parenti debes, à quo etiam oculos, manus, pedes, aures accepisti, dum vitā accepisti? Clamant miseri parentes in filios: Nos miseri sæpè bolos ex ore nostro extraximus, vt tibi adhuc inualido, & victum tibi comparare non valenti porrigeremus, quamuis nullum tibi deberemus beneficium: & tu non extrahes panem ex ore tuo, vt reddas eis, quibus tantum debes? vt reddas inualidis per ætatem ad alimenta conquirenda? Si verò tanta crudelitas non subtrahere panem de tua esurie, vinum de tua siti; quid erit non subtrahere de tua crapula, de tua ebrietate, & hæc faciendo saluare à læsione immoderantiæ filium, & à læsione famis patrem?

Honor parentibus exhibendus; opis præsertim, & auxilij, vt est cōmunis expositio. Hoc ergo in sensu dico Deum adeo velle parentes honorari à filiis, vt potius ipsorum honorem malit, quàm suum. Sic Matt. 15. dicit, eos transgredi mandatum Dei, quod est *Honora patrem, & matrem*, qui vouet Deo sua, & templo, vnde parentes sic vouentis egestate conficiantur. Vult ergo potius honorari parentes hoc honore substantiæ, Matt. 15.

quàm

quàm seipsum, & templum suum. imo honorare ipsum derelictis parentibus, æstimat dehonorationem. ait enim docentibus hanc doctrinā, *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* &c. Sed si transgreditur mandatum Dei, qui derelinquit parentes, vt det Deo; quid facit, qui eos derelinquit, vt det diabolo? an non dat diabolo, qui dat scorto, cauponi, aleæ, & huiusmodi rebus?

BENEFICIA DEI.

2. *Stulti qui beneficia naturæ, non Deo, sed naturæ assignant.*

3. *Deus subtrahit beneficia, ne putaremus esse nobis debita.*

4. *Officium laudis Deo soluendum ob Diuina beneficia, vt Ecclesiasticum officium ob beneficia Ecclesiastica.*

5. *At peccatores magis ob illa beneficia ad blasphemandum Deum mouentur.*

6. *Impatiens ob opes amissas, vel aliud Deum deteriorem facit Turca. Templum Gratitudinis solum in vrbe Athenarum, cetera extra illam: quia ob gratitudinem homines haud ambulassent vsque extra vrbem, cum ob eam virtutem vix exiguum quid facere soleant.*

Gen. 4. 1. 2. En 4. 1. Eua genito filio ait, *Possedi hominem per Deum:* quamuis per Adam etiam possideret eum. vbi ait Oleaster: *Non considerauit filium secundum naturæ ordinem genuisse, aut beneficium esse naturæ, sed illud totum in Deum refert, ac si nullæ in beneficio essent naturæ partes. in quo nos vehementer arguit, qui non nisi miraculosa Deo damus, neque illi accepta ferimus beneficia naturæ.* via naturalis (siue fit mediante homine, siue mediante causâ non liberâ,) via inquam naturalis est via consueta, quâ Deus sua dona ad nos mittit. Si ergo rex misit ad me munus regium ab aulâ suâ; & ego dicā, munus hoc allatum est ad me viâ consuetâ, ergo exiguas ob id illi gratias debeo, & munus hoc est potius munus viæ, quàm ipsius regis: nonne si hæc cogitem, alligandus ero vt insanus? hoc tamen ago, dum puto donum naturæ, non Dei, quod accepi viâ naturali, neque Deo gratias ago propter illud.

Duas manus habet Deus, quibus nobis dona tribuit: dexteram, quâ, velut & nos, solet communiter vti ad huiusmodi rem; & sinistram, quà rarò vtitur. illa manus est naturæ, hæc miraculorum. ergo datorem non agnoscam, vel modicè diligam, quia hâc, non illâ manu mihi donū præstitit? vel misit per solitum eius ministrum, & famulum, non per peregrinum, & nouum? vel per publicū, & consuetum cursorem, seu tabellarium; non per priuatum nuntium? Quidam adeo superbi sunt, vt gratias muneratori non agant, nisi munus mittat (a) *per vn'huomo à posta, per vna stafetta straordinaria, e non per il corriero.* hoc est dicere nisi modo peculiari, aut miraculoso mihi benefaciat, sed viâ naturali. via naturalis est tabellarius consuetus, miraculosa extraordinarius.

(a) Per certum hominē per cursorem extraordinarium, & non per veredarium vsitatum.

Oculi nostri, hoc est mentes, sæpè sunt velut conspicilla quædam oblonga ad distantissima quæque aspicienda: quibus vt obiectum discernamus, illud à nobis longè remouendum est. Sic enim diuina beneficia à nobis auferenda, & remouenda sunt, vt ea demum ritè discernamus,
Basil. seu agnoscamus. ita Basilius ait: *Cogitur Deus à nobis sua beneficia auferre, vt ea cognoscamus.*

3. Ego paulò ante diues, sed modo pauper, accipio hodie & cras plures aureos à quodam alio: inde suspicari incipio ipsum largitorem non gratuita, sed debita mihi reddere, vtpote à se, vel ab alio à me sublata, vel ex contractu debita. si id ille resciat, nonne vt cognoscam ea fuisse dona sua, mihi statim subtrahet consuetam opem? Sic *Cogitur Deus à nobis sua beneficia auferre, vt ea cognoscamus*, vt ait Basil. vt inquam non cogitemus debita nobis esse. Beneficia Ecclesiastica ita conferuntur, vt saltem morte beneficiarij redeant ad Pontificem, alioquin hereditaria bona æstimarentur ita à Deo tribuuntur beneficia diuina, vt etiam quandoque auferantur: vt agnoscantur esse beneficia. huiusmodi beneficia Dei libri sunt, docentes eius benignitatem. at contrarium accidit in his, quàm in ceteris codicibus, nam cum ablati à nobis sunt ipsi libri cum libros perdidimus, tunc addiscimus, tunc sapientiam ipsorum percipimus.

Avgvst. in Solil. c. 18. 4. Augustin. in Soliloquiis ait cap. 18. *Sicut nulla est hora, vel punctus, quo tuo beneficio non vtor, sic nulla debet esse hora, qua te non habeam ante oculos.* Omnes sumus religiosi, & beneficiarij, tam sæculares & laici, quàm Ecclesiastici: hi enim beneficia à Pontifice, at ipsi, & sæculares simul beneficia à Deo habent. sicut ergo beneficium datur propter officium, vt dici solet: ita & beneficiũ à Deo datur etiam laicis propter officium, hoc est laudem Dei. & sicut Ecclesiasticus, cùm omni hora gaudeat fructu beneficij (prouentus enim eius toti anno respondent) ita & omni horâ Ecclesiasticâ officij tenetur reddere pensum laudis, & gratiarũ: eodem modo etiam laicus omni hora debet officium gratiarum Deo soluere, sicut omni hora, vt August. ait, vtitur beneficio eius. Indignaris in clericum possidentem beneficium centum aureorum, nec recitantem officium: & non indignaris tibi possidenti beneficium non à Vicario Christi, sed ab ipso Christo multorum millium aureorum, neque quatuor pater per dies singulos recitanti? Dixi omnes nos religiosos esse & beneficiarios. Religio Francisci, vel Dominici, plurimas exigit à suis preces, & gratiarum actiones: religio verò Christi, & Christiana nihil ex hisce rebus amabit? Christiani sunt, *Regale sacerdotium*, vt offerant sacrificium laudis.

5. Quid impium magis quàm si religiosi, qui signo dato Dei laudum per campanarum pulsationem, conuenirent ad Deum maledicendum & blasphemandum? *al suonar delle sue lodi, cantasser à lui bestemmie?* religiosi sunt, qui Christi religionem profitentur, nempe Christiani. hos Christus excitat ad se laudandum æris sonitu quasi campanæ, nempe opibus

opibus elargitis, & auro, quæ omnia apud Latinos æris nomine nuncupantur. inuitat inquam ad suas laudes æris sono iuxta illud Psalmi, *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* dum autem ad huiusmodi sonitum ipsi non psallunt ei, non exsiliunt sicut ipse optaret; potest eis dicere Lucæ
Luc. 7. 7. *Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis.* imo, vt dicebam, illi eo sono excitantur ad ipsum blasphemandum, nempe factis, si non dictis. in Scriptura enim hoc etiam est blasphemare. sic intellige id Isai. 1. 4. *Blasphemauerunt Sanctum Israel.* vnde Augustin.
Isai. 1. 4.
AVGVST. *sicut*, inquit, *per bonos nomen Dei laudatur, ita per malos blasphematur.* Hiere. 5.
Hiere. 5. 28. 28. *Incrassati sunt, & impinguati; & præterierunt sermones meos pessime.* audistis blasphemiam, quid vobis videtur? *Incrassati sunt*, hoc est, *cantauimus vobis* per beneficia, vnde impinguati sunt: siue, ære pulsato, aut campanâ pulsatâ vos excitauimus, at *præterierunt sermones meos*, quod est opere blasphemauerunt.

Sed in gratiarum actionem accepti beneficij, etiam dictis nedum factis Deum blasphemant: tunc præsertim, quando magis laudare debuerant. Dona Dei, vt vita, salus, opes, esse nobis commodata ab ipso; non planè donata, hoc est, eâ conditione exhibita, vt quando ipsi placuerit, ea repetat à nobis; notum est omnibus saltem experientia omnium sæculorum. & *commodati* nomine expresse vocantur ab ipsismet paganis passim, vt à Cicerone, Seneca, & aliis, ob rationem supra allatam. Sed quis ignorat, tunc maximè gratiarum actionem reddi solere commodanti, cum rem commodatam, præsertimque diu nobis ad vsum relictam, ipso eam repetente, reddimus? cum ergo Deus repetit à te opes, salutem, filios, vitam, &c. quæ commodarat; nonne tunc maximè cum gratiarum actione reddere debes? at quoties ob id indignaris in Deum? quot sunt, qui pro gratiarum actione tunc illum blasphemant? Sed res eò deuenit, vt qui repetenti Deo dona sua, non maledicat, sed dicat, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum* is dicatur habere patientiam Iobi. imo fit ipse Iobus, & commonstretur à Deo vt is, cui non sit similis in terra. tanta est penuria gratitudinis in mundo.

6. At quid iniquius quàm panem, vel pallium commodatum tibi (etiam à Turca, vel à baiulo) ad vnum diem tantum repetenti, illi reddere cum gratiarum actione multa, & sæpè etiam cum mercede; & opes, sanitatem, vitam, aut aliud ingens beneficium cum murmure & blasphemia Deo irato animo restituere? iniuriam putas istam repetitionem, non autem illam? cur ita? nisi quia ille, qui commodarat, Turca fuit, baiulus fuit; hic vero Deus? res commodata ibi exigua fuit, ad breue tempus commodata fuit: hîc verò res magna est, diuque tibi concessa fuit. ergo apud te melius est esse Turcam, esse baiulum, quàm Deum? maiorem gratitudinem exigit apud te panis, quàm prædium; pallium quàm vita; dies, quàm sæculum: vt pro illis, seu cum illis, gratias; pro his querelas reddas, aut blasphemias?

Dic

Iob c. 1. Dic ergo cum Iobo cap. 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit. sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domi-* BASIL. *ni benedictum*. sed inquit Basilius: *Dedit mihi Dominus vitam, & salutem, & opes ad duos, & tres annos, & non solum non egi gratias; sed neque vmquam eius beneficia esse cognoui, & si ad vnam diem auferat salutem, aut ad vnum: opes; statim murmuro, & blasphemo.* Hæc ille. sed heu iniquitas beneficiarij! numquam pro tot beneficiis, tot annis prouentum sibi reddentibus, officium recitauit. Ad vnum diem subtrahitur illi beneficium; & statim maledicentiæ recitat officium. numquam soluit beneficij pensionem, quàm soluere tenebatur; & statim soluit eam, quam non soluere tenetur. hoc est, vt Basil. ait, *non egit vmquam gratias, at subtracto beneficio, statim blasphemat.*

7. Athenienses, vt Arist. in Ethic. ait, templa Deorum extra vrbem, sed Gratitudinis intra eam habebant. quia necessitate, vel vtilitate adducti non solent labori, & viæ parcere, vt opem obtineant à Diis at vbi de gratitudine, & gratiis reddendis agitur; non est sperandum, eos laborem susceptpturos, vt id agant, nisi facillimè & ad manus habeant facultatem reddendi vicem beneficij. non ambulassent extra vrbem ad gratias agendas: ideo in vrbe templum construxerant Gratitudini.

Signum Diuinitatis, & sanctitatis est, recipere mala pro bonis. Videas in Ecclesia aliqua iuxta imaginem Christi, vel alicuius Sancti catenas pendentes, funes, baculos, claudorumque fulcra, gladios, & alia huiusmodi. agnoscis inde Christum, Sanctosque beneficia sanitatum, & liberationum contulisse, in quorum signum, & gratitudinem ea ipsorum imagini appensa & dicata fuerint. Sic cùm mundus receperit à Deo, vel à Sanctis beneficia sanitatum tam in anima, quàm in corpore, ac etiam liberationum, & aliarum huiusmodi rerum; solet è contrario eis retribuere, quasi in præmium, mala plurima, catenas, gladios, vincula, &c. ista autem retributio catenarum vinculorum, &c. signum est Sanctitatis maximæ ipsorum: vt dixi signum esse talis sanctitatis huiusmodi iustrumenta appensa Sanctis. sic Christo, cum tot sanitates ille præstitisset, (vt etiam Sanctis) retributa sunt vincula, & ferrum, & similia. vnde aiebat Ioann. 10. 32. Ioan. 10. 32. *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?* sic Stephano, sic Apostolis reddiderunt, sic reddunt Sanctis. Vnde cum ait *benefacite his, qui oderunt vos;* addit, *vt sitis filij Patris vestri; qui solem suum oriri facit super bonos, & malos.* signum enim Diuinitatis suæ, & sanctitatis suorum ponit, recipere ingratitudinem, quasi vincula appensa, gladios, & catenas, &c.

In Christo sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ. ideo potest, saltem accommodatitiè, dici ager ille Matt. 13. in quo est thesaurus absconditus, nempe Regnum cælorum, & pretium quo redempti sumus. Clauis, & lanceâ foderunt hunc agrum: & ille sic effossus dedit thesaurum prædictum nobis mediante sangui-

ne

ne suo. Sic modò vulneratus, vt ita dicam, & læsus gladio linguarum, & iterum crucifixus per peccata, tamen dat nobis thesaurum, nempe opes, vitam, salutem, &c. *pluit enim super iustos, & iniustos*, vt supra. qui enim peccant dicuntur ab Apost. *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.*

2. *Si qui beneficia à Pontifice obtinent cum obligatione castitatis, & aliorum laborum, Deo adeo tenentur: cur ei non teneantur, qui ab ipso beneficia magna obtinuerunt absque his obligationibus?*

3. *Superbiam ex beneficijs Dei trahimus. bonorum mundi vanitas, breuitasquè.*

4. *Cur ingratitudo, cum tantum scelus sit, non puniatur in mundo; ratio est copia vbique huius delicti.*

2. ADDE dictis supra (nempe) quòd sicut datur ecclesiasticis beneficium propter officium, ita & sæcularibus beneficia dari, vt reddant officium laudis, & gratitudinis. Si quis obtinere posset à Pontifice beneficia absque obligatione castitatis, & eo pacto, vt ea posset moriendo relinquere, quibus sibi placuerit: si absque studio, & litteris, absque examine, absque diutinâ seruitute, & labore in aula Romana: ô quam felix iudicaretur huiusmodi homo! quantâ obligatione Deo deuinctus esset! tot miseri annos omnes vitæ consumunt in aliqua curia, & vix tandem exiguum obtinent beneficium cum innumeris obligationibus conscientiæ: & cùm sint iam senes vix eo degustato moriuntur. At tu in puncto temporis, & absque vllo labore, (videlicet nascendo filius diuitis, & nobilis) plura prædia, plura beneficia consecutus es absque prædictis obligationibus, & pensionibus: & tamen non agnosces Dei benignitatem erga te? & tamen non agnoscis quantum illi tenearis?

3. Cum beneficijs bullæ simul obtinentur. ita cum beneficijs diuinis solent enasci nobis bullæ tumoris, & vanitatis. ideo Apostolus: *Præcipi vult diuitibus huius sæculi non superbè sapere.* sed quia in Bullis etiam breuitas durationis, & fragilitas figuratur, vt apparet in bullis aquæ ex pluuia tumescentibus: ideo etiam beneficijs temporalibus coniunctæ sunt huiusmodi bullæ. non enim potest separari breuitas perdurandi, & fragilitas, ac periculum ab huiusmodi beneficiis, seu bonis. Si autem tu has bullas non vides; hoc efficit cæcitas tua. ideo addit Apostolus denotando has bullas, *vt non sperent in incerto diuitiarum.* Aquæ sunt bona mundi. non mirum ergo, cum sint aquæ, si bullas ex se excitent, seu secum habeant. Multi cum recipiunt beneficia à Deo, tunc potissimum dedicant se diabolo: cùm diuinum recipiunt beneficium, tunc diabolicum implere incipiunt officium. dixi implere, hoc est operibus malis, & diabolicis. imo & dæmonis studere incipiunt officio, seu libro, nimirum chartarum, & aleæ. Vtinam hæc locum non habeant etiam in multis, qui ecclesiæ consecuti sunt beneficia. Ier. 5. *Magnificati sunt, & ditati: incrassati sunt,* Ier. 5.

& impinguati. præterierunt sermones meos pessimè.

Indignaris maximè, si beneficia Episcopi, hoc est ab eo collata transeant ab Ecclesia in prostibulum, à Sacerdote ad scortum, à sacrario ad popinam, nimirum mediante beneficiarij incontinentiâ, & perditâ vita quâ ita prodigit bona ecclesiæ, & quæ locari debuerant super altare Christi, apponantur mensæ meretricis: & non indignaris tibi, qui beneficia accepta de cælo trahis ad infernum, accepta à Deo ad diabolum. de cælo enim à Deo habentur, nam Iacobi 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Doles inquam perire beneficia Episcopi, non beneficia Dei? doles perire aliena beneficia parua; non tua magna? quasi etiam tu non auferas à templis multis Dei opes, vt des meretrici. Templa enim Spiritûs Sancti sunt corpora pauperum, iustorum; quibus vel ex justitia, vel ex charitate ea debueras. *Corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti.*

Iac. 1. 17.

Presbyter fraudat templa mortua, tu templa viua beneficia clerici cum examine obtinentur, at tua, etiam cum examine dimittuntur, nimirum per mortem. nam dicetur: *redde rationem villicationis tuæ.* student maximè prioris examinis gratiâ, ac ferè nihil gratiâ secundi. student priori illi, quia ex eis sunt, qui (vt est Isai. 6.) *Auaritiæ student.* Psal. 99. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.* alij ex Hebræo, *Scitote quoniam benefactor ipse est iudex & exactor,* en quomodo post beneficia exhibita, sit exactor, & examinator.

Isai. 6.
Psal. 99.

Plutarchus in Mario, ait Platonem morti proximum dixisse triplici ex causa Cælum sibi fuisse propitium, quòd homo natus esset non bellua; Græcus, non barbarus; tempore Socratis, non extra illud. ô quam melius vnusquisque nostrum præter illa duo gratias agere debet, quòd tempore Christi, hoc est sub eius fide, natus sit!

Alexander Aphrodiseus problematum primo dicit, aquam feruentem modicam in puteum iniectam frigidiorem eius aquam reddere, quia aqua putei vehementius agit in contrarium. Videtur hic agnosci quod per antiperistasim magis frigescat; vt etiam in æstate magis friget eadem aqua, quàm hyeme. Hominis malitia, est aqua frigida cisternæ. Ier. 6. 7. *Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.* hæc ergò malitia magis refrigescit per calorem charitatis, & liberalitatis erga eam exhibitæ. quo plus feruet amor tuus in ingratum, magis in eo refrigescit charitas erga te. Dicebat Ignatius martyr, vt est in eius vita in breuiario Romano, cum decem leopardis se fuisse, hoc est, militibus, *quibus cùm benefeceris, peiores fiunt.*

Alex. Aphrod. Probl. 1.

Ier. 6. 7.

4. Lucæ 17. cum ex decem leprosis mundatis vnus tantum redijsset ad gratias agendas, dicitur à Domino: *Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?* obserua hic, ex decem, qui recipiunt beneficia Dei, vix vnum gratum illi esse verborum gratitudine. pondera ergo quantò pauciores

Luc. 17.

timen-

timendum est esse eos, qui grati sint effectibus. Sed quod dico de gratitudine erga Deum etiam de gratitudine dicendum est erga homines. Hominem enim tantum creditum esse Christum ab illis, facilè æstimari possit. (a) *Se tanto pochi pagan la pension de beneficij con la bocca, quanto manco saran quei che la pagan con la borsa?* Si tot ingrati etiam beneficij euidenti miraculo consecuti; quantò plures erunt ingrati beneficiorum aliâ ratione acceptorum? si beneficij miraculo consecuti tot ingrati fuêre; quantò plures credendum est esse ingratos beneficiorum naturali viâ consecutorum? Cur omittitur in mundo punitio ingratitudinis, cum non omittatur ceterorum criminum? quia omnes domus deberent conuerti in carceres, omnes homines opus esset fieri carnifices, si omnes ingrati essent puniendi. pretiosior esset cannabis auro, si omnes alligandi essent.

(a) Si tam pauci pendunt pensionem beneficii, *Ore*; quanto pauciores eam pendent *re*?

BONA MVNDI.

2. *Bona mundi mendacium sunt.*
3. *Etiam Reges præter alimenta sua omnia bona alia tantummodo vident, non vtuntur illis.*
4. *In nocte huius vitæ non discernimus adulterinum esse aurum opes, & gemmas nostras ex Chrys. id fiet in luce futura.*
5. *Bona hæc cibi apparentes non veri. ideo edentes non satiant, vt cibi apparentes à mago exhibiti quibusdam.*
6. *Bona mundi cruciatus sunt cupido possessori.*



IN 2. Reg. 2. Dauid ad eos qui sepelierant Saulem sic ait: *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro rege, & nunc retribuet vobis Dominus misericordiam, & veritatem.* Hieron. de quæstionibus Hebraicis id declarans ait: *Misericordiam intelligit in præsenti seculo, & veritatem in futuro. quia misericordia, quæ in præsenti sæculo tribuitur, ad comparationem æternæ misericordiæ mendacium est.* ita Hieron. possetne Deus maiorem misericordiam tibi præstare in hoc mundo, quàm totum mundum tibi tradere? at quid est mundus, nisi mendacium? vmbra enim & imago rei non est res, sed mentitur oculis insipientium esse se talem. audi Apostolum: *Præterit enim figura huius mundi.*

2\. Reg. 2.

Hieron. de quæst. Hebr.

3\. At dices: si mundus esset figura, certè sicut tabella, in quâ mundus, vel ciuitas effigiata sit, nullum possessori prouentum reddit; ita nec mundus aliquid redderet dominantibus cùm tamen tantum reddat. sed talis figura mundi, vel ciuitatis, aut opum ad nil seruiret, nisi ad pascendos oculos. At si credit Scripturæ, & experientiæ; ita dico esse. Nonne de quocunque diuite etiam orbis dominatore dicitur, *Multæ opes, & multi qui comedunt eas. & quid prodest possessori nisi, quod cernit diuitias oculis suis?* Sit quispiam Imperator: non plus habet quàm alius homuncio, scilicet victum, & vestitum. ceteras opes videt tantum comedi: pascit oculos in eis opibus, & in regno

suo. ergo omnia illa sunt figura, & mendacium.

4. Mendacia sunt. *fallaces diuitiæ* vocantur in Euangelio. fallunt enim oculos insipientium, vt se pro veris ostendant, cum falsum & adulterinum sint aurum, vel gemmæ. Aliqui inopes, vt se iactent veros diuites, nocte comparuerunt ad nocturnos hominum conuentus, vel choreas, aut cœnis gemmis adulterinis, & auro ementito ornati: ita vt de eis verificaretur illud Sal. *Est quasi diues, cum nihil habeat.* sed viri prudentes non audent affirmare quamdiu nox durat, tales homines esse veros diuites, & veras diuitias hos habere, illos verò falsas. Italicè dicimus, (a) *Ne donna ne tela à lume di candela.* sic ergo Chrysost. in Psal. 43. *Si velis,* inquit, *mihi ostendere diuitem, tunc mihi ostende quando fuerit dies, quando in illam patriam recesserimus. nunc autem non possum discernere inter diuitem, & pauperem. non est enim veritas, sed splendida, & speciosa vocabula; in somnis solum est diues.* Hæc ille. tu non credebas opes, esse opes pictas, & tantum pascere oculos. en, dum conaris facere picturas veritatis; etiam picturæ, seu figuræ essentiam perdiderunt, & merum nomen factæ sunt iuxta Chrysostomum, vel merum somnium. euênit tibi quod adagium cantat: (b) *Venne per lana, è restò tosato.* ergò dic cum Gregor. *Si verè, fratres, diuites esse cupitis; veras diuitias amate.*

(a) Neq; de mulieris pulcritudine, neque de panni bonitate, candelæ lumen consulas. *Chrysost. in Psal.* 43

(b) Tonsus est, qui tonsum venerat.

5. Legi aliquos magos, & hoc memini de Scotto Parmensi, conuiuium, parasse multis. at post plurimos cibos sumptos (vt videbatur) cum esurientes se deprehendissent magis, quàm erant ante prandium, & ventrem suum nihilo plus impletum esse; agnouerunt eos non fuisse veros cibos. vnde nec iterum vt ad talia conuiuia accederent cibi gratiâ adduci poterant. O stulti & infelices mortales! quoties vos inuitauit mundus ad conuiuia sua, opum, honorum, voluptatum. *comedistis*, (vt inquit, Aggeus 6. *& non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati*, hoc est sitim non expleuistis, &c. & tamen non agnoscitis adhuc tales esse cibos falsos? Hoc illud est, quod nec Plutarchus licet Ethnicus, tolerare potest, dum clamat: Et cui rei possunt deseruire opes, si neque sui famem possunt depellere? scrutare vniuersa promptuaria epulonum, & certè nullum cibum inuenire poteris, qui comestus in quantitate sufficienti, saltem sui appetitum non leuet. quomodo ergo bona mundi, quæ appetuntur à fame nostræ concupiscentiæ sunt vera, si non solum non satiant, sed irritant magis hanc famem? nonne legisti, nonne vides omni die, quòd *diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono?* quid audis, cùm audis *diuites?* nonne qui diuitiarum cibis sese repleuerunt, iuxta illud, *Diuitias quas deuorauit euomet*, &c. attamen post hoc conuiuium *eguerunt, & esurierunt?* cur ita, nisi quia tales cibi arte diabolica videntur veri, cum falsi sint, & mendacia? Veri cibi autem sunt virtutes, per quas inquirimus Deum. vnde sequitur: *inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, hic per gratiam,

Aggeus 6.

&

& in cælo per gloriam, de qua dicitur *ostendam tibi omne bonum*. cetera autem præter Deum, quid sunt? *Vanitas vanitatum*, ait Spiritus sanctus, *& omnia vanitas*. quid est vanitas nisi mendacium, vmbra nihil? ex his ergo putas tuum cor posse aliquid veri emolumenti capere? eia igitur clamat Propheta, clamat ipse Deus ab alto cælo super omnes homines: *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

6. Sed quid, quod non solum hæc bona vana sunt, nec prosunt possidentibus; sed etiam ipsos cruciant, propter maiorem rabiem potius, quàm famem habendi, quam excitant, & anxietates, & lites, ac molestias innumeras, quas secum afferunt? An dicetis mentiri Christi os, qui opes & voluptates *spinas* idcirco vocauit? De Assuero legitur, quod virgâ aureâ vtebatur aliquando. at fortasse aliquando etiam ferreâ tanquam sceptro, iuxta illud, *reges eos in virga ferrea*. an putares ergo verbera virgâ aureâ inflicta, esse propterea munera, & non verbera? Deus pauperes castigat virgâ ligneâ, vel ferreâ, hoc est paupertate: at diuites sæpè punit virgâ aureâ, hoc est ipsissimet diuitijs, propter prædictas molestias, quæ eas consequuntur. Ecclesiastes ait, *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam & scientiam, & lætitiam; peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget*. & quia hic tandem debet mori & alteri relinquere; addit Sapiens, *& tradat ei qui placuit Deo*. expergiscere ô Christiane, & intellige hoc dictum, quod plus valet, quàm omnes thesauri omnium regum. Sunt hic duo, vnus iustus, alter iniquus. vult Deus retribuere cuique temporalem retributionem. quid credes tu, quod retribuet iusto? dices, retribuet diuitias, honores, voluptates. ah vana mundi iudicia! ne obolum quidem pecuniæ, nec titulum quamuis exiguum honoris, aut scintillam voluptatis: sed *sapientiam, & scientiam & lætitiam*. sapientiam & scientiam iuxta vim vocum originalium, ait Pineda in hunc locum, idem esse, pro eodemque sumi. at quid sit Sapientia dicitur in Iob. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia*. & in scriptura passim sapientia, & Sapiens ponuntur pro iustitia, & iusto. Vult deinde punire iniquum. quid crederes, quod illi facturus sit? dices, priuabit eum opibus, honoribus, &c. Audi: *peccatori autem dedit afflictionem*, &c. quam afflictionem? vt hodie acquirat vnam domum, cras emat agros, deinde congreget nummos. oh dices, & quot sunt, qui hâc pœna, & hoc supplicio puniri non vellent? & tamen verè est supplicium magnum. percussio enim facta aureâ virgâ, percussio est. *peccatori autem dedit Deus afflictionem, & curam superfluam: vt addat & congreget*. & nota, quod non dicit, vt addat opes, sed absolutè *vt addat, & congreget*, siue opes, siue honores, siue delicias, sed tamen hoc verbum, dedit, non iudicat Dei voluntatem esse, vt ille auarè sic congreget; sed solum ostendit eius permissionem, quæ in Scriptura aliquando exponitur per verba positiua.

tiua. vt cum dicitur, *tradidit eos in reprobum sensum*, &c.

August. serm. 15. Sic August. serm. 15. de diuersis ait, *Omnis terrena possessio supplicium est cupiditatis.* (scilicet hominis cupidi) *vt in ipsis bonis crucietur animus, cui viluit, qui tanta largitur.* adde tu: certum est, quod qui auidus est, habet concupiscentiam rerum quas optat. at concupiscentia, vt dicitur in Scritura, *sicut ignis exardescit*, & est ille

Prou. 3. ignis, de quo Prou. 3. dicitur, quod *nunquam dicit, sufficit.* Aliquando cum comburuntur hæretici, vel alij populo infensissimi iniqui, inueniuntur quidam, qui ad illos, seu ad illorum ignem ligna afferant, vel addant. dicesne hoc esse gratiam illis præstare, & non potius supplicium augere? comburitur miser cupidus in igne concupiscentiæ. si quis afferat & donet illi opes; ligna adjicit igni, vnde magis crucietur: & tu putas ita illi gratiam fieri? Sic ergo, cum Deus tradit opes, honores, &c. si quis recipit hæc, ardet igne concupiscentiæ; augetur illi ignis, & cruciatus. Sed hoc imputet sibi, non Deo: nam in manu ipsius hominis est hunc ignem ita temperare, vt se non comburat.

2. *Bona mundi fragilia, & leuia vt papirus.*

3 *Fortunarum instabilitas & mutatio in hominibus, quasi ludus chartarum est.*

2. VVLGÒ dicitur: Si charta cadit, tota scientia vadit, quod alibi exposuimus. Verum hoc est non solum in bono doctrinæ, quæ tota sita est in chartis; vnde pereuntibus chartis verè perirent omnes disciplinæ: sed verificatur etiam in omnibus ferè bonis hominum nam honor & gloria sæpè in libris reposita est; tum ob præconia laudatorum in eis contenta, tum ob memoriam gestorum; tum etiam quia cum alicui demandatur à Principe aliqua præfectura, & dignitas, hoc solet fieri mediante aliqua scripturâ authenticâ vt etiam possessio Beneficiorum Ecclesiasticorum per Bullas acquiritur. & Prouinciæ, vel vrbes non recipiunt, nec agnoscunt Rectores ad se destinatos, nisi ostendant Principis rescriptum, in quo honor hic illis confertur. Possessio autem rei familiaris nonne in chartis siue instrumentis notariorum, vel testamentis, & alijs scripturis retinetur? adeo vt sæpè amissio scripturæ alicuius sit amissio rei per illam acquisitæ? ergò non solum si charta cadit tota scientia vadit; sed si charta cadit tota substantia vadit, hoc est opes omnes: si charta cadit, omnis tua gloria vadit. Denique cum exiguus venti flatus sufficiat ad chartas disperdendas; potest dici. *Si suflent venti, pereunt bona omnia genti.* Potest dici, quod omnis humana felicitas est papiracea. cùm volumus dicere, aliquid esse imbecille, verbi gratia imbecillem stomachum, nonne dicimus habet stomachum papiraceum? *Haue stomacho di carta. è vn muro di carta.* Et cum dicatur quod substantia hominis est vrbs fortitudinis eius; Italicè, (a) *Citta di Fortezza, ouero rocca forte.* vide quam fortis sit ista arx, & muri eius, vt tota consistat, & subsistat in chartis. vnde est arx, & fortitudo papira-

(a) Ciuitas munita arce.

papiracea. Si charta cadit, omnis possessio vadit. hoc est possessio vtilis, aut honoris: quia omnia per chartam possidemus.

3. Denique cum mundus ferè consistat in triplici illo bonorum genere; nimirum diuitiarum, honorum, & scientiarum; verè dici potest, quod mundus hic est figura, & imago: quia *transit figura mundi huius.* figuræ autem & imagines plerumque in charta esse solent, & præcipuè figura mundi in papiro depingitur. vnde talis figura mundi, seu pictura est figura figuræ, & charta chartæ. Homo etiam apud mundanos videtur habere totum esse suum ab opibus, & alijs bonis mundi. Italicè adagium est in ore: (a) *L'huomo tanto è, quanto ha.* Cùm ergo etiam homo, qui est paruus mundus, *in imagine pertranseat*, vt dicitur in Psalmo; sequitur tam mundum magnum, quàm paruum in charta consistere. Ergò cùm dicat Poëta, *Ludit in humanis Diuina potentia rebus*; & quidam huc referant illud, *Ludens in orbe terrarum*, quod alij legunt, ludum faciens de orbe terrarum; (quam congruè id non definio) iuxta hunc ludum, qui fit per transmissionem chartarum, & perpetuam earumdem motionem, dum transeunt modò ad hunc, modò ad illum simul cum opibus, vel dignitatibus, vel scientijs, quæ diximus possideri mediantibus chartis: Dum inquam hoc fit; sequitur Deum videri (vt ita dicam) ludere ludo chartarum totum mundum. *Pare lo giochi alle carte.* & sicut in ludo aleæ, & chartarum aliquis censetur tantò felicior, quantò chartas habet in manu meliores, hoc est, magis propitias, & lucratiuas: Sic homo in hac alea rerum humanarum, (ita à sapientibus appellatus est mundus) tantò beatior æstimatur, quantò meliores chartas possidet, hoc est scripturas, quibus mediantibus plura, & maiora obtinet bona.

(a) Tanti est, quantū habet.

Hæc dicū-tur iuxta quandam similitu-dinem, non con-fert Deum

omnia sapienti prouidentia disponere.

Denique cum Principes dicantur portare Regna, & Orbem ipsum quem regunt super seipsos: (vt dicitur Moysi, quòd portet multitudinem populi) & idcirco super capita portent coronas, in quibus videmus similitudinem murorum, cum summitatibus, & cacuminibus in forma liliorum, sicut erant in mœnijs antiquarum vrbium. (vnde in Iob, *Sub quo curuantur qui portant Orbem*, exponunt aliqui de Regibus.) Cum inquam hoc ita sit; & hæc Orbis gestatio fiat mediantibus legibus, & edictis, quæ fiunt per scripturam; cumque scriptura fiat tribus digitis scribentibus: sequitur Principes quasi alios Deos, quibus dicitur, *ego dixi Dij estis*, sustinere tribus digitis orbem terræ quod de Deo ipso dictum est. Vide ergò quàm exigua res sit mundus & bona ipsius, vt tribus digitis portari possint ab vno homine. per scriptas enim leges, & edicta orbem portant.

2. *Felices prata sunt exterius pulchra, interius vermibus corrosa. ob internas curas.*

3. *Magnitudo diuitum est larua non veritas. Potentes sæpè inanes mente, & tumidi.*

4. *Mundus est sepulchrum dealbatum, quia*

quia hypocrita. est numisma altera in parte lucens. altera rubiginosum, qualem inscriptionem in eũ gerat.

5. *Filius Pompeij, ne fidem violaret mundi dominium oblatum respuit.*

Isa. 40.6. 2. ISAIÆ 40. 6. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius flos fœni.* & Iacob, dum prospera ei pater precatur, videtur comparari agro pleno & odorifero, cui benedixit Dominus. Videt quispiam pratum floridum, admiratur eius pulchritudinem, & odorem, atque fecunditatem. at ego huic dicam, sed tu non vides quot talpæ, quot vermes, quot animalcula, quot grilli lateant sub pulchra hac superficie: & quantum corrodant ipsum pratum, quot foramina sibi faciant, vt se conseruent, & victum sibi parent; quamquè noctu perstrepant inter gramina. Curæ, & anxietates vulgò dicuntur, *grilli* capitis, seu cordis, vermesque corrodentes. Tu admiraris in homine illo diuite, & fortunato quasi in prato florente gloriam bonorum mundi, opes, honores, pulchritudinem: nam *gloria eius sicut flos fœni.* at non vides quot grilli intus lateant in capite, quot vermes in corde sub hac gloria florum, & herbarum, & quantum corrodant interna huius prati, huius scilicet diuitis, vel Principis. Non audis quantum perstrepant noctu, & non sinant eum dormire. Vestes illius gemmis, atque coloribus, & texturâ distinctæ, vel corona capitis eius (si est rex) gemmis varijs ornata, videntur inquam hæc esse quasi prata quædam floribus (qui sunt gemmæ camporum) formosa. at sub his floribus, & in his pratis grilli prædicti inueniuntur, Sap. 2. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sap. 2. luxuriæ nomen lasciuiam, sed & luxum, & delitiarum copiam significat, sed vide quot talpæ, quot vermes corrodant interna pratorum huiusmodi, vermes afflictionis, & conscientiæ. Gloria nostra flos fœni; delitiæ, prata: quarum gloria herba est. pulchra sunt: sed verè *Latet anguis in herba.* latent in ijs bonis mala. latet diabolus serpens callidus. Habes hic, vt aiunt Paradisum terrestrem, scilicet felicitatis. sed in Paradiso hoc terrestri, est serpens callidus, qui te decipiat mediante superfluo gustu, & tibi vetito delitiarum, qualis erat ille in Paradiso Parentum nostrorum. *Latet anguis in herba.*

3. Bona mundi inflant, cùm in nobis abundant. Homines certè *magni* dicuntur, siue ob multas diuitias, siue honores, siue litteras: & consequenter quasi hi gigantes fiant inter ceteros; ceteri ob carentiam prædictæ magnitudinis vocantur parui, & ex plebe minuta, seu conditione humili. At ista magnitudo in eis non est vera, sed tantum sub persona, & sub larua: sicut qui artificiosè se altiores staturâ ostendunt, quando personati apparent, gigantesvè in scena se exhibent. Vis certificari de hoc? audi quoniam tales vocantur *personæ magnæ*, & qui illos reueretur propter istas eorum magnitudines, dicuntur *acceptores personarum*, non hominum. (persona enim laruam etiam significat.) Nonne etiam Augustus moriens,

moriens, vt fertur in vita eius, conuersus ad adstantes ait; Nonne videtur vobis me personam meam in hac vitæ scena rectè egisse? non ergo sunt magni homines ratione bonorum mundi, nisi sicut qui per magnā personam, & laruam magni videtur, quamuis in se sint exigui. In huiusmodi autem paruis, qui gigantes se in vitæ comœdia exhibent, ita accidit sicut euenit in personatis gyganteâ laruâ, qui in superiori parte, vt est caput, vacui sunt, & pleni vento, nam illuc non pertingit caput verum personati hominis, *cum sit exiguus statura.* ita etiam in prædictis personis, seu viris magnis pars superior solet interdum esse vacua; plena inquam inanitate, & vento superbiæ, & simul vacua cerebro. nam cæcitas, vt aiunt Doctores, est filia superbiæ. Ita etiam vulgò dicitur præaltas domos in superiori cœnaculo, seu solario non habitari. Ita Principes in Iob vocantur gygantes: *ecce gigantes gemunt sub aquis*, scilicet sub populis, quos portant regendo. nam *aquæ multæ populi multi.* & ideo sæpè Principes, cum gigantes sint, solent vt gigantes sub personâ, partem superiorem habere inanem. ideo etiam in scriptura gigantes alibi pro superbis accipiuntur, vide Syluam allegor. verbo gigas. Inde prouerbium Senecæ: *Felix qui simul opes, & mentem habet.*

Adde prædictis, quod sicut in magnitudine corporis homo non est magnus per id quod habet, nimirum per laruam, & personam gigantis; sed per id, quod est, scilicet per intrinsecam molem: ita etiam id euenit in magnitudine simpliciter dicta. ideo homo non fit magnus, nisi per virtutem intrinsecam, & animæ bonitatem. Sicut autem tota ea magnitudo, & altitudo, quæ exurgit super caput hominis laruâ giganteâ, in qua magnitudine, & altitudine consistit potissimum eius gigantea statura, & fastus; sicut inquam tota illa magnitudo est fictitia, & consequenter est mera vanitas, & inane quippiam: sic tota magnitudo hominum magnorum mundi; quæ est vltra verum esse, & veram eorum magnitudinem, quæ est virtus; aliud non est nisi vanitas, & arrogantia. vnde potest eis dici, *Superbia tantùm est, quiesce.* Isaias. 30. Item quia homines in mūdo *magni* appellati, & crediti, sub persona tantùm tales sunt; ideo coram hominibus, qui sunt veluti pueri ignari, tales apparent: at nō coram Deo, qui non accipit personas hominum. imò de Ioanne puerulo dicitur: *Iste puer magnus coram Domino.* è contra 1. Reg. 17. cum Samuel vncturus in Regem vnum è filijs Isai haberet ante se Eliab, & dubitaret, num hunc Deus elegisset, ait illi Dominus: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum: nec iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt quæ parent. Dominus autem intuetur cor.* iste magnus figurâ erat eorum, qui à magnitudine potentiæ *magnates* vocantur, & magni, & simul superbos repræsentabat. at quia ista magnitudo in his hominibus est sub personâ; Deus illius rationem non habet, sed *intuetur cor*, nimirum realem magnitudinē, quæ in anima consistit. ideoque & Dauid

Isaias 30.

1. Reg. 17.

& Dauid minimum inter fratres, at magnum virtute elegit, nō laruâ. *Adhuc*, inquit Isai, *reliquus est paruulus, & pascit oues*, scilicet Dauid: & hunc vnxit in medio fratrum suorum.

4. Bona mundi, seu mundus, res sunt exteriùs pulchræ. at omnis gloria sponsæ *ab intùs.* Multi conqueruntur plurimos in mundo esse hypocritas. at dico vnum tantum esse hypocritam nempe ipsum mundum. totus enim in figurâ consistit, nō in re. *præterit enim figura huius mundi.* tam magnus hypocrita, tam annosa vulpes; vt ipsos etiam decipiat hypocritas, ipsas capiat vulpes simulatorum; dum fallaciâ sua hos trahit ad sui amorem. (a) *la volpe prende le volpette.* Mundus sepulchrum est. plures enim absque comparatione continet mortuos, hoc est cadauera, vel cineres mortuorum, quam corpora viuorū. at (sicut de hypocritis dicitur) est *sepulchrum dealbatum.* Mundus enim mundus exteriùs est, & ipso nomine: at præter id nihil continet mundi. Dicit quidam: mundus numisma est, vulgò *vna medaglia.* quod numisma ex vna parte auratū est, ac splendens, in eaque inscriptionē retinet, *Sic apparet.* ex alia parte obscurum & rubigine oppletum cernitur cum inscriptione, *Sic est.*

(a) Vulpes decipit vulpeculas.

5. Plutarchus in vita Antonij ait, Cum Sextus Pompeius filius Pompeij Magni in signum reconciliationis factæ cum Antonio, & Augusto (qui inter se mundi dominiū partiti fuerant) in sua triremi ambos illos haberet, vtpote ad conuiuium inuitatos; Menas præfectus triremis Pōpeij, ipsum secretò allocutus est, dicens: si vis, hodie te mundi Principē constituo. Respondit ille: plus fidem præstitam, quàm vniuersum mundum estimo. & ita recusauit oblationem. Non legerat ille illud Christi, *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur:* & tamen ne fidem, ne iustitiam violaret, ne animi virtutem læderet; recusauit Orbis dominium. Vide quid facere debeat Christianus, ne hic & in æternum perditionē animæ incurrat: ne cœli regnum amittat: ne gehennam patiatur.

2. *Duo pulchra Principum dicta relata ad damnum felicitatis temporalis.*
3. *Omnia abijcienda, vt anima salua sit.*

2. APVD Theatrum vitæ humanæ, volum. I. libr. 2. narratur de quodam Principe, qui conquerentibus secum amicis quòd toleraret Principem alium à se deuictum, & interfectum tam solemni pompa sepeliri; ait: Vtinam omnes hostes mei tali fruerentur honore. Ita dæmon cum vicerit, & interfecerit per peccatum mortale hostem suum, nempe hominem: (nam *peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*) facilè permittit, & parui facit, quod hic hostis magno cum honore, & gloria, atque pompa deferatur ad sepulturam inferni: de qua dictum est, *& sepultus est in inferno.* quid enim est vita peccatoris, qualis erat illius diuitis epulonis, nisi via quædam, quâ ferebatur tandem ad sepulchrum mortis, atque etiam gehennæ? Mundana ergo prosperitas, & gloria nihil aliud est, quam ad tumulum

Apud Theat. vit hum. vol. I. lib. 2.

mulum delatio, ideoque sæpè non denegatur peccatori. Verba illa Genesis 14. sed in suo maligno sensu vsurpat diabolus, *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* dummodo mihi te ipsum tradas, omnia tibi facilè permitto. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* hoc est, dummodo te mihi tradas, & pereas. Ita cum mos olim esset apud Romanos in numerũ Deorum referre aliquos magnos, & insignes viros; rogatus quidam Imperator, qui quempiam magnum de medio sustulerat sibi cognatum, num vellet eum inter Diuos referri? ait, *Sit diuus, dummodo non sit viuus.* Beatus, & diuus etiam iudicio vulgi aliquando habetur in hoc mũdo, qui *prosperatur in via sua.* talis etiam viuẽs habitus est Augustus, & alij quidam, vt Alexander, &c. iuxta illud, *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* at dæmon ait, *sit diuus, dummodo non sit viuus.* dummodo nempe ipsum necarim gladio peccati. nam *quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Genes. 14.

3. Contraria ratione agit Deus cum homine. nam cum Iob ditissimus esset, ait Deus ad dæmonem, *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sũt, tantum in eum ne extendas manum tuam.* & iterum de ipso, *ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serua.* quæ quamuis de vita corporis ab eo non auferenda litteraliter intelligantur, mysticè tamen seu accommodatitiè accipi possunt tam in ipso Iobo, quã in ceteris viris, quos Dominus probauit per inopiam, & afflictiones. accipi inquam possunt de vita animæ non perimenda. Non enim admodũ curat Deus omnia nobis perire, dũmodo nos salui simus, iuxta illud, *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, &c.* quòd præstet in cœlum intrare debilem, vel claudum, quàm integrum mitti in gehennam. Ita Sigonius de Imperio occidentali apud Theatr. v.h. libr. 1. volum. 1. dicit Romanos ab Alarico Gotho obsessos petijsse ab eodem cõditiones æquas, quibus se dederet. tum ille: omnem supellectilem volo, omne aurum, & argentum vrbis. illi verò ad eum: & quid nobis relinquis, si hæc omnia aufers? respondit ille: animas. Ita Deus vt nos puniat, vel probet, si cuncta auferat à nobis; & quæramus quid relinquat nobis ipsis, Non parum, dicere potest, imò totum vobis relinquo, nempe animas, & salutem æternam, in cuius comparatione cetera omnia nihil sunt. Nonne etiam de vita ista temporanea dictum est etiam à dæmone Iob 2. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua?* quantò magis de anima ipsa, hoc est salute perpetua id dicendum? Theatr. v. h. l. 1 volum. 1. Iob 2.

2. *Dictum Laconis acutum relatum ad falsitatem temporalis felicitatis.*
3. *Bona caduca sunt multis mala caduca, morbus scilicet qui, quia cadere facit, caducus appellatur.*
4. *Bona mundi micæ cadentes de mensa Dei. ea captans neglecto Deo canem se facit, cum possit dominus fieri.*

2. PARVM æstimat dæmon. imò & Deus paruipendit, quod quis iniquus bona mundi ingen-

tia ... gaudeat. scit enim esse ementita, & picta. vnde Apostolus, eo quod quæ picta sunt, sint tamquam non essent, ait, *Reliquum est, vt qui habent vxores, tamquam non habentes sint*, &c. subditque, *præterit enim figura huius mundi*. Plutarc. inter Laconum dicta hoc refert. Quidam Atheniensis conspectâ tabulâ, in qua Athenienses quidam pugnando hostes vicerant, exclamauit coram Lacone, *O fortes Athenienses!* subdit Lacon, *sed in tabula*, hoc est in pictura. Sic cum aliquis admiratur hîc vel opes, vel potentiã, & dignitatẽ, vel fortitudinem aut pulchritudinẽ alicuius hominis, exclamatque, O diuitem virũ, vel sublimem vel fortem! subde tu, *sed in tabula, in pictura*. nam præterit figura huius mundi *in imagine pertransit homo, imaginem ipsorũ ad nihilũ rediges*.

3. Morbus caducus, seu malum caducũ dicitur eò quòd cadere faciat ægrotum. sed dic raros cadere malo caduco, sed plurimos bonos caduco. nam ait ille, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. cum his bonis sæpè casus inuenitur. adeo vt bonum mundi dupliciter caducum sit, quia cadit, & cadere facit. vnde cum esset bonum caducum, fit multis malum caducum, fit morbus caducus. Quantumuis fortissimus sit, & stabilis homo; si malum caducum ipsi superueniat, cõcidit, prosternitur ab ipso. ita dæmon quamuis Christus esset fortissimus, apponendo ipsi bonum caducum, nempe *hæc omnia tibi dabo*, cũ speraret forsitan illi in malum caducum esse conuertendum, ait, *si cadens adoraueris me*.

4. Caduca sunt mundi bona non solũ modis duobus supra indicatis, sed insuper alijs. primo, quia cadunt de cœlo in terram. nam *omne datum bonum desursum est descendens à Patre luminum*. Etiamsi regna sint, & imperia; micæ sunt, quæ cadunt de mensa diuitis, nempe Dei, & Beatorum, ad canes, nempe ad mortales, de mensa illa, de qua dictum est Lucæ 22. 30. *Vt edatis, & bibatis super mensam meã in regno meo*. Catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorũ. Quid ergo interest modo inter Imperatorem hic viuentem, & mendicũ Lazarum sedentem ad illam mensã: nisi quantum interest, quantum distantiæ est inter dominum & canem? Sed quænam dementia est, vt canis fias, nolle fieri dominum? vt micam obtineas, quâ esurias postea magis quàm saturus fias; recusare regias epulas? id verò facere qui ob mundi bona, (licet essent regna, & imperia) peccat, & cõsequenter negligit æterna; manifestum est.

Iac. 1. (Ecc. 8) Luc. 22. 30.

Caduca hereditas, seu caduca bona, inquiunt Iuristæ, illa sunt, quę legitimum non habent hæredem. Certè dices, hodie rata sunt bona caduca, at inquo etiam hoc sensu omnia bona caduca esse, omnes hereditates esse caducas. quænam bona, quænam hereditates certum, & stabilem, seu determinatum habẽt heredem? (hoc enim est hereditates non esse caducas) nonne videtis quomodo bona ista non solum caduca sint, quia cadunt de parentibus ad filios, de filijs ad nepotes, de nepotibus ad posteros, & sic successiuè ad alios: sed etiã quia cadunt sæpè de domesticis ad extraneos, de ciuibus ad aduenas, de amicis

amicis ad inimicos, de Christianis ad Turcas de Turcis ad Mauros? quomodo ergo nō caduca sūt bona ista? Quomodo caduca non sunt, si semper cadunt ab heredibus, saltem quia semper cadunt heredes? quia scilicet moriuntur. Ecclesiastici 10. 8. *Regnum transfertur de gente in gētem.* Vulgari etiam sermone aiunt; hereditas illa in manus Petri tandem cecidit, *è venuta à cader nel tale, e nel tale.* quod est dicere, sors ista, hereditas ista cecidit super hunc, vt illum. Certè ita cadit super homines, vt sæpè, dum videtur ipsos beatificare, ipsos conterat suâ mole, & magnitudine. *super quem ceciderit, conteret eum.* Nisi fortis sit, & lapideus, vel adamantinus (de eius animo loquor, & moderatione, ac constantia in prosperis) quomodo cadente super se hereditate magna, vel, vt antiqui vocant, fortunâ eximiâ, verbi gratia dominij, vel regni; poterit non opprimi potius tāta felicitate, quàm subleuari? Si per hereditatem domus tantùm, vel ager exiguus cadat super hominem; oportet, vt fortis sit, ne opprimatur ipso, hoc est ne per superbiam, vel occasionē adepti lucri in vitia corruat. Vide quantò magis fortis esse debet, si cadant super ipsum rura integra, vel dominia, aut regna? Quæ maior contritio rei contingere potest ex casu alterius rei super ipsam, quàm si non solum in puluerem, sed in fumum resoluatur, redigatur? at nonne etiam vulgò dicimus, & videmus multos ex adeptis mundi bonis, ex prosperitate super ipsos cadente totos in fumum & ventum conuerti? an non fumus superbia est? Isai 9. 18. *Conuoluetur superbia fumi.* ex felicitate ergo toti in fumum conuertuntur.

Eccl. 10. 8

Isa. 9. 18.

Caduca bona sunt, non solum quia cadunt, vt supra, nec legitimum habent heredem: sed etiam quia eorum casus sæpè verus casus est, quem *sortem* vocant. nam respectu nostri bona hæc obtingunt sæpè casualiter huic vel illi, & plerumque indigniori, & insipientiori. Legitima verò bona sunt cælestia. hereditas illa vocantur. sed non caduca est, certos enim ac perpetuos habet heredes, à quibus numquam excidit. habet legitimos, scilicet iuxta testamentum Dei, & legem iustitiæ constitutos. *Fortunam* appellant antiqui prosperitatem, & statum bonorum mundi. vnde esse in pingui; vel tenui fortuna, est esse diuitem, vel pauperem, sed cum illam cæcā faciant, quid mirum si sæpè cadat super hunc, vel illum, & absque delectu personarum? si cadit, ergo caduca est. Item Philosophus *de fortuna & casu* simul agit, quod hæc duo vnum ferè sint. fortuna casum habet à tergo, semper cadit. si ergo niteris fortunæ, & prosperitati tuæ, vide quomodo cæcæ nitaris. Deterioris, ac leuioris conditionis sunt bona mundi, & res, quam ipsa vocabula, & nomina. nam nomina sex casus tantùm obtinent apud Grammaticos. at quot casibus subiacent res mundi. In hoc tantum conueniunt res mundi cum nominibus, quod etiam illæ per *varios casus per tot discrimina rerum* dicere possunt *tendimus in* vnum extremum casum, qui à Latinis, dicitur ablatiuus. cum enim hæc bona ad multos ceciderint.

rint, tandem ab omnibus auferentur scilicet in die iudicij. Fiet hereditas caduca, cum heredes fient cadauera.

Sicut materialiter terra immota consistit (nam dicitur; *terra autem in æternum stat*) cælum verò semper mouetur: sic è contrario, si terra & cælum mysticè sumantur, scilicet pro terrenis, rebus, & cælestibus; secus omnino dicendum. nam terra non stat, quia terrena transeunt. sed cælum solummodo stat, nempe cælestia bona. & in hoc sensu potest verificari quod terra moueatur, cælum verò consistat: vt quidam olim senserunt. *Transit mundus, & concupiscentia eius.*

AMICI.

2. *Amici opibus parati infideles.*
3. *Tenui filo tecum consuti sunt.*
4. *Arbori quamdiu fructus habet, intendunt, non vltra.*

Prou. 19. 4.



PROVERB. 19. 4. *Diuitiæ addunt amicos plurimos.* Rectè *addunt*. optimè enim congruit talibus amicis vocabulum additamenti; quia adduntur diuitijs. apud nos additamentum venalium carnium, vulgò, *L'aggiunta della carne*, quod addunt venditores, solet esse deterior pars animalis, deterior caro. ita sæpè tales amici per solam auaritiam tecum vniti, & per sordidam concupiscentiam mensæ tuæ, solent esse, vt aiunt, mala carnis frusta. *mali pezzi di carne* solent esse pessima rerum omnium, quæ comitantur diuitias, & nocent diuitibus, & potentibus. (a) *Son l'ossa, la giunta della lor carne*, quia cum adulatores sint, & sæpè etiam mali viri; impellunt diuitem in omnia vitia, & in eis ipsum nutriunt adulando.

(a) Non sunt nisi ossa vel additamentum carnis.

3. *Diuitiæ addunt amicos plurimos.* Si comparatio fiat additamenti, quod fit ad pannum, seu vestem; tunc dicendum est, amicos huiusmodi quasi frustum panni assui ipsi diuiti quasi alteri panno, vel vesti. sed sicut hæc additamenta solo tenui stamine, seu filo exili mediante, vesti adherent: ita amici isti iungūtur, & iuncti sunt diuiti tantum filo interueniente. (b) *Stan attacati all' amicitia del ricco col filo*, hoc est exigua, & tenui vnione, lenique affectione. vel solo filo vtilitatis, aut alterius emolumēti. ideoque facillimè scinduntur tales vniones. vulgò dicimus. (c) *Han rappezzata insieme l'amicitia già rotta.* ergo istæ *son amicitie rapezzate, ò di rappezzo, e tosto mācano, mācando il filo d'ellinteresse.*

(b) Diuitibus amicis leui tātùm filo adherent seu coniuncti sunt.

(c) Resarserunt amicitiā antè ruptam. Igitur amicitia illorum est res interpolata, neq; diutius duratura quàm dubabit filū vtilitatis vel proprij commodi.

4. Subditur autem ibidem eodem numero: *A paupere autem, & hi quos habuit, separantur*, hoc est, quos habuit dum diues esset, vel minus pauper, quando ille non amplius eis fructificat; tunc faciunt ipsum arborem, hoc est, eum plantant. vulgò dicimus *plantare* quos deserimus. sic arbori fici affluunt amici, dum fructibus abundat: sed deficiente fructu in ea, ad quam paulò ante conuersi erant eorum ventres, iam cōuertunt humeros. & quia dicitur, *A fructibus eorum cognoscetis eos*; ideo amici inopes effecti, quasi fructibus suis spoliati, non amplius agnoscuntur, sed prætereuntur à domesticis, & vete-

ribus

ribus socijs, sicut si incogniti essent. cùm veri fructus hominis, vnde cognoscendus dicitur homo in loco citato, sint opera, non diuitiæ.

Ad rem facit quod Posidippus aiebat apud Stobæum: *Antehac omnes pallium, vt conijcio, non me salutabāt. iam enim ne vnus quidem mecum loquitur.* Mirandum est igitur, quod ligneæ statuæ, quæ *homines lignei* dicuntur, non salutentur, & colantur ab omnibus, cum apud sarcinatores, vulgò sartores, conspiciantur sæpè optimè indutæ: nam cum rudes viri, & insipientes dicantur homines lignei, ipsi vtique ob vestes, vel diuitias, quæ sunt quædam corporis indumenta, salutantur, coluntur.

2. *Iniuriæ ab amicis illata etiam Iobo, & Christo amarissima.*
3. *Domesticorum iniuriæ amaræ.*
4. *Amicitias silentium dirimit, sed magis sermo, hoc est iniuriosus.*

2. PATIENTIA Iob iam abijt in adagium de sustinentiâ admirabili. tamen cum ad toleranda omnis generis mala, & præsertim inimicorum sæuitiam in nos, persæpè tolerantia plurium suffecerit; tamen adeo acerbum est, vt qui amicus erat, contra nos insurgat, vt ad id neque patientia Iob, vt vulgò dicitur, satis esse videatur, iuxta illud Psalm. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset abscondissem me forsitan ab eo. tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* ita Psal. 45.

Chrysost. Hom. in 15. Matt. inquit: *Iob omni lapide, & adamante tolerantior, cum quidem patrimonium amitteret, malaquè innumera sustineret, cumquè subito numerosâ sobole esset orbatus, cum quasi fontem quendam vermium toto videret corpore bullientem, superaque hæc vxorem sibi molestius imminentem; perfacilè cuncta superauit. vbi verò exprobare sibi amicos, & insultare vidit, & malignam illam de se existimationem fouere, & dicere quod talia propter peccata pateretur, ac malitiæ suæ soluere vltionem; tunc demum vtique turbatur ille vir maximus, ille fortissimus.* hæc Chrys. Chrysost. hom in 15. Matt.

Ipsemet Christus, qui totus erat fortitudo, & mansuetudo (adeo vt non solum non turbatum se ostenderit contra inimicos insultantes sibi in cruce; verùm etiam cùm tam dira actu ipso ab eis pateretur, pro ipsis tam piè orauerit) tamen quàm auersatus fuerit Iudæ in ipsum offensam ex loco Psalm. allato colligi potest. & cum indicare vellet discipulis quid ab vno ipsorum passurus esset: Ioan. 13. 21. dicitur: *Turbatus est spiritu, & dixit, Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Ioan. 13. 21. & Cyril. Alexand. lib. 9. in Ioan. cap. 13. dixit Christum non potuisse odium proditionis manifestare, *quin aliquantisper exhorruerit, & perturbationis signum ostenderit. adeo molestè ferebat scelera illius, qui, cùm eius panem manducaret, calcaneum contra ipsum eleuauit.* ita Cyrillus. Non tamen turbatio illa in Christo imperfectionis fuit. Cyril. Alex. lib. 9. in Ioan. cap. 13.

D. Ambr. in Luc. lib. 5. cap. 6. *Voluit ab Apostolo suo prodi, vt, si tu à socio* D. Amb. in Luc. lib. 5. cap. 6.

socio desertus, si à socio proditus fueris, moderatè feras tuum errasse iudicium, periisse beneficium. hoc est iudicium in eligendo tali socio, beneficiumque, quod in ipsum contuleris: quamuis Christus elegerit Iudam sciens quod se proditurus esset. Hoc Ambrosij monitum cordibus hæreat. in praxi enim sæpè egemus hoc pharmaco: vt qui conquerimur non rarò, nos proditos à socijs; vel etiam à domesticis nostris rem familiarem direptam esse. nam & à Iuda hoc secundum patientissimè, & absque vllo verbo passus est Christus. tu verò vermis, & fortasse auarus, & crudus in ministros domus tuæ, eosque per hoc irritans ad damna tua, tamen domum, & familiam totam euertis, si vel vnus ex ijs exiguum quid subtraxit è tuis rebus.

3. Micheæ 7. 6. vdlens Propheta miserrimum statum Iudæorum describere non bella externa, sed interna diffidia consanguineorum, & domesticorum excitanda inter eos prędixit. ait enim, *Filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* quasi vrbs ad deteriorem conditionem venire nequeat, quàm si diffidia domesticorum patiatur. Quantum mali committant qui conuitijs insurgunt in domesticos, vel amicos, & quàm impatientes sint quædam animæ etiam paucorum verborum amaritudinem habentium, præsertim quæ ex domesticis audiantur; collige ex Tob. 3 8. nam cum Sara illa septem viros à dęmone necatos non legatur ingemuisse, contigit quadam die, *vt ipsa audiret improperium ab vna ex ancillis patris sui: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram interfectrix virorum tuorum.* inde tantum turbata est, vt perrexerit *in superius cubiculum domus suæ.* addũt Septuaginta, *Vt suffocaretur.* hoc est, vt laqueo vitam finiret. & ne putes hoc singulare; Chrysost. hom. 15. in Matth. ait, *Multi etiam ad laqueum conuolarunt famæ opprobria non ferentes.* Quidam doctus ex recentioribus ita refert hoc factum. at Septuaginta nil narrantes de ingressu in cubiculum, solum dicunt quod *Contristata est, vt suffocaretur.* tentationem illi subijsse suffocandi se, forsan est explicandam.

Mich. 7. 6.

Tob. 3. 8.

Chrys. hom. 15. in Matth.

4. Notum est illud Aris. 8. Moral. *Multas amicitias silentium dirimit.* addo ego, *Sed longè plures sermo.* nam per incontinentiam linguæ, siue amicum pungendo, siue eius secreta aperiendo, sæpè dissoluuntur amicitiæ. & quod efficit silentium lustro, sæpè oratio operatur in puncto. Dirimit amicitias silentium buccæ, sed multò magis silentium bursæ: silentium buccæ, quo illa non apperitur amicis loquendo; silentium bursæ, quo hæc os non aperit, amicis dando. Vulgò aiunt (a) *Borsa serrata amico non si trouano.* at dic etiam, *bocca serrata amice non si trouano,* applica ijs, qui dicunt se non ooio habere eos, quibus allocutionem subtrahunt, & quibus in casu necessitatis non subueniunt. nam silentia prædicta dirimunt amicitias iam contractas, quomodo non sufficiẽt dissoluere nondum verè contractas, sed solum extrinsecus, & vt aiunt, in foro exteriori

Arist. 8. Moral.

(a) Clausa crumenâ, amici nõ reperiũtur, ac sæpe etiam clauso orc.

riori copulatas? quando autem teneatur alloqui proximum, siue eum, quem oderat, consulendi Summistę. Dominus, vt excluderet silentium bursæ, non contentus verbis, ait, *Benefacite his, qui oderunt vos.*

Multas amicitias silentium dirimit. memento Absalon, qui non locutus dicitur Ammon nec malum, nec bonum; *quia oderat eum.* Alludendo ad silentium, quod monachi, qui fratres vocantur, inuicē seruant; dici potest de his, qui ex odio mutuo silentium seruant inter se: Ne sint filij Dei, fiunt fratres diaboli. fratres dixi, seu monachi, & silentiarij. nam dilectores inimicorum vocantur filij Dei in Euangelio. vel dic, quod vt fratres sint, amici esse desinunt. (a) *Costoro spesso vanno all' inferno alla muta alla sorda.*

(a) Hi sæpè tendunt ad infernū tacitè vel cum silētio.

Sed de his, qui per litteras conscriptas amicitiam non nutriūt, dicendum est: si tribus digitis (quibus nimirum scribitur) non sustentant amicitiam, ne ruat, & pereat; quomodo putas sustētaturos esse humeris, & opibus suis suppositis? qui nō nutrit amicitiam exiguo atramento, quomodo nutriet vini dolio? si denegat folia, (talia enim sunt chartæ) quomodo concedet fructus? hæc dixerim, quia per litteras etiam colloquimur cum amicis. qui verò nec alloqui vult proximum, nec audire; quomodo is illi præbebit aurum, qui præbere illi denegat aurem?

Multas amicitias silentium dirimit. Vbi amici tacent, amicitiæ iacent. vnde exit dialogus, intrat diabolus. Italicè melius id explicatur: Vbi amici sunt muti, ibi amicitia est clauda; & si claudicat, facilè corruet, vel deficit in via. non est locutus Absolon Ammon: *oderat enim eum.* Hæc applica ijs qui subtrahunt sermonem ab ijs, à quibus læsi sunt, quos tamen dicunt se non odisse.

2. *Qui veri sint amici, non agnoscimus.*
3. *Amicos in sacco emimus.*
4. *Amici plerumque non patrij, sed mercatores aucupes piscatores.*
5. *Amici propter lucrum amici de hepate, non de corde sunt.*

2. ECCLESIASTES 9. 1. *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit. sed omnia in futurum seruantur incerta.* Simachus apud Hieron. *neque amicitias, neque inimicitias scit homo. sed omnia coram eis incerta.* Videntur sæpè amicitiæ, quæ inimicitiæ intrinsecus sunt: videntur amici, qui sunt inimici. & è contra. particula *&* est cōiunctio, & est amicitiæ symbolum, quæ coniunctio est duorum amicorum. de homine imperitissimo vulgò dicimus *neque vnum & ille nouit.* vide ergo quanta ignorantia etiam in doctissimis quibuscumque. nam neque vnum & probe noscunt, hoc est vnam veram coniunctionem, & amicitiam. quia signa quidem videmus amicitiæ, non autem intentionem, & cor. nam Ier. 17. 9 *Prauum est cor hominis, & inscrutabile. quis cognoscet illud?* ergo non cognoscimus quæ sint veræ amicitiæ.

Eccles. 9. 1.

Ier. 17 9.

Neque amicitias, neque inimicitias scit homo. amicos noscis, amicitias nescis, hoc est amorem ipsorum. vel dicen-

dicendum eſt ſicut legitur in Apopot. de Herode Sophiſta: coram quo, cum quidam barbatus, pallioque Philoſophico indutus apparuiſſet, quæſiuit Herodes, quis nam eſſet ille. cui reſpondit iactabundus ille, an non vides me Philoſophum eſſe? ſubdidit Herodes: *Barbam, & pallium video, Philoſophũ non video.* erat Philoſophus viſu, ſed ignorabat quod oportet eſſe talem *viſu, verbo, & opere.* dicendum ergo eſt, blanditias amicitiæ, aut amici pallium video, amicum non video.

Cæcus pingitur Amor: ſicut & odium tale eſſe ſcribitur. quia *contrariorum eadem eſt ratio*: & quia tam illa, quàm hæc paſſio excæcat hominem. ideo ſicut ij affectus ſunt cæci; ita & nos cæci ſumus ad cæcos hos agnoſcendos. non videntes illi ſunt, & non viſi.

3. *Neque amicitias, neque inimicitias ſcit homo.* ratio eſt, quia tam veri, quàm falſi amici tempore proſperitatis noſtræ eandem oſtendunt nobis beneuolentiam. vide quantâ ignorantiâ laboremus, & quàm rudes ſimus. (a) *Che maggior groſſezza, che non conoſcer vt reale da vn doppione?* Pſal. 29. *Conſcidiſti ſaccum meum.* ſaccus eſt caro noſtra, & corpus. in hoc ſacco occultatus animus, & mens. haud mirum ergò, cùm vendantur nobis, ſeu tradantur amicitiæ, & affectus hominum in ſacco; ſi huiuſmodi res non agnoſcamus. vulgò dicitur, (a) *Mi vede gatte in ſacco.* ideo nobis venduntur vulpes pro agnis, lupi pro ouibus.

(a) Quæ poteſt eſſe maior ſtupiditas, quàm non diſcerne inter Realem & Dublonem? *Pſal.* 29 (b) Venales mihi offert feles ſacco incluſas.

4. Adeo increuit veſtium pompa, vt aliquando mechanici, nedum mercatores, exiſtimentur nobiles. & cum putaſſem me amicitiam contraxiſſe cũ mercatore, cũ piſcatore, cum mechanico. Ita cum tam veri, quàm falſi amici nobili pallio, nempe externæ beneuolentiæ, inuoluti, incedant: cùm ipſe puto me contraxiſſe amicitiam cum patricio, ſæpè contraxi cum mercatore, cũ aucupe, cum piſcatore cum artifice. cum mercatore inquam, qui de amicitia mea mercaturam facit, negotiatur de me. cum aucupe, aut piſcatore, qui me, & mea per hanc viam per hoc rete aucupatur, & expiſcatur. aucupatur aues, & piſces ex me, menſa mea, vel ex lucris, & beneficijs per me conquiſitis, vt ita bonam tranſigat quadrageſimam aut rectiùs Bacchanalia. eſt enim *amicus ſocius menſæ.* contraxi amicitiam cum artifice artis mechanicæ, ſordidi ſcilicet, callidiq; artificij, & fraudis ad emungẽda ex hoc lucra. qui mecum exercet artem mechanicam, vt cum illo exerceam liberalem. ideo dicitur Prou. 19. *Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis.* Si ergo quæras à me, ex quo genere hominũ eſſe ſoleat multitudo amicorũm? cum putes me reſponſurum, eam eſſe, nobilium, & ciuium; reſpondeo eſſe mercatorum, aucupum, piſcatorum, artificum, & vix extra hos aliquas reperiri amicitias. Prou. 19.

5. Iecur eſſe ſedem concupiſcibilis, ſicut cor iraſcibilis, atque etiam amoris, aiunt Philoſophi. Cùm ergo amicitia debeat eſſe ex corde, & ex amore; vt dicitur à Domino, *Si non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*; hoc eſt ſi non amabitis

ex

ex corde: ideo, cum amici vt plurimum amentur amore concupiscentiæ, non amicitiæ; dici potest, huiusmodi amicos amare potius ex hepate, quàm ex corde. hasque esse amicitias hepatis. huiusmodi amici, cum ex ijs sint, de quibus dicitur Ecclesiastici 37. 5. *Sodalis amici condolet*
Eccl. 37. 5. *causâ ventris:* non gerunt amicos in pectora, vt dici solet, sed in ventre.

Neque amicitias, neque inimicitias scit homo. sic Panormita. libro de gestis
Panorm. lib. de gest. Alph. Reg. Alphonsi regis, qui Sapientis titulo donatus est ob insignem sapientiam: cum rogaretur à suis, num Franciscum Sfortiam, & Nicolaum Picininum viros magnos illius ætatis, velut amicos habere deberent; respondit, Habete vt amicos, cauete
Eccl. 6. 13. vt inimicos. Ecclesiastici 6. 13. *Ab inimicis tuis separate, & ab amicis tuis attende*, quasi dicat attende ab eis, quasi inscius an veri amici tibi sint, & non inimici in corde.

Annui census, seu reditus apud nos vocantur, *entrata*, hoc est introitus: eo quod introeant illi fructus in domum nostram. Sicut ergo cum quis ianuam tuam pulsat, quærenti quisnam pulset, respondere solet *amici*: vt per hoc obtineat introitum, sed admittatur intra ianuã: ita multi se amicos tuos vocant, vt participẽt de introitu, hoc est, de reditibus domus tuæ, siue amici, siue non amici, & ignoti sint; petenti quis pulsarit, statim dicunt se amicos. sic in casu nostro dum pulsant, videlicet dum instant, & petunt à te aliquid; vt aperias eis, hoc est vt concedas, dicunt tibi sicut dicebat ille in Euangelio, *amice accommoda mihi tres panes.* præsupponitur quidem ille amicus in parabola, sed præmisit hũc titulum, vt per eum sibi ianuam aperiret, seu participaret de introitu, hoc est de fructu amici. sic Ecclesiastici 29. 1. *Donec accipiant, osculantur* Eccl. 29. 1.
manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam. quid est osculantur manus dantis, nisi se amicos, imo seruos obsequentissimos tuos præseferunt? promittunt dicentes, Erimus tibi in æternum addictissimi. hoc autem faciunt, vt fiat in eis illud *pulsate & aperietur vobis*, hoc est, petite, & accipietis.

Donec accipiant, osculantur manus dantis. nam cum acceperint; sicut materialiter, ita & metaphoricè terga vertunt tibi. ideo dicitur Prou. 19. Prou. 9.
vt supra retuli: *Multi colunt personam potentis, amici sunt dona tribuentis.* amici sunt non eius qui dedit, sed tribuẽtis in præsenti. simul cum proiecta offâ, quasi canes, deuorant etiam amicitiam proijcientis. amor concupiscentiæ (qualis est amor istorum, quia dirigitur, & ideo non debet dici amor amicitiæ) cæcus est. ideoque (velut cæci solent) tamdiu accedit ad fores tuas, & tibi bona de cælo precatur suis orationibus; vel tamdiu lyrâ, & cantu inaures tuas insonat, hoc est, adulatur verbis: quamdiu consuetum nummum illi porrigis.

ADVLTERIVM.

2. *Scelus maximum est. Legislatores ob eam culpam contra se ipsos carnifices fuere.*

3. *Deterior adulter viarum grassatore.*

4. *Peior homicida iuxta Chrysostomum.*

2. IOB 31. 11. de adulterio litteraliter ait: *Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.* Esse autem huiusmodi; testis est sententia, & consensus omnium ferè nationum, quæ aut morte, aut magno supplicio puniunt adulteros. leges autem gentium istarum circa hoc refert Tiraquellus fusè de lege cõnubiali. Mitto quod apud Iudæos lapidabantur, sicut & blasphemi, atque hæretici: vt quasi ostenderetur ex paritate pœnæ quædam quasi paritas culpæ. Videntur prisci illi adeo exhorruisse magnitudinem huius sceleris, vt sicut nos hæreticos, ita illi adulteros comburerent. nam Genesis 38. ait Iudas, nuntio accepto etsi non adulterij, sed fornicationis Thamar: *produc ite eam, vt comburatur.* & Macrinus Imperator lege lata adulteros iunctis corporibus viuos comburebat. Imo ipsimet legislatores contra se ipsos in hoc peccatum lapsos sententiam tulere, pœnamque sumpsere de se ipsis: ne vllo modo tantum scelus impunitum foret. misso enim Zaleuci exemplo, qui lege lata de eruendis adultero oculis, cum filius eius in eam culpam incidisset, ne ille omnino excæcaretur, & ne violaretur lex, alterum sibi, alterum filio oculum erui fecit. etiam narrat Lucianus in Apologiâ pro mercede conductis, Selethum Principem Crotoniensem legem tulisse, vt comburerentur adulteri. at verò accidit, vt idem refert, quod ipse deprehensus est in adulterio. cum autem facerent ei potestatem, vt in exilium iret, ipse noluit; sed sponte ignem elegit, & vt Lucianus ait, *Voluntarius, & nihil reluctans in ignem magno animo insilijt.*

Iob. 31. 11.

Gen. 38.

Iniquitas maxima. propriè ex Hebræo apud Pinedam hic, *iniquitas iudicium*, vel *iudicata.* iudicium, hoc est, punienda à iudicibus, pertinens ad iudices. Dic ergo eam esse potius iudicum, quàm confessorum; puniendamque potius patibulis, furcis, ignibus, quàm psalmis, eleemosynis, ieiunijsque in pœnitentiam in confessione iniunctis. culpam esse, vnde adulter magis ligetur à carnifice, quàm vnde absoluatur à Sacerdote. (a) *E' vn peccato più da forche, da berline, da manaie, che da corone, da salmi, ò dalimosyne.* Vel etiam est *iniquitas iudicata.* quia adulter tam manifestè reus est, & supplicio dignus; vt de illo dici possit, *iam iudicatus est.* scilicet reus talis est, vt vulgò aiunt, qui absque processu suspendi possit. *è comu vn ladro d'appicarsi senza process so.*

(a) Peccatum est magis cruce, numellis & compedibus expiandum; quàm Rosarijs, Psalmis aut eleemosynis.

3. Chrysostomus apud Pinedam loco citato vocat *adulterium, latrocinium, & fraudem. imo quouis latrocinio peius, ac grauius.* Te ipsum exhorresceres, si latro, & viarum grassator extitisses. at si ex coniugata filium suscepisti, qui proinde heres fuerit patris non sui: certè latronem latronibus deteriorem te præbuisti. (a) *non sol fosti ladro, ma traditor, & assassino.* Item cum melius sit bonum

(b) Non solum fuisti latro, sed etiam traditor & assassinis.

bonum nomen, quàm diuitiæ multæ: (quia fama est de genere boni honesti, quod vtili præfertur. vnde Cato, *omnia si perdas famam seruare memento.*) Si adulter apud alios infamet proximum per adulterium contra ipsum commissum; longè maiora bona ipso rapit, quàm si opibus eũ spoliaret. ita erit latrocinio grauius, vt Chrysost. ait, & Prou. 6. 30. *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit. furatur enim, vt esurientem impleat animam, &c. qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam, &c.*

Prou. 6. 30.

4. Imò ideo Chrysost. sermone, cui titulus est, *Carnis concupiscentiam ne sectemini*, deterius homicidio facit adulterium. His congruit Hieron. in Amos 7. ad illud, *Vxor tua in ciuitate fornicabitur.* vbi inquit: *Maritus libentius audit vxorem interfici, quàm pollui.* ergo iuxta considerationem hãc magis læditur vir ab adultero, quàm ab homicida vxoris. Adde adulterum sæpè vno adulterij gladio tres interficere homines. vulgò enim & vir ab eo læsus per adulterium; & vxor eius violata: & filius adulterio genitus; non amplius nomine hominum vocantur, sed turpium brutorum. Omnes sciunt quæ dico. ergo vitam hominũ videtur ab eis abstulisse, & fecisse bruta animalia. Cum etiam deterior sit mors animæ, quã corporis, & adulter adulteræ interficiat animam, in peccatum inducendo; peior est homicida, saltem ex hoc capite, & iuxta hanc formalitatem.

Hier. in Amos 7.

Meritò adducta est adultera ad Christum, potius quàm alius peccator alterius criminis, ad magis explorandam eius clementiam, & vt suæ eximię pietatis effunderet viscera: ob quam reum, velut legis violatorem, cupiebant eum accusare; quia si in re aliqua, si in aliqua culpa condonanda, Christi & Agni cognoscitur maxima benignitas & patientia; si in re aliqua necessaria est clementia eius, qui non venerat iudicare, sed saluare; potissimũm ad parcendum huic peccato erat, & est necessaria, ob magnitudinem scilicet talis peccati.

Excusationem aliquam habet fur, vt ex Prouerb. 6. 30. habetur: at non adulter. excusationem quandam habent alia quædam peccata: sed adulterium sine excusatione est, vt ait Chrysost. hom. 3. de Ozia. *Sicut Nauclerus in portu naufragium faciens, neutiquam assequitur veniam; ita vir post nuptialem portum aliena coniugia inuadẽs, vel mulierem alienam curiosius spectans, nullam habebit defensionem tam apud Deum, quàm apud homines*, ita ibi. Peccat hic, aut ille hoc, vel illo genere peccati; etiam si zelus, & affectus iustitiæ siue Dei, siue hominum irascatur contra illum; tamen sæpè misericordia eorumdem illi compatitur, (quamuis in Deo ista sine affectibus fiant) at adulterio (præsertim in casu descripto à Chrysostomo,) neque ipsa misericordia videtur (vt ita dicam) pietatem, aut compassionem vllam posse præstare. non quòd irremissibile sit hoc peccatum; sed quia magnũ est, & sine excusatione; ideo hæc dicuntur. vnde Iob 24. 20. de adultero litteraliter loquens, vt legenti patet: *Maledicta sit pars eius in ter-*

Prou. 6. 30.

Chryso. hom. 3. de Ozia.

Iob 24. 20.

terra, nec ambulet per viam vinearum. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius. Obliuiscatur eius misericordia. Non solum misericors, sed neque ipsamet misericordia videtur ei posse misereri. *Obliuiscatur*, pro, obliuiscetur more Scripturæ, en ergo verum quod dixi. quod nec misericordia ipsa ei parcit, & est peccatum potius Iudicum quàm Confessorum est *iniquitas iudicata* ex Hebræa lectione, hoc est ab omnibus nationibus grauiter condemnata.

2. *Adulterijs ita implentur, vt eis exeant per oculos.*
3. *Etiam hic adulteri temporaliter à Deo valde puniuntur.*
4. *Nouus infernus adulterio paratus.*

2. CVM autem adulterium *nefas sit, & iniquitas maxima*; cùm camelus sit ingens; tamen diabolus, & ingluuies libidinis adeo dilatat fauces hominum, vt tota die glutiãt huiusmodi camelos, quasi essent culices. adeoque impleantur hoc cibo vsque ad summum, vt, sicut vulgò

Petr. 2. 1. dicimus, exeat eis per oculos. Petri 2. 2. dicitur de talibus, *Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti.* Bibunt sicut aquam hanc iniquitatem. heu miseri! verè video vos trabes habere in oculis, nempe adulteria, excæcatosque esse à Cupidine. nam pro aqua bibitis ad refrigerandum ignem concupiscentiæ. (nã *concupiscentia sicut ignis exardescit*) bibitis inquam adulteria velut aquam, cum *ignis sint vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*, sicut Iob statim subdit post illa verba, *iniquitas maxima.* Ideo bibendo accenditis magis concupiscentiam, non refrigeratis. apponendo ligna, ignẽ augetis: augetis sitim, bibẽdo: ideo nũquam cessatis bibere. vnde ait, *habẽtes oculos plenos adulterij, & incessabilis delicti*, hoc est adulterio, à quo numquam cessant. Hiero, l. primo contra Iouinianum legit, *Insatiabili libidine.* nam adulterãdi libido cum ignis sit, *numquam dicit, sufficit.* Hier. li. 1. cont. Iou.

Ignis est vsque ad perditionem deuorãs, &c. ignis, frater, ignis tartarei. nam sicut & ille, obscurus est. vnde Poëta de Didone amante, *Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.* ignis tartareus; quia corpus, & animam, omnesque sensus inflammat sicut ignis inferni faciet. vnde Hieron. apud Petrum Follerium de contractibus censuarijs, tomo 6. Tractatuum. par. 2. fol. 227. ait: *O ignis infernalis luxuria; cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cibus immunditia, cuius flãma gehenna.* Hieron. apud Pet. Foller. de contr. cẽs. to. 6. tra. par. 2 fol. 227.

Sed sicut ignis inferni non dimittit, quos semel inuasit: ita ignis luxuriæ, & adulterij id sæpè præstare solet: ideo hic vocatur *incessabile delictum.* supra Iob 24. 20. de adulterio ait, *Et vsque ad inferos peccatum illius.* Iob 24. 20. est ignis vsque ad perditionem deuorans. sicut enim ignis in ligno arido, non extinguitur in adultero cõcupiscentia, donec in puluerem, seu cinerem tumuli eum redegerit. Obstupescunt, qui audiunt illud ab Ambros. in Lucam lib. 4. cap. 4. relatum de Thotimo. hic iussus est à medicis abstinere ab vxore, alioquin Ambr. in Luc. l. 4. c. 4.

reli-

reliquum luminis oculorum, quod ex morbo sibi relictum erat, perditurus, at calore lasciuiæ actus, accedés ad illam cecinit, *Vale amicum lumen.* Sed si horrescimus incontinentiam abstinendi ab vxore cum periculo visûs; quantò magis abstinendi ab adultera; vel meretrice, cum certa iactura animæ?

3. Tā odit Deus adulteros, vt nec patiatur expectare mortem ipsorū, vt eos puniat: sed hic ipsorum res, & fortunas infeliciter cadere facit Iob supra ca. 24. 18. *Maledicta sit pars eius in terra.* ergo etiam maledictionem habet adulter in rebus terrenis. iuxta quod vulgò dicimus de re infelicem successum sortiente, & per omnia ac in omnibus miserā, *habet maledictionem.* Adulteri per equos, & asinos significantur. nam ex commixtione horum gignuntur muli, symbolum prolis illegitimæ; quia & tales liberi *muli* vulgò vocantur. Sicut ergo eorum iumentorum propria sunt onera, & flagella in omni vita ipsorum; ita & in adulteris onera, & flagella plagarum Dei. onera enim in Script. punitiones significant. Imò Pineda ad illum locum, *ignis est vsque ad perditionem deuorans,* &c. inter alia ait: Sed de pœna, & supplicio fortè simplicior, cohærentiorque erit significatio. ignis enim in Scriptura omne supplicij, malique genus significare solet. significauit ergo adulterij supplicium grauissimum esse; & quod in vniuersa adulteri domo ingens excitet calamitatum incendium: quòd non solùm facultates omnes, atque facultatum, & agrorum fructus, ramos, germina; verum etiam radices exurat, & filios etiam perdat. nam vt sapientia pronuntiat, cap. 4. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.* Hæc ibi ille. ergo verum est adulteros habere maledictionem in sensu supra allato, cum dictum sit: *Maledicta sit pars eius in terra.*

Iob sup. c. 24. 18.

cap. 4.

4. Obseruāt aliqui Theologi apud Pinedam in ca. 24. 19. Iob, Scripturas de pœnis inferni loquentes, semper meminisse *ignis*; frigoris verò vix semel. puto autem locum, vbi de frigore fit mentio esse hunc, *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.* non enim alium locum legisse me recordor, vbi clarè id dicatur; quamuis de stridore dentiū fiat sermo. Dico ergo tantum esse adulterij culpam, vt cū de pœna illius futura agitur, quasi non sufficiant pœnæ inferni describi, & significari solitæ; nouos cruciatus, & (vt ita dicam) nouum infernū oportuerit detegere, & quasi adinuenire (dicere volui reuelare) ad ipsū adulterium puniendum; de quo ibi Iob loquitur. id autem est illud. *Ab aquis niuium,* &c.

Pined. in ca. 24. 19. Iob.

1. *Adulteri sues sunt à dæmone luxuriæ correpti, & in mare periculorum acti.*
3. *Adulter transgrediens lectum suum, vt fluuius mundans malorum causa multorum est.*
4. *Patientiam Iobi habet, adulterium in coniuge sua non vindicans.*
5. *Per adulteria Cuculi pro falconibus habentur.*

2. MATTH. 8. 31. vbi dæmones accepta potestate, ingrediendi in sues, eos demersere in pro-

Matth. 8. 31.

profundũ; affert Maldonatus Chrysostomum & Augustinum dicẽtes, Christum per hoc significasse, dæmones in immundis libenter habitare;qui per suos intelliguntur. Cum ergo amatores, & præsertim adulteri,excæcati sint, & amentes ex cõcupiscentiæ furore: (vnde Cupidineus Amor cæcus, & puer pingitur, quod tales reddat amantes) ideo vt cæci, & furiosi, quasi nulla conspiciant pericula, in omne vitæ discrimen nedum aliorum malorum, se conijciunt, vt ad amatas maximeq; ad coniugatas ingrediantur. Ratio autem huius temeritatis in adulteris est;quia vt Petrus supra in 2. cap.2. dixit, oculos habent plenos adulterij. Lorinus præter allatas expositiones hanc tradit, *plenos adulterâ, siue adulteris mulieribus à se amatis*,hoc est nil aliud habentes in oculis, nil cogitare valentes,nisi amicas illas.cum ergo pleni sunt eorum oculi,& mentes, amatis suis;quid mirum,si in illis locum non dent alijs rebus,si nõ videant, nec animaduertant pericula? Sed redeundo ad supra allata de dæmonibus in sues ingressis, dico, quod cùm spiritus fornicationis, & dæmon luxuriæ (talis enim est Cupidineus Amor olim Deus appellatus) in porcum aliquem istorum, hoc est, in immundum intrarit; eum ex cupiditate obtinendi adamatas mulieres, in mare & abyssum perditionis, & periculorũ immergit, nec non scelerum pelagum. Asmodæus dæmon,(de quo Tobiæ 3.inquit Pineda in 31.12. Iob) ab igne appellatus est:de quo,inquit,dicitur,quod sit, *Rex super omnes filios luxuriæ*. Tam

Pet sup.in 2.cap.2.

Tob.3. Vened.in 31.12. Iob.

temerè ergo adulteri irruunt in media pericula, vt coniugatis mulieribus fruantur; vt quasi videantur à dæmonibus occupati,& impulsi.cõfirmatur quod dixi.nam Cromatius in cap.5. Matth. apud Pinedam hic affert lectionem aliam loci prædicti, scilicet, quod adulterium *est iniquitas maxima*,&c.quæ sic habet: *Furor iræ, & immundi spiritus, commaculare vxorem alienam*. De huiusmodi adultero diceremus, (a) *ha il diauol adosso: è vn diauolo incarnato*,ideo, quasi à dæmone agitati,se immergũt, vt dicebam; quia adulterium in eis est *furor immũdi spiritus*.

Crom.in cap 5. Matth.

(a) Dæmoniacus est, vel Diabolus incarnatus.

An non esset insigniter insanus energumenus,qui dæmonium habẽs in corde, exhorresceret eum, qui illum habet in corpore, vt in pede, in manu? cum enim dæmones in corporibus, & membris existentes ea agitent,& vexent;certè magis nocere poterunt, si in corde sint. sic inquit Cæsarius Arelatensis Hom.16 vt ostendat peccatores à dæmonibus deteriùs possideri, quàm energumenos: *Multi dæmonium in corpore alieno formidant, in suo corde dißimulant.omnis enim, qui superbiam diligit, diabolo plenus est.& si cum superbia inuidiam etiam habere voluerit, duobus dæmonibus subditus erit.si cum inuidia etiam adulterium fecerit, à tribus dæmonibus poßidetur*. sic ille.en igitur quomodo adulter à dæmone oppressus sit.sed cum adulter, vt diximus,furiosus sit, & dæmoniacus modo explicato; talem & facit contra se virum, cuius vxorem violasse cognoscitur, ob iram,& zelotypiam; sic vnus furiosus, duos facit: vnus dæmoniacus duos dæmoniacos,

Cæsar. Arel.Ho. 16.

Sic Chryſ. de virginitate loquens de zelotypia hominis ait: *Cum verò eo furore corripitur; nihilo melius efficitur, quã qui à dæmonibus agitantur, aut mente capiuntur.* Sic Prou. 6. 35. de viro zelotypo contra adulterum, ait: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*, &c. *Coſi la và da furioſo à furioſo, da ſpiritato à ſpiritato.*(a) *à caſtigar vn matto, vi vuol vn'altro matto, & vn diauol caccia l'altro, cioè la rabbia del marito, & il timore che s'ha di eſſo, fà ch'eſca all'adultero il diauolo della libidine, e che non oſi accoſtarſi, alla moglie di lui.*

Prou. 6. 35. (a) Stulto opus eſt, ad caſtigandum ſtultum: & vnus Dæmon alium fugat. i. e. rabies mariti eiuſque timor, fugat ab adultero dæmoniũ concupiſcentiæ, atque à ſe & vxore ſua longiſſimè arcet.

3. Eccleſiaſticus 23. 25. deſcribit adulterum ſic, *Omnis homo, qui tranſgreditur lectum ſuum.* homines alibi comparantur aquis, *quaſi aqua dilabimur.* Quaſi flumina ſumus. dum flumen exit de alueo ſuo, qui eſt eius ſtratum, vel lectus, vulgò, *il letto del fiume*; dum inquam tranſgreditur lectum ſuum, & diffunditur in proximos agros; & ſibi, & proximis agris valde nocet. ita vir tranſgrediens lectum ſuum, & alienũ inuadens. Aqua etiam ſymbolum eſſe poteſt carnis, & Veneris, ob fluxam eius mollitiẽ. vnde & Venus dicta eſt ex aquis nata. ſic dictum eſt Prou. 5. 15. *Bibe aquam de ciſterna tua*, hoc eſt, tua contentus eſto vxore. ſicut ergo qui dimittit aquam fluminis de lecto ſuo, vt ſupra dictum eſt; is tumultus, & rixas accendet, dum per eam proximis nocet: ita qui tranſgrediens lectum ſuum. inuadit alienos, rixas & odia ſuſcitabit contra ſe, & contra mulieres à ſe violatas, nempe in viris earum, & conſanguineis. ita ſiue litteraliter, ſiue accommodatitiè huic quadrabit, Prouerb. 17. 14. *Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum, & antequam patiatur contumeliam iudicium deſerit.* quia deprehenſi in adulterio fugã ſibi conſulunt, nec audent expectare iudicum in ſe contumelioſam ſententiam, qualis olim ferebatur in huiuſmodi delinquentes. Facit pro prædictis, aquam (vt quæ de ſe contineri nequit in vnum velut terra, ſed fluit) eſſe incontinentiæ figuram. Sic Geneſ. 49. 4. dictum eſt ad Ruben, *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* en quomodo velut fluuius tranſgreſſus eſt lectum. & ſicut flumen, dum ſe effundit, maculat, & inquinat luto ea, quæ occupat; ſic adulter inquinat alienas domos, & lectos per incontinentiam, & fluxum ſuæ libidinis, quæ non valuit ſe continere in terminis & lecto ſuo.

Eccleſ. 23. 25.

Prou. 5. 15.

Prou. 17. 14.

Geneſ. 49. 4.

4. Adeo læditur vir ex contumelia adulterij in vxore ſua perpetrati, vt ſicut vulgò dicitur, requiratur in eo patientia Iobi. cũ enim coniuges ſint duo in carne vna; & mulier ſit os de oſſibus viri, & caro de carne eius; qui tangit eam, tangit ipſum. Perſtiterat Iob in patientia ſpoliatus bonis. at dæmon ait: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua, alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem: & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* tamen patienter tulit & hoc. Ergò quaſi alter Iob, eſt qui, ſi tãgas os eius, & carnẽ, retinet innocentiam. patientiam Iobi videtur quaſi tenere. vxor enim eſt os ex oſſibus ſuis, & caro de carne ſua, & in hac patitur ſe vulnerari.

5. Notum eſt apud Symbolicos, *cuculum*

Arist. l. 6. Hist. Plin. l. 10. cap. 9. culum autem symbolum esse adulteri, eò quod vt Arist. lib. 6. Hist. animalium, & Plin. l. 10. cap. 9. & alij dicant eum ouum suum furtim immittere in nidos aliarum auium: (vnicum enim edit) & ne detegatur fraus, vnum ex ouis auis auferre, & perdere: foueri autem ab aue illa ouum cuculi quasi suum, & pullum excludi & enutriri. Cū autem cuculus sit animal vilissimum, & ridiculum, tum in se, tum in cantu suo, vt scitum est, & *Arist. 3. de gener. c. 1. & Plin.* Arist. id testatur quoad vilitatem 3. de gener. c. 1. & Plin. loco cit. ideo accidere potest, vt cuculus falconis, vel accipitris filius, & frater habeatur, scilicet à nutrice sua, vel etiam à masculo volucre feminæ illius consorte. nam ait Plin. eam, autem, etiam genitum cuculum, suum reputare. Vel dicamus, per id fieri, vt cuculi vilissimi, inter accipitres & falcones viuant, & alantur, quasi fratres eorum essent. Per hoc ergo repræsentatur, quod interdum per adulteria fit, vt abiectissimi quique inter nobiles, & principes reputentur, & ex ijsdem parentibus alter filius sit falco, alter cuculus, non solum ignobilitate, sed etiam stupiditate ingenij, atque morum improbitate. *Alber. apud Ald.* Albertus apud Aldrouandū de generatione cuculi, ait cuculū in nidum lusciniæ aliquādo ouum suum immittere. ita vnus frater cantabit vt luscinia, alter vt cuculus. diuersitas tamen morum ingeniorum in fratribus sæpè contingit, quamuis omnes legitimi sint. quod dixi ne temerè iudicemus in hac re.

Ioan. 8. 4. Adducta est mulier ad Christum Ioan. 8. 4. dixeruntque, *Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio: in lege autem Moyses mandauit huiusmodi lapidare* si deprehēsa fuit mulier, cū viro certè deprehensa fuerat. tamen vel viri ū elabi permiserant, vel certè ille euaserat. sola ergo capta est mulier, solā adducunt, solam lapidare parati sūt, nisi aliter Christus disponat. Quid docemur per id factū, nisi quod quotidie accidit? Mœchantur mulieres seu coniugatæ, mœchantur etiam viri. Sed adulterij virorum parua habetur ratio. tota procella defluit in feminas. eas solas viri omnes lapidare gestiūt. At quia sæuiunt viri omnes in miseras mulieres; ignoscere huic voluit Deus. quia in eas sæuiūt Christiani; huic ignoscere voluit Christus: vt doceret nō esse crudeliter agendū in vxores proprias, vt ex zelotypia multi in eas se carnifices exhibent.

D. Aug. libr. 3. de verb. domini Serm. 46. D. Aug. lib. 3. de verbis Domini Serm. 46. in ordine, ait, *Qui coniugati estis, fidem tori seruate vxoribus vestris: reddite quod exigitis. Vir à femina castitatē exigis? præbe illi exemplum, non verbū. Tu es caput; qua via eas, vide. ea enim ire debes, qua illi non sit periculosum sequi. imò tu ipse, qua vis illam sequi, illuc debes ambulare. Ab imbecilliori sexu exigis fortitudinem. Carnis concupiscentiam ambo habetis: qui fortior est, prior vincat. & tamen (quod dolendum est) multi viri vincuntur à feminis. seruant feminæ castitatem, quam viri seruare nolunt; & in eo quòd non seruant, in hoc viri videri volunt: quasi propterea sit fortior sexus, vt eum facilius subiuget inimicus. Lucta est, prælium est, pugna est. vir fortior femina, vir caput est feminæ. femina pugnat & vincit, tu hosti succumbis? stat*

corpus, & iacet caput? hucusque Aug. Paulò infra ad ducentes vxores loquens, (breuitatis ergo perstringā quod dicit,) Vis sponsam reperire virginem: fac te & talem inueniat. sed quia plures se excusant, quod casti esse nequeant, ait Aug. si castitas seruari non posset, neque sponsa, quā ducis, eam seruare posset, *Quæ verò illa potest, docet te, quia fieri potest.*

FIDES.

2. *Etiam agricolæ per fidem reges sunt, & Summi Pontifices, reges Galliæ, & Hispaniæ.*
3. *Fides sine operibus non saluat.*
4. *Annulo in multis similis.*
5. *Fides vt cithara latens, auditur, si manus ei adiungatur.*

2. FIDELES per fidē, si nō simplicem, saltē charitate formatā, non solum nobilissimi sunt, sed etiam reges, & vt ita dicam Summi Pontifices. 1. Petri 2. *Vos autem genus electū:* ecce nobilitas generis. *regale Sacerdotiū.* ecce regiam dignitatem & quasi Pontificiam, quæ Sacerdotium plus quàm regium continet. Ita etiā Lucę 10. 24. *Multi reges, & Prophetæ voluerūt videre, quæ vos videtis.* Matt. 13. 17. idipsum narrans, ait; *multi Prophetæ, & iusti.* vnde, cum loco regū iustos ponat; colligunt aliqui Doctores per reges supra intelligi iustos. Sed cum fideles iusti reges sint, quales eos putas reges? Vides pauperculum illum bubulcum: æstimas ignobilem, at dico, esse Regem Catholicum, esse Regem Christianissimum, si perfectè credit. his titulis gloriosi incedunt duo reges potentissimi in Europa nostra. at dico vtroque titulo gaudere rusticum illum. Est etiam ille quasi Summus Pontifex (præter allatam rationem.) quia Sanctitatis titulus tribuitur Pontifici Summo. at de fidelibus prædictis dicitur ibi, *Gens sancta.* Summi Pontificis est reges declarare, & facere. at D. Petrus Summus erat Pontifex, & hic huiusmodi pauperes fideles reges, vt dixi, vocat imò & Christus ipse per illum. nec in dubium reuocare licet Petri sententiam. Ergo fideles prædicti sunt *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.* Reges declarati à Christo, & à Vicario eius, summoque Pontifice Petro.

(Margin: 1. Petr. 2. — Luc. 10. 24. — Matt. 13. 17.)

Multos inuenies, qui adscribi voluerē nomen suum in aliqua societate (vulgò apud nos, *cōfraternitate*, Venetijs, *Schola*) verbigratia Rosarij, vel Sacramenti, aut alia huiusmodi. ex qua re multa habētur lucra spiritualia indulgentiarum, sed tamen ea conditione, si impleantur quæ necessaria & præscripta sunt fratribus lucrari ea volentibus. verbi gratia, constitutæ eleemosynæ, preces, peccatorum expiationes, & alia. Sed vt dixi, multos inuenies, qui cum pluribus ex his societatibus semel nomē dederint, & secum habeant semper siue funiculum Minorum, siue Corrigiam alterius societatis, &c. cum vt libet, viuant, neque de implendis præceptionibus alijs eiusdem cœtûs cogitent; tamen putant satis sibi cōsultum esse, præsertim si saltem præstituto tempore soluant, quam vul-

gus vocat, luminariam, aut quid simile. Sed quid re ipsa de huiusmodi hominibus sit, tu ipse considera. Ita ergo accidit ei, qui in confraternitatem Christi, hoc est fidẽ, & religionem admitti voluit: &, quasi id sufficiat ad salutem, præcepta religionis negligit obseruare, vel contentus est semel in anno pensionẽ confessionis, quasi luminariam in confraternitate soluere, ceteris omissis. Adscriptus es in hac, vel illa societate religiosa: nomen tuum scriptum est in societate patientiæ; at tu es in societate impatientiæ. nomẽ tuum est in libro Rosarij; at tu es, vt ita dicã, in libro spinarij. (spinæ enim voluptates, & curas sæculi designant in Euangelio, à quibus tu suffocaris, ne fructum afferas.) nomẽ tuum est in societate Sacramenti; at tu in societate periurantium, & violantium Sacramentum. Ita in causa fidei, tu nomen dedisti Christo. nomẽ tuum scriptum est in libro baptizatorum in Ecclesia apud Sacerdotem: nomen inquam dedisti Christo, at te ipsũ das modo diabolo. nomen tuum est in Ecclesia: at tu in popina, vel prostibulo. nomen inter baptizatos, vita inter immundos. tandem nomen tuum Christianum est, tu paganus. vide ergo si nomẽ tuũ poterit saluari, tu damnari. Concludamus ergo cum Ioanne Apocal. 3. 1. *Scio opera tua: quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es.* en differentia inter nomen tuum, & te. Apocal. 3. 1.

4. Annulus, fidei datæ symbolũ est. vnde sponsus in matrimonio sponsæ annulum tradit. imò annuli quidam, in quibus duæ manus inuicẽ vniuntur, fides appellantur. fidem ergo operibus iungendam esse, potest colligi per similitudinem annuli, & fidei, quæ in manibus geritur, vel etiam, quæ manus figuratas in se continet: vel etiam, quia ex auro constat, quod significat charitatem ex Apocal. 3. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Siue quod per illam charitate formatam sponsa desponsetur sponso cælesti. afferri solet ad hoc illud Oseæ 2. 20. *Sponsabo te mihi in fide:* quod saltem per accommodationem huic rei quadrat. Fides in multis articulis sita est, scilicet articulis fidei; ita fides quoad animam, & formam eius in articulis sita est, scilicet in articulis manuum; quod est dicere in operatione. nam *fides sine operibus mortua est.* Sicut nõ satis est, verbi gratiâ psalterio adhibere fides, hoc est chordas ad laudandum Deum nisi etiam manibus percutiamus ipsum, seu eius fides: ita non laudabimus Deum per solam fidem, nisi manus operum ei adiungamus. nam per bona opera Deus laudatur. sic enim aliqui accipiunt, *oportet semper orare,* hoc est, benefacere. Parum est fidem adhibere psalterio Dauidis, hoc est dictis in illo contentis, nisi & manus adiungas adhibitæ fidei. Si non vides fides meæ cytharæ; manus illis addendo, eas tibi ostendo. *Ostendam tibi ex operibus fidem meam.* sentio fides adesse, & si eas non videam, si manu illas pulses. Apoc. 3. 18 Osea 2. 20

Opera per digitum significantur, *digitus Dei est hic,* hoc est, operatio Dei. *Si in digito Dei eijcio dæmonia,* hoc est, per operationem, & potentiam Dei, non diaboli. Sicut ergo annulus à digito separatus vacuus est; ita vacua

vacua fides fine digito operis. digitus est veluti anima, & forma annuli, qui tanquam corpus continet ipsum digitum, quasi animam suam; ita (secundū quandam rudem similitudinē loquēdo) operatio est forma, & anima fidei. Annulus est quasi corona digiti, ita vt digitus per illū sit quasi rex coronatus: ita opera nostra fidei coniuncta in cœlo coronantur. Annulus, eò quòd sit figuræ orbicularis, quæ in semetipsam redit, non habet principium, nec finem: ita res fidei nostræ adeo mirabiles sunt, atque immensæ, vt in eis mens nostra nesciat inuenire principium, nec finem.

Similitudo autem prædicta annuli potest accipi etiam ad arguendam imbecillitatem fidei nostræ. cum duas manus habeamus in corpore, & decem digitos in eis; in vna tantum manu, in vno tantum digito gerere solemus annulum, & præcipuè annulum fidei. quia vix vnica manu, imo vix vnico, & penè minimo digitorum, qualis est is, in quo annulus geri solet, res fidei, hoc est prædicatas à fide tractamus, & opere complemus: cum vtraque manu, & nouem digitis, quasi fide nudatis tractemus res sæculi, & peccati. Modicæ fidei sumus. vix enim habemus digitum vnum fidei: (*appena habbiam vn dito di fede,*) cum sæpè nouem digitos, & duas manus teneamus incredulitatis; hoc est, cum vix credamus quæ sub pœna infidelitatis, & hæresis Ecclesia proponit. multa verò alia, quæ par est credere, minimè credamus; quia exigua, vel nulla charitas in nobis est. nam *Charitas omnia credit,* hoc est, quæ credere par est. Insunt duæ manus annulo fidei: quia fides digito vno affert duas manus; hoc est (rursus in bonam partem accipiēdo similitudinem prædictam) digitus vnus per virtutem fidei fit quasi duæ manus in potentia operandi. sic *Sācti per fidem vicerunt regna,* & alia mira, quæ sequuntur ibi. Per fidem sinapis magnitudine, vide quanta possimus ex Euangelio; quasi vnus digitus duas manus contineat.

Prou. 11. 20. *Abominabile Domino cor prauum, & voluntas eius in ijs, qui simpliciter ambulant. Manus in manus non erit innocens malus: semen autem iustorum saluabitur,* Manus in manu Symbolum est iuncti fœderis, & fidei datę. at qui cor prauum habent, hoc est duplex, nec simpliciter ambulant: quamuis aliquando iungant manum manui alienæ, & fidem promittant, atque pacem; tamen interiora eorum plena sunt dolo, & corde machinantur malum amico, cui manum porrigunt. ita ergo quamuis in annulo fidei datæ sunt manus duo adinuicem vnitæ; tamen in dolosis non adest animus fidei respondens. sic etiam in casu nostro, *manus in manu, non erit innocens malus.* quamuis fide præditus sit, & in baptismate manum dederit Deo, pacem, & fœdus cum eo iniens, & annulum fidei iunctis manibus gerat; tamen *non innocens,* quia non respondet per opera fidei datæ. non respondet per ea, quæ facit, ijs, quæ credit. Prou. 11. 20.

Petrus præ lætitia gestiens dicit amicis: congaudete mecum, & congratulamini, quia magnus creditor

 sum.

sum. quot quæso talentorum es creditor? respondet centum. at esne simul debitor alicui? maximè, inquit. quot talentorum? respondet cētum & quinquaginta talentorum. Heus stulte: nonne vides, quod maior debitor es, quàm creditor? & quid tibi prosunt ea credita, si exhauriuntur & plus quam exhauriuntur à debitis? Ita in re nostra, Quid gloriaris, te, eò quòd firmę credas rebus fidei, magnum esse creditorem, cum ob peccata, quæ debita sunt (vt dicitur in oratione Dominica) maiorem te cernamus debitorem? ob debita inquam tibi non dimissa: imo & quæ quotidie contrahis valde grauia. Nonne maior debitor es, quam creditor, quatenus plus tibi nocent debita, quam credita prosint? Quid. non ad salutem tibi prodest fies sine operibus? Magnus creditor existis. at si tantummodo creditor es, ne quadrantem quidem in ratione meriti gratiæ tibi soluet Deus ob huiusmodi creditum tuum. Magnus creditor es, & tamen neque vnius quadrantis es creditor. ergo dicamus cum Iacobo 1.14. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare eum?* Iac. 1. 14.

2. *Psyttacus olim recitabat Credo talis sapè Christianus.*

2. QVID prodest audire Dei verbum, audire Euāgelium Christi quotidie, nisi animaduertas, & corde tuo recogites, quod *cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, scilicet quod illa certissimè credimus? cur enim post Euangelium in Missa recitatum, statim recitatur *Credo*, nisi ea speciatim ex causa, quod auditis Christi verbis, cogitare debemus nos illa credere eaque certissima de fide esse, non autem ex humana opinione, vel historia hominum? Sed nos recitamus fidei Symbolum oretenus, & absque mentis animaduersione, plenaque intelligentia eorum quæ continet. Celius Rhodig. lib. 3. cap. 32. dicit, Romæ psyttacum Cardinalis Ascanij totū *Credo* solitum recitare. Addit Maiolus colloquio 6. prædictum psyttacū nullum penitus errorem committere solitum in eo recitando. Dic ergo multos Christianos quasi psyttacos recitare hoc Symbolum, scilicet non intelligendo, nec animaduertendo quæ dicunt, sed sola ductos consuetudine. Vel etiam dic plurimos illud recitando superari à psyttaco, eò quòd pluries in hoc aberrent, quod ille non committebat. imo multos rudiores illud ignorare. sic ergo fideles deteriores sunt bestijs ipsis. Si quis audisset recitari Symbolum prædictum non viso recitatore, putasset recitantem huiusmodi esse Christianum, & fortasse etiam probatum aliquem & iustum virū. attamen deinde eleuatis oculis vidisset auem, & animal insipiens. Sic aliquando quidam, qui ex fidei professione, quæ in Symbolo continetur, putabatur fortasse iustus & rectus, dum verba Dei, & preces recitat, vel res fidei enarrat & confitetur; deinde in opere dignoscitur esse psyttacus, & irrationale animal, hoc est carnalis homo. nam *à fructibus eorum cognoscetis eos*, scilicet qui

Cel. Rhodig. lib. 3. cap. 32. Maiol. coll. 6.

qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, hoc est habentes exteriora (vt preces vocales, & protestationem fidei) similia exterioribus iustorum.

3. *Fides imminentis inferni compellit ad orationem.*

3. TANTA, & tam terribilia sunt dogmata fidei, & præsertim æternæ beatitudinis, vel damnationis, vt si ea non recitaremus tamquam psyttaci, cogeremus statim à somno nostro expergisci, & ingentibus animæ nostræ periculis animaduersis in clamorem prorumpere, & Dei opem, & adiutorium magnis vocibus implorare. Exemplum huius rei habemus in officio ecclesiastico. statim enim ac religiosi in choro ad Primam post *Pater*, *&* *Aue Maria*, recitarunt *Credo*, statim hebdomadarius nomine omnium (quasi in eo Symbolo animaduerterit ingentia illa pericula, quæ diximus) exclamat, *Deus in adiutorium meum intende*, ceteris prosequentibus, *Domine ad adiuuandum me festina*. Silere videbantur in Symbolo recitando, at postea in voces prodiunt altisonas, quasi vnusquisque eorum dicere possit. *Credidi propter quod locutus sum.* Cum animaduerterint quam terribilia credant, & per fidem timeant, rectè possunt exclamare, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, & pergere in Deo exorando. ita omnes facerent, si *Credo* dum recitant, probe penetrarent pericula sua.

Ioan. 3. 18. *Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit iudicatus est.* Parce mihi Domine. tanta est iniquitas eius, qui credit tam magna, & horribilia, quæ prædicat fides nostra, & tamen operari contemnit; & malitiæ tam inferioris est, qui peccat extra fidem per ignorantiam, licet vincibilem; vt videatur dicendum de illo. *Qui non credit in eum, iudicatur: qui autem credit, iam iudicatus est: quia credit in nomine Vnigeniti Filij Dei.* tanta est iniquitas huius secundi, vt de ipso videatur quasi actum esse. videtur esse latro tam ingens, & scelestus, vt absque alia discussione, absque processu sit suspendendus, sicut vulgo dicitur. *è vn tristoda impiccarsi, senza processo.* Ioan. 3. 18.

Completur, & terminatur in Credo officium religiosi, scilicet ecclesiasticum, & in aspersione aquæ lustralis, quæ adhibetur post Completorium. sic multi fideles ita viuunt, quasi sola fide contenti; vt videantur putare officium Christiani compleri in ipsum Credo, & in abluatione similis aquæ, hoc est in suscepto baptismate, & in suscepta fide, quæ per Symbolum explicatur. Adeo stulti sunt, vt quod est Matutinum officij (intellige muneris) faciant Completorium: caput efficiant caudam. Religiosi post Symbolum fidei, & aquam susceptam cœnare, & cubitum ire solent. sic fideles prædicti suscepta fide, & baptismate ventri, & somno, hoc est desidiæ, & voluptati se tradunt, quasi absolutè, & absque alia explicatione verum sit, *Qui crediderit, & ba-*

pti-

ptizatus fuerit saluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur. Huiusmodi homines Completorium quidem habent, sed non officij, at potius malitiæ ipsorum. malitia enim completa, & perfecta est illa, quæ sistit in accepta fide, neglectis ferè operibus de his ergo verum est, *Completa sunt iniquitates eorum* vt de Amorrhæis dicitur Genes. 15. 16. Genes. 15. 16.

2. *Nec si quis resurgat à mortuis, & testetur de pœnis, illi credent.*

3. *Exemplum Ficini mortui socio apparenti.*

4. *Scriptura volumen volans, videtur multis loqui in aëre.*

2. DIXIMVS supra annulum, qui *fides* appellatur in digito geri ita quidam sunt, qui fidem non habent nisi in digitis, hoc est, id tantum credunt, quod tangunt, saltem manu experientiæ. Hi, etiam si vocantur Christiani, habent fidem Hebræi. Hebræus enim fidem tantum habet in manu, hoc est, non credit cuipiam nummum, nisi dato sibi pignore. Ita cum diues in inferno dixisset Abrahæ, *mitte Lazarum;* & dictum illi esset, *habent Moysen, & Prophetas, audiant illos;* rursus ait; *Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Carnalium mos est, huiusmodi testimonia requirere. Sed audi Chrysologum ser. 66. de hac petitione diuitis loquentem. Chrysol. ser. 66. *Sicut diues petijt, Deus Lazarum pro Lazaro misit,* (intellige Lazarum fratrem Marthæ, & Mariæ, quem suscitans reduxit in mundum) *sed quid missus, quid desideratus, quid resurgens profecit? patienter audite: Cogitauerunt,* inquit, *vt Lazarum interficerent. Nolunt visa referri, qui volunt audita nō credi.* hæc Chrysologus.

3. Cardinalis Baronius tomo 5. anno Christi 412. dicit Michaëlem Mercatum, & Marsilium Ficinum, qui paulò ante nos vixerunt, amicos inter se fuisse. ij cum essent Philosophi, disseruerant sæpè inter se de immortalitate animæ iuxta doctrinā Platonis, & an opus esset Platonicam sententiam in hac re testimonio fidei nostræ roborare. Christiani enim erant. tandem vt quandam quasi experientiam, vt dixerunt, adderent fidei, ab inuicem discedentes pacti sunt inter se, vt qui ex ijs duobus prior diem suum obiret, socium superstitem de hac immortalitate certiorem faceret. Michaël ergo cum paulò post mane vigilaret in studijs, audit in via sonitum currentis equi, quique ad ianuam domus suæ substitit; simulque vocem Marsilij audit dicentem, *Michaël, Michaël, vera, vera sunt illa.* Michaël accurrit ad fenestram, inspicit equitem albis indutum super album item equum fugientem; qui & ablatus est ab oculis eius, quamuis frustra vocaret: Marsili, Marsili. Misit nuntium Florentiam, vbi degebat Marsilius, & cognouit eum eadem horâ, quâ hæc viderat, defunctum esse. Optassent multi Athei, & pseudophilosophi simile testimonium habere de animæ immortalitate: illudque illorum similes habent ex Historia allata. sed numquid, vt ait Chrysologus de Lazaro resuscitato, nūquid inquam huiusmodi exemplo adducti sunt ad veritatem sectandam? numquid fidem

Card. Baron. tom. 5. ann. Christi. 412.

fidem habuêre hyftoriæ? ergo audiant Euangelium, *Si Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*

Zach 3.1. 4. Zach. 3. 1. *Vidi, & ecce volumen volans.* D. Greg. hoc volumen Scripturam ſacram intelligit. in Scriptura autem ſumma fidei noſtræ ſita eſt. Dic ergo Scripturam eſſe volumen volans (ſaluis altioribus rationibus) quia impijs illa videtur (vt dici ſolet) in aëre loqui. *paion coſe in aria.* Septuaginta legunt, *falcem volantem*: quod iuxta acceptionem Gregorij de ſcriptura, poteſt ſignificare punitionem, & pœnas, quæ in Scriptura eadē continentur, hoc eſt, commemorantur tanquam ſumendæ de peccatoribus. huiuſmodi autem pœnæ videntur prædictis impijs res aëreæ, non veræ. falx illa videtur pugnare quaſi aërē verberans. Volumen eſt. quod ita dicitur, quia in ſeipſum inuolutum ſit, talis eſt Scripturæ, & res fidei noſtræ: quia mundanis hominibus volumen ſunt, hoc eſt abſcōditæ. non penetrant enim, neque inſpiciunt quid contineatur in Scriptura, & in fidei Symbolo; ſed hæc ſunt eis quaſi inuolucrum. non enim ea conſiderant, ſed exteriùs tantum aſpiciunt huiuſmodi librum in operimentis eius. Ideo etiam eſt illis *volumen volans*: quia in libro volante, & in ſublimi poſito vix externa operimenta homines intuentur, ſicut in libro fidei faciunt. Eſt *volumen volans*: quia nō ſiſtit in oculis, ſeu in mente eorū, ſed ſolū per tranſitum, & volando illorū intellectū pertranſit. ideoque parum proficiunt homines ex auditu rerum fidei. nam *aues cœli citò tollunt verbum de corde illorum, ne credentes ſalui fiant*, hoc eſt (ad rem noſtram loquendo) ne ritè meditantes in rebus fidei ſalui fiant. In aëre eſt hoc volumē. ideo peccatores, (a) *Lo ſtudiano coſi in aria.* vel dic terrenos homines, terræquē adhærētes per affectum non pertingere ad lectionē eius libri: quia nolunt extolli eò vſque vt eorū conuerſatio in cælis ſit. viri autem, qui aſſumpſēre pennas vt aquilæ volant, & non deficiunt, optimè. & de proximo, nō de longinquo legunt hunc librum. *Falcem volantem.* increduli enim, vt dixi putant aërea eſſe ſupplicia, quæ Scriptura comminatur. ſic Langius in Græcis adagijs ait de rebus vanis, & anilibus dici ſolitum adagium hoc: *Quæ apud inferos.* Volumen volans. dicunt increduli, *quæ ſupra nos, nihil ad nos.* ideo peruerſa humilitate humi iacentes, aiunt non oportere extolli ad credenda quæ noſtrum captum ſuperant.

(a) Illi ſtudent leuiter, & quaſi per aërem volantes.

Volumen volans eſt Scriptura, vt Greg. ait, quæ eſt liber fidei noſtræ: quia res fidei de ſuggeſtu, & ſublimi loco, quaſi ex aëre prædicatæ, ſæpè non deſcendunt ad penetranda auditorum pectora: ſed in aëre ſubſiſtunt, & ad concionantes, vt ita dicam, reuertuntur. Volumen eſt in alto poſitum. ideo à ſuggeſtibus tantum hoc eſt à Prædicatoribus euoluitur, & legitur, & explicatur. auditores verò, qui in pauimento Eccleſiæ ſedent, vix vnquam hunc librum euoluunt, vel intelligunt: ſed tantum *auaritiæ ſtudent*, aut *calicibus epotandis.* Scriptura eſt

volumen volans ijs Concionatoribus, qui præcipitanter & volando plurima eius loca congerunt apud populum, nec tamen, vt par est, explicant: sed volumen, hoc est, inuolucrum quoddam oculis eorum exhibent. Item falcem faciunt volantem supplicia prædicata: quia obiter, & cursim hæc tangunt. Vel dic etiam addi Scripturæ plumas vaniloquij, & iactantiæ, aëreæque vanitatis, vt quæ ex se res grauis est, & solida, euolet tantum ad pompam, nec descendat ad penetrandos auditores, qui sub pulpito sedent.

SVPERBIA.

2. *Superbus plus quàm Deum se æstimat, dum nisi gloriosa sua patitur reuelari.*
3. *Qui se exaltat humiliabitur.*
4. *Superbi descriptio.*
5. *Nero sedere fecit superbos super vtres.*
6. *Exempla Grammaticorum, aliorumque iactabundorum.*



CVm Deus cælum, & terram fecisset, & per reliquos dies pararet perficere opus suum ornando, & augendo; dicitur quod statim producto cælo & terra, creauit lucem. Quæro ergo, si postea in alio die volebat creare Solem (qui inseruiret ad illuminandum mundum) vt videretur à creaturis ad hoc facultatem habituris; cur interea non est passus opus suũ adhuc imperfectum in tenebris manere: cùm artifices, vt pictores & alij, qui magnum opus construunt, soleant illud linteis contectum tenere, donec sit absolutum? deinde non erat necessaria illa lux, vt Deus posset opera sua prosequi. quia *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius: & tenebræ non obscurabuntur à te.* neque inseruire poterat hæc lux, vt opus videretur à quoquam, cum adhuc non essent in mundo oculi vtentes luce ad videndum, & Sol creandus deberet videntibus postea inseruire. sed omissis alijs causis, dicam, inde Deus voluit confundi præsumptionẽ multorum, qui cum in tenebris versentur ignorantiæ, vel inexperientiæ, & incertitudinis rerum; tamen opera magna, vt sunt regiminis Reipublicæ, vel animarum, vel aliarum rerũ difficilium, audent exequi cæcutiendo, & absque luce consilij, vel magistrorum aduocata. ille, cui *nox sicut dies illuminatur* quærit lucem, dũ operatur; & homo exigui visus eandem lucem aspernatur. Neque dicas Deum creasse cælum & terram ante lucem. nam non poterat lux creari in nihilo, sed præsupponebatur locus in quo crearetur, vt etiam docent Philosophi accidens enim præsupponit subiectum. Qui ergo sine luce præsumit facere opera sua, sine luce inquam consilij? is vt ita dicam, Deo maiorem se esse confidit, & in hoc illum superare.

Potest etiam dici, argui in hoc hominum superbiam, qui plus quàm Deus ipse propriæ gloriæ sunt zelantes. nam si quispiam faciat aliquod opus magnum, (vt diximus de

de pictoribus & alijs, qui donec perfecerint opus illud, in lucem non exponunt, sed obuolutum linteis celant) si inquam aliquis homo, dato hoc impossibili, mundum cæpisset facere, sicut & Deus; si lux iam adesset operi suo imperfecto, & sine ea posset opus prosequi, illam extinxisset, ne ab ea imperfectio sui operis argueretur & ne fortè posset reuelari alicui creaturæ. Sic superbus dedignatur è domo quasi in lucem exire, nisi totam cohortem suorum sequacium famulorum secum trahere possit. sic legitur Virgilium noluisse Æneidem suam in lucem prodire, eo quòd postremam manum ei non admouisset, sed testamento iussit eam comburi, licet hoc non sit impletum. Sic mulier, nisi omnia ornamenta sua, & vestes, &c. circa se habeat; in tenebris sedet in angulo domus, neque missæ, nedum nuptijs interuenit: sicut scribunt de ceruis, qui, cùm cornua soleant eis decidere statis temporibus, donec sibi renascantur, latitant, ne videantur. Cornua superbiæ sunt ornamenta superflua hominum, sine quibus non audent sese ostendere.

Mundus & cælum ipsum carebant ornamentis suis: & de terra dicitur, quod *erat inanis & vacua*, Septuaginta legunt, *inuisibilis & incomposita*; Chaldæa, *Deserta & vacua*, scilicet (vt Doctores explicant) nec habitata, nec culta, & tamen lucem ei Deus infundit, cum esset veluti filia eius pannis laceris obsita, & inculta crinibus, & sine obsequio famulorum, aliquis nō plebeius patietur vxorem, aut filiam suam in lucem prodire incultam & desertā eo pacto. at id Deus patitur, atque etiam voluit eandem terram, & mundum sic inornatum & incompositum reuelari mediante Scriptura omnibus legentibus, & quasi oculis eorum repræsentari. & cum potuisset nullo negotio totum mundū cum omnibus ornamentis suis in momento producere, vel silere exordia imperfectionis eius: tamen id non fecit. sed homines vermes prosapiæ suæ, vel vitæ ignobilitatem primam, vel alia talia in tenebris silentij sepeliunt. ergo volunt esse plus quàm Deus sit, vt ita loquamur.

3. Timotheus Atheniēsis Princeps, fortunatorum hominum maximus iudicatus est: adeo vt illū dormientem pingerent, & Fortunam propè illum pro ipso laborantem, & exsequentē eius insignia, facinora adeo vt potuisset addi illud Italicū, quod fortasse ex ipsa pictura locum & originem habuit: (*a*) *Fortuna, è dormi.* de hoc ergo Heroe narratur, qui cum rationem redderet Atheniensibus regiminis sui, & gestorum; sæpè circa quædam pecuniaria facta, *& in hoc fortuna non habuit partem.* & post hoc nunquam in re aliqua, quam aggrederetur, successum habuisse dicitur, nisi infelicem. Dic hoc factum fuisse, quia ille per fortunam Deum, seu deam intelligebat, & suæ virtuti tantum non diuinæ potentiæ tribuebat prædicta. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur cor.* Prouer. 10. 18. Pro. 10. 18

(a) Fortunam habeas obsequētem, ac securè dormire potes.

Prosp. Libro 2. de vit. cõ. 4. Prosper libro 2. de vita cõtemplatiua ait, in quibusdam superbia tã apertè regnat, vt nec dignetur se occultare, nec valeat. quorum etiam ipse habitus, & incessus, ceruix erecta, facies torua, truces oculi, sermo terribilis nudam superbiã clamant. Addit ibidem: Hi, quos superbæ mentis tabes purulenta corruperit, seniorum suorum nõ obseruant imperata, sed iudicant; de suis negligentijs obiurgati, aut rebellant insolenter, aut murmurant. de loco superiori disceptant, præferri se melioribus etiam impudenter affectãt, simplicitatem spiritualem fratrum irrident, sententias suas procaciter iactant, obsequia delata fastidiunt, negata pertinaciter quærunt. habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermone iactantiam. in humilitate fallaces, in iocatione mordaces, in odio pertinaces, ad opus bonum pigri, ad communionem seri, ad obsequium duri, ad exequẽdũ quod nesciunt prompti, ad fraterna obsequia inhumani. temerarij in audiendo, clamosi in loquendo, fastidiosi in audiendo, præsumptuosi in docendo, efferati deformiter in cachinno, &c.

5. Plutar. in Apop. narrat hanc historiam. Quidam ambitione turgidi se Regibus pares prædicabãt. eos Nero conuiuio adhibuit, ac super vtres inflatos, & ad similitudinẽ sedium conformatos sedere fecit. Dũ ergo ipsi sedentes quasi vtres super vtres, magis intumescebant sedibus suis, eo qui sic honorarentur ab Imperatore, vt cum eo comederent; ministri Neronis ex eius præcepto occultè vtres illos acu perforant. Ita qui paulò ante in sublimibus sedibus sedebant, vtribus aëre euacuatis, sese humi prostratos cum Neronis, & aliorum risu, vident. Ita Isai. 46. *Deus superbis resistit.* Hiero. legit, *Deus illusores illudit.* Superbi cum illudant ceteros, mentientes se esse aliquid, cum nihil sint, etiam illuduntur à Deo. Lucæ. 14. 8. *Cum inuitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens ille, qui te & illum inuitauit, dicat tibi, Da huic locum; & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.* In conuiuio huius vitæ, & in ordine statuum vult Deus nos humiliter degere. at nos ambimus in hoc conuiuio super vtres inflatos & sublimes apud Imperatorem sedere. hoc est, magni apparere. Vnde & cum rubore incipimus locum nouissimum tenere; sicut accidit prædictis in sensu enarrato. *Isai. 4. 6.* *Luc. 14. 8.*

Isa. 16. 6. *Superbus est valde. superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plus quàm fortitudo eius.* in hoc potissimum sita est arrogantia superbi, (a) *Che son maggiori le corna, che nõ è la bestia.* & cùm angusta circumdetur veste; latam valde, vt transire possit, vult esse iannam; quia, vt ita dicam, *cogitans adijcit ad staturam suam cubitum vnum.* hoc autem non aliud est quam cornua superbiæ, & inflatio, quibus non solum latam ex tumore contracto, sed & altam requirit portam. superbus hic triumphator, & gloriosus sibi ipsi videtur. bene hoc. nam semper sub arcu triumphali (nempe quem formant cornua sua) ille est. non enim aliud *Isa. 16. 6.* *(a) Quòd maiora sint cornua, quàm ipsa bestia.*

aliud est gloria sua; & triumphus, quam superbia cornibus designata. quod dixi: quia cornua in capite videntur efformare quasi quendam arcum, sub quo superbus semper manet.

Superbia eius, & arrogantia eius, &c. *plus quàm fortitudo eius.* exemplis id probemus allatæ similitudini congruis. Plin. apud Rauisium in officina de arrogantibus de Actio Poëta dicit, quod erat admodum breuis staturæ homuncio. tamen in æde Camœnorum ingentem sibi posuit statuam. Seipsum & alios superbos optimè repræsentabat, illâ statuâ. quia cum maiores se putent, quàm sunt; vtique & tales se alijs venditant, & repræsentant. Vide quantus esset Nabuchodonosor. tamen adinuenit cogitans (sed in sensu alio, quam Dominus loquatur) quomodo adderet ad staturam suâ
Dan. 3. 1. cubitos plures. nam Dan. 3. 1. *Fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta.* eam autem fecit, vt per eam repræsentaretur (vt aiunt Doctores) & adoraretur ipse.

Statuam, siue imaginem multò ampliorem prædictis, iuxta aliam considerationem, seu formalitatem loquendi, fecit sibi Menecrates medicus, vt post alios Rauisius ibidem refert. cum enim esset homo exiguus super terram, per imaginem iactantiæ suæ repræsentabat se, quasi impleret cælũ, & terrã. Iupiter enim dici voluit. nam vt dicitur, *Iouis omnia plena.* cum enim mederetur, nullam poscebat mercedem ab ægris; sed tantum vt se seruos Menecratis confiterentur, & *Iouem Menecratem* dicerent. vide ergo quantam sibi posuit statuam. *Superbia eius plus quàm fortitudo eius.*

6. Rauisius ibidem ait, Polæmon, seu Palæmon Grammaticus gloriabatur secum natas esse litteras, ac secum demum morituras. sic Iob. 12. Iob. 12. 2.
2. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia?* Ianua est Gramatica ipsius doctrinæ. tamen arrogantia, quæ sæpè inest Grammaticis, facit, vt cum ipsi sint in ianua, de qua dictum est, vel quæ ait, *Ianua sum rudibus:* tamen putent ianuam esse totam domum. & cum ad limen peruenerint, iam se vrbẽ occupasse vniuersam gloriantur. nam ob id sæpè audent scriptis, vel verbis agere de altioribus, ac etiam sacris, & Theologicis rebus. sed recordentur Prouerbij, *sutor ad calceum.*

Caius Næuius, vt ibidem dicitur, Comædiographus, non solum contra illud Prou. 27. 2. *Laudet alienus, & non os tuum,* se iactauit, siue iacta- Prou. 27. 2.
re voluit verbis, dum viueret, sed etiam mortuus. cùm omnibus rebus sileret, & defunctus esset, tamẽ suarum laudum loquacissimus, & soli gloriolæ viuus esse voluit; nam epitaphium tale sepulchro suo inscribi iussit, *Immortales si flere fas foret, flerent Diuæ Camœnæ Neuium Poëtam. itaque postquam Orci traditus est thesauro, obliti sunt Romæ Latinâ loqui lingua.* etiam hic secum tumulatam putauit Grammaticam; Latinamque linguam. *Et vobiscum morietur sapientia?* Hæc applicanda iactantiæ in epithaphijs sepulturæ. adeo enim cupidi sunt laudandi se ipsos,

vt inscriptionibus in lapide factis, videantur dicere illud de se, *Si homines tacebunt, lapides clamabunt.* Aulus Gellius eam refert historiam apud Rauis. Hi etiam mortui se laudant ratione epithaphij, per quod semper loquuntur laudes suas.

Rauis. ibidem ait, Calippides Græcus tragœdiarum histrio, qui in ea re se valde mirabatur, obuiam factus Regi Agesilao, cum salutauit, illique sese ostentans, & inter astantes se intrudens arbitratus fore, vt à rege comiter exciperetur; cum rex maioribus animo intentus, eum neque inspiceret; Non admodum, inquit, nosse me videris ò Rex nec qui sim audisse. cui Agesilaus, An non es, inquit, Callipides ille mimus? impleuit illud, *increpasti superbos*: & illud *deiecisti eos, dum alleuarentur.*

Minus impudenter suas appetijt laudes Adrianus Imperator apud Spartianum; qui scripsit quidem libros de gestis suis, sed eos tradidit libertis suis eruditis, qui eos suis nominibus publicarent. multos dubito hodie esse Adrianos, qui sub alio nomine edant in lucem carmina, aliaque in laudem propriam ab ipsis confecta. ita gloriam alijs tribuunt, dum recipiunt, siue vt recipiant. sicut è contra opera aliorum emunt, siue vsurpant sibi, vt quasi cornicula alienis plumis ornatæ pro pauonibus se venditent.

2. *Superbia vnius pedis est, facilè corruit.*

3. *Est fumus, & tamen comburit.*

4. *Viles facilè intumescunt.*

2. PSAL. 35. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ.* cur pes in singulari, inquit quidem Doctor, nisi quia pedes illa non habet, sed pede vno tantum nititur? vnde inquit, de superbis eodem Psalmo dicitur, *expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Isai. 14. 13. ait dæmon, *Sedebo in monte testamenti.* Berna. ser. 85. in Cant. *Ideo fortassis sedere voluit, quia stare non valuit.* Cum tamen superbia pedes non habeat, sed pedem; adeo arrogans est, vt etiam alas sibi assumat. sic D. Maximus Hom. 5. in Natali Apostol. Petri, & Pauli, de Simone Mago volante ait, factum esse, *vt qui paulò ante volare tentauerat, subitò ambulare non posset.* fit inquam, vt superbia alas assumens, alas & pedem perdat. Exemplum sit in superbo, qui vix vno nititur pede, nempe vix habet vnde viuat, vnde induatur, & tamen alas assumit, volare vult, nempe adæquare viros sublimes, quasi cæli aues, in luxu scilicet & pompa, attollendo se super conditionem suam, monstrando se esse quod non est: vt fecit Simon, se Deum ostendere gestiens. at fit, vt, dum alas assumit, & plantas amittat, hoc est, vt ex prodigalitate & superbia, breui corruat in mendicitatem, & neque habeat, vnde victitet: perdat vnicum suum pedem, quo se sustentabat, nempe miserum agellum, qui illi superfuerat ad alimentum. ipsum enim cogitur vendere, ne fame pereat: Alius, qui vix vno pede stabat, nempe vix poterat resistere peccatis mortiferis grandioribus; tamen appetit valore per contemplationem altam,

Psal. 35. 12.
Isai. 14. 13
Bern ser. 85. in Cant.
D. Maxi. Hom. 5.

tam per reuelationes, & cetera. fit autem, vt qui paulò ante volare tétauerat, subito ambulare non possit: hoc est, illusus à dæmone corruat, & neque amplius stet in pede, quo stabat. *Qui stat ergo, videat ne cadat.* nam *Contritionem præcedit superbia*, vt

Prou. 10. est Prou. 10.

Psal. 73. 23. 3. Psal 73.23. *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.* quidā legunt, *fumus eorum, qui te oderunt.* Sicut nemo potest consistere sub eo tecto, in quo fumus ex camino glomeratus est: ita neque, vbi fumus superbiæ irati hominis in furorem, & contumelias prorumpentis sentitur; potest aliquis sub eodem tecto cum eo

Isa. 9. 18. commorari. Isa. 9. 18. *Conuoluetur superbia fumi.* sed hic fumus adeo malignus est, (maximè iuxta eos, qui dicunt, quod malignus quasi malus ignis dicitur. sic enim Angelicus in Psal. & alij) vt quasi ignis incendat

Psal. 9. 10. per iniurias illatas. vnde Psal. 9. 10. *Dum superbit impius incenditur pauper.*

(a) Contumeliæ istæ valde illum vrunt. vulgò dicimus, (*a*) *Le ingiurie dettegli lo abbrusciano, ò li abbrusciano assai.* quasi fulmina pro verbis ex accenso pectore ille eiaculatur. sic quidam docti exponunt de iniurijs verborum illud, *incenditur pauper.* vel dic post fumum solere sequi ignem. ideo post superbiam iniuriæ succedunt.

Genes. 16. 4. 3. Genes. 19. 4. de Agar superbiente contra Saram dicitur, *At illa concepisse se videns, despexit dominam*

Chrysost. hom. 38. *suam*, vbi Chrysost. hom. 35. *Seruorum mos est, vt cum parum eis prosperitatis adspirauerit, nequeant intra suos limites manere. sed statim sui ordinis obliuiscuntur.* Adagium Italicum, (*b*) *Quando il villan è sopra il fico, non conosce parente, nè amico* aliud, (*c*) *Guardati dal villan, quando ha la camiscia bianca.* Agar tam intumuit, immo plus intumuit in anima, quàm in corpore, vt intra pelliculam, vt aiunt, se continere non posset, & prius matrem pareret, hoc est, se ipsam, quam filium. se ipsam peperit maiorem se ipsâ, & aliam à se ipsa. vt sibi videbatur, effectam: eò quòd per tumorem se in se ipsâ amplius non caperet præ exiguitate animi, & abiectione. quæ omnia in abiectæ conditionis hominibus, vt ait Chrysostomus solent accidere. Breuis, & exiguus ignis citò intumescere, & eleuari facit humorem ollæ exiguæ: ita vt super limites, & extra oras eius per magnam ebullitionem, bullarumque spumam diffundatur. ita exigua prosperitas citò efficit in pusillis animis, quales in seruis esse solent, vt intra limites suos nequeant se continere, sed ebulliant in bullas superbiæ, & tumultum iactantiæ, & insolentiæ, sicut olla feruens strepere solet: de simili persona dicetur (*a*) *Poche legne fan bollin, ouero versarsi di sopra la sua peniola.* scilicet, quia exigua. *Bullire* dictum à bullis inanibus excitatis. quæ res superbiam. & inflationem significat, & repræsentat.

(b) Quādo rusticus conscendit ficum, non agnoscit parentem aut amicum.

(c) Caue caue rusticum, vbi interulam candidam induit.

(a) Paucis lignis efferuescit olla ipsius, sicut ebullit.

Ex humili licet ortus homo tellure, tumescit:
Sit licet ex nihilo nata, tumescit humus.
Sic homo, sicut humus, supra se tollitur ipsum:

Monte

Monte superbit humus, mente superbit homo.

Ait quidam, *ego* esse primam personam; *tu* secundam, *ille* vltimam. quisque tamen sibi esse videtur *ego*, vt idem dicit. ita in duplici sensu verificatur, quod interroganti quæ sit prima persona; vnusquisque respondet, *ego*, hoc est tam Grammaticè, quàm significatiuè. quod si respondeat *tu*, vel *ille*; dicent eum nescire Grammaticam. sic enim loquũtur de eo, qui summum, cum possit, locum non occupet: vel alium sibi præfert. aiunt enim, si Grammaticam calleret, locum primum non sciuisset à se auferri, & cetera. Notum illud Cæsaris dicentis, *Syllam deposuisse Dictaturam: quia litteras non sciebat.* indicauit, se non id factu-rum, vt qui rectiùs saperet.

2. *Dei exemplo superbia vitanda.*

2. QVAMVIS legamus[1], *Soli Deo honor, & gloria:* tamen homo gloriam quærit in aliquo sensu magis quàm Deus. Quem mihi dabis inter homines communes, qui si nunc possit operari aliquid mirabile, & inusitatum, verbi gratia miraculum sanandi ægrum, suscitandi mortuum, & similia, vel habeat, vnde statim possit opus præclarum, librum inquam doctissimum edere; & non se inquietissimũ sentiat, nisi subito hæc faciat? At Deus potuit in tota æternitate creare mundos innumerabiles, & sine comparatione nobiliores, quàm sit iste; & tamen tamdiu expectauit, & vnũ tantũ, & eum talem, qualem videmus, creauit: licet ea posset sine vllo labore. Homo si ratione suarum facultatũ, & opum, possit sibi sex famulos adiungere, vnam domum construere; potius decem ex illis, & duas ex istis sibi comparabit, & semper quærit facere super id quod potest, aut quod scit. cum tamen Deus in tota æternitate solus manserit, cum tot angelos & homines ad sua ministeria, & gloriam posset habere: tot miracula potuit semper facere, & tamdiu expectauit, vt faceret. tot & tantas blasphemias audit quotidie contra se, videt se tamdiu contemni, & irritari modis intolerabilibus: & tamen sustinet, & *solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos*, hoc est, super eosdem inimicos suos eodem momento, quo ab eis læditur. At homuncio, ne vnam quidem vocem potest sustinere à fratre suo contumeliosam, quin statim eum non quærat obtruncare. vnde non solũ in quantum homo, sed & in quantum Deus mihi videtur Humano generi clamare: D*iscite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Qui ergo in rebus huiusmodi impatientes sunt, qui in rebus ad gloriam suam, vel potentiam pertinentibus nequeunt per moderationem animi aliquid pati, vel expectare, vel vires suas in pompis non excedere; hi omnes volunt esse plus quam Deus. Deus ex Oceano suæ potentiæ vnam tantum guttam protulit, scilicet mundum. at homo ex gutta vna facultatis, mundos quærit depromere rerum. Italicè dicimus (a) *ha vn mondo di vestiti, vn mondo di cibi.*

(a) Habet mundum aliquem vestium, ciborum

Domi-&c.

Domini illi, qui exigunt à ministris suis ministeria citissimè fieri, & impatientes sunt in hac parte, si paululum morentur; hi volunt esse plus quàm sit Deus. Cum enim posset vno momento mille mundos procreare, tamen sustinuit sex dies, vt vnum tantum ex eis completum videret. ille qui est talis potentiæ, vt vix (vt humano modo loquar) os aperiat, & creaturæ obediunt ei; (nam, *dixit & facta sunt*,) ipse tamen cum posset dicere, fiat mundus, & mundus factus esset; contentus fuit eum paulatim fieri. at homo, cuius imperia & voces, voces tantummodo sunt, vult eas esse imperia & voces plus quàm diuinas, vt simul totum fiat, quod fieri simul non potest. Applica etiam inde doceri homines, vt res magnas & duraturas diu, non præcipitanter faciant & cùm Deus dicitur fecisse aliqua ex illis, additur deinde, *vidisse illa.* sic creata luce, dicitur, *& vidit Deus lucem, quòd esset bona*, & sic per reliqua. Vide rem mirabilem: Deus qui errare non potest in operibus suis, ea iam facta *videt*, quasi examinando, an bona sint; necnè & homo in actibus suis tam animæ, quàm corporis toties errat, nec tamen excutit opera sua examinando; maximè animæ operationes, quas in die fecit, vel in hebdomada; ad videndum an bonæ vel malæ fuerint, vt discat eas corrigere. imo neque examinat opera sibi subditæ familiæ, non solum spiritualia. sed aliquando nec temporalia cum iacturâ rei familiaris, nimis in hac parte fidens ipsis operarijs.

De Deo dicitur; *quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti*, cum cæli nec mundi mille capere Deum nequeant; tamen in vno tantùm ipse habitat iuxta opinionem negantium spatia imaginaria. non est Deus extra mundum: quia ibi nihil est. at homo cùm capiatur ab exigua parte cubiculi, non tantùm vnum sibi construit cubiculum, sed plurima, imò plures domos. cùm altitudo staturæ hominis sit sex cubitorum ad summum; tamen in ædificando extollunt superiora cubiculorum in immensum, ac si essent gigantes immensi, & timerent impingere capite in cælum ipsius cubiculi.

1. *Iusto non superbiendum, sed timendum de meritis suis ob hostium multitudinem. at sperandum in auxilio Dei hostibus potentiore.*
2. *Gloria sæpè dum fugitur, appetitur.*
3. *Id fit præcipuè ex contemptu sæcularis iactantiæ.*
4. *Exterminant facies, vt appareant ieiunantes.*

1. Hieronymus ad Eustochium Virginem deuotam: *nolo tibi venire superbiam de proposito, sed timorē. Onusta incedis auro, latro tibi vitandus est, &c. magnis inimicorū circumdamur agminibus, hostium plena sunt omnia. caro fragilis & cinis futura postmodū, pugnat sola cum pluribus. quod si te multitudo turbauerit, ad singula tentamenta vitiorum cœperit æstuare, & dixerit tibi cogitatio tua, quid faciemus? respon-*

debit tibi Eliseus, noli timere; quoniam plures nobiscum sunt, quam cum illis, & apertis oculis videbis igneum currum, qui te ad exemplum Eliæ in astra sustollat, & tunc læta cantabis, Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Hæc ille.

2. Ibidem ait: *Ne plus humilis videri velis, quàm necesse est, ne gloriam fugiendo quæras. plures enim paupertatis, & miseriæ, atque ieiunij arbitros declinantes, in hoc ipso placere cupiunt quod placere contemnunt; & mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur. hoc vitio pauci admodum caruerunt.* Hæc Hieronymus.

3. Addit: *sed ne hoc ipsum tibi iactantiam generet, quod sæculi iactantiam contempsisti, nec cogitatio tacita subrepat, vt quæ in auratis vestibus placere desijsti, placere coneris in sordibus, & quando in conuentum fratrum veneris, vel sororum, humilius sedeas scabello, te causeris indignam, vocem ex industria quasi confectam ieiunijs tenues, & deficientis imitata gressum humeris innitaris alterius.* sic ibi.

4. Subdit ibidem: *Sunt quippe nonnullæ exterminantes facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes, quæ statim, vt aliquem viderint, ingemiscunt, demittunt supercilium, & operta facie vix vnum oculum liberant ad videndum. vestis pulla, cingulum sacceum, sordidis manibus pedibusque. venter solus, qui videri non potest, æstuat cibo.* ita ibi.

D. Fulgentius ad Theodorum Senatorem ait: *Detestabilis est cordis humani superbia, quâ facit homo, quod Deus in hominibus damnat; sed illa detestabilior, quâ sibi tribuit homo, quod Deus in hominibus donat.* Ibidem ait: *damnabilis est, qui substantiâ sæculi malè vtitur, sed damnabilior, qui spiritualibus donis superbus effertur.* ita Fulgentius.

2. *Superbiam superbiâ alia calcamus in proximo.*

3. *Multi non superbiunt, quia non habent vnde, non quia sint humiles.*

2. SÆPE superbiâ, in ipsa superbia damnanda extollimur; vt accidit Diogeni, qui vt taxaret Platonem, qui videbatur delectari aliqua suppellectili nitidiori, ac illustriori, cum aliquando ad ipsum venisset, pedibus premere cœpit culcitram elegãtem ipsius Platonis, clamans interea, *calco fastum Platonis*, vbi impletum est illud Isaiæ: *pedibus cõculcabitur corona superbiæ.* at dicente Diogene calco fastum Platonis, Plato respondit; *Sed alio fastu.* Ita ergo in vtroque horum Philosophorum euenit, *qui se exaltat, humiliabitur.* Interdum & Christiani fastum temporalem, vel etiam spititualem calcant, sed alio fastu. fastum dico proprium, ne dum alienum. sic etiam venit nobis pes superbiæ, quo ipsam calcamus superbiam.

3. Sic Seneca ep. 24. de quodam, qui infensus valde erat ijs, qui repente nobilitati, superbiunt in ceteros, ait: *At odit eos, qui subita, & magnâ potentiâ insolenter vtuntur. Idem faciet, cum idem poterit*: nimirum iste, qui modo illos damnat, idem aget,

Seneca ep. 42

get, quod illi faciunt, cum eandem potentiam nactus fuerit. pergit ibi Seneca: *Multorum, quia imbecillia sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis vires suæ aduenerint, quàm illa, quæ iam felicitas aperuit.* Instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt. sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore. non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, vt paria pessimis audeat, fortunæ fauore deficitur. eadem velle eos cognosces, da posse, quantũ volunt. sic Seneca.

Adde prædictis: Vera gloria est viro, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Gloriabatur in fabulis quidam canis, quod ipse neminem morderet: non sum, inquiens, vt ceteri, qui etiam innoxios lacerant homines. sed alius canis subdidit; inspicite in os eius, & scietis, quare neminem mordeat dentibus carebat bestia, vel quia nondum enati, vel quia excussi fuerant. De eo qui impotens est, dicimus vulgò: dentes ille non habet. ergo stultè se iactat, quod alys nõ noceat, stultè damnat nocentes, & dentatos. quia sæpè, qui non potuit trãsgredi, non est trãsgressus.

Pullus aquilę adhuc implumis in fabulis superbiam dãnabat passeris, quod cum exiguum animal sit, tantopere audeat se extollere volando, cùm tot Pauones, & Struthiones humi degant. at postquam creuerunt ei pennæ, altiùs euolabat, quã omnes passeres omnes alię aues. Sic multi, cum ad eandẽ potentiã, vel occasionẽ, vel officiũ deuenerint, peius intumescũt, & peiores se exhibent, quàm omnes illi, de quibus ipsi detrahebãt prius, cum essent in statu humili cõstituti. Quid opes sunt, quid potentia, quid magistratus; nisi plumæ quædam, quæ hominem per superbiam eleuare solent per aërem vanitatis, atque ipsum veluti auem spectabilem, & pulchrũ reddere? Vulgò dicimus de viribus ab aliquo ablatis ad aliquid agendum: *Li ha leuato le penne maestre*, hoc est, abstulit ab eo pennas præcipuas, seu principales. Si ergo natura deplumauit te, vel euulsit à te pennas volatui necessarias; quid te iactas, quod nõ te volando extollas? abstulit à te pennas principales, scilicet facultatem ad luxuriandum, ad epulandum, & ad cetera vitia; & gloriaris contra eos, qui volant alas habentes?

Qui non est tentatus, quid scit? Aurum, honores, occasiones, sunt tentationes hominis. Animæ hominũ sũt velut mulieres. Plurimę mulieres castæ sunt, si nemo eas aggrediatur. fides, & castitas tam mulieris, quàm animæ sponsæ Christi, (quæ sponsæ nomine in Scriptura vocatur,) est aurum, quod per ignem probatur, scilicet tentationis. imo etiam est aurum, quod per aurum probatur; quasi per ignem, & per lydium lapidem. An nescis, *quod lapis lydius est auro, id aurum est homini?* an nescis alterum adagium prædicto simile, scilicet, quod Magistratus virum indicat? hoc sensu etiam verificatur, quod homo in auro constitutus, scilicet in opibus, vel etiam in magistratu, hoc est in potestate & licentia, indicat, quæ prius occulta tenebat

 vitia,

vitia, vel fortaſſe etiam virtutes. Tu es in corpore myſtico Reip. pes, vel manus,& gloriaris, quod non emiſeris criſtam, vel cornua? expecta: quando caput eris conſtitutus, ſcilicet prælatus; tunc apparebit an emittas prædicta. nam magiſtratus virum indicat. immo ſæpè beſtiam indicat, nimirum eam detegit. quia ſæpè *homo cum in honore eſt non intelligit, comparatur iumentis inſipientibus,& ſimilis fit illis.* hoc facit præſertim, cum cornua emittit. Locus allatus Pſalmi litteraliter loquitur de potentibus, quod facit ad rem noſtram. Capitis eſt, criſtam, & cornua emittere, non pedis, aut pectoris & miraris ſi cum non ſis caput, ſcilicet prælatus, cornua, aut criſtam non emittas?

Videt aliquando pauper,& præſertim, qui contemptorem opum ſe profitetur, videt inquam magnum diuitem faſtu & pompis comitantibus incedentem. & in eum animo, & aliquando etiam lingua inſurgendo apud proximos inſultat ei dicens: En qualis vanitas, & iactantia pauonis iſtius! nonne mors tandem rotam iſtam ſuam diſſipabit,& caudâ vitæ caudam iactantiæ? Hæc murmurans tacitè apud ſe inflatur de paupertate ſua, & de modeſtia cordis ſui. ita velut Diogenes ſupra tumore in tumorem inſurgit,& faſtum faſtu conculcat. Sic Eccleſiaſticus 8. *Pauper gloriatur per diſciplinam,& timorem ſuum: & eſt homo, qui honorificatur propter ſubſtantiam ſuam. Qui autem gloriatur in paupertate, quantò magis in ſubſtantia?* hoc eſt, quantò magis gloriaretur in ſubſtantia, ſi eam poſſideret; Si, cum pauper hic ſit, quaſi miſera,& deplumata gallina, atque deformis; & tamen de deplumata cauda quaſi Pauo caudam extendere conatur: (Italicè, (a) *ſi pauoneggia*,) quantò magis id faceret, ſi verus & pulcher pauo eſſet? Nonne paulò ante dicebamus, ſpoliatum opibus,& pauperem, dici deplumatum? ſic quidam apud Scriptores, ſeu nomine ſeu natione dictus Gallus, pauper effectus ſcortando, dicebatur vulgò, *Gallus deplumatus à meretricibus*; eodem pacto potuiſſet dici gallus deplumatus à gallinis, hoc eſt mas libidinoſus, vt eſt gallus à feminis, quibus ſe gallum præſtitit, deplumatus.

Eccleſiaſticus 8.

(a) Admiratur ſe inſtar Pauonis.

2. *Qui non eſt tentatus quid ſcit?*

2. HOmo ſæpè ſe exiſtimat maiorem quam ſit, quia talem ſe putat, qualis creditur vulgò eſſe, ſiue qualis per adulationem depingitur ab alijs idolo, vt eſt Iſa. 16. 6. de eo dici poteſt, *Superbia eius & arrogantia eius. & indignatio eius plus quàm fortitudo eius.* Vulgò dicunt: (b) *Denari, ſenno, e fede ve n'è men, che l'huom non crede. Denari, e ſanità, credine la metà* de illo, qui prædicatur ſapiens, & ſecundus Salomon in Sapientia, ſecundus Macarius in abſtinentia; ſæpè accidit illud, *Homo minus habet in capite, plus habet in ventre, quam ferat opinio.* Quidam exterminant faciem ſuam, vt videantur hominibus ieiunantes. ſtudent eſſe Camaleontes in ore alieno (hoc eſt iuxta dictum, ſeu ſermonem

Iſaſ. 16. 6.

(b) Nummorum, ingenij, & fidei minus eſt, quàm creditur. Nummos & ſanitatem, metire ad medietatem.

monem vulgi) vt ſint lupi in ſuo. eſſe vacui in animo alieno, vt ſint pleni in corpore ſuo.

De his, qui ante prælium, ſiue vbi de prælio agitur tam corporali, quàm ſpiritali; ſunt velut Dares Virgilij, vel filij Ephrem *intendentes, & mittentes arcum, qui conuerſi ſunt in die belli*, Pſal. 77. Noſtri appellant *cimiero* plumarum apicem galeæ impoſitũ, Latini *criſtas* appellant. quæ res eſt ſymbolum ſuperbiæ, & iactantiæ, præſertim circa pugnas. vnde aiunt de ſuperbo, *egli porta alto il cimiero*. dic ergo *plumeas, & ſuperbas galearum criſtas, quæ ante pugnam ſunt ſupra capita hominum, ſæpè in pugna eſſe ſub pedibus equorum*; vngulis eorum conculcari, ſicut lutum. ita ſuperbia, & iactantia multorum, quæ tanquam gloria, & virtus ſpectabilis & in admiratione erat, &, vt vulgò dicitur, geſtabatur ſuper capita hominum: (ſic aiunt de his, quæ in honore ſunt) cum ventum eſt ad prælium tentationis, ſiue facti; quàm vana fuerit, agnoſcitur, & contemnitur ab omnibus. conculcatur etiam pedibus equorum, hoc eſt, æſtimatione vilium perſonarum, & hominum carnalium, qui facti ſunt ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. *pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim.* nonne ita accidit, cum qui prædicabatur vt Hilarion, occaſione oblata deprehenditur factus Adonis Veneris? Dic ergo iterum illud Eccleſiaſtici 34. *Qui non eſt tentatus, quid ſcit?* nam etiam carnales homines deridere ſolẽt huiuſmodi hominem lapſum. Vel iterum explicandum eſt ſimile prædictum, vt dicantur gloria, & ſublimitas, exiſtimataque fortitudo eorum, velut criſta galeæ in prælio turpiter vinci, deijci, & conculcari, etiam à vilibus perſonis. Clamabat Petrus: *etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo: & ſi omnes ſcandalizati, ſed non ego.* hæc tamen galea, ſeu galeæ criſta, à muliere quaſi ab equo conculcatur, quæ prius tam ſublimis, & vento alicuius gloriæ agitata mirabilis videbatur.

Pſal. 77.

(a) Altè criſtas extollit.

Eccleſiaſtici. 34.

Felicitas, & gloria perfecta aſſimilatur Lunæ plenæ. ſic Dauid de felicitate, & gloria Deum inducit loquentem, *Et thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum.* Quidam vt ſignificaret, homines per proſperitatem, & lumen honoris acceptum à dominis ſuis, ſiue per lumen ſcientiæ à præceptoribus itidem acceptum, æmulos fieri illorum ex ſuperbia; Lunam luce plenam pingebat, additis verbis: *Plena, fit æmula ſolis.* ipſa enim de luce acceptâ ab ipſo quaſi contra eum intumeſcere videtur. Sic multi Imperatores ex accepto lumine gloriæ, & regnorum à Deo, æmuli ipſius facti ſunt, Deoſque ſe vocari voluerunt. Sic Lucifer inquit, *ſimilis ero Altiſſimo* quaſi Luna olim ſe plenam vidiſſe. Cum ſolem ſe putabat: at Sole ſubtrahente lucem ab illâ, agnouit propriam vilitatem. vnde quaſi dicebat: Tunc cornua perdidi, quando cornua acquiſiui, hoc eſt, perdidi cornua ſuperbiæ, cum cornua acquiſiui vacuitatis: tunc lumen acquiſiui, quando lumen amiſi, hoc eſt,

acquisiui lumen cognitionis miseriæ propriæ, & quod ab alio, & non à meipsa gloriosa eram. Danielis 4. Intumuit Nabuchodonosor cōtra Patrem luminum, & Solem iustitiæ: eò quòd thronus suus sicut Sol in conspectu suo, & sicut luna perfecta in æternum in æstimatione propria esset, dum diceret: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui*, &c. at subtraxit lucem ab hac luna. *donec sciat quod dominetur excelsus*. agnouit post hæc suam vilitatem.

Danielis 4.

Dixi in abundantia mea, *non mouebor in æternum*, sum *sicut Luna perfecta in æternum*. Audi quid deinde subsecutum sit: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*.

Sudor eorum, qui in arena pugnant mixtus luto iuuat ad sanandos tumores cōtra naturam, vt ait Rhodiginus lib. 7. cap. 16. ita tumores contra naturam, vt ita dicam, sunt spirituales animi inflationes ob opera bona à nobis facta, qui sanātur, si eis per mentis manum applicemus *sudores & pulueres*, seu lutum Sanctorum, qui tam fortiter in arena spiritali pugnarunt, quorum athletarum comparatione nos infirmos videbimus, & corde humiliabimur. Sunt, inquam, tumores contra naturam; quia dicitur nobis, Quid *superbis terra & cinis?* monstrum est enim, terram sursum eleuari. & dicitur Ecclesiastici 10. 22. *Non est creata hominibus superbia*. & hoc magis verum est de spiritali nam dicitur, *cum hæc omnia feceritis, dicite quia serui inutiles sumus*. nota etiam lutum illud, seu puluerem sudore aspersum, esse puluerem, vel lutum loci, vbi pugnatū est, vt ex dicto Rhodigini colligitur: & maximè ille puluis, qui excitatus à pugnante, illius sudori se ingerit. vnde & talis puluis est effectus, & signum pugnæ, & laborem designat.

Rhodiginus lib. 7. cap. 16.

Ecclesiastici 10. 22.

Si quis lauat manus simplici aqua, sicut si valde immundas eas habet, non plenè eas purificat; ita neque ex lotione hac spumam, aut bullas excitat. qui verò perfectè abluit ea materia, quàm nos vocamus (a) *Sapone*; sicut plenè mūdat, ita bullas & spumam conficit multam. sic ergo qui plenè manus lauat operum, quasi *con sapone*; hic solet pati plurimas bullas insurgentis inflationis saltem per tentationem: cùm, qui perfunctoriè tantum manus emundat operum; neque rigida, sed communi pœnitentia vtitur; hanc spumam, seu bullas non sentiat in se intumescere. ita dicūt Sancti, quod ex victis alijs vitijs soleat insurgere superbiæ tentatio. sic Pharisæus, cum se putaret manus lauisse prædicto modo; dicebat, *Non sum sicut ceteri hominum*, &c.

(a) Sapo.

COMOEDIÆ TVRPES.

2. *Damnantur auctoritate Doctorum multorum, & præsertim libello recentiores Theologi.*
3. *Histriones olim excommunicandi Pontificis decreto.*
4. *Ijdem infames vocati.*
5. *S. Caroli Cardinalis in illos decreta, & testimonium.*
6. *Donans histrionibus dæmonibus immolat. Idolatra fit auditor eorum.*

7. *Sce-*

7. Scena publica schola impudicitiæ.



NTEQVAM concionatoriè (vt ita loquar) de hac re dicamus, scholasticè pauca præmittã, quæ summatim colligam ex erudita Parænesi contra actores, & inspectores talium fabularum, quæ paulò ante edita est in lucem Patauij à viro docto, & Theologo nostræ Congregationis: vbi fusè, & eloquenter de hac materia differit integro libello. ita tamen hæc agentur, vt concioni maximè inseruire possint, cum ille potius scholasticè id egerit.

Primo ergo docet esse communẽ sententiã histriones huiusmodi comœdiarum, (quales etiam dicit esse comœdias nostri tẽporis) esse in statu peccati mortalis, eò quòd magnã perniciem afferant hominũ animis exercitio suæ artis: mortales vitijs, & obscœnitatibus imbuendo, & ad illam prouocando. id de histrionibus probat ex sãctionibus, & dictis Imperatorum, Pontificum, & Conciliorum: ex doctrina Patrum, & Scholasticorum. adde etiam ex auctoritate scriptorum Ethnicorũ, & ex narratione prodigiorum quæ in vltionẽ, seu significationem prædictæ veritatis acciderunt, confirmari magna ex parte, quæ diximus de actoribus prędictarum fabularũ tandẽ rationibus probat quæ diximus. Prę terea eorũdẽ auctoritatibus, atq; peculiaribus rationibus probat etiam inspectores taliũ rerũ peccare mortaliter.

3. Vt verò singula suo ordine prosequamur. Ius Pontificium, & Ciuile damnat hos histriones, eorumque detrimenta cõscientijs illata. S. Clemens Papa primus huius nominis lib. 8. Constitutionum, cap. 32. perseuerantes in ea professione iubet ex pelli è cætu fidelium. idem statuitur cap. Pro dilect, de Consecr. dist. 2. *de histrione quodam, an talis debeat communicare nobiscum? quod ego puto nec Maiestati Diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor, & honor Ecclesiæ, tam turpi, & infami contagione fœdetur.* ita habetur ex D. Cypriano ad Eucratium lib. 1. Si vnus histrio etiam non per exercitium artis suæ, solo consortio ciuili fœdat totũ cõuentum piorũ; vide si tot ex illis suas in scena euomendo turpitudines ad populũ ipsum fœdabũt. Iisdem lib. 2. canonic. instit de Eucharistia, §. *itẽ quamuis*, cõmunio sacra denegatur.

Clem. pa 1. lib. 8. const. cap. 32.
c. pro di-let. de. Consecr. dist. 2.
Cyp. lib. 1. ad Euc.

4. Lege 2. §. Ait Prætor, ff. de his, qui notantur infamià, *ait Prætor, qui in scenam prodierit, infamis est.*

5. Authent, vt cũ de appellatione cognoscitur. §. causas, collat. 8. iustè dicitur, posse exheredari à parente filium, qui patre inuito histrionibus se sociarit, eaque in professione permaneat. Acta Mediolanẽsis Ecclesiæ sub D, Carolo 1. parte, vbi de histrionibus, *De his etiã Principes, & magistratus commonendos esse duximus, vt histriones, & mimos, & eius generis perditos homines è suis finibus eijciant, & in caupones, & alios, quicumque eos recepepint, acriter animaduertant.*

Quæ autem dixi hucusque, & infra dicam de peccato histrionum, probant etiam peccatum auditorum, seu spectatorum, eò quòd cooperentur ipsis in ipso peccato; vt infra latiùs explicabimus ex auctore

Pare-

Parenæsis supradictæ. tum quia iidem spectatores peccare sæpè solent ratione periculi, cui se exponunt turpes fabulas audiēdo, vt docent Theologi apud eundē. Ne autē longiores simus in hac parte, afferemus aliqua iuxta ordinē præfatū, quę ad spectatores pertinēt, vel mixtè ad actores, & inspectores simul.

Cap. don. dist 86. 6. Cap. *Donare*, dist. 86. *Donare res suas histrionibus vitium est immane.* Glossa ibi ex D. Hieron. *Donare histrionibus, est dæmoniis immolare.* idem habet D. Augustinus Lege *consensu*. Cod. de repud. *Vir dimittere vxorem potest, si præter voluntatem suam circenses, & theatricas voluptates captet, vbi scenici ludi sunt*, &c. *D. Aug. l. consf. Cod. de repud.*

Conc. Avel. prim. nu. 7. Concilium Arelatense primum tempore Syluestrj Papæ primi, nu. 7. *Qui in theatris conueniunt, excommunicentur.* Hæc ex iure Pontificio aut ciuili, sufficiant. quæ culpam grauem ostendunt tum in histrionibus, tum in spectatoribus.

Patres etiam passim inclamant contra prædictos. & peccatum ipsorum haud leue faciunt. D. Hieron. in cap. 20. Ezech. in illa verba, *& dixi ad eos, vnusquisque offensiones oculorum suorum abyciat, & in idôlis Aegypti nolite pollui.* ait, ab idôlis, hoc est à spectaculis, imo offensionibus Ægypti, quæ rectè idola nominantur *remoueamus oculos area, circi, ac theatrorum.* ergo idololatram vocat qui theatra, hoc est loca fabularū turpiū, & aliorum spectaculorū frequentat. *D. Hier. cap. 20. Ezech.*

Tert. l. de spect. Cyp. ep. 2. lib. 2. Tertullianus libro de spectaculis theatrum vocat Ecclesiam diaboli, cathedramque pestilentiæ. Cyprianus ep 2. lib. 2. inter magna detrimenta animarum ex scenicorum actibus. quæ refert, vnum est, quod exempla scelerum antiquorum, ne tempore longo sepeliantur per nouas ipsorum repræsentationes immortalia reddunt. sic modo stupra Iouis modo Veneris adulteria refricant in mentibus hominum. *D. Basil.*

7. Lact. lib 6. cap. 20. diuinarum institutionum, histriones vocat corruptelarum magistros. aitque inter plura, quæ inclamat aduersus hanc pestem, auditores talium rerum approbare illa, dum rident & peiores reuerti atq; corruptiores ad sua cubicula, seu habitationes. D. Basilius Hom. 4. in exam. de Orchestra, hoc est scena, ait, quod est *publica, & communis schola impudicitiæ.* *Lact lib. 6. cap. 20.* *Hom. 4. in exam. de Orch.*

Aug. 3. confess. vocat Theatra incendij, lasciuij fomites. *rapiebant me spectacula theatrica plena imaginibus miseriarum mearum, & fomitibus ignis mei.* *Aug. 3. confess.*

Chrysost. Hom. 62. ad pop. Antioch. in theatro, inquit, est *adulterij meditatio, fornicationis, & intemperantiæ schola, turpitudinis exhortatio, risū materia, inhonestatis exempla.* Ibidem præter multa alia de hac re, theatra & scenas vocat *incontinentiæ gymnasium luxuriæ officium. impudicitiæ orchestram, babilonicam fornacem.* *Hom. 62. ad pop. Ant.*

2. *libido in Ecclesia vincit, in theatro turpium quid faciet ?*

2. IDem. Hom. de Dauid & Saule ait, *Etenim, si hic*, (hoc est in Ecclesia) vbi Psalmi, vbi verborum diuinorū enarratio, vbi Dei metus, multaque reuerentia, freqūeter, ceu latro quispiam versutus clam *obrepit* con-

concupiſcentia, intellige fœminarum præſentium, quomodo qui ſedent in theatro, qui nihil ſani neque audiũt, neque vident: qui vndique obſidionem patiuntur per oculos, poſſunt illam ſuperare concupiſcentiam?

3. *Gentiles ipſi auctores damnant comœdias.*

3. IPSI Æthnici damnant ſcenicas fabulas, & exaggerant damna earum. Plato libr. 7. de legibus dicit inſanire magiſtratum, & ciuitatem, qui admiſerint Poëtas tragœdias in ſcena per hiſtriones repræſentantes, quamuis illæ res ſerias cõtineant: niſi prius eæ tragœdię à magiſtratibus legantur. vide quid diceret de comœdiis laſciuis? rationem affert, eò quòd inquit, ſæpè in iis tragœdiis immiſceant aliqua virtuti aduerſantia.

Plato lib. 7. de leg.

Ariſt. 7. Polit. cap. 17. ne iuniores corrumpantur in moribus ait, *Ne iamborum, aut comœdiæ ſpectatores fiant, lege prohibendi ſunt.*

Ariſt. 7. Polit. cap. 17.

Valer. Maxim. lib. 2. cap. 6. *Maſſilia ſeueritatis cuſtos acerrima eſt, nullum aditum in ſcena mimis danda, quorum argumenta maiori ex parte ſtuprorum continent actus, ne talia ſpectandi conſuetudo, etiam imitandi licentiam ſumat.*

VALER. MAX. *lib. 2. c. 6.*

4. *Sholaſtici damnantes peccati mortalis comœdias turpes cum audientibus.*

4. SCHOLASTICI Doctores damnant comœdias, quæ aliter appellantur ludi ſcenici, ſi turpes ſint, vel prouocantes ad laſciuiam. damnant mortalis peccati tum actores earum, tum inſpectores, ſeu auditores. ita D. Thom. 2. 2. quæſt. 167. artic. 2. ad ſecundum. Caietan. ibidem D. Anton. 2. p. tit. 3. cap. 7. §. 5. Sylu. verbo ludus, qu. 8. & alij plures & graues citantur pro hac ſententia in parænesi ſupradicta. & quidem hiſtriones talia repræſentantes communiter ab omnibus ita damnantur peccati mortalis. damnantur item inſpectores, ſeu auditores ratione cooperationis, & periculi lapsùs ob turpia ibi repræſentata, quæ ad id prouocant. vel etiam ratione ſcandali, vnde Caietan. ibi ait, in hoc *grauius peccant viri graues ratione ſcandali, & mali exempli: grauiſſimè autem clerici, religioſi, ſacerdotes,* &c.

CAIET.

Peccant inſpectores turpium comœdiarum mortaliter modo explicato. at tales eſſe ferè omnes comœdias noſtri temporis dicit auctor parænesis citatę; quia in eis viri, & mulieres in ſcenam prodeant, de amoribus colloquantur, ſaltent, ludant. de ſtupris, adulteriiſque agant, eaque verbis, geſtibus, & ſcurrilitatibus exprimant. peccant ergo auditores ratione cooperationis, peccato mortali. nam ſi præbere aures eſt incitamentum & cooperatio ad dicendum ei, qui dicit; quantò magis datâ operâ conuenire vbi ſtudioſè, & ſedendo illum audias, eoque dicente delecteris? quantò magis ſi vultu, oculis, geſtibus loquenti faueas, applaudas, arrideas, & quod etiam magnum eſt, ei ob id pretium ſoluas? vnde D. Thom. 2. 2. quæſt. 167. art. 2. ad tertium ait, *Si qui ſuſtentant illos hiſtriones,*

D. THO. *2. 2. q. 176 ar. 2. ad 3.*

histriones, qui illicitis ludis vtuntur ; peccant, quasi eos in peccato fouentes. addit auctor parænesis neminem inter innumeros quos vidit auctores excusare histriones huiusmodi à mortali. nec inquit excommunicarentur à Pontificibus, nisi ob mortale crimen. Diuus Carolus perditos homines appellat histriones, & tu honestos audebis appellare? certè ille non loquitur de histrionibus antiqui temporis, sed suæ ætatis, quæ & nostra est: ne fortè probos, & honestos hos existimes. sed ad cooperationem peccati ipsorum redeundo, ait auctor noster, accipit qui dicit ab auditoribus quodammodo verba, sales, sententias: (quodque mirabilius est) vires, & latera: atque, vt ita dicam, ingenium ex solo adstantium obtutu. id ergo accipiunt histriones ab auditoribus: qui eos fouent aure, fouent aura, fouent auro.

5. *Sententiam damnantem comœdias, quomodo aliqui limitent.*

5. QVIDAM tamen recentiores limitant prædictam sententiam, vt dicant, eos tantum auditores peccare mortaliter, qui audiunt cum periculo peccati proprij, vel cum scandalo proximi. neque putant omnes audientes cooperari peccato mortali histrionibus. nam hoc concesso, nonnemo est qui neget eosdē auditores peccare mortaliter. ita limitat eam opinionem Sanchez de matrim. lib. 9. dist. 46. n. 41. Emmanuel Sà, verbo ludus, ait, *Ludi, qui fiūt cum peccato mortali spectator non peccat mortaliter, si peccato ipso non delectetur, nec illi cooperetur, & cesset scandalum.* similia habet Bonacina. hæc apud Parænesim citatam.

Sanchez de matr. lib. 9. dist. 46. n. 41.

Primo igitur certum est in omni opinione, cooperatores, vel qui audiunt cum periculo delectationis peccati, aut scandalo; peccare mortaliter, quàmuis ista delectatio (verbi gratia rerum turpium, & lasciuarum) sit in solo animo, & non sentiatur in membris corporis. & quamuis illa non perueniat ad desiderium operis, seu peccati exequendi. mortalis enim est, vt omnes Doctores, fatentur, delectatio voluntaria peccati, quæ appellatur morosa, quæ de se non includit concupiscentiam operis, sed tantum sistit in re peccaminosa, verbi gratia Venerea, aut in cogitatione vindictæ, aut rapacitatis, &c. Hoc posito, necessariò sequitur innumerabiles esse eos, qui mortaliter peccant audiendo tales fabulas. nimirum illi saltem, qui ex obiectis amatoris visu, auditu, lectu, aut aliter animo conceptis, adduci solent facilè in delectationem, quam vocant morosam huiusmodi rerum, vel etiam in concupiscentiam earumdem. quot autem hi sint, quis explicare poterit?

Si quæras, Qui audire soleant comœdias turpes absque periculo lapsus, & nocumento? Tabiena apud Parænesim, verbo chorea, refert verba D. Hieronymi dicentis, se nulli credere viro dicenti, se illæsum euasisse à spectaculis talium rerum. idipsum sentit (cuius verba statim referemus) Chrysostomus.

Vel ergo improbus es, & luxuriæ cogitationibus vinceris modo paulò

ante explicato, vel probus es, & continentis animæ. si primum; peccas ratione periculi lapsûs, cui te exponis: si secundum; peccas ratione scandali, iuxta Caietanum supra, si probitas tua non est occulta. nam aliqui imbecilles animo, & incontinentes, dum te virum probum vidēt interesse talibus rebus, æstimabunt id esse licitum, & æquiori animo, & ipsi audebunt ad talia conuenire; vnde multipliciter cadant pro ipsorum fragilitate. ibi enim Caietan. prætérquam quod dicit peccare grauiter omnes, qui intersunt huiusmodi rebus; ait grauiùs tamen id facere viros graues, ratione scandali, & mali exempli.

2. *Chrysostomus non credit quemquam illæsum à turpibus fabulis redire.*

2. ITA etiam Chrysostomus apud Paræneſim ait, (inducens loquentem eum, qui spectaculis talibus interfuerat) Sed ego ostendam multis nihil huiusmodi ludos obfuisse. *imo verò id maximè nocet, quod frustra tempus consumis, & scandalum alijs offers. nam & si tu excelso quodam animi robore, nihil inde tibi mali contraxisti; attamen quoniam alios imbecilliores exemplo tuo spectaculorum studiosos fecisti, quomodo non ipse malum tibi contraxisti, qui causam mali committendi alijs præbuisti? qui enim ibi corrumpuntur tam viri, quàm mulieres, omnes corruptionis crimina, & causam in caput tuum transferunt. quare quamuis animi tui modestiam fecisti, vt nihil tibi mali obfuerit; (quod ego fieri posse non arbitror) quoniam tamen alij causa ludorum multa peccarunt, graues propter hoc pœnas lues, quamuis multò modestior, & temperatior esses, si nullo modo eò pergeres.* hæc Chrysostomus, vbi nota ipsum æstimare rem impossibilem non contaminari eum qui interfit turpibus spectaculis, quamuis alioqui probus existeret. quod saltem de aliquali contaminatione intelligit.

Sed dato etiam, quod non omnes peccent ratione periculi, vel scandali; tamen non videntur posse excusari à peccato mortali cooperationis. quod certè est maximum argumentum pro hac sententia. nam prætérquam quod datâ operâ conueniunt ad audiendum histriones; eos simul & in solidum nutriunt, vt ea operentur, quæ non fiunt sine peccato mortali. vnde etiam Comitolus Societatis Iesu Theologus libr. 5. responsionum moralium, quæst. 11. ita argumentatur, *è culpâ lethali voluptatem capere, aut ex ea re, quæ non est sine culpa lethali, lethale crimen est. qui verò obscœnis comœdijs intersunt, lætantur, & voluptatem capiunt ex actione histrionum, quæ non est sine culpa lethali.* consequens ergo est eos peccare mortaliter. *Comit. Soc. Iesu Theol. lib. 5. respons. moral. quæst. 11.*

Qui negant omnes, qui intersunt comœdiis turpibus peccare mortaliter, nullam afferunt rationem huius opinionis apud auctorem Parænesis. quia, sicut ipse Sanchez, ipsi videntur rem hanc tantum obiter pronuntiasse. tamen quia coguntur non negare auditores prædictos cooperari histrionum peccato, ne suam sententiam falsam esse conuincere quis posset; ideo auctor

Parænesis dicit, eos forsitan responsuros spectatorem talium rerum posse in ea re quærere, & velle tantum animi relaxationem, non peccata histrionum: posse ita audire, vt præscindat à rebus lasciuis sales, & acumina, vt ad illa tantum plaudat, & rideat, turpia verò vt turpia non consideret: vt stipem histrionibus porrigat ea intentione, vt nîl turpe agant, seu dicant, licet in re id non sequatur. Verum quàm vanæ hæ præcisiones, & difficiles, & in praxi quàm vicinæ delicto; suam quisque conscientiam conueniat. certè Comitolus paulò ante relatus in argumento suo dicebat in maiori, non solum lætari ex peccato, sed etiam ex re, quæ non est sine peccato mortali, esse mortale. Hæc ex Parænesi, (præsertim quoad auctoritates, & rationes Doctorum) collecta, sufficiant pro Scholastica tractatione huius materiæ.

2. *In eos, qui dicunt se in audiendis turpibus voluptatem amplecti non turpitudinem.*

2. SI dicis te ex iis esse, qui præscindis voluptatem à peccato, vide quid facias. Tertullianus libro de spectaculis, obiicientibus quod in fabulis non desint quædam vtilia, ac dulcia, & honesta, ait, *nemo venenum temperat felle, & elleboro, sed conditis pulmentis*, &c. *ita dæmon illis venenum peccati dulcibus commiscet.* ibidem vocat *pestilentiam* fabulas illas, & *cathedram pestilentiæ.* Modò vide quid diceres; imo quid dicas, si (vt aliquando contingit) videas venditorem antidoti ad venena poculum sumere venenatum, vt fidem faciat antidoto. horrescunt certè id intuentes, imo & audientes. horrescunt intueri circulatorem, qui se à viperis morderi sinit, vt vim medicinæ suæ comprobet coram populo. horrescis illos, & non horrescis teipsum, qui non ex egestate, aut necessitate, vt ipsi; sed ex mera gulositatis libidine venenatum pulmentum deuorare non times? vestem pestilentiâ infectam ex auaritia non times arripere, vociferantibus contra te fide dignis, *mors in olla, mors in olla*, nempe tot Patribus, & Doctoribus venenum, & pestilentiam in fabulis illis afferentibus, nempe peccatum? Horrescis illos, qui certo oculorum experimento sciunt sibi, & aliis venena illa suo munitis antidoto non nocuisse: & non horrescis te, qui in ea re ambulas in tenebris? nam *delicta quis intelligit*? Quispiam interfuit fabulæ turpi, dicit animam inde se immaculatam retulisse: quis intuitus est hanc munditiem? *nihil* (clamat Paulus) *mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui enim iudicat me: Dominus est*: & tu quotidie non in tertio cælo vt ille, sed in scena & in cœno versatus planè securus eris, & gloriaberis castum te habere cor, & mundum te esse à peccato?

Ostendunt circulatores illi antidotum contra serpentes, *gratiam*, quã vocant, *D. Pauli.* at tu potesne mihi ostendere àntidotum tuum gratiam Dei? Vide quantum te facias in hac securitate. parem te facis discipulis, quibus dictum est quod *serpentes tollent*,

lent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Purum te facis æquè ac solis radius existit: radium solis te facis, qui mundus hærens luto permaneat. quartum te addis tribus pueris, in camino ignis innoxiè permanendo. Qui tot præcisiones, & distinctiones faciunt voluptatis à peccato histrionum, & turpitudine fabularum, vt ita conscientiam in tuto collocent; timeo ne paulatim eò deueniant, vt dicant se neque peccare, si fornicentur, aut quid simile patrent, eo quòd non intendant Dei offensam, sed solam voluptatem propriam.

Legi pisces quosdam deglutire escam cum hamo, deinde abruptum à filo reiectare hamum, escamque deuorare. sed certè rari pisces hanc nacti sunt felicitatem. Piscibus enim communiter accidit, vt per escam transfigantur, & capiantur hamo. ita hominibus contingit. nam Habacuc 1. *Facies homines sicut pisces maris.* quidam ex illis sapientiores aliquando forsitan escam voluptatis, seu vtilitatis in lectione profani, aut vani auctoris norunt separare ab hamo peccati; & vanitatis, vel haud boni dogmatis: sed sæpè contrarium euenit. vnde mali libri, & vetiti non nisi delectis viris ex speciali licentia aliquando conceduntur. Ita in fabulis andiendis si fortasse aliqui (quod ipse definire nolo) escam absque hamo comedunt; certè pauci sunt: maximè si loquamur de his, qui nec venialiter inde peccant, quod moraliter puto ferè impossibile, ita Ecclesiastes 9. quamuis litteraliter de morte temporali loquatur, tamen mysticè de morte spiritali peccati intelligi potest, dum ait, *Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo; Sic capiuntur homines in tempore malo.* per escam voluptatum capit dæmon homines periculum, seu malum suum nolentes cognoscere, & cauere, vt pisces hamo.

Habacu. | Eccles. 9.

Venenum diximus esse in dulcibus propinatum, quæ in turpibus fabulis recitantur, iuxta Tertullianum libro de spectaculis. histriones autem, & mimi, seu scurræ, Italicè *buffoni*, quo vocabulo exprimuntur bestiæ, quæ bufones dicuntur. hi autẽ lac quod suxerunt in venenum conuersum valde mortiferum exhibent, sicut dicitur quibusdam per experimenta cognitum fuisse. hi ergo Italicè, & Latinè quoad effectum *bufones*, lac suaue rerum gestarum, seu etiam fabularum turpibus additamentis, vel verbis, ac gestibus corporis parum pudicis in venenum conuertunt, & exhibent auditoribus; quibus dicendum Prouerb. 112. *Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.*

Tert. lib. de spect. | Prou. 1. 12.

2. Histriones irrident clam ipsos auditores suos.

2. IPSIMET histriones apud semetipsos, & inter domesticos parietes rident stultitiam auditorum, qui suas crumenas euacuari sinant, seque ipsos emungi, vt interim pascantur inanibus verbis, & scurrilitatibus. ita duplicem agunt comœdiam, alteram de re gesta, alteram de auditoribus. comœdiam dixi, hoc est irrisionem, & fabulam.

Irrident etiam auditores, dum ipsorum imperita, aut ridicula idiomata, indumenta, ac mores coram ipsis irridendo imitantur, & perstringunt, magis Momi, quàm Mimi; & de comœdia satyram faciendo, ex fabula fibulam, quâ pungant, & penetrent vsque ad interiora; & per comœdiam *comediam* (vt ita loquar) faciant de auditoribus (hoc est quatenus opponitur verbo *inedia*) comedendo ipsos in nummis, & aliquomodo in honore, nedum in anima. & quod maius est, vt laxiorem faciat risum, volunt pretium sibi solui, & gratias agi pro his beneficiis. (a) *voglion che paghin il boia, che li frusta.* illique scenici magis laudantur ab auditoribus. qui ipsos magis vituperantur. iidemque spectatores magis rident, cum magis irridentur. En humilitas, en charitas (si ita dici liceat) diabolica: gaudent si vituperentur; benefaciunt iis, qui sibi illudunt. Legitur de deformi muliere, quæ oderat speculum, eo quod se talem repræsentabat, adeoque & confregit. at isti specula maculas suas repræsentantia amant nec paruo pretio conducunt. Cumque histriones circumeant mundum ipsum ridentes, & simul ridere facientes; dici de illis potest, alludendo ad fabulas eorum, *Fabula sunt mundi, est illis & fabula mundus.*

(a) Volunt vt pretium persoluant lictori qui illos flagris cædat.

Histrio illicita, seu illicitè repræsentans dum circuit mundum, eam exercens artem, fratrem diaboli se ostendit: cum sicut ille, dicere possit, *circuiui terram, & perambulaui eam*: circuit quærens quid deuoret, hoc est, quid mediante comœdia comedat, imo & *quærens quos deuoret*, si non intentione sinistra saltem ipso facto, dum ea recitat, quæ inducunt ad peccatum. at mulier scenica sæpè etiam intentione circuit quærens quos deuoret. Angeli Satanæ in omnem terram in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt damnationis.

Comœdiam quam emerunt obolis, vendunt talentis: & in fine cum sæpissimè vendiderint, adhuc sua est. ipsa est illis obolus Pasetis, vt est in adagio, Semper enim obolus cum ipso erat, quamuis sæpè expenderet. Peccata excitant, dum recitant: malorum factores sunt in aliis, dum sunt fictores: turpium rerum auctores se præstant, dum actores faciunt. & quæ in histrionibus fuit fabula, in auditoribus fit historia; quia quæ desierunt illi dicere, isti incipiunt facere.

3. *Mulier in comœdia vt in ludo latrunculorum præcipuus calculus in auditores.*

3. COETVS varij histrionum appellari solent *Societates recitantium* cumque hę societates eò perniciosiores sint quò peritiores; eò deteriores quò meliores; ideo cum adagio circumferatur, *malas societates homines perdere*; dici etiam potest, bonas societates perdere ipsos. (a) *quanto tali recitanti son stati più periti, tanto più huomini per loro son periti.* Mulier, vt in Scaccorũ ludo est validissima ex tota latrunculorum caterua ad vincendum hostes, eâque potissimum vtitur ludens; ita & in caterua histrionum est validissimum instrumentum

(a) Quò peritiores histriones, eò plures perditi spectatores.

mentum, quo dæmon vtitur ad homines perdendos, *à dare scacco matto;* Illa inter recitandum in vno histrione (nisi modesta sit) alloquitur omnes auditores, & fit sagena omnium. omnes cupit, ab omnibus ferè cupitur. *quid enim verus, quid carnalis homo nouit, nisi rapere si potest, concupiscere si non potest?*

Si vita nostra, vt est plurium sermo, etiam antiquorum, fabula est, & comœdia; in qua modico tempore sustinemus personas alius domini, alius serui, &c. vt quid nobis aliæ fabulæ, & comœdiæ? si comœdiam facimus, quare tanta auiditate quærimus eos, qui has non faciunt, sed enarrant? si veritatem tenemus, cur tanto periculo, & dispendio quærimus picturam? In antiquorum sententiis legitur de quodam rege sapiente viro, qui vocatus, vt audiret hominem cantum lusciniæ optimè imitantem, ait, *Ipsam frequenter audiui lusciniam, quid opus mihi audire simiam eius?* Si histriones relictâ fabulâ ipsorum ad audiendam aliorum histrionum fabulam se conferant, putabuntur stulti, & lucri proprij prodigi: at quid de nobis dicetur, qui non falsam, sed veram fabulam relinquimus, nempe negotia nostra, & custodiam familiæ, vt fictæ fabulæ auditores simus?

2. *Theatrum Capitolium dæmonum, Conuentus, & Ecclesia, vbi pulpitum, vnde docet diabolus.*

2 DE comœdia ait Tertull. de Spectaculis, cap. 12. *in qua conuentus dæmonum consedit*, ibidem ait de theatro, in quo similia recitabantur, quòd *Capitolium omnium dæmonum templum est. illic immundi spiritus consident.* vbi conuentus fratrum, ibi etiam templum esse solet, seu *Ecclesia* materialis, sicut etiam esse ibi solet *conuentus* materialis, hoc est locus, qui ita vulgò appellatur à conuentu, seu cœtu hominum simul conuenientium. in theatro igitur, seu in comœdia turpi *templum est, atque etiam conuentus dæmonum* quasi fratrum, seu monachorum diaboli, non Dei. in templo hoc pulpitum inuenies. nam hoc nomen apud Latinos significat partem quandam editiorem in scena, vt videre est in dictionariis linguæ. quamuis tota ipsa scena sit pulpitum quoddam, seu *cathedra pestilentiæ.* sic enim formalibus verbis eam vocat Tertull. libro de spect. quia omnia turpia, dum fingit, docet. sic Lact. li. 6. diuin. instit. de mimis loquens ait, *qui docent adulteria dum fingunt: & simulatis erudiunt ad vera* in templo, & conuentu hoc non deest chorus canentium laudes, & psalmos diabolo. chorus iste est lasciuus, scilicet comœdiæ, vel fabulæ similiter parum pudicæ. ex dictis collige turpes fabulas esse maximum ferè instrumentorum diaboli ab destructionem virtutis, & gratiæ, præsertim quæ in Ecclesia per conciones, & Sacramenta acquiruntur.

Tert. de spec. c. 12.

Tert. li. de spect.

Lact. lib. 6. diui. inst.

Italicum adagium est, (a) *Mai si fabrica à Dio vna Chiesa, che il diauol non vi faccia all'incontro vna cappella.* in omnibus enim tanquam hostem aduerso se Deo opponit, sicut ab initio, cū ait inflatus, *Similis ero Altissimo:* vnde in

(a) Nūquā Deo erigitur Templū, quin diabolus ex aduerso erigat aliquod sacellum.

Chron.

Chron. D. Francisci., cum Fratres Capitulum generale celebrarent ad disciplinam religionis, & salutem stabiliendam; compertum est eodem tempore alibi dæmones suum celebrasse capitulum, in quo de iisdem destruendis inter eos actum est. & media ad hoc peragendum ab eis excogitata, & proposita ibidem enarrantur. Sicut ergo dæmones sacellum templo opponunt, & in casu prædicto capitulum capitulo, ita (in discursu præcedenti hærendo) dicimus, illum per comœdias templum templo, chorum choro, pulpitum pulpito opponere, vt in illo, & per illum, & de illo etiam ipse quasi alter Deus, (vt ita dicā) adoretur, laudetur, & prædicetur. adde etiam opponi conuentum conuentui, vt ita destruatur omne bonum, & fructus Ecclesiæ Dei per contrariam Ecclesiam diaboli.

Theatrum, siue scena est *templum dæmonum*, vt aliqui Patres aiunt. & sicut in templo Dei repræsentantur mysteria Dei Sacrosancta, & Sanctorum enarrantur opera, vnde excitemur ad pietatem, & virtutem: ita dæmon operatus est vt in illo templo suo repræsententur facta diaboli, & hominum scelestorum, vt amores, adulteria, fraudes, quibus homines excitentur ad vitia, & ad imitationem rerum prædictarum. *Solemnitates enim martyrum* (inquit Aug. ser. 47. de Sanctis) *exhortationes martyriorum sunt, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat*, sic solemnitates impudicorum exhortationes impudicitiarum sunt, *vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat*. agit dæmon per histriones suos per Presbyteros suos in sua Ecclesia memoriam seruorum suorum insigniorum in eius seruitio, vt agitur memoria in Dei Ecclesia seruorum Dei magis insignium in sanctitate. id autem efficit dæmon, vt quantum virtutis acquirunt homines in Ecclesia Dei, tantū deperdant in Ecclesia sua. In Ecclesia agūtur solemnitates Agnetis, Luciæ, & aliarum virginum: at dæmon agit per histriones solēnitates Veneris, Floræ, & aliarum: opponitque Iosephi fidelitati, & castitati adulterium Paridis, & similium. imo diabolus vt vincat Ecclesias Dei, quibus opera Sanctorum repræsentantur picturis, vel verbis, & scripturis; ipse per mimos suos repræsentat opera ...orum iniquorum per personas assumptas, per gestus, & per viuam rei expressionem, non autem depictam, aut enarratam tantummodo. lingua tantum exhibetur ad exponenda opera Diuorum: at totum corpus ad exprimenda opera dæmoniorum, quasi hæc tantum illis præstent, quantum corpus linguæ. Vel dic, mimos omnia membra sua, & seipsos totos linguas facere, vel potius manus (attentâ efficaciâ repræsentandi) quibus impellant præsentes in flagitia ab eis expressa.

2. AVGVST. Serm. 47.

2. *Histriones concionatores diaboli, & eius Apostoli per orbem missi, vt opponantur Apostolis Christi.*

2. IN Ecclesia diximus esse pulpitum ad concionandum, sedilia etiam ad audiendum. & in Ecclesia diaboli, nempe in scena, turpium

pium fabularum esse pulpitum, scilicet partem eminentiorem scenæ, quæ ita à Latinis appellatur: esse etiam sedilia ad audiendum, quod ex pulpito prædicatur, dubium non est. imò totam scenam esse cathedram pestilentiæ. vtrumque indicat Tertull. dicens libro de Spectaculis, *Non ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiariam?* diximus cum ecclesia satanæ simul esse conuentum dæmonum, seu monachorum diaboli. adde etiam histriones turpium fabularum esse dæmones, seu fratres istos. ergò vbi pulpitum est, est simul conuentus fratrum, sed fratrum prædicatorum diaboli, qui ex eo suggestu, qui dicitur à suggerendo, suggestiones lasciuiæ, & peccati prædicando efficiunt in auditoribus, & ex cathedra pestilentiæ nimirum scena docent, traduntque pestilentem doctrinam. In Ecclesia Dei vnus tantum concionatur, at hic tot Prædicatores prædicant quot fratres, vel Presbyteri hac in Ecclesia positi sunt, vt saltem multitudine obruant Prædicatores Christi, & cassam reddant prædicationem eorum. Christus misit Apostolos suos, qui Orbem peragrarent prædicando doctrinam salutis, & vbique erigendo cathedram Sanctitatis, & castitatis. & dæmon, vt illis se opponeret, misit, & mittit histriones, & concionatores suos, qui orbem circumeant. vbique erigendo cathedras pestilentiæ, nempe theatra, & scenas impudicitiæ, & pulpita, vt de ijs verificetur illud Psalm. quod *iniquitatem in excelso locuti sunt*, hoc est, in excelso loco. illi ergo

Tertull. l. de Spectac.

sunt apostoli diaboli, & prædicatione sua destruentes (quantum in ipsis est) prædicationem Christi. Concionatores sunt. nam Plato dial. 7. de legibus expresse dicit eos concionari ad populum. *Plato dial. 7.*

Hoc est fortasse tempus de quo 2.Timot.4. *Cum sanam doctrinam non sustinebunt. sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus. & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur,* vbi nota pluralitatem ipsorum, qui vocantur magistri, quod est Prædicatorum titulus. ad fabulas conuertentur. vbi nota, eos fabularum actores esse. *2.Tim. 4.*

Apostolis Christi dictum est à Domino, *Vos estis sal terræ.* omissis alijs causis, cur ita vocentur, dico, quia à corruptione carnis, & libidinis potissimum præseruaturi erant homines prædicatione castitatis, atque etiam virginitatis. quas virtutes Christus specialissimè de cælo ad terras visus est deportasse, ideo dæmon per Prædicatores suos huiusmodi, omnem impudicitiam per gestus, per verba, per exempla harum rerum repræsentata, docuit, & docet. quod adeo verum est, vt Varro lib. 6. de lingua Latina dicat, *obscœnum* à scena denominatum fuisse. quamuis postea per descriptum fuerit. Obscœnum à scena, quasi obscœna tantum ob scenam, & propter theatra facta sint, & in eis tantum locum habeant. ita etiam cum Ecclesia Catholica peculiari modo eluceat quasi schola castitatis, è contra Basil. Hom. 4. in exam. ait, *Orchestra quæ abundat spectaculis impudicis,*

Varro l. 6.

Basil. Hom. 4. in exam.

dicis, publica est, & communis schola impudicitiæ. per orchestram intellige theatrum,& locum scenæ. scena potius cœnum dicenda,in quo qui versantur, quomodo absque macula erunt?

In Ecclesia, hoc est in templo Christi,qui improbi erant,sæpè fiunt probi; & qui probi, meliores ab ea reuertuntur mediante prædicatione, oratione & sacramentorum perceptione. Secùs omnino accidit in ecclesia satanæ, nempe in loco scenæ. sic D. Cypr. lib.2.ep.2. de hoc loco loquens ait, *quæ pudica fortasse ad spectaculum venit matrona, de spectaculo reuertitur impudica.* mulier in scena quæ modo Minerua fuit; paulò post mutata persona, & habitu; Venus facta conspicitur: idem accidit in alijs mimis. Sed dum sic immutantur,immutant. immutant spectatores intrinsecus,dum extrinsecus ipsi immutantur; & effecta ex Minerua Venus, plures ex Mineruis facit Veneres.

D. Cypr. l. 2. ep. 2.

Putas te securum à mentis saltem impudicitia, dum interes turpibus fabulis? dico, quod & si corpus non carneum haberes,sed quasi spiritale, & aëreum, tamen facile posses, ibi corrumpi. nam ipsemet aër, qui his incumbit spectaculis, & rebus, immunis non transit à patienda libidine, quasi carnalis esset. sic Tertull. lib. de spectaculis de hac re loquens, ait *Non ergo fugies sedilia hostium Christi illam cathedram pestilentiarum, ipsumque aërem,qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum?*

Tertull. libro de spectacul.

D. Athanasius agens de Patribus Nicæni Concilij, ait,quod cum legeretur in eo Concilio liber Arrij, nonnulli ex ijsdem Patribus sapientia & sanctitate insignes, qui pro fide pugnarant vsque ad bestias in omnium oculis aures manibus obstruxêre, ne fortè aliquid eorum impiorum dogmatum in animum illaberetur. & tu adolescens, vel femina,qui toties succubuistis tentationibus, etiam carnis; patulas aures histrionibus impudicis præbendo;absque periculo vos id facere prędicatis?

3. *Histrio dæmoni linguam, auditor aurem commodat.*

3. HOc differt inter auditores turpium fabularum,& actores iuxta Tertull. libro citato de spectaculis, quod illi aures, isti linguam dæmoni commodant aduersus Deum. ait ille, *Dubitas enim illo momento quo in diaboli Ecclesia fueris, omnes Angelos prospicere de cœlo, & singulos denotare,quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures aduersus Deum diabolo administrauerit?* de ijsdem dicendum est illud D. Bernardi de detractore, & auditore, quod ille diabolum portat in lingua, iste in auribus. adde illum per linguam, hunc per aures trahere ad inferni pœnas. Auditores histrionum huiusmodi sunt eæ aues, quæ suauiter pascuntur ex ijs, quæ aliæ quædam volucres egerunt è ventre. quid enim sunt turpitudines, & obscenitates, nisi excrementa potius quam verba? gloriatur quidem mimus in huiusmodi illecebrarum dictis,quia vt ait Cypri. lib.2. ep.2. *in laudem crescit ex crimine, & eo peritior,* quo

Tertull. l. cit de spect.

Cypr. l. 2. ep.

quò turpior iudicatur. & ex ijs est, dicitur esse *gloria in confusione*, hoc est in rebus confusione dignis. gloriatur ergo in hisce rebus, sed verè, vt est primo Mach. 2. *Gloria eius stercus, & vermis est.* & qui paulò ante in ecclesia, & templo Dei *nutriebantur in croceis*, in ecclesia diaboli *amplexati sunt stercora.*

1. Mach. 2.

4. *Mulier etiam docens castitatem nolens inuitat ad luxuriam. quid ergo faciet scenica luxuriam docens?*

1. Timot. 2. 12. 4. PRIMA Timot. 2. 12. *Docere autem mulieri non permitto.* præter rationem, quam reddit ibi, vnam afferunt, quæ etiam validissima est; quia etiam docens castitatem, inuitaret ad luxuriam. quantò magis si doceret luxuriam ipsam? at quid agunt scenicæ mulieres, dum de amoribus, & stupris agunt, & sæpè etiam cum impudicæ sint, omni studio, & verborũ artificio per personam, quam sustinent, conantur attrahere auditores ad sui amorem? dicebat quidam, *omnes feminæ, ad vincendos viros sunt plus quàm viri; at scenicæ sunt plus quàm diaboli.* ceteræ meretrices lenas habent ad pertrahendos ad se amatores, at scenicæ simul meretrices, seu impudicæ sunt, & lenæ sui ipsius. tot lenas, seu lenones habent efficacissimos, quot gestus, quot verba, quot motus, quot oculorum ictus: & per hæc tantò studiosiùs venantur, quantò numerosiorem prædam ante oculos, & iuxta retia sua conspiciunt.

Verè de scenica muliere sæpè verificatur illud Ecclesiast. 7. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius.* sagena est cor eius ex omni genere piscium congregans. sicut enim congregat eos in theatro, & detinet per escam illecebrarum suarum in actione fabulæ; ita sæpè accidit, vt eos etiam congreget in corde, per concupiscentiam scilicet, quâ omnes si posset vellet piscari, & velut pisces de aqua trahere ad ignem, ad ignem vani amoris hîc, & deinde ad ignem veri doloris in inferno. Vide si *sagena sit ex omni genere piscium congregans.* nam scortum apud nos dicitur (a) *donna di mundo.* quasi sit femina non vrbis, sed orbis: quasi mundum integrum amantium requirat, totique mundo se prostituat, vt nihil in ea sit mundum. At quæ magis propriè dici potest mulier mundi, quam scenica, quæ impudicè viuit: cum illa in sua prostitutione totum peragret mundum occasione suæ artis histrionicæ? *Laqueus venatorum est*, nimirum dæmonum, & in casu nostro etiam ceterorum histrionum, qui per eam præsertim & pisces congregant, & deuorant quoad animam, & quoad rem familiarem, quam multi in eos consumunt, & de qua comedunt etiam ipsi.

Eccles. 7.

(a) Mulier mundi, vel mundana.

2. *Damna alia comœdiarum describuntur.*

2. HOMINES hostes sunt temporis alius vt absumatur tempus, rem suam aleæ ludo prodigit, alius in fabulis rem, & animã perdit, vt ipsum tempus expiret

quasi moriendo, vt horæ mortem subeant. sic preriosa fit homini mors temporis eius. vt otium vitent, se tradunt otio. In fabulis alij linguas mutuant diabolo alij aures. illos per linguam, hos per aures trahit, omnes per nares, nempe pro libito vt bubalos.

Qui interfuêre fabulis, quasi boni discipuli repetitionem faciunt lectionis auditæ apud alios. ita ex spectatoribus ipsi fiunt mimi, vt qui conuiuio non interfuit etiam inebrietur. ita ex vno histrione mille histriones quasi repente generati, vt quasi Samsonis vulpes huc illuc diffusæ ignem ferant in omnes domos, & omnia ardeant igne, præsertim impudicitiæ. Mimi fiunt gratis: & cum histriones vno in loco recitarint fabulam, isti vbique recitant.

Actus vnus efficax, vt aiunt, inducit habitum. vide an plurimi & potentes comœdiarum actus habitus malos generare poterunt. Dum pater absens à domo, vel mater, intersunt comœdiæ, sæpè dæmon domi agit tragœdiam. dum mater, vel domina vacat fabulæ; filia vel serua in malo haud fabulantur. & sæpè casus, quos audiuit in theatro fictos, domum rediens videt veros, amores dico illicitos, furta, &c.

Si dicas immunis ero ab immunditijs existens in theatro fabularum; ait Tertullianus libro de spectaculis, ibi *constupratum quoque aërem ab immundis vocibus.* ergò aër ipse intrans per inspirationem ad cor tuum, ipsi leno fiet impudicitiæ. ipse sufficit ad illud commaculandum. quamuis ergo oculis, & auribus clausis ibi existas quodammodo aër ipse pestilentiâ affectus te inficiet. Non exiguum certè est ad mensam Bacchanalia celebrantium sedere, & quadragesimam agere. mensa bacchantium & carnalitatis solet sæpè esse theatrum. In theatro, ait quidam *sguazza Cupido, trionfa Venere, scorre vittoriosa la carne, tripudia l'inferno, và glorioso il diauolo.* debacchatur Amor, triumphat Venus, victrix incedit caro, exultat infernus, gloriabundus circuit diabolus.

Tertull. lib. de spectac.

Ait alius, histriones, infames inter homines; maledicti à legibus Ciuilibus; damnati à Canonicis; vituperati à Sanctis; reiecti à Doctoribus; tota die peccant, noctu peccant, & peccare faciunt. etiam tacendo, & odiendo ipsos, periculum est esse cum ipsis, ne terra, vt in illo Ambrosij, illos vnà obruat. quod periculum ergò erit audire, quid arridere, quid illis donare? Recedite à tabernaculis impiorum, ne inuoluamini in peccatis eorum.

Inuenias operarium, qui tollit panem filiorum, & dat canibus, nempè histrionibus, vt apud illos rideat. sed risus dolore miscebitur, dum si *Suauis fuit illi panis mendacij, postea implebitur os eius calculo*: cùm loco fabulæ & mendaciorum theatri, cogetur bolos præduros famis, quasi calculos deuorare, dum temporis, & pretij, atque operis sui dispendio fabulis interesse consueuit.

Si dicis, te voluptatem honestam captare à theatro, non impudicam; & præscindere à peccato rem licitam; vide, ne speculatiuè viuas, & moriaris practicè. timeo te metaphisicè

ficè in cælum properare; at phificè in infernum. Otia quæris post negotia, quia *quod caret alterna requie durabile non est*. at quære otia Dei, vel saltem non otia diaboli. *O Melibæe, Deus nobis hæc otia fecit.* facit otia quædam Deus: sed de fabulis prædictis dicere potes, ô Melibæe diabolus nobis hæc otia fecit. nam *narrauerunt mihi iniqui fabulationes* (fabulas) *sed non vt lex tua.* Ait quidam de fabulis his: (a) *Qui s'insegna vn seruitor furbo, vn vecchio innamorato, vna fante ruffiana della padrona, vn seruitor spia doppia, vn ladroncello sottille, vn adultero ingegnoso.*

(a) Hic docentur serui fallere, Senes amare, ancillæ lenocinari. Fiunt famuli proditores, fures subtiles, adulteri ingeniosi.

Applaudunt actoribus fabulas recitantibus. illi dicunt diabolo matutinum, auditores laudes: illi Psalmum, isti Gloriam: illi dicunt officium, isti recitantibus dant beneficium, nempe pretium operis. histriones dum viua voce recitant libros, & personas iam defunctas, vt Venerem, Martem, &c. repræsentant tanquam viuas, de mortuis faciunt viuos, vt de viuis faciant mortuos, nempe per peccatum. quia & si ex intentione id non agant, opus tamen sæpè ad hoc est sufficiens: (b) *Dicono tiri belli: ma son tiri belli in Latin più che in volgare, cioè tiri di guerra. tiri di bombarda più che di bocca, co' quali si non destruunt muros,* destruunt mores. destruunt etiam muros, hoc est proposita bona. bombarda quædam cuiusdam principis vocabatur magnus diabolus. huius ergo magni, sed veri diaboli, iactus sunt. *Son tiri del gran diauolo.*

(b) *Tiri* dicuntur Italis acutè dicta, item & ictus bombardę. Igitur mimici sales *tiri* sunt, non tam ingenii quam bombardæ.

Scenicæ mulieres sæpè tales sunt, vt in die repræsentent turpitudines alienas, in nocte committant proprias, & de mala fabula peiorem faciant historiam. venales sunt, ac vernantes, venereæ, & venenosæ. Quidam cum expenderint aureum vnum (c) *nelle comedie, spendon ogni cosa nelle comedianti:* & cum habuerint eas in oculis, & in manibus. sic illæ se subjiciunt pluribus personis, hoc est, laruis in scena, vel potius personis quorum sustinent partes; at pluribus personis extra scenam se prostituunt per impudicitiam. & si aliquos amatores fictos habent in fabula, plures, & veros habent extra scenam. Merito circulatores, qui etiam in foro comœdias recitant, vendunt saponem aliaque vnde mundi fiant homines, cùm & præstent id vnde fiant immundi.

(c) Comœdiæ res omnes impendunt eius actoribus.

Chrysost. in Psal. 50. audiant curiosi, qui spectaculis insaniunt theatralibus: *Dauid talis ac tantus læsus est, & tu te putas non posse lædi? & ille non vidit meretricem, sed honestam feminam in solario domus suæ: tu autem in theatro, vbi tanta sunt corruptelæ, tanta præcipitia, quomodo possum tibi credere, quod à talibus bestijs vulneratus non sis? nunquid lapideus es, aut ferreus? in igni collocaris, & non ardebis?* Hæc ibi.

Chrysost. in Psal. 50.

Adde tu: si in Ecclesia Dei, vbi omnia, orationes, conciones, sacrificia diabolum impugnant, & conterunt sub pedibus nostris; vbi omnia te auocant à vitijs, à lasciuia, trahuntque factis, & verbis ad castimoniam, & virtutem; tamen etiam hic insultat tibi dæmon per speciem mulierum honestissimarum: quantò magis in ecclesia diaboli (sic Patres

vocant theatrum) vbi ille triumphat, vbi omnia spirant libidinem, minimè securus eris?

Si mulier, si turpitudo depicta, vel in chartis descripta, vel sola mente concepta, vel somniata, sæpè valdè prouocat concupiscentiam: quantò magis meretrix viua, & vera, proxima oculis tuis, in auribus insonans, gestibus, nutibus, verbis, artibus omnibus amatoriis, ac illecebrarum plenis, poterit quamuis adamantinum mollire? Ignis longinquus, vel pictus potest comburere, & non poterit præsens & verus? Ignis est mulier. nam vnam videntes senes Dan. Dan. 13. 8. 13. 8. quamuis pudicam, dicitur quod *exarserunt in concupiscentiam eius.* Iob 31. nonne de adulterio dicitur Iob 31. *Quod ignis est vsque ad perditionem deuorans?* Concludamus ergo, quod supra fortasse etiam diximus *Theatrum facit te atrum; scena facit obscœnum, Orchestra ducit in orcum.*

INVIDIA.

2. *Inuidi multi.*
3. *Aliena bona faciunt sua mala.*
4. *Inuidia filia superbiæ, ideo non vult socium in bono.*

2. VIDAM volentes significare multos in mundo esse inuidos, aliorum perniciem cupientes, vsurpant dictum huiusmodi, *multi habent in horto suo arborem Timonis.* hic enim oderat omnes. vnde cum vellet arborem, quam domi habebat succidere, in publicum prodiens clamauit, arborem meam, vnde multi se suspenderunt cædere paro. si quis se de illa suspendere cupit, id agat antequam exscindam.

3. Prosper lib. 2. de vita contemplatiua ait, *Inuicti sanctè viuentium merita sua faciunt inuidendo peccato.* Prosper l. 2. de vita contempl. Ibidem ait: considerate obsecro qualiter inuidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena? vbi poterunt fieri boni, qui sunt in bono mali? aut quando malis bene vsuri sunt, qui malè bonis vti non desinunt? quis enim ei poterit subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificem?

4. Bern. Serm. de fallacia præsentis Bernard. serm. de fallacia. vitæ ait, *errauerunt in solitudine in inaquoso. solitudo hæc superborum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari.* Litteratus est? odit socium. pecuniosus, si videt alterum ditescere, cruciatur, fortis, aut formosus est? da ei parem, & contabescit. Solitarius est, sed erroneus; errat in solitudine sua. ita Bernardus.

Adde tu, quod *errauerunt in solitudine sua*, hoc enim causa est inuidiarum, & aliorum criminum inuidiam sequentium. Italicè diceremus (æquiuoco alludendo) (a) *vogliono esser soli.* sol enim vocatur, quia solus est; (a) Cupiunt esse Soli & Soles. sol idem est ac Lucifer. dum ergo volunt esse soles, vide si parum errant in hac solitudine, quod volentes esse soles, volunt esse Luciferi, id est Satanæ, diabolique. talis enim factus est Angelus ille per superbiam, dum in cælo & ipse vult esse sol, hoc est Deo similis, non autem stella: & se ipsum cum tertia parte stel-

larum

larum ob hoc traxit de cælo. huiusmodi ergo homines fiunt Luciferi per superbiam,& per mala opera,ac per odium,& damnum in genus humanum. quid enim peius excogitari potest Lucifero in exequendis prædictis sceleribus? Sol, qui idem est ac Lucifer, symbolum est supremi domini parem non habentis in aliquo regno, vel familia. & quia vt aiunt Legistæ dominus domus est rex domi suæ,nec habet parem;ideo in Genesi dum Iosephus somniat solem, & lunam, & stellas vndecim, per solem intelligitur Paterfamilias.

Superbi ergo,& consequenter inuidi volunt esse soli, seu soles. sic Alexander,cum Darius partem sui regni illi obtulisset, dummodo secum pacificaretur;per litteras,seu nuntios respondit, cælum duos soles, & terram duos reges non admittere. alij non dicunt terram, sed Asiam. at quantum errauerit in hac solitudine, videant qui historias norunt. verè enim factus est Lucifer, factus est in satan orbi terræ, & ceteris regibus, omnia conculcando, & vincendo.

At isti, qui volunt esse soles, seu soli,errauerunt in solitudine ista appetenda. nam sicut Angelus apostata dum vult esse sol, qui idem est ac princeps lucis, factus est princeps tenebrarum: sic qui volunt esse soles præcipuè luce gloriæ, & sapientiæ,
Iob 12. (quorum similibus dicitur in Iob 12. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia*) dum inquam volunt esse sapientes, stulti facti sunt, nam *stultus in tenebris ambulat*, vt dicitur ab Ecclesiaste, & (vt vno verbo dicam) dum volunt esse soles, fiunt lunæ. luna enim symbolum est stulti, vt sol iusti ac sapientis,quæ in scriptura pro eodem sumuntur. Iustus est in sapientia permanet sic. ut sol, nam *stultus vt luna mutatur*. Ecclesiastici 27. Non credis quod Eccles 17.
stulti fiant in hac solitudine,& cæci, tantum abest vt sint soles? si sequamur discurrendo super sequentia verba iuxta Bernardi discursum,seu accommodationis sensum, id apposite cernitur, ait enim. *Viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* an nescis id Ecclesiaste 10. *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere?* Eccles.10.
cum cæcitas,vt Doctores omnes docent sit filia superbiæ; & cùm arcta sit via, & angusta porta ciuitatis cælestis;quid mirum si cæci isti,& stulti eam non inueniant?

At additur: *errauerunt in solitudine in inaquoso.* solitudines,inquit Bernardus,solent esse inaquosæ. sic impœnitentia comitari solet superbiam. adde tu, superbos, & inuidos istos vt plurimum fontem lacrymarum non inuenire, vnde abluantur. *Siccantur*, inquit Bernardus, *à rore gratiæ; quia Deus emittit fontes in conuallibus.*

Sed ipse dicerem etiam quod qui volunt esse soles in terra, Italicè, *vogliono esser soli*; & iam soles sunt quo ad desiderium, & sæpè etiam tales sunt in sua existimatione; hi inquam quantum noceant ceteris omnibus, considera hoc ex similitudine indicata. quantum putas noceret mundo Sol vnus si in terra existeret, sicut est in cælo? omnia enim siccaret & perderet,& verè esset simul in *solitudine*,

tudine, & inaquoso. sic superbi, & inuidi calore & igne malignitatis suæ, & odij ac inuidiæ in omnes alios ardendo (nam malignus iuxta D. Thom. & alios dicitur quasi malus ignis) quantum ad voluntatem suam omnia comburunt, & ad solitudinem propriè sumptam redigunt. Nonne legistis de Caligula, qui quasi solus, & sol esse volens optabat videre pestilentias, incendia, & alias calamitates mundo accidere? imo optabat Romanos omnes vnam habere ceruicem, vt vnico ictu gladij posset eos interficere. Suetonius, & alij hæc testantur. ita solus Romanus ipse esse voluit.

2. *Inuidus diabolo deterior.*

Chrysost. Hom. 31. in 1. ad Cor. 2. CHRYSOST. Hom. 31. in primam ad Cor. *Inuidet*, inquit *Satan, sed hominibus. socio autem nemini. tu verò homo cum sis, hominibus inuides.* ita ille. vnde infert inuidum peiorem diabolo esse.

3. *Alexander orauit Neptunum, vt nemo transiret mundi fines, ad quos ipse pertigerat inuidens gloriam futuris mortalibus.*

Plutarch. in Alex. 3. PLVTARCHVS in Alexandro dicit, cùm sua classe Oceanum, quantum potuit penetrasset, in quandam insulam tandem descendisse, ibique sacrificasse, precatione facta oræ marinæ, & ipso mari, seu Neptuno, ne quis mortalium vlterius quam ipse fecerat, transiret. Inuidiæ rabies eo peruenit, vt non solum in præsentes, & viuos, vel etiam in defunctos, sed etiam in eos, qui non sunt, se extendat: vt qui, sicut nondum nati, ab omnis creaturæ, vel malorum dentibus sunt immunes, à dentibus eius non possint esse liberi. cum autem Alexander, vt Aristotelis discipulus fuerat, mundum æternum credidisse putandus sit; cum vita eius solum ad paucos annos producenda foret, ostendit hoc facto in homine infinitam inuidiam habitare, vt quæ in infinitos homines successiuè futuros, & per infinita sæcula sæculorum protenderetur. Nonne infinita est inuidiæ rabies in ijs, qui æternam salutem inuident proximo, & infinitum bonum, sicut Iudæi Gentibus inuidebant. vnde aiebant, *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Lorinus Actor. 11. dicit hoc nomine Gentiles etiam denotari ibi, quod officium publicanorum & ipsi haberent apud Iudæos. & Ambros. Tertulian. Beda, & alij ibidem relati sentiunt Zachæum fuisse gentilem. quod Maldonatus putat probabile. Lorinus Actor. 11.

4. *Lamia mulier absque liberis matribus liberos necabat ex inuidia.*

4. DIOD. libro 20. dicit Lamiam fuisse Reginam hoc nomine appellatam, eamque speciosissimam: sed postea ob animi feritatem faciem eius in belluinam commutatam. cum enim ei omnes liberi morerentur, inuidiâ ardens & furens aduersus omnes matres, liberos infantes earum ex vlnis auulsos necari iussit. vnde hanc vsque diem Diodor. lib. 20.

Lamia

Lamia nomē terrificum est apud pueros. ita ille. Inde collige inuidiæ vim, & horribilitatem, quæ, quantum colligi potest ex hoc loco, pulchram faciem in belluinam mutauit. nam verè hæc est *Fera pessima, quæ deuorauit Ioseph*, vt aliqui dicūt, quia inuidum in feram conuertit. Sap. 6. 25. *neque cum inuidia tabescente iter habebo*. tabescere facit adeo, vt ex pulcherrima facie deformem & belluinam reddat.

Sap. 6. 25.

Themistocles (apud Plut. de odio, & inuidia) dolebat, se nil magnum adhuc patrasse, cum esset iuuenis, Eò quòd, dicebat, necdum inuideor. ergo cum inuides alicui, ipsum exaltas, vt qui aliquid dignum egerit; & te maiorem illum declaras. iuxta Iobi 5. 2. *Paruulum occidit inuidia*. adagium est, (a) *Meglio inuidia che compassione*.

Iob. 5. 2.

(a) Præstat inuideant, quàm compatiantur.

5. *In fine mundi inuidi confringent hydriam fontis, ne aquam alij hauriant*

6. *Inuidi in syderibus etiam inueniunt maculas.*

5. ALDROV. lib. 13. de auibus de coturnice, dicit eam bibentem, inuidi & maligni Hieroglyficum esse, eò quòd simul ac biberit, aquam pedibus turbat, iniecto etiam puluere, ne alij bibere possint. sic in Ecclesiaste 12. 6. vbi iuxta multos agitur de vltimis diebus sæculi, in quibus refrigescet charitas multorum, inter alia dicitur, *Conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam*. per rotam intellige instrumentum rotundum, super quod funes hydriæ voluūtur ad hauriendam aquam. Ricardus exponit ex inuidia ne alij hauriant aquam, nonnulli confringent rotam, & conterent hydriam super fontem, ex quo aqua extrahebatur. Turbationem in aqua fecit Aristoteles, dum scripta sua de industria obscura reddidit, ne facilè possent bibere ex aquis suis. at Salomon de sapientia sua ait, vt in Sap. cap. 7. *Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico.* quasi dicat, non confringo hydriam super fontem, &c. addit ibi, *Et honestatem illius non abscondo*; non reddo aquam turbidam. ruptâ hydria ostēdent se inuidere etiā guttam aquæ, & aquâ se priuabunt, vt priuent alios.

Aldrou. lib. 13. de auib.

Eccl. 12. 6.

Sap. cap. 7.

Collyrium ad acutè videndum quærebat quidam. alter dixit optimum esse ad hoc perspicillum inuidiæ, vel inuidi. nam inuidum dici ab intus videndo, & nimis videndo aiunt, eò quòd etiā tenuissima quæque mala videat in proximo, *videt festucam in oculo fratris*. ideo ait quidam, hodie genus quoddam perspicilli adinuentum esse, quòd rectè possit dici spicillum esse inuidiæ. illo enim nouas maculas in quibusdam sideribus deprehenderunt Astrologi. est autem figuræ oblongæ: vulgò *l'occhial del Galileo*. in mysticis stellis (scilicet in eis, qui vt sidera puri sunt) inuidi maculas adinueniunt dici ergo potest, quod in sideribus maculas inueniūnt.

Etiamsi inuidia, vt dixi à videndo intus, & quasi à speculando dicta sit: vnde per specularia vitrea diximus eam videre, hoc est conspicilia. tamen illa non est inuidia speculatiua, sed practica. nam solet statim ad

opus, & praxim deuenire, scilicet ad nocendum ei, cui inuidet. Ita fatentur Doctores aliqui, veneficas aliquas, siue malignas mulieres venenũ eiaculari per oculos, & ita teneros infantes proximè intuendo inficere, vt basiliscus solet. quod ex inuidiæ, & odij affectu faciunt. ita & inuidentium oculi solent coniungi cum effectu læsionis, hoc est transire ad manus, & ad neces, vt inuidia in Caim ad hoc deuenit. sic Prop. elegia 27. *Inuidiam quod habet, non solet esse diu*: hoc est, citò perniciẽ patitur ab inuidente sibi. & Seneca suasoriâ 11. *Scias licet ad finem peruenisse, quæ ad inuidiam perducta sunt.* inuidia incipit à suo oriente, & terminat in alienum occidentem, hoc est ad occidendos alios. *inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Prop. eleg. 27.

Sen suasor. 11.

Pro confirmatione prædictorum facit quod sequitur. Inducit quidam auctor medicum ad febricitantem ingredi: cognita ægritudine, dicit conualiturum. sed dum ab eo exit; & audit, seu videt ex hoc nuntio domesticos eius contristatos valde, rediens ad ægrum die sequenti, ait, Quàm primum præpara animam tuam, animaduerti enim nouam febrem tibi noxiam. voluit inuidiam dicere. verè enim febris nostra inuidia est, moritur homo ex aliena febre, qui conualescit à propria. Sap. 6. 25. *Neque cum inuidia tabescente iter habebo.* non sistit inuidia, sed progreditur ad neces ideo iter habet inuidus, non manet, vt ex loco citato colligitur.

Sap. 6. 25.

Illud remedium ad videndum optimè tradi solitum à Sannazaro, scilicet inuidiam, ait Pontanus, & Antonius Panormita. Certum autẽ est, hoc conspicillo res maiores videri. nam vt Ouid. ait. *Vberior seges est alienis semper in agris, vicinumq; pecus grandius vber habet.* ideo *paruulum occidit inuidia*, vt dicitur supra. quia se ex vitio talem præstat, & maiores se æstimat quos intuetur, si eis inuidet; bonaque aliena maiora suis putat se videre.

2. *Caligula caluus comatos præ inuidia deradebat in occipitio.*
3. *Hiarbita æquare non valens æmulum, præ inuidia crepuit.*

2. SVET. in Caligula de illo ait: Cũ caluus ipse esset; pulchros & comatos (si quos obuios haberet) occipitio raso eos præ inuidia deturpabat. ita eos quasi insanos damnare videbatur. stulti, & phrenetici ex calore febrili deradi solẽt. stultus ergo ipse, & qui nec pilum quidem sapientiæ (vt dicitur) habebat, alios item stultos reddere voluit. Sic is qui stultus est, hoc est peccator, (sic enim passim sumitur hoc verbum in Scriptura) is cui deest cæsaries alicuius virtutis; ne in hoc superiores habeat, gladio linguæ (nam *linguæ eorum gladius acutus*) per detractionẽ detrahit ab eis huiusmodi ornamenta, affirmando, quod ijs virtutibus nudi sunt. sicut legi de Nerone, qui ipse impudicissimus, omnes impudicos esse prædicabat: licet aliqui hoc vitiũ melius occultarent. vulgò dicimus, (a) *L'huomo pasciuto non crede al digiuno.* sic ergo stultus omnes radere vult, stultosque ostendere, quos no-

(a) Benè pastus non credit ieiunos.

quos obuios habet. sic Ecclesiastes
Eccl. 10. 2. 10. 2. *Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*, Campensis, *Obuios omnes stultos appellabit*. alij apud Pinedam hic: *De omnibus dicit, quod stultus est*. nota, quod obuios omnes stultos vocat, seu radit, hoc est eos, qui in via vitæ contrarium iter habent. si ipse impudicus est, pudicos omnes infamat tanquam impudicos, &c. si ipse ignarus; doctos & sapientes, pro stolidis habet &c. Sic ipse caluus, omnes deradit quasi insanos.

Theat. 1. To. vol. 1. 3. Theatr. 1. tomo volumine 1. vbi de inuidia agit, ait: Hiarbita Maurus, dum Timagenem Philosophum æquare vellet concionantem, & non posset; præ inuidia crepuit. de eo Hor. 1. epist. *Rupit Hiarbitam Timogenis æmula lingua, dum studet vrbanus tenditque disertus haberi*. Achitophel

Hor. 1. epist.

Reg. 2. 17. etiam Regum 2. 17. *Videns, quod non fuisset factum consilium suum; suspendio interijt*. Videns, hoc est, vt Liranus ait, hoc loco, suum consilium reprobatum, & approbatum consilium Chusai, præ indignatione se suspendit. hoc autem est dicere etiam propter inuidiam. nam etiam Abulensis, qui hanc indignationem vt causam mortis eius affert, dicit consiliũ eius, quia tanquam consilium Dei habebatur, numquam antea reprobatum fuisse, ideoque non potuisse sustinere repulsam eius. addit tamen Liranus & idem Abulensis non discrepat valde etiam timorem supplicij inferendi sibi per Dauid, quem victorẽ præuidebat ob consilium Chusai in præliando; id egisse. Verè ergo *paruulum occidit inuidia*. paruulus enim ob rem minimam in qua superetur ab alio paruulo, vt in nouis calceis, vel simili re, inconsolabiliter flet, & ei inuidet. at quid nisi puerile est, inuidere victoriam in vnico consilio? Theatrũ loco citato narrat de quodam Diophone, qui cum crucifigeretur cum alijs, valde præ inuidia doluit, quòd alius in cruce altiore, in furca eminentiore appenderetur. sed cum notum sit illud Bernardi. O ambitio ambitientium crux, quæ omnes torques, & omnibus places, vtique, qui inuident dignitatem maiorem alteri, maiorem inuident illi crucem.

2. *Caligula necauit regis fratrem ob inuidiam vnius intuitus populi in eius vestem.*

2 NONNE *paruulũ occidit inuidia*, cùm Caius Caligula (vt est apud Suet.) necauit Ptolemæum Regis Iubæ fratrem solum ex inuidiâ honoris ob vnam vestem assecuti? Sed qualis honoris? quia ille fulgore vestis purpureæ cõuertit semel oculos omnis populi in se, dũ theatrum ingressus esset, in quo ipse Caligula edebat spectacula, certè paruulorum est inuidere vestem vnam, seu oculorum intuitum vnum propter illam.

3. *Proximi fletus, est inuidi risus.*

3. INVIDVS, & is cui ille inuidet, in duabus lancibus sunt vnus bilancis, vt cum vulgo loquamur. nam si is, cui inuidet, exaltetur in lance suâ; ipse inuidus deprimitur: & è cõtra, sic Genes. 4. quia *respexit Dominus* Gen. 4.

ad Abel, & ad munera eius; dicitur de Caim, quod *Concidit vultus eius.* dixi quod deprimitur, hoc est putat se deprimi, siue cor eius deprimitur. Ouid. 2. Metam. describēdo inuidiā, ait: *Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.* (a) *S'altri si ride, egli si rode, s'altri si rode, egli si ride.* Ita Brusonius tractatu de ridiculis narrat de quodā Misone, qui inuidebat bonum omnibus mortalibus, omnesque oderat. vnde & longè ab omnibus illis in solitudinem se abdiderat. vbi cum ridens deprehensus esset, & interrogaretur, cur solus existens ridebat? respondit ob hoc ipsum, quod solus eram.

Ouid. 2. Metam. (a) Si alius ridet ipse se rodit: Si alius se rodit, ipse ridet.

4. *Delicta proximi plumæ sunt inuido ad citius ea ad alterum deferenda.*

5. *Inuidus beneficijs crudelior efficitur. inuidia malum insanabile.*

4 QVAMVIS de peccatis verum sit, quod *sicut onus graue grauata sunt super me*, ita vt neque cælum quamuis fortissimum potuerit sustinere hoc onus in malis angelis, sed vsque in profundum eos ruere permiserit: tamen homines odio & inuidiā ducti, colligentes quàm plurā & maiora possunt onera proximi, hoc est, peccata illorum inuestigantes, quasi hæc sibi plumæ sint, illis onusti in aues conuertuntur, & volant, certissimè deferentes ad quoscumque potuerint. Econtrario verò cùm bona opera & virtutes, plumæ sint, quibus in cælum feruntur homines: (nam *assument pennas, vt aquilæ volabunt* per bona animæ exercitia) tamen ijdem qui suprà aues fiunt ex oneribus, hic testudines fiunt ex plumis, & ab alis à volando deriuentur, nimirum tardi sunt ad bona proximi nuntianda: iuxta illud, *Fama boni lentè vadit inuidiā renitente: Fama repleta malis, auium deducitur alis.* sic Ecclesiastes 10. 20. *In secreto cubili tui ne maledixeris diuiti, quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit sententiam.* vulgò dicimus: (a) *le male nouelle vanno presto, ò volan.* Et Poëtæ Famam describunt volantem. Si ergo citiùs volat deferēdo mala proximi; ergo illa sunt sibi pro plumis. Dum calamis, seu pennis auium scribuntur delicta proximi, & per cursores, ac tabellarios deferuntur quam longissimè, quid est hoc, nisi aues portare prædicta? Ergo dictorum conclusio sit, plumas inuidis delatoribus esse pondera. pondera verò plumas.

Eccl. 10. 20. (b) Mala nuntia ocissimè volant.

Inuidus, est primogenitus dæmonis: sicut benignus, & qui pro nobis vitam effudit, est primogenitus Dei. quamuis hoc nomen primogenituræ hic non sumatur vniuocè. Caim fuit primogenitus diaboli, & primum inter homines fundamentum inferni: vt & benignus, nempe idem Christus, primus possessor Paradisi inter homines. Imo inuidus peior dæmone. nam dæmon non inuidet dæmonia: at homo inuidus inuidet homini.

5. Chrysostomus dicit, vt quidam eum retulere, inuidum esse Lunaticum, qui quando luna plena est, hoc est, dum status aliorum est florens, tunc malè habet. Basil. oratione de odio, & inuidia dicit, quod sicut vipera discerpit nascendo matrem, vnde

vnde gignitur; ita maleuolentia discerpit animam, quæ ipsam parit. Ibidem ait: *Inuidentia reuera est propria diaboli affectio, quæ nullam medelam recipit: sicut rubigo ferrum, ita cor inuidi rodit.* Addit ibidem: *Canes quidem alendo mansuefacimus: at inuidum benefaciendo multo peiorem reddimus. non enim gaudet beneficijs, quibus cumulatur; sed tristatur ob aliorum opulentiam, per quam possunt sibi ea beneficia præstare.* probat hoc deinde exemplo Dauidis, qui inuidiã Saulis non potuit beneficijs extinguere, etiamsi in ipsa persecutione bis ei vitam condonarit, quam potuisset auferre. Dixit Ouidius. *Munera crede mihi placant hominesque Deosque.* placant homines, placant Deos; sed non placant diabolos. Diabolus est inuidus. nam vt paulò ante dixit Basilius. *Inuidentia reuera est propria diaboli affectio.* sed quis nesciat iuxta dialecticos propriam affectionem, vt est risibilitas respectu hominis, esse eam, quæ conuenit omni, soli, ac semper? ergo is diabolus est, qui est inuidus, & implacabilis. *Vnus ex vobis diabolus est*, dictum est de Iuda, qui Christi beneuolentia & obsequio in lotione pedum, & communicatione Corporis, &c. placari non potuit, vt eum non traderet. fuit ergo diabolus, quia fuit implacabilis.

Val. Max. l. 4. Val. Max. libr. 4. quidam, inquit, interrogatus, inuidia quomodo vitari posset; respondit, Si nihil præclarum agas, & nullã obtineas felicitatem. nam sola sine inuidiã miseria est. Adagium est, *Vbi mel ibi fel, vbi vber ibi tuber.* vbi est mel felicitatis, ibi fel inuidiæ solet esse: vbi vber opulentiæ, & prosperitatis, ibi tuber alienæ indignationis, & liuoris. mel copiosè voratum sequi solet bilis, seu cholera infestans, iuxta illud, *Dulcia se in bilem vertunt*: sic mel dulcis fortunę copiosè comestum sequitur cholera, seu indignatio aliena persequens, liuorque & inuidia. indignatio vulgò *collera* vocatur. Statius Silu. 5. *Quis nam impacatâ consanguinitate ligauit Fortunam, inuidiamque Deus? quis iussit iniquas æternum bellare Deas?* finxere antiqui colligatas fuisse inuicem fortunam, hoc est felicitatem, & inuidiam. Dic inuidiam, quæ à nimis videndo, vel intus videndo dicitur, colligatam Fortunæ, quæ cæca est, tamquam ducem viæ. nam inuidia obtrectatorum, & illorũ vexatio prosperitatem nostram, quę alioquin, vt cęca ex nimia felicitate, erraret & periret, dirigit, & tuetur, & pro oculis illi est, quia *vexatio dabit intellectum*, & quia cauti esse solemus in via morum, ne erremus in ea, cum multos inuidos, & inimicos oculos nos spectantes habemus ad redarguendum paratos, & ad captandam lætitiam ex casu nostro. itaque gratias habeamus inuidis, quod cæcitati nostræ gratis oculatissimum ducem præbeant. Applicanda prædicta his, quæ dicebamus supra, nempe quæ inuidię subiacẽt, esse proxima casui, & morti, vt Abel & alij ab inuidia appetiti. Quod si ita est; quod periculum erit cęco si ab inimico, eoque acutissimè vidente ducatur, vt fortuna ab inuidia? quid mirum si tam malignus comes citò in præcipitium trahat suum hunc comitem? Inuidia quia inuidia est, & etiam ipsa libẽter perit, dummodo secũ pereat & for-

Silu 5. Statius.

tuna qui eſt alligata.ſe præcipitat, vt & illa precipitetur. nā pereūte fortuna, hoc eſt felicitate, deficit, & perit etiā ipſamet inuidia. Vel dicēdū eſt, nō aliud remediū ſupereſſe perdendi inuidiam, hoc eſt extinguendi, quàm ſi fortuna ipſa ſe ipſam perdat. ex dictis collige breuitatem & periculum humanæ felicitatis: cū inuidia mortalis inimica ſemper colligata ei ſit die ac nocte, & eius neci ſemper incumbat. *Tempore felici multi inſurgunt inimici*, hoc eſt inuidentes: *Dum fortuna perit, nec liuor vllus erit.*

2. *Inuidia in bonos teſtimonium virtutis eſt.*

Cicer. in Catil. 2. CICERO in Catil. *Inuidia virtute parta, gloria non inuidia putanda eſt.* nō eſt nota, aut macula in fructibus arboris, ſi roſtro auicularum vulnerati ſint ſed eſt honor, vt ita dicam, & teſtimonium excellentiæ eorum ſuper alios. Idem dicendum de morſu inuidiæ & obtrectatorum in bonis viris. Cato certè fuit Phœnix inter gentiū populos in virtute: & à Populo Romano *Prudens* nuncupatus eſt cognomine, vt ait Sabell. lib. 1. cap. 6. & tamen addit ibi, quod nemo in Vrbe adeo odio, & inuidiâ eſt exagitatus ſicut ille fuit. nam quadragies ſexies reus in iudicio factus cauſam dixit, ſemperque abſolutus eſt. *Cenſorinus* dictus eſt. eius vita, vt etiam veri iuſti, cenſura eſt tacita peccatoris: & quaſi ex contumelia Catones vocantur à vulgo, qui prudentes ſunt, odio habentur, accuſantur. non iam ergo vnus Cato, ſed plurimi Catones ſæpè ſæpius (Sab. l. 1. cap. 6.)

inuiſi ſunt. vnde Sap. 2. inquiunt *Opprimamus virum iuſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris.* Sap. 2.

3. *Inuidi bonum, quod ipſi nequeunt, vel nolunt, neque alijs permittunt.*

4. *Iidem tentant ipſum diabolum, & excitant dormientem in proximo, vt ei noceat.*

3. OBSERVANT Scriptores rerum naturalium, & præſertim Ficinus in Platonis Theologiam lib. 4. cap. 1. adamantem auferre à magnete ferrum, quod ille attraxerit. imò addunt alij, ipſum impedire, ne ipſum attrahat ſibi coniungendo, Certè ferri amans non eſt adamas; tamen nec patitur illud haberi ab illo, qui ipſum diligit. ita ſæpè inuidus etiam quæ ipſe non amat, neque habere poteſt, ab alio aufert, vel conatur ab eo auferre, qui ea diligit, & cui vtilia ſunt. Sic dæmon inuidet nobis cœlum, quod ipſe habere non poteſt, & rapit illud ab homine per peccatū: inuidet opera bona, quæ ipſe agere non vult. ſic ſaltē materialiter ſi non ex intentione ſe gerunt, qui imitantur Phariſæos, in eo quòd eis dicitur Matth. 23. 13. *Væ autem vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui clauditis Regnum Cœlorum ante homines. vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* huiuſmodi homines, qui neque ipſi bene viuunt, nec frequentant Eccleſiæ Sacramēta, orationes, & ſimilia; neque domeſticos id agere permittunt, vel peccant, & peccare alios faciunt; ſunt dæmonum fratres nedum Phariſæorum, vt ſupra dixi. ſunt, vt vul- (Ficin. in Platon. Theol. l. 4. c. 1.; Matt. 23. 13.)

vulgò dici solet, velut canes hortorum,qui neque ex fructibus eius comedunt,neque alios comedere sinūt. Similitudo melius cōgruet si aduertas Paradisi nomen hortum significare.nec fructus Paradisi comedunt, nec comedi sinunt. canes enim oblatrantium in bonos typus sunt. A-
Apoca.22 pocalipsi 22.*Foris canes.*Patres intelligunt Gentiles contra Christianos latrantes. hi non intrant in hortum, seu Paradisum: nec intrare sinunt , si id possint.

Hæc est inuidentia illa supremæ classis,de qua supra dictum est, cum nimirum adeo refrigescet charitas
Eccl.c.12. in vltimis diebus , vt est Ecclesiastis ca. 12. vbi sæculi consummatio describitur iuxta multorum sententiam : vt *Rumpatur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam.* & ita se priuent inuidi potu,vt eo etiam alios priuent. supra explicauimus hoc cum Ricardo de potu materiali,at potest explicari de spiritali, & de aqua gratiæ,& spiritus ,de qua dicit illa mulier, *Domine da mihi hanc aquam.*

Sap.2.24. 4. Sap. 2. 24. *Inuidiâ autem diaboli mors introiuit in Orbem terrarum.* mors corporis,mysticè etiam mors animę. *Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* ita subditur ibi.imitantur illum in simili inuidentiâ , mortem animæ in homines inducendo.*Imitantur autem illum.* Græca apud Lorinum hic, *Tentant autem illum.* adeo iniqui sunt, vt dæmones sint ipsimet dæmoni. tentant illum , irritant, & suscitant ipsum quasi dormientem in hominibus, vt excitatus in eis suo fungatur officio ad malum inducendo. ita concordantur hæ duæ lectiones , vt imitari diabolum in inuidenda proximi salute, & illum ad peccata pertrahendo , sit quædam prouocatio diaboli in eis, & excitatio.in eis dixi,& cōtra eos.Hi ex ijs sunt de quibus in Iob 3. *Maledicant ei, qui male-* Iob 3.
dicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan. maledicunt diei , nempe operibus lucis,laudantque opera tenebrarum homines,vt alibi dicitur,*Rebelles lumini:*& qui ponūt tenebras lucem,& lucem tenebras. hi si videant vxorem,aut filias ad horā intermittere opus suū & lucra,vt ad sacrū audiendū vel verbū Dei exeant; statim prorumpunt:heu ! maledicta sit ista hypocrisis fatuarum istarum. Idem, & maius canticum auditur ab eis , si in casu etiam obligationis, & præcepti, audiant vel obolū de aceruo sublatum,vt esurienti daretur.nihil dico de maledicentibus moras famulorū in Ecclesia. Si vxor,vel filius contra ipsos peccantes dominos , vel blasphemantes submurmuret;heu maledicti,aiunt,scrupuli insanientiū istorum!quamdiu hæc patiar?Sicut ergo iuxta illud primæ ad Thessal.5. *Spiri-* 1.Thes.5.
tū nolite extinguere , extingunt in alijs spiritum bonum ; ita parati sunt in ijsdē suscitare Leuiathan,hoc est diabolum spiritum malum.in aliqua ex familia suscitant spiritum fornicationis, vt sibi consentiat : in alio spiritū lenocinij , vt mediator sit in hoc, &c.

2.*Dolores inuidiæ, dolores inferni appellati.*

2. PSAL. 17.6. *Dolores inferni circumdederunt me.* D. Aug.legit, Psal.17.6 D.Aug.
Dolo-

Dolores inuidiæ. ita sermo sit de doloribus, qui erãt in persecutoribus Dauid. facit Cant.8.6. *Dura sicut infernus æmulatio.* imò sicut pœna inferni nũquam finit, ita neque terminum habere solet inuidia. cetera enim peccata transacto actu peccati cessant, vt Cyprianus ait libro de zelo & liuore: at liuor nõ cessat. ait enim ibi: *zelus terminum non habet. permanens iugiter malum, & sine fine peccatum est.* & paulò post: *Calamitas sine remedio est, odisse felicem.* vnde Chrysol. serm. 122. ostendit inuidiam, quæ in hoc mũdo diuitem tenuit, etiam in inferno secum perseuerasse contra Lazarum, quem ob inuidiam quærebat priuare sua quiete, & perducere in infernum prætextu guttæ aquæ sibi porrigendæ. *Quod agit diues non est nouelli doloris, sed doloris antiqui: & zelo magis incenditur, quàm gehennâ. est graue illis malum; est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices.* diximus inuidiam esse dolores inferni. Chrysologus & inferno maiores appellat. sed si vnius felicitatẽ intuens inuidus infernum sentit, & plus quàm infernum: ergo tot infernos sentit, quot inuidet. tot sẽtiet infernos, quot erunt Sancti in Gloria.

Cant.8.6. De emulatione in genere sumpta id exponunt aliqui vide Gislerium hic.

Chrys. serm.122.

Cur autem multi dæmones in hoc aëre inter cœlum & terram habitẽt, D. Bernard. serm. 58. in Cant. ait, factum esse, vt constituti inter Beatos cœli, & homines terræ, torqueantur ex inuidia, ipsorum bona considerãdo. ait Bern. *Diabolus in pœnam suam locum in aëre medium inter Cælum, & terram sortitus est, vt videat, & ipsâ inuidiâ torqueatur.*

D.Bern. serm. 58. in Cant.

CONCORDIA.

1. *Diuisionem ruina breui consequitur, vt mors in partibus vermis diuisis.*
3. *Aues duæ inuicem pugnantes in terram collapsæ preda fiunt rusticũ. sic in nobis.*

2.  VGVSTINVS lib. I. de quantitate animæ, ca. 31. ait se cũ admiratione vidisse vermem oblõgum, cuius partes gladio separatæ, tamen singulæ mouebantur, hæc in vnam partem, alia in aliam motu proprio. Pupugimus, inquit, vnam partem acu, illa torquebatur ad sensum doloris sui, alijs non sentientibus, ac si illa pars ad se nihil pertineret. addit etiam, singulas partes diuisas in diuersum moueri, nõ autem ad caput, vel ad alias partes. moueri inquam suo motu, & anima, ac singula integra animalia forent. Dic ergo in hac re repræsentari vim vnionis, & diuisionis. nam sicut cùm partes illæ sub vno capite in vnum coniunctæ erãt, vnum erant, & ad læsionẽ vnius partis, omnes partes dolebant; sicut & ad voluptatem eiusdem partis, reliquæ gaudebant: ita diuisæ neutiquã sentiũt nisi dolorem, & voluptatẽ propriam, nil curantes de reliquis partibus. ita qui priùs cõiuncti erãt amore, vel etiam familia, aut societate; vnum quid erant, & omnes cõgaudebant, vel condolebant ad gaudiũ, vel dolorem sociorum: cunctique mouebantur in vnum, & ad vnum animi pro-

Avgvst. lib.1. de quant. animæ c.31.

propositum, sicut omnes partes vermis coniunctę mouebantur ad vnum terminum, & eodem motu. at postea diuisi, vnusquisque quærit quæ sua sunt, neque mouetur nisi ad suam vtilitatem, neque dolet nisi de suo malo, nihili faciens aliarum partium bonum, vel malum. Aristoteles facit hæc animalia velut plantas, quarum anima sit diuisibilis in partes; ita vt in omni parte diuisa animalis sit animæ pars, seu animæ partiales plures, & velut plura animalia. sicut ergo cum familia, vel societas, & Respublica erat cor vnum, & anima vna, vnusquisque sentiebat bonum aut malum alterius, & dicebat, *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* ita deinde quasi in plures animas diuisa, secus facit. Partes huiusmodi vermium diuisæ videntur quidem ex ea diuisione aliquid lucrari, nempe quod quasi singula animalia per diuisionē facta sint, neque dependeant amplius à capite, vel à ceteris partibus, & quasi dominæ & arbitræ suiipsius sint effectæ, neque aliud agere, aut sentire debeant nisi rem propriam, motum & dolorem proprium: sed exiguum hoc bonum, vel potius exiguam boni speciem, verum & ingens malum paulò post consequitur, scilicet quod breui omnes hæ partes pereant. Ita gaudent fratres, gaudent socij, quod se à capite & ab aliis membris diuiserint, nec ab iis & eorum arbitrio pendeant, sed suiipsius, & suarum actionum domini, & arbitri effecti non nisi sua curare debeant: sed gaudium hoc *hypocritæ ad instar puncti*. citò enim omnes pereunt, quatenus *omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet*.

3. Aldrouan. 1. de auibus de venatu aquilæ ait, aquilas aliquando pugnare cum aliis auibus magnis; adeo vt impexis inuicem alis inter pugnandum simul cum hoste in terram decidant, & cum risu, & gaudio rusticorum pugnatrices ambæ capiantur. Ita impletur adagium, *Inter duos litigantes tertius gaudet*. Pugnantibus, vel diffidentibus nobis dæmon nos capit. dum diffident Principes Christiani, paulatim præda fiunt Principis Turcici. *Funiculus triplex difficilè rumpitur*. si diuidatur funis à fune, facilè frangetur. *Aldr. 1. de auib.*

Celius libr. 17. cap. 25. de Scorio Dacorum Principe narrat, cum coram suis lupum protulisse, vbi duo canes inter se rixabantur. tunc illi irâ mutuâ depositâ, vnanimes in lupum insiliere, tunc Princeps ad suos, sic inquit facient Romani contra vos si in eos insurgatis. licet enim modo inter seipsos altercentur, contra tertium conuenient. Ergo & nos, ne minus prudentię quàm canes teneamus; si pugnandi ad inuicem occasio nata sit, relictâ pugna, contra lupum, contra nimirum dæmonem coëamus. sic Principes contra Turcam. Legi (nescio fabula, vel historia sit) duos lepores in flumen lapsos, seu deiectos, cùm mutuo colligati essent, & altero in vnam partem tendente, & altero in aliam, ambos periisse. sic accidit discordibus. *Vnus ædificans, & vnus destruens quid prodest illis nisi labor?* *Cel. lib. 17 c. 25.* *Eccles. 34*

2. *Inter bonos, & lenes concordia facilis.*

3. *Vnio amoris quasi magnetis ferrum ferro vniens sine vinculo alio interesse.*

4. *Diuersi fructus insitione in eadem arbore pacificè viuunt, diuersa pullorum genera ducuntur ab vna gallina.*

2. SCRIBVNT rerum naturalium periti, & experientiâ patet verum esse, nimirum duos Adamantes inter se similes, planamque superficiem habentes, si vniantur ad inuicem per suas planas superficies, difficilè posse deinde separari: id quod cernimus bona ex parte in duabus tabulis lusoriis eius ludi, quem nos vocamus, *sbaraglino*, si conditionem prædictam habeant, & vniantur: ac etiam in tabula plana aquæ alicuius fluminis adhærenti, quæ & ipsa ægrè se patitur separari ab aquæ superficie. at in adamantibus difficiliùs fit separatio, quia superficies in iis planiores sunt, & consequenter arctiori coniunctioni locum dant, eò quòd aëri, seu spiritui, qui inter duo corpora quamuis vnita solet interponi, nullatenus locum relinquant. Ita ergo cum duo virtute consimiles, & Dei amantes (Italicè diceremus, (a) *doi diamanti, quasi Dio amanti,*) inter se vniti sunt concordia, & amore; adeò vt quia ad inuicem æqui, & lenes sunt, non iniqui, & asperi, & rigidi, idcirco aëri dissensionis, seu spiritui discordiæ qualis est dæmon, (de quo dicitur *nolite locum dare diabolo*) aditum nullum præstant: cum inquam duo tales ita coniuncti sunt, difficillimè diuidi poterunt. Qua in re attende mutuam in prædictis amicis suauitatem, & æquitatē esse quasi æquas, & planas superficies in duobus adamantibus. homines enim, quod adinuicem iniqui, hoc est iniusti & iniuriosi sunt, & asperitate morum rigidi; difficilè vniuntur, vel vniti facilè diuiduntur. Prouerbiorum 18.24. *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit, quam frater*, alij legunt *vir amicabilis*. vide quod qui amabilis est, nimirum suauis & æquus, is aptus est, vt magis vniatur per amorem quam frater, qui talis non sit.

(a) Duo Diamanti, quasi Dei-amātes.

Prou. 18. 24.

Antonius Torquemada tractatu primo Hortuli sui dicit, Dominum Rodericum Gironem, qui tempore auctoris vixit, cum Comite Vrucegna eius fratre (fortasse gemello, quamuis id auctor non explicet) tantam similitudinem, & simpathiam habuisse, vt cum eodem lecto adhuc pueruli iacerent, si alter alteri manum, vel pedem admoueret, ita tenaciter ea parte vniebantur quasi viscum tetigissent, ita vt ægrè possent ab inuicem diuelli, retrahendo scilicet ad se manum, vel pedem suum. Dic ergo prædictos repræsentasse amicorum seu fratrum virtute similium vnionem, qui ob animi, & morum similitudinem, sicut facilè conglutinantur in amore, ita difficilè separantur. & de his dici potest. *Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine. Persliterunt in amore fraternitatis, quia vnus fuit semper spiritus in eis, & vna fides.* Hæc applicanda præcipuè concordiæ fratrum

Anton. Torq. tract. 1.

trum. dic duos tales quasi duos adamantes, *quasi diamanti, e Dio amanti*, facilè vniri, & difficilè separari. Ferro comparantur amici. Prouerbior. 27. 18. *Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem animi sui.* at sicut facilè vnitur ferro ferrum si vtrumque magnete præditum sit, seu infectum: ita duo homines simili affectione præditi facilè vniuntur, & difficilè separantur; vt etiam in ferris accidit prædictis.

Prou. 27. 18.

3. Da mihi fasciculum virgarum ferrearum, vel clauorum, qui argenteo vinculo constrictus sit, si auferas hunc circulum, seu vinculum; ecce vnio, & amicitia virgarum dissipatur in plures partes. at si virgæ prædictæ magnetis virtute illitæ & præditæ sint, quamuis auferas externum vinculum, tamen remanente vinculo inuisibili, & quasi spiritali, mirandum in modum adhuc virgæ illæ perseuerant vnitæ. Vniti sunt aliqui siue inter se, siue cum Deo. sed in hac vnione adest vinculum argenteum nimirum interesse argenti, siue vtilitas aliqua ex hac amicitia procedens. Vis agnoscere an vinculum hoc argenteum sit conditio *sine quâ non* huius vnionis? fac illud auferri. si adhuc vnio durat, ô quàm mira res est huiusmodi! statim intelligis vinculum aliquod inuisibile, & spiritale, nimirum charitatis, de qua dicitur Colos. 3. quod *est vinculum perfectionis*. ita Ecclesiastici 13. 6. *Si habes, côuiuet tecum.* & immediatè antea hoc loco dixerat: *& si non habueris, derelinquet te.* ecce quomodo ablatâ, vel positâ catenâ aureâ, vnio stat vel dissipatur in ficto amico. Ita Dæmon putauit Iob esse ferrum, quod aureâ catena vnitum esset alteri ferro, nimirum Deo amico eius. ideo aiebat: *Numquid frustra Iob timet Deû? nonne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?* &c. *sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* quasi diceret, Iob est ferrum quod manet tibi alteri ferro vnitum: quia tu vallasti per circuitum quasi argenteo vinculo eius amorem cum tuo. Sed aufer hunc circulum, & videbis, si adhærebit tibi. Sed ablatum est argenteum vinculum, & tamen adhæsit ferrum ferro, agnitumque est ab hominibus in Iob fuisse charitatem, quæ est *vinculum perfectionis*: fuisse vinculum spiritale, magnetis spiritalis virtutem, quo ferrum ferro permansit vnitum.

Colos. 3. Eccles. 13. 6.

4. Miranda res est, quæ videtur in arboribus, vbi in eadem planta & super eundem truncum videbis poma seu fructus diuersæ speciei insitionis artificio, nec tamen sibi inuicem nocent, sed pacificè & côcorditer diu noctuque ibi videntur: neq; arbor minus fouet eos, qui sui generis sunt, quàm alios, neque plus hos, quàm illos: sed omnes tamquam veros filios, vt communis eorum mater æquè fouet, & nutrit. Eodem modo in animalibus videbis gallinâ, quæ non solum fouet oua sui generis: sed quia agricolæ supponunt ei ad fouendum oua aliarum auium, eò quòd calidior sit, & melius id efficiat; ideo post se ducit enatam turbâ pullorum diuersæ speciei, veluti anatum, anserum, gallinarum, & similium.

lium.qui tamen concorditer & pacificè ipsam sequuntur vnam, & inter se sub eius alis vniuntur, circa eam pascuntur, & semper simul sunt. Si ergo fructus, & animalia diuersi generis talem seruant concordiam, & ab vna matre æqualiter nutriuntur; quam excusationem habebunt qui in eadem familia, vel aula vel Congregatione & Monasterio, sub vno Patrefamilias, sub vno Prælato, vel Domino, seu Patre spirituali; cum eiusdem naturæ sint, eiusdem fidei, eiusdem professionis; tamen, quia fortasse diuersæ nationis sunt, vel diuersarum factionum, vel ętatum, &c. adeo discordibus animis viuunt? Quàm excusationem habebunt Patresfamilias, qui cum sic vocentur, quia omnibus de familia debent patres esse; tamen hos fouent & impinguant, illos verò tamquam spurios reiiciunt, vel negligunt? si tantum potest natura in plantis, & animalibus; quomodo non poterit id quod valde minus est, ratio, & gratia in hominibus? surgent, vt ita dicam, arbores, & bestiæ in iudicio contra generationem istam, & condemnabunt eam. & sicut dicitur in Euangelio; *si homines tacebunt, lapides clamabunt*: ita dico si homines contra illam tacebunt, ligna, & bruta clamabunt.

CHRYS. *seu auct. oper. imp. Hom. 46.* Prædictam gallinę similitudinem attulit Chrysostom. seu auctor operis imperfecti Hom. 46. dicens, quod sicut gallina non solum diligit & fouet suos, sed cuiuscumque volatilis filios à se exclusos; ita Ecclesia omnes, quos per Baptismum generauit, siue Iudæos, siue Gentiles. Si hoc præstat Ecclesia, quomodo id non debet præstare qui est pars Ecclesiæ, seu Prælatus in ea, siue sæcularis siue Ecclesiasticus? Sed quid dico hoc de auctore Operis impefecti, cum Auctor operis perfecti, de quo dicitur *Dei perfecta sunt opera*, hanc similitudinem gallinæ sibi attribuerit? *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos, & noluisti?* pullos suos, inquit. & certè quotquot illa exclusit, & generauit, illos in filios habet, & pullos suos reputat.

2. *Christiani in eadem naui Ecclesiæ ad idem tendunt, vbi vniti varij generis homines.*

3. *Item vt varia animalia vnita in Arca Noë, pacificè licet aduersa manebant.*

2. IDEM Chrysostomus Homil. prima in Symbolum Apostolorum ait: *Ecclesia velut nauis in mari posita, portat credentes, portat baptizatos in vna modulatione, in vna charitate, in vno remigio sanctitatis, in funibus charitatis, in velo orationis in arbore Crucis, in pice pœnitentiæ, in stuppa castitatis, in tabulis pacis, in anchora fidei.* ita ille. Et certè sicut nauis eodem sinu, & quasi brachiis charitatis portat tam Regem, quàm mendicum, tam Æthiopem, quàm album, imo tam equitē, quàm equum; ita Ecclesia eàdem charitate omnes quamuis diuersi status, & ordinis portat. atque illi, quamuis antequam nauem ingrederentur, diuersum, & contrarium inter se iter haberent, nimirum iter vitæ, & voluntatum; tamen simul atque

CHRYS. *Hom. 1. In vna modulatione, quia nauigare solebant aliquando cum musica.*

intrant

intrant in nauem, relicta viarum diuersitate, quam prius sectabantur, eâdem semitâ omnes vehuntur, nimirum itinere nauis: ita postquam quis per Baptismum intrauit in nauem Ecclesiæ, quamuis antea in via morum, vel voluntatis ambularet contrarius proximo; tamen modo debet ambulare sicut ipse ambulat, tendere ad eandem metam, idem habere propositum viarum mentis.

3. Arca Noë figura fuit huius nauis, in qua lupus, & agnus, Leo & hœdus, homines & feræ, pacificè manserunt: quamuis ante arcæ ingressum sese inuicem persequerentur, seu fugerent. In ea aues, & quadrupedia & homines eadem via vehebantur: non aues sursum, alia verò animalia deorsum. Crux Christi figurata in ficu fatua Zachæi, (quia, vt inquit Beda: *credentes alit vt ficus, & ab incredulis irridetur vt fatua*) hæc inquam arbor mediante Christi passione produxit fructus multorum generum, nimirum homines cuiuslibet nationis & status. nam, vt ait Ambros. lib. 8. in Lucam, *Zachæus fuit pomum vnum sicomori, vt in hoc quoque compleretur illud, Ficus protulit grossos suos.* ita Ambr. imo addit ibi, *Ad hoc enim Christus aduenit, vt ex lignis, non poma sed homines nascerentur.* Vnde ergo tot poma nata diuersi generis, de quibus dicitur. *Vidi turbam magnam*, &c. ex omnibus tribubus, & populis, & linguis; nisi ex hac ficu, seu sicomoro? Qui ergo in Ecclesia discorditer viuit, is peior est lupo & leone, & omni fera pessima, quæ in arca pacificè vixit cum hoste suo, quod ille non facit in arca Ecclesiæ.

Ambr. lib. 8. in Luc.

An non etiam gallina fuit Christus? exclusit varij generis pullos, & illos vnanimes secum duxit, & etiam ducit, non solum pullos gallinarum, & anserum, vel similium, sed accipitrum & columbarum, falconum & passerum? dixi accipitrum & columbarum, hoc est gentium & personarum inimicitias ad inuicem exercentium, quas in vna Ecclesia pacificè vniuit, & post se deduxit. sicut & in eadem religione peculiari, & cœnobio sæpè homines ad inuicem sibi antea aduersantes, pacificè vnit. Talis inquam fuit Christus, dum per Isa. 11. 6. ita depingitur Isai. 11. 6. quasi paruulus ferarum domitor. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. vitulus, & Leo, & ouis simul pascentur. & puer paruulus minabit eos.* Talis fuit Christus, dum non solum congregauit sub alis multos ex Iudæis, quasi pullos proprij generis; sed etiam cuiuscumque nationis hostis Iudæorum, atque mutuo inimicæ.

Vnde bella, & lites in vobis? nonne hinc ex concupiscentiis vestris, &c. Acutè quidam obseruat concordiam discordes, discordiam concordes facere:

Discordes facit vna animos concordia nostros:
Nam quod tu velles, hoc quoque, Marce, volo.
Idem animus fiet, fiet discordia concors:
Et tu quod velles, incipe velle minus.

2. *Credentium cor vnum, & anima vna.*

3. *Exemplum inimicorum post mortem adhuc in cadaueribus inuicem pugnantium.*

Cranz. lib. 10. Vand. c. 39. 2. CRANZIVS lib. 10. Vandaliæ, cap. 39. dicit aliquando alicubi tot baptizatos fuisse, vt non reperirentur tot nomina, quot sufficerent ad ipsos distinguendos, vnde vno, & eodem nomine mares omnes, alioque omnes feminas appellabant. Addamus nos, vt in eis recenter, ac vno partu editis fidelibus ab Ecclesia matre ostenderetur multitudinis credentium debere esse cor vnũ, & animam vnam, & quasi insuper vnum hominem; ideo rectè vno nomine mares appellati omnes, quasi vnus essent, idem dic de feminis. sicut contigit in admirabili illo, & apud auctores memorato partu Margaritæ Comitissæ Hollandiæ, quo tot peperit quot sunt dies in anno, & baptizatis maribus idem nomen impositum est, sicut & feminis alterum, ita in partu Ecclesiæ enarrato accidit. nam, cum Ecclesia vera margarita sit, & pretiosa, ob quam prudens mercator vendit omnia sua, & comparat eam; (id enim plurimi ad eam conuersi ex gentilitate fecerunt.) cumque margarita idem sit ac vnio; ideo eius proprium esse debet vnire, & vnum facere. vnde *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Margarita illa, & margarita hæc plurimos simul pariunt.

Tertullianus libro De militis corona apud Theatrum, dicit statim à baptismate baptizatis mel, & lac degustãdum præberi solitum, ea duo dulcedinis, & charitatis symbola esse quis ignorat? Indicabat ergo Ecclesia, velle filios suos viscera plena dulcedinis, & fraterni amoris habere ad inuicem, non autem amaritudinis, odij, & biliosi fellis. Mel, tum quia à pluribus floribus; tam quia à pluribus apibus concorditer viuentibus, & operantibus in vnum quid redigitur, concordiæ symbolum est, nedum dulcedinis charitatis. lac etiam, cum de materno pectore profluat in chari partus subsidium, quid nisi amorem significare potest? vnde Cantic. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* Septuaginta *amores tui vino.* Cant. 1. Si Ecclesia vnio quædam est, tum quia est margarita, tum quia est Ecclesia, seu congregatio: cum in Scriptura sectatores alicuius virtutis, vel vitij dicantur filij huiusmodi rerum, *filij superbiæ, filij lucis*, vel tenebrarum, *filij pacis*; quid monstruosius, quam homines filios vnionis filios esse discordiæ? vnionem enim diximus Ecclesiam.

3. Cæsarius libr. 11. Dialogorum cap. 54. narrat Coloniæ eodem die defunctos esse duos factionum acerbissimarum duces, & principes, & fera diffidia inter se habentes, quos reliqui in partes diuisi sectabantur. cumque in eodem tumulo sepulti fuissent, videte populo sibi inuicem terga, & facies verterunt, mutuum auersantes aspectum, quamuis iam mortui: imo calcibus, & mutuis corporum impulsibus se se de eodem loco propellebant, populus, qui in duas factiones erat diuisus, ex eo spectaculo exterritus, ad concordiam redactus est. Cæs. lib. 11. Dial. cap. 54.

Prou. 20.

De

Cant. 1. De dilectione in genere exponitur illud Cantic. 1. apud Gislerium. *Fortis est vt mors dilectio.* quamuis dilectio spiritalis fortior etiam sit morte. at de odio, quod dilectioni contrarium est, in casu enarrato dici potest, fortius est quàm mors odium, dura plusquàm infernus æmulatio. nam neque mors, neque infernus in prædictis inimicis potuerunt odium extinguere, extinguere simultatem. Quid magis contrarium aquæ quam ignis? tamen ignis iam extinctus, & in cinerem mortis, vt ita dicam, redactus, non amplius aduersatur aquæ. at in historia exposita aduersarij etiam extincti pugnabant inuicem. Ossa illorum replentur vitiis adolescentiæ suæ, & cum iis in puluere non dormierunt. Præliorum pater est Mars, finis est mors. at hîc mors etiam est Mars. perueniunt homines ad cinerem, nempe sepulchri, & adhuc ardet in eis ignis odij. Haud satis fuit illis rixarum acerbitate conturbasse mundum, nisi etiam conturbent infernum; & haud contenti igne inferni, ibi ardere volunt igne odij. Verè immortales gerunt inimicitias, in æternum ibi permansuras.

2. *Discordia ignis dicitur; quod nil nec magis destruat.*

3. *Dissidia ponentes lucri causa sui. Lites ex luxu, & concupiscentijs.*

2. IGNIS apud omnes clarum Symbolum est dissidiorum.
Prou. 26. 20. Prouerbiorum 26. 20. *Cum defecerint ligna extinguetur ignis; & susurrone subtracto iurgia conquiescent. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem? sic homo iracundus suscitat rixas.* Sicut ergo nihil est, quod res, domos, vrbesque magis destruere, & ad nihilum redigere possit, quàm ignis: ita nihil quod magis id operetur, quam discordia. Nil deterius potest hostis inimicæ vrbi præstare, quam ignem illi inijcere: & nil deterius, quam ignem discordiæ in ea suscitare. mementote illud, *Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* quid aliud faceret ignis accensus in eo regno? Ignis res solidissimè, & tenacissimè in vnum compactas non solum diuidit, sed etiam in puluerem minutissimum dissipat; vnde postea à quolibet vento facilè dispergantur. ita discordia coniunctissimos quosque & firmissimè sibi cohærentes ita diuidit, vt neque vestigium vnionis in iis relinquat; sicut in lapide, & scilicet igne excocto, & in puluerem conuerso accidit. sic discordiæ ignis ita diuidit coniunctos, vt quasi puluis nequeant amplius vniri in amicitiam, & pristinam coniunctionem, & quolibet flatu aduersariorum possint dispergi cum prius fortes essent, & stabiles concordia.

3. Atheneus lib. 7. cap. 17. dicit piscatores ad anguillarum capturam turbare aquam. sic enim eas suffocari, & capi. vnde Aristophanes ait cuidam, qui ex turbulentia in vrbem inducta vtilitatem captat, *tu anguillas piscaris.* Sic dæmon turbatione excitata (aquam enim turbare etiam vulgò est pacem, & tranquillitatem abrumpere (aqua turbata sæpè anguillas expiscatur, hoc est lucrum Athen. lib. 7. c. 17.

captat.

captat, imo piscatur homines. Sic auaro Iuristæ, qui clientem excitat ad lites, vt inde lucretur; & limpidam aquam meriti, & iuris, quæ manifestè stant à parte aduersarij, iniecto cauillorum puluere, conatur turbidam, & obscuram reddere; congruit illud, *Anguillas piscaris*. Idipsum faciunt gladiatores, (vulgò *li braui, e sgeri*,) qui suscitant rixas inter nobiles, vt ea occasione ab ipsis nutriantur. hi verè non tantum anguillas, sed & alios optimos pisces ex mensa illorum piscantur. Huiusmodi sunt velut illi, qui in media turba eductis gladiis rixari se simulant, vt pallia aliqua fugientium lucrentur: vel qui ignem iniiciunt in domum aliquam locupletem, vt prætextu extinguendi ignem illuc ingressi, dùm præ turba, & tumultu non possunt obseruari, rapinas exerceant. Tandem prouerbium est Italicum: (a) *Accende il foco, perche vuol auanzar cenere*. Hi omnes anguillas piscantur. sed veraciter anguillæ sunt: hoc est, pisces lubrici valde. anguilla enim manu detenta apud Pierium symbolum est rei è manu nostra citò labentis. nam malè parta citò, & malè dilabuntur.

(a) Ignē succendit, vt acquirat cinerem.

Lites & rixæ plerumque ex re familiari, & auaritia habendi, oriuntur. hæc verò concupiscentia opum ex viuendi luxuria & pompa, quam plurimi sectantur, ortum habet, præsertim in victu quotidiano. Plutarchus de garrulitate narrat de quodam sapiente, à quo flagitantibus ciuibus suis, Quomodo possent de ciuitate ipsorum eijci rixæ, & ciuiles dissensiones; ille sciens radicem horum malorum, quibus ea vrbs scatebat esse eam, quam diximus; in suggestum pro concione ascendit, omnibusque spectantibus, cyathum protulit aquâ plenum, in quem farinam immisit, & deinde comedit indicans ex modesto victu posse tolli lites, & dissidia, Iacobus 4. 1. *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc, ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Iac. 4. 1.

2. *Diuisionis damna exemplis probantur, seu similibus.*

3. *Item concordiæ bonum similibus probatur.*

2. VAL. Max. citatur à quibusdam, vt qui dicat, Antiochum Regem, quendam prædonem maris in potestatem suam redegisse cum nauibus, ea tamen cōditione, vt diuisis nauibus medietatē ipsi relinqueret. at deinde naues singulas per mediū dissecari fecisse, & medietatem ipsarum illi tribuisse. adagium est, *qui nauem diuidit, totam perdit*. sic omne regnum in se diuisum desolabitur. Sæpè etiam familiæ, & aliæ societates diuisæ inter se, scilicet diuisione substantiæ, perire solent, & inutiles reddi. Volebat illa meretrix diuidi filium à Salomone dicens, *nec mihi, nec tibi, sed diuidatur*. at cum diuisus vtrique perire necesse erat, debuisset potius dicere, *nec mihi nec tibi, si diuidatur*.

Quidam introducit quasi per dialogum duas familias, quæ ob diuturnas inter se inimicitias, & mutuas iniurias ad inopiam redactæ dolebant se modo multa dura, & aspera pati

pati quibus quidam respondit (alludendo ad vulgi adagialem similitudinem, quâ de his, qui inuicem sunt sibi valde infensi, & inimici dicitur, eos esse canes, & feles) Vos estis inuicem canes, & feles; quid mirum si ossa, & spinæ vobis sint deuoranda? Cùm regno diuiso etiam domus & familiæ inter se diuidantur, & rixentur, sicut *regnum diuisum desolabitur*, ita *domus supra domum cadet.* en ergo familiarũ ruina ex simultatibus.

Tãta res est inuenire duos, qui ex charitate vera & diuina inuicẽ perfectè sibi consentiant habentes cor vnum, & animam vnam: (nam regulariter quot capita, tot sententiæ) vt Dominus dixerit, si duos huiusmodi inuenio, illos constituo Dominos, ac Deos orbis terrarum, vt quodcumq; velint, obtineãt orando; quodcũque velint, efficiant, facti omnipotẽtes.

Matt. 18. 19. Matt. 18. 19. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* Tanta difficultas est, homines sibi inuicem consentire, vt in adagium transierit quod quidã ait quibusdam mutuo dissentientibus, (a) *Accordateui, che farò piouere.* quasi rem impossibilem æstimaret illos concordari posse, rem etiam sibi impossibilem promittebat.

(a) Inite pacem, & pluuiam excitabo.

Quod verò per concordiam, & charitatem homines fiant quasi Dij omnipotentes; Ostendit, quod vulgares, licet minus piè & reuerẽter vsurpant, cum dicere volunt inter ipsos esse cor vnum, & animam vnã. aiunt enim, Sumus hic Pater, Filius, & Spiritus sanctus: quamuis enim, vt dixi, indecens sit ea locutio; tamen insciẽtibus ijs, qui eam pronuntiant, videtur verificari quoad similitudinem quandam: scilicet, quia, vt dixi, quasi alter Deus fiunt, siue sunt, modo explicato per mutuam charitatem. tũ etiam quia cùm in Trinitate sint tres personæ, & vnus Deus, ita per quandam similitudinem ad ipsam, plures personæ vnum fiunt ratione charitatis, sic Lucæ 17. 11. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos.* multitudinis enim per charitatem fit cor vnum, & anima vna. *Luc. 17. 11*

Angelum intra sphęram suæ actiuitatis, suamque potentiam posse simul, & semel plura assumere corpora licet ipse vnus spiritus existat, eisque corporibus motum, & actionem tribuere; ita vt diuersas partes moueantur, & diuersa opera videantur agere; haud dubium est apud doctos. Dato ergo huiusmodi casu, putabũtur ea corpora ab Angelo mota, esse plures homines; cum tamen vnus, & idem spiritus in eis omnibus futurus sit. putabuntur in diuersum moueri, diuersa agere; cum tamen omnes eorum motus, & actiones eiusdem spiritus sint, & ab eodem procedant, hoc est ab Angelo. Ita & in hominibus verà charitate coniunctis, quãuis pluralitas cernatur & motuum ac operationum diuersitas; tamen multitudinis eorum est cor vnum, & anima vna, spiritus vnus amoris? & *ea omnia operatur vnus, atque idem spiritus.* ergo *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.*

Quam admirabile in Sacramento, vt tot hostiæ, tot particulæ in diuersis locis sint, in diuersa moueantur;

& tamen tantæ multitudinis formarum cum tantâ diuersitate locorum, vnus, & idem sit Christus in eis omnibus! ita ergo Christiani per mutuam charitatem fiunt quasi alter Christus per similitudinem. nam *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Videntur plures esse, & in varijs locis; & tamen vnum sunt per amorem. Charitas ergo magna efficit miracula. Per charitatem fideles fiunt quasi Angelus, quasi Christus, quasi Deus, vt explicatum est.

Multitudinis credētium erat cor vnum, & anima vna. non dixit os vnum, manus vna pes vnus, sed *cor vnum, & anima vna.* Multi enim apud nos adulationis, vel timoris, aut vtilitatis causâ videntur tecum valde coniuncti, vt os vnum tecum sint, vnus pes, vna manus. *os vnum*, nam ais? aiunt. negas? negant. *manus vna.* nam si aliquid facis, & ipsi faciunt. *pes vnus*, nam si illuc vadis, sequuntur. os vnum tecum sunt, manus, pes; sed non cor, non anima, non animus. animus illorum non est tecum. ad oculum tantum tecum conformantur, & in externis.

POMPÆ.

2. *Pompa in famulitio.*
3. *Aemulari ditiores se in pompis hominem inopem facit.*
4. *Pomparum vsus molestus etiam vitæ dulcedini.*
5. *Sectator pomparum asino deterior.*

2. 
Cvte quispiā dixit, non debere diuites post se ducere plures famulos, seu aulicos, quā opes eorum exigant, ne, dū producitur cauda, decurtentur alæ. Vulgò enim decurtare alas alicui (*Tagliarli le penne maestre*) est ipsum debilitare in opibus, vel potentia; vt deplumata auis corruat, quæ cum plumis sublimis volabat: & spernens, si immodica, subito decidat, si modica, paulatim. *Qui spernit modica, paulatim decidet*, litteraliter de spectantibus ad opes intelligitur.

3. Scopis ex palma confectis ad verrēdas domos vti solemus. Cum autē palma victoriā significet; & multi, vt vincant æmulos suos pomparū gloriâ, inde inopes fiant; ideo dictum est. *Palmas scopare multas domos*, hoc est euacuare penitus. Multos videas pedites factos ex equitibus, & per vrbē pedestres incedere. Causa est; quia de equis deiecti fuerūt à potētioribus, dū temerè cum eis voluerunt hastiludio contēdere, hoc est, in pomparū certamine. Vulgò dicimus (*a*) *erano bē à cauallo di robba; ma hora sono per terra, ouero son iti à gambe leuate*, Ier. 48. 36. *Quia plus fecit, quam potuit, idcircò perierunt.*

(*a*) Pulchrè equitabāt quoad opes & cōmoditates: Sediā in terram deiecti pedibus se portāt suis. *Ier. 48. 36*

4. Esse pomparum sectatorē in vita & ambitione, non solum indecens Christianis, qui renunciarunt diabolo, & pompis eius; sed etiā onus graue ipsis Paganis, secūdum desideria mundi & carnis ambulantibus, qualem se profitetur fuisse Horatius, nēpe Epicureum. Vnde cum, vt idem testatur, esset humilis conditionis,

ta-

tamen ait, si daretur sibi optio, vt ex proauis clarissimis ortus esset, aut ex ijs, vnde natus erat; electurum se præsentem conditionem, ne cogeretur pompas sectari, & admittere eã libertatem, tranquillitatem ac dulcedinem vitæ, quæ propria est hominum mediocris status, & ab ambitione remotorum, quam ipse describit ibidem lib. 1. Satyra 6. subdit rationem respuendi nobilitatem, & pompas:

Ibid. lib. 1. Saty. 6.

Nam mihi continuò maior quærenda foret res,
Atque salutandi plures, ducendus & vnus,
Et comes alter: vti ne solus rusue peregreue
Exirem: plures calones, atque caballi
Pascendi: ducenda petorrita. nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel si libet, vsque Tarentum.

Petorrita vehiculi genus fuit

Et cum multa alia dixisset de libertate, & suauitate status huiusmodi, addit:

——————— Hæc est
Vita solutorum misera ambitione, grauique.
His me consolor, victurus suauiùs, ac si
Quæstor auus, pater atque meus, patruusque fuisset.

5. Si sectari pompas est onus, & onus molestum, vt ait Horatius supra; ergo homo, vt nobilis fiat, se perpetuum facit baiulum, vel iumentum. *Per farsi nobile bisogna si faccia facchino, ouer asino.* parum enim interest, baiulus sis, an hoc vel illud genus oneris gestare soleat. dixi hunc hominẽ cogi fieri asinum vel iumẽtum sed addo asino deteriorem. nã Genes. 49. de Isachar, qui (vt litteraliter exponit Sà ibi) tributorum onus maluit portare, quam bellis fatigari; dicitur *Isachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.* si enim ille *asinus* vocatur ob onus gestatum quamuis diuersæ rationis ab onere iumenti, vel baiuli; onus nempe tributorum; quomodo non potest dici talem fieri, qui subit onus pomparũ, & qui ob conditionem fumosi status cogitur tributa soluere mundo, vel statui suo pompatico, nempe viuendi, & incedendi cum obligatione tot impensarum, & pomparum? (a) *Con tanti rispetti, & seruitù con obligo di misurar ogni passo, che dà, & ogni parola che dice, sapendo che da tutti son misurate, è pesate?* Dixi deteriorem asino fieri; quia si asinus dicitur, qui subit onera ob requiem obtinendam, seu obtentam; quomodo non asino deterior ambitiosus, qui non aliam requiem, quam inquietudinem perpetuam sperat in ambitione, & pompa? quia in hac parte fumus est ignis, qui *numquam dicit sufficit.* fumus dico gloriæ huius generis de qua dictum *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper* Adagium extat: *Aut Rex, aut asinus.* sed dico hic dicendum esse, *Et Rex, & asinus.* hoc ipso enim, quo Princeps constituitur, non solum onus populi super se ferendo, vt alibi dixi, sed onus pomparum gestando, cogitur fieri talis.

Genes. 49.

(a) Cum tot respectibus, & plus quã seruili obligationi mẽsurandi omnes passus suos, omniaque verba sua: probè sciens eadem ab alijs obseruari & expendi.

2. *Transiens suos terminos in pompis, quasi flumen transgrediens aggeres suos, nocet multis in re familiari, vt se in pompis sic nutriat.*

Eccl. 10.4 1. ECCLESIAS. 10.4. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. quia curatio cessare faciet peccata maxima.* Biblia Veneta, & Arabica, & alij legunt, *Dominantis, seu dominium habentis.* Vatablus, & Capensis exponũt de spiritu, hoc est cupiditate dominandi. sed cũ textus dicat non *potestatis*, sed *potestatem habentis*; & vox illa *spiritus*, animi cõceptionem, & cogitationes, quas vulgò dicimus spiritum significet; (*Haue spirito regale, cioè ha gran cuore, ha spiriti nobili*) ideo melius videtur locus explicandus de spiritu dominantis, hoc est de turgido, & magno spiritu & corde, quale solet esse in principibus, quorum quintum elementum sæpè est superbia, & (etiam cùm boni sunt) magnificentia in expensis, & in splendore, & apparatibus. Vatablus in paraphrasi exponit animum regium esse hunc spiritum, qui ascendat super hominem. Si ergo spiritus regius, seu Principis insilierit in te, nempe splendidè, & cum luxu regio viuendi, & faciendi conuiuia quasi Regis (vt dicitur de Absalon filio Dauid) in eo casu locum tuum ne dimiseris. (a) *Statene nella tua pelle, non vscir del sesto.* quia curatio; hoc est, medicina ista non admittẽdi hunc spiritum, cessare faciet peccata maxima, quæ nimirum committi solent, vt supra vires splendidè & põpaticè viuamus, atque conuersemur. Homo enim est velut flumen, quod si nõ se cõtineat intra terminos suos, si derelinquat locũ suum, & diffundatur per agros; magna mala operatur, valde nocet proximis agris. nam *Cum stabulis armenta trahit*, vt Poëta dixit. ita, cùm priuatus homo, locum suum deserens infimum in cœna, altiorem occupare vult, & quasi locũ Principis, quoad luxum, & pompas; hic velut flumen euadens terminos suos, siue, vt mare irrumpens, damna inferet proximo: opprimendo pauperes, retinendo mercedes, non soluendo debita, &c.

(a) Intra pelliculã tuam te contine.

3. *Pomparum amor insania est.*

4. *Homines nudi sunt, parietes induti.*

3 QVIA *curatio cessare faciet peccata maxima.* curatio, hoc est medela. Syriaca legit. *Medicatio.* omne peccatum stultitia est in Scriptura, vt omnes peccantes stulti. sed qui, cùm inferioris notæ, inferioris census sint, tamen regios spiritus induunt quoad pompas, & luxũ viuendi; ij stultorum Reges dici possunt. Et cur vocatur *curatio*, seu *medicatio* istius affectus superbi depositio, seu remedium; nisi quia insanus est, qui eo laborat? *insanus* dicitur, quasi non sanus. ergo eget medicamine. Non paucis demẽtibus propriè dictis, accidit hæc insania, vt Pontifices, aut Reges se existiment, & consequenter regiam maiestatẽ in omnibus, quoad possunt affectent. vnus ex his ex lacera & pannosa veste sibi regiam velut vmbellã fecerat, & capiti proximã statuerat. Quod agũt isti in ergastulis cum risu sanorum hominũ, id

agunt prædicti extra illa cum irrisione eorundem, qui norunt conditionem statûs, & stultitiam ipsorũ. Remedium ergo huius superbiæ dicitur *medicatio*, quia illud malum insania est.

Ambr. lib. de Nabut. cap. 13. 4. Ambros. lib. de Nabuthe, cap. 13. *Parietes auro vestitis, homines vestis nudatis. clamat homo nudus, & tu sollicitus es quibus marmoribus pauimenta vestias.* panem *postulat homo, & equus tuus aurum sub dentibus mandit. delectant te ornamenta pretiosa, cum alij frumenta non habeant.* ita ille. addit ibi quod maius est: *vitam populi poterat annuli tui gēma seruare.*

2. *Ab humili statu exaltati fastidiunt humilitatem pristinam in victu, & ceteris pompas sectando.*

2. DIVITES sectantur pompas præsertim in mensis instruendis opiparè. vnde de illo dicitur, quod *epulabatur quotidie splendidè.* sed stomacho laborant quidam, qui beneficio Dei erecti de stercore, & collocati cum principibus, ad pinguiorem venere fortunam: nam obliti pristini status cibos, quos antea vnicos habebunt in mensa, postea neque aspicere dignantur. de hac re confictam audi narratiunculam. Quidam iuuenis ex operario nobilis effectus, & diues, cum pompam in mensa præsertim diligeret, & conuiuas in eas nobiles haberet; vidit ministrum quempiam ex suis nuces inter alias dapes sibi apponere, quas indignatus reiecit. tum pater eius ad eum ait: Scis ex qua arbore mensa ista confecta sit? cui ille, ex nuce respondit. subdidit pater: Tu mihi similis videris esse nuci isti. illa enim, cum antea iuxta modum, & naturam suam toto anno laboraret, vix tandē aliquot nucibus onusta erat. at modo absque labore vllo plurimis dapibus instructa cernitur, & quoslibet fructus habet super se, exceptis suis, quos per tot annos vnicè habuit. exceptis inquam nucibus: quia nobiliores tantum fructus in ea apponuntur; vnde & tu nunc nuces ab ea repulisti. Tu quoque hodie omnes alios cibos pretiosos amplecteris, & solas nuces, vel alia huiusmodi, quæ laborando toto anno tibi comparabas, modo dedignaris: neque ea in mensa tua videri sustines, cùm antea nihil aliud in ipsa cerneres. Hæc dicenda præsertim religiosis illis, vel clericis, qui in domo parentum vix nuces labore sibi comparabant; & in statu religioso ipsas nuces etiam cernere dedignantur. Quod dixi de cibis, potest proportione accommodari ceteris rebus, quas superbientes despiciunt in religione, siue in alio statu, cum antè ijs rebus contenti diu vixerint.

2. *Qui pompas maiores viribus sectatur, minimum se ostendit, dum se illustrare putat.*

3. *Fabula de Chrysalo pomparum sectatore in bombilionem versicolorem mutato.*

1. SÆPE pomparum, & fastus sectatores in vestitu, & ceteris, supra vires expensas faciunt in hisce rebus. Vnde, cùm communiter non pos-

possit latere conciuibus facultatum quantitas cuiusque ciuis; dum aliquis tali sumptu diuitem se gestit ostendere, cum non sit; vtique non verum diuitem, non verum magnatem, sed personatum, & fictum se illis exhibet. sic enim Prou. 13. litteraliter dicitur de simili qui exteriùs per pompas, &c. videtur diues, *est quasi diues, cum nihil habeat.* quid est *quasi*, nisi apparenter diues, & falsus? Vide ergo quo tendat tota tua ambitio, quid compares tibi tot expensis: nempe ignominiam magnam, & detrimentum honoris. nonne ignominia est fieri mimum populi publicum, siue in eo officio personam diuitis, siue pauperis repræsentes? at tu tot expensis emisti, & emis hoc munus, vt mimum agas sub larua diuitis. in hoc tantum deteriùs te habens ceteris mimis, quod illi exiguo spatio temporis id agant, tu semper; illi ex necessitate, tu ex ambitione. ideoque dum honoris coronam venaris, percipis coronam contumeliæ, & simul dementiæ, in eò quòd ita erres mente, quod per histrionis officium quæras honorē. tam autem sis larua diuitis, si non sit diues, quam sis larua maioris diuitis, si sis minus diues. ostendis enim te esse quod non es.

Prou. 13.

Vide stultitiam communem multorum. numquam paterentur ferre in vestibus, & in pompis falsas diuitias, falsas gemmas, falsum aurum in annulo, &c. non paterentur falsas æstimari diuitias suas: & patiuntur ipsi æstimari, & esse falsi diuites. quasi non pati possint dolore sibi calcaneum, patiantur verò facilè totum putrescere corpus.

Est igitur *quasi diues*, hoc est secundum personam, & apparentiam, *cum nihil habeat.* Si nobilis es; dicis, video aliquos nobiles magnificè incedere, indui, epulari, cur ipse inferiorem in his me illis exhibebo? sed peto numquid te parem eis faciēdo in expensis, parem quoque eisdem facies in opibus? non certè, sed solum parem te illis repræsentabis, similem exhibebis. ergo dum vis parem te illis efficere, eorum mimum, eorum histrionem te facis. vide quomodo *qui se exaltat, humiliabitur.* quomodo *superbum sequitur humilitas*, vt est Prouerb. 29. Dum non pateris te esse obscurum, te facis scurram. dum non vis te esse minimum, te facis mimum. sed mimi mimi sunt, vt ita se, & rem familiarem seruent: tu verò vt destruas in hac parte. (a) *Fai il buffon di tutti gratis.* imo non gratis, sed maiori pretio, & expensis emitur titulus, & munus mimi, quàm Comitis, vel Marchionis. nam & inuenies qui has dignitates pro degerunt, vt im pompis apparerent maiores, quàm reuera existerent. & expensæ quæ fiunt in pompis, ambitionis causâ, maiores longè sunt, quàm quæ fiunt in emendis titulis prædictis dignitatum.

Prou. 29.

(a) Gratis histrioniā exerces aut ridiculum te facis.

Talis vestitus tibi sit, talis tibi victus;
Est tibi sicut opus sunt tibi sicut opes.

2. Celius Calcagninus in apologis ait: quidam Chrysalus Persa ad Iouis conuiuium magnum venit, cumque prædiues esset, apparuit ibi veste auro, & purpura variè intexta. Huic homines & Dij assurrexere, ex pompa

pa vestium magnum aliquem existimantes. at mox hominis vili ingenio detecto, eius fastui indignantur. Iupiter hunc videns ait, *esto bombilis, seu bombilio.* ita mutatus in hoc animal, vulgò vocatur *Chrysalis*, seu *Crysalides.* ita ibi. sic Græcè vocari credendum est ab auri colore, quem adhuc gerit in alis. Fabula significare videtur hominem abiecti, & vilis animi ex vestium pompa vanum, & leuitate plenum euadere, atque ex ea re in altum extolli quasi quibusdam leuibus alis, quod est in bombilionem, seu Chrysalidem commutari. Ecclesiastici 11.
Eccl. 11. 4. 4. *In vestitu ne glorieris vmquam, nec in die honoris tui extollaris.* ne euadas quasi bombilis eleuando te ipsum per alas vanitatis tuæ. Applica etiam quod qui à pingui fortuna deciderunt, quasi ex diuitibus ac splendide indutis viris in bombiliones conuersi tamen per superbiam adhuc extolluntur, atque in quantum possunt, pompam pristinam sectantur, antiquum retinentes fumum, quamuis assam carnem amiserint. ij optime figurantur per diuitem præfatum, qui adhuc extollitur, & aureo colore, ac purpureo fulget in bombilionem commutatus. quia *ossa istorum replentur vitijs adolescentiæ suæ, & cum ijs in puluere dormient.* Applica etiam quod verus Iupiter, Deus inquam *superbis resistit*; & efficit, vt qui se exaltat humilietur, quod est *baltheum regum dissoluere*, & fune præcingere res eorum, ex hominibus illos in vermes, seu erucas conuertere. bombilis enim genus est erucæ. Actuum 12. 21. Herodis fastum in regia veste concionantem in vermes mutauit. nam dicitur percussus ab angelo *eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit.* acclamauerant enim ei regiè induto, *Dei voces, & non hominis.* Applica tandem, fastum & prodigalitatem diuitis sæpè ipsum ad inopiam redigere, & quasi ipsum Chrysalum Persam ex nobili in vermem, hoc est ignobilem commutare: de cæli sublimitate, & de conuiuio Iouis deijcere in terram, hoc est, de sublimi ac felici statu in miserum præcipitare. qui mensæ diuum assidebat; & alebatur nectare; in erucam conuersus, (quod animal ab erodendo sic appellatur) cogitur victum vagando per prata sibi emendicare, & pro ambrosiâ, herbarum & florum erosione viuere, hoc est quasi filius prodigus siliquas cupere. Act. 12. 21.

Policrates abundauit gemmis, Paris mercibus, Minos nauibus, Lucullus villis, Crassus metallis, Attalus vestibus, Nero palatijs, Xerses mancipijs, Aristeus armentis. at hodie præpotens, & prædiues omnes illos in se vno complecti vult. sic est Policrates gemmis, Paris mercibus, Minos nauibus, Luculus villis, Attalus vestibus, Crœsus metallis, Nero palatijs, Xerses mancipijs, Aristeus armentis. In ciuitate variæ officinæ sunt, hæc gemmis referta, illa vestiqus, illa metallis, illa alijs mercibus: at palatium potentis est velut vrbs quædam & congregatio officinarum. continet enim copiosè prædicta omnia.

Dixi

Dixi palatium eius esse vrbem officinarum; imo mundus est vniuersus. India enim mittit ebur, mittunt sua thura Sabæi mare dat margaritas, montes christallum; hæc prouincia fert lanas, alia aliud. at luxus, & cupiditas, & amator pomparum, vniuersum congerit orbem apud se, vndecumque exquirit pretiosa, & delitiosa, quæ in hoc sæculo sunt, facit domi suæ, siue apud se esse Indiam cum suo ebore, Arabiam cum suis aromatibus, terram cum suis metallis, mare cum suis margaritis, aërem cum suis auibus, syluas cum suis feris. apud diuites enim, & in aula vna omnes officinas rerum, omnes prouincias inuenies. ita videas apud Magnates, auium, & ferarum, & piscium in magno numero simul congestorum loca peculiaria. vnde domi suæ potest dominus piscari, aucupari, & venari. Vnde dicere videntur illud Sap. 2. (si nomine luxuriæ, luxus igitur sicut accipitur apud Latinos) *Nullũ pratũ sit, quod pertranseat luxuria nostra*, hoc est luxus, & pompa. Non satis est homini compendium mundi esse, sed & voluit compendium mundi habere: indignum quasi existimans se non habere foris quod retinet intus; & cum ipse sit mundus paruus, non habitare in mundo paruo, scilicet in domo, vbi collectus sit mundus in vnum. Benignitas Dei colligit totum mundum in homine: & luxus hominis colligit totum mundum circa hominem. *Nullum*, inquiunt, *pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, quasi dicat nullum genus deliciatum aut pomparum omittamus, vndecumque, & ex omni loco coaceruemus nobis delicias.

Sap. 2.

CONSORTIA.

2. *Multa millia patrum interempta à Deo, ne consortio filios cõtaminarent.*
3. *Cum peccatoribus à longè tractandum, vt cum peste infectis.*

1. IDE quantum noceat malorũ consortiũ. Quærit eruditissimus auctor cur ex illis sexcẽtis hominũ millibus, qui ascenderant ex Ægypto, duo tantum, scilicet Iosue, & Caleb. terram promissionis tenuerint, ceteris in deserto non quidem naturali morbo (quia *non erat in tribubus eorum infirmus*) sed potius violenta morte, ferro & igni interemptis? illi respondet D. Chrys. in Psal. 43. *Vt qui Palæstinam erant occupaturi, mala quæ erant in Ægypto non vidissent; & vt tanta improbitatis nullum magistrum haberent.* hæc ille. vbi non asserit omnes illos violenta morte, sed plerosque perijsse. maluit Deus iuxta Chrysost. perire innumerabilem populum, quem tot portentis & mirabilibus eduxerat de Ægypto, & in solitudine nutrierat; quàm ex aliquorum iniquorum consortio alios lædi. Cùm verò illi, qui sic perierunt, patres essent eorum, qui in Palæstinam ingressi sunt; aduerte quantum noxij sint parentes iniqui ipsis filijs, vt expedierit tot ex illis necari, ne filijs fierent in Satan.

Mendoza in 1. Reg. c. 1. n. 5.

D. Chrys. in Psal. 43.

3. Leprosos significasse peccatores tritum est apud SS. Patres. ideoque iudicium

iudicium de lepra eorum commissum Sacerdotibus significasse iudicium Clauium super peccata in Sacerdotibus futurum. vnde Lucæ 17. dicit Christus decem leprosis, *Ite ostendite vos Sacerdotibus.* similiter notum est apud auctores, exclusos fuisse leprosos à consortio hominũ ceterorum: vt indicaretur vitiosos homines à cõsortio bonorum amouendos esse. His positis peto, cur Eliseus, cum venisset ad ostium suum Naaman Princeps militiæ regis Syriæ, ab eo missus cum magno, & illustri comitatu, visus est illum contemnere, non egrediendo ad eum, sed per nuntium tantum dicendo illi, *Vade, & lauare septies in Iordane?* vnde ille indignatus re infecta abire volebat. *Iratus Naaman recedebat, dicens, putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.* Similiter & decem leprosi. Lucæ 17. *Steterunt à longè, & leuauerunt vocem dicentes, Iesu præceptor miserere nostri.* & Iesus cum soleret alios, quos curabat adducere ad se; non contentus tantâ distantiâ ab illis leprosis, loquitur eis velut Eliseus vt vadant, *Ite ostendite vos sacerdotibus* longius valde eos mittit, nempe vt Doctores aiunt, à Galilæa, vel Samaria, vbi erant, in Ierusalem. Cur ista? nisi, vt discamus viros bonos longè à prauis, & immundis debere esse? vulgò dicimus, (*a*) *bisogna parlar co' tristi con la ciarabottana.* Eliseus non contentus denegato aditu Naaman, ait illi, vade ad Iordanem: Christus non contentus distantiâ, ait illis, *ite, ostendite vos Sacerdotibus*; vt doceant nos, quod si aliquando agendum sit cum peccatoribus, id fiat per verbum *vade*, per verbum *ite*: vt eos ita iuuemus, vt simul etiam longiùs à nobis remoueamus; vt illis simul, & nobis ipsis consulamus.

Luc. 17.

Luc. 17.

(*a*) Cum prauis hominibus per fistulam siue arũdinẽ loquendũ.

Ecclesiastici 37. 12. *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate.* agentes cum leprosis leprâ animæ infectis, non aliud eis inculcandum, nisi vt lauentur in Iordane lacrymarum, & pœnitentiæ, vt ostendant se Sacerdotibus. nil vltra addidit Propheta, nil Christus. quia quidquid vltra addemus, superfluum, & noxium nobis erit. Duo scelesti contendebãt apud Principem, vel alia de causa apud eum in iudicio constituti erãt. ille vni eorum præcepit, dicens, Statim fuge ex hac Prouincia. alteri verò, & tu illum insequere. sic ab vtroque scelesto se & suos liberauit. Malos si non licet fugare, debes fugere. si non potes currere post ipsos, curre ante ipsos. Ecclesiast. 37. 12.

4. *Etiam cum iactura temporali nostra amouendi à nobis iniqui, quia nobis sunt claui in oculis lanceæque in lateribus.*

4. BENEFAC peccatori, & vità leproso, sed simul amoue à te. peccator est homo pestilens, Prou. 15. 12. *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* si tempore pestis pestilens aliquis ad te accessurus, vt nummum obtineat; vt amoueas illum longè à te, etiam marsupium integrum post illum iactabis. Si ergo pestilens exigit à te pal- Prou. 15. 12.

pallium, relinque ei & tunicā. vulgo dicunt: (a) *Da vn giulio al diauolo è leuatelo dauanti. al nemico falli il ponte d'oro*, Quis magis inimicus tibi quàm peccator? Num. 33. 55. de peccatoribus, & infidelibus, quos Hebræi nollent necare in terra ab ipsis Hebræis occupata ad habitandū (indicans scandalum, quod ab eis pateretur) ait: *Qui remanserint erunt vobis quasi claui in oculis, & lancea in lateribus.* Quis non pateretur reponi clauum in thesauro gemmarum, vel diademate regio, dummodo ex oculis sibi erueretur? idem dic de lancea, dummodo ea de latere sibi auferretur. Stulti ergo sunt, qui, ne lucrum aliquod, vel emolumentum, aut voluptatem deperdant, non patiūtur amoueri à se eos, qui sibi sūt in occasionem peccati. hi certè sunt velut auari al qui teterrimi, qui ne expendant aliquid in Chirurgum, malunt retinere infixos clauos in oculis, lanceas in lateribus.

(a) Dona Diabolo vel Giuliū vnū, vt ab eo te expedias. inimico pontem aureum struas. *Num. 33. 55.*

2. *Etiam Iudæi Samaritanis amici, vbi communicant in lepra eiusdem vitij.*

2. INimici erant ad inuicem Iudæi, & Samaritani, adeo vt prouerbio locum dederint in omnes inter se dispares, & discordes? Io. 4. *Non coūtuntur Iudæi Samaritanis.* vnde neque in siti putabant posse Iudæum à Samaritano potum aquæ petere, vt colligitur ex verbis Samaritanæ ad Christum id petentē. immo dicitur Lucæ 9. de Samaritanis, apud quos Christus transiens hospitari voluit, *Et non receperunt eum; quia facies eius erat euntis in Ierusalem*, hoc est propositum eius erat eundi ad inimicos ipsorum, vt Hieronymus exponit, addens etiam, quia ex hoc, ipsum, vt Iudæū æstimarunt. Si ergo ita se habent ista: cum ex decem leprosis Lucæ 17. nouem fuerint Iudæi (vt habet Theophil. Lucæ 17. Euthymius. D. Bonau. & alij, quod colligi videtur, quia de vno tantum dicitur, *& hic erat Samaritanus.* Vbi ingratitudo notatur, vt propria Iudæorum in reliquis nouem, vt Bonau. ait super hunc locum) quomodo ergo coutebatur hic Samaritanus Iudæis, & maximè vnus inter nouē inimicos tam vnanimiter, & pacificè? nā simul cum illis obuiauit Domino, stetit à longè, leuauit, vocem eadem verba dicens, atque etiam simul ibat ad sacerdotes. Sed dic. minimè id mirum. nam eodē morbo, eâdem leprâ cū illis laborabat. plus potuit lepra ad eos in vnum conciliandos, quàm omnis alia dissensio, aut disparitas ad eos diuidendos. Sic ergo videas aliquos, qui factione, patriâ, institutis sunt inter se velut Iudæi, & Samaritani, nec vllatenus ad inuicem coutuntur. sed fac superuenire illis communem leprā, nempe commune vitium, aut propositum iniquū; vt si communiter conspirarunt contra aliquē tertium, vel mutuo sibi auxiliantur ad luxuriā, vel auaritiā; tunc videbis, quod sicut diuersæ nationis, & conditionis homines per susceptam religionē, & per nouum, & commune propositū animi, fiunt, & vocantur Fratres in Christo, & monachi: ita & disparis animi, & qualitatis, per nouū propositū malū, fiunt Fratres in diabolo,

Io. 4. *Lucæ 9.* *Lucæ 17.* *Lucæ 17.*

diabolo. nam similibus competit illud, *Vos ex patre diabolo estis.* Sublatâ leprâ statim finita est societas in leprosis, qui erant diuersæ nationis. nam Samaritanus illis relictis redijt ad gratias Domino agendas. transactâ lepra communis vitij, vel lucri, & emolumenti iniqui, & communis; statim sodales sibi inuicem terga vertunt, (a) *Chi in quà, chi in là.*

(a) Vnus hac, alter illac.

3. *Innoxiè cum malis viuens miracula facit.*

D. Bern ep. 24. 3. D. BERNARDVS ep. 24. ad Hugonem de periculo conuersationis cum improbis (alludendo ad illud, *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* & Ecclesiastici. 51. 6. *In medio ignis non sum æstuatus.* & fortè etiam ad illud Ioan. 1. 5. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*) dicit: *Quale nempe est illud tangere picem, & non inquinari ex ea? in igne sine læsione versari? & in tenebris absque caligine esse?* quasi dicat: hæc miracula facere oportere eum qui bonus cum malis vult esse. non solum sanctus sit oportet, & miraculorum patrator, vt dixi, sed, vt ita dicam, sit alter Christus, qui fuit *lux in tenebris lucens*, hoc est, vt ibid. Ber. ait, in peccatis sine peccato.

Ecclesiast. 51. 6. Ioan. 1. 5.

Nazianzenus in oratione funebri in laudem Basilij, de Basilio eius amico, & de se ipso loquens circa vitia suorum æqualium, cum quibus habitabant, ait: *Quod si quis est, aut esse creditur fluuius per mare dulcis fluens; aut animal in igne, quo omnia consumuntur saliens; hoc ipsi inter æqualium greges eramus* bonus ergo inter malos, est velut fluuius dulcis in mari, qualem poëtæ dicunt fuisse Alphæum; vel Salamandra viuens in igne.

Ibidem ait de vitio, seu virtute addiscendis per consortia: *Faciliùs est vitium contrahere, quàm virtutem impertire. quemadmodum etiam faciliùs est morbo alieno infici, quam sanitatem largiri.* ideo Dauid, vt ait quidam doctor, animaduertens quanto in periculo versaretur, eò quòd inter improbos esset, & ferè nullius sancti societatem habere posset, quo sibi consuleret; exclámat Psalm. 11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus.* Psalm. 11.

D. Ambros. lib. 4 in Lucam cap. 5. docet plus potuisse peccatum Iudæ ad agitandum nauiculam fluctibus, quam virtutem cæterorum discipulorum, qui ibi erant, ad eam côtinendam in tranquillitate. de qua procella Matth 8 25. narratur. *Et si multa illic discipulorum merita nauigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat.* sic Ambros. & paulò post, *Caueamus igitur perfidiam. caueamus proditorem, ne per vnum plurimi fluctuemus.* vide quantum noceat etiam vnius mali hominis consortium. Ioan. 13. cum exiisset Iudas de cœnaculo, & ab alijs se separasset; inquit Augustin. tract. 63. in Ioan. *exeunte immundo, omnes mundi remanserunt.* quasi vnius iniquitas in omnes quodammodo refunderetur; illo recedente omnes ad suam munditiam restituti, vt ita dicam, videntur fuisse, iuxta Augustini locutionem.

D. Ambr. lib. 4. in Lucam cap. 5. Matth. 8. 25. Ioan. 13. August. tract. 63. in Ioan.

Iustorum consortia adeo vtilia sunt.

sunt, vt ipsamet vitia ratione & sensu carentia, & præsertim quæ ex natura sua impudentiora sunt ceteris ad solam præsentiam ipsorum erubescant, & ad nos accedere non audeant, D. Clemens libro 1. recognitionum ad Sanctum Petrum sic ait; *Vereor esse sine te, cuius solam præsentiam omnis luxuria, etiamsi ratione careat, erubescit.* luxuria dici potest esse ipsamet impudentia. nam meretrix quæ impudentiæ symbolum est, (iuxta illud Prophetæ, *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*) per luxuriam est talis. vnde *pudicitia* à pudore, *impudicitia*, quasi impudentia dicta est. impudentior ergo est ipsâmet luxuriâ, ipsâque impudentiâ, qui non erubescit coram Angelo suo custode, coram Deo, quos præsentes habet, turpe aliquid committere. id à fortiori dicendum de his, qui in ecclesijs coram Deo, & Angelis non erubescunt mulieres impudicis oculis aspicere.

D. Clem. lib. 1.

2. *Peccatores contractum societatis in peccando ineunt inter se.*
3. *Variè explicatur illud Prov. 1.* Marsupium vnum sit omnium nostrûm.
4. *Iniqui quasi Monachi dæmonis in communi omnia habent, Fratres fiunt ad inuicem.*

2. NON solum mercium, sed exercentur à multis etiã mercimonia vitiorum: nempe permutationes. quod genus est mercaturæ: nam socij inuicem sibi communicant, & inter se commutant vitia propria. ille, cum aleator esset, mihi aleam impertit: ego auarus, cùm sim, illi auaritiam tribuo. Theatrum vitæ hum. lib. 4. vol. 2. titulo morborũ acquisitio ait, Hispanos morborum mercimonia exercuisse cum Indis. ab illis enim Gallicum morbum accepisse: ad ipsos verò detulisse pustularum morbũ, vulgo variolarũ, quo in Perù plurimi perierunt. Ita homines morborum animi permutationes faciunt. Pro. 1. Peccatores societatem inter se inituri aiunt, *Marsupium vnum sit omnium nostrûm.* repræsentant per hoc id, quod faciunt iniqui in societate ipsorum. vnusquisque enim alter alteri communicat *capitale*, seu peculium suorum vitiorum, vt per contractum societatis initum maximè augeatur summa hæc vitiorum, & ex sacculo fiat saccus, vel potius ærarium iniquitatis. vnde cum illi antea essent mercatores in Republica peccantiũ, scilicet ratione mercimonij, & contractus societatis: deinde euadant etiam principes peccantium. nam principum est ærarium habere, & ingentes thesauros. Non solum ergo peccatores exercent contractum permutationis, vel etiam cambij inter se; (nam peccatum est nummus, quo sibi *thesaurizant iram in die iræ*;) sed vt magis ditescant, magisque crescat hic thesaurus, exercent contractum societatis vno marsupio inter se facto.

The. v. h. lib. 4. vol. 2.

Prov. 1.

3. *Marsupium* inquiunt *vnum sit omnium nostrûm.* cùm, *vbi est thesaurus tuus, ibi sit cor tuum*; modum inuenierunt, vt ipsorum sit *cor vnum, & anima vna*, quod est, vt omnium corda

in vno sint marsupio, & consequenter concordes sint in omni iniquitate. ita vt quodcũque scelus, quod vnus in mala aliqua societate patrare cupit; omnes eodem animo patrare cupiant. ita qualis est vnus socius, tales sunt omnes. *Vnum marsupium.* vt communis sit thesaurus iniquitatis, & iræ quam sibi thesaurizant.

Cum dicere volumus aliquem aliquos viros adeo captiuasse, & subiecisse sibi, vt pro nutu suo de illis agat quodcunque libuerit; dicimus eum illos in saccum vnum cõiecisse, & os sacci manu sua tenere. diabolus ergo in sacculum vnum conijcit corda malorum hominum per initam inter eos societatem, vt facilè possit pro libito simul de omnibus disponere, ita quod nemo ex ea societate dissentiat ab iniquitate aliorum.

Vnum marsupium sit omnium nostrûm, effectus concordiæ, & vnitatis cordium est, vt *idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis scismata.* Vt ergo tales sint iniqui in omni malo; vult dæmon, vt sicut vnum cor habeat, ita habeant vnum os. nam per marsupium potest denotari os. nam *bonus, seu malus de bono, aut malo thesauro cordis proferunt bona aut mala.* de corde in marsupium oris transfundunt numm os verborum. *Hanno vna stessa borsa, & vna stessa bocca.* si quis dixerit, furemur; omnes inclamant, furemur: si, fornicemur; fornicemur.

Vno funiculo colligatur marsupium. ita collegæ sunt & colligati cordibus ad scelera. sed digni sunt qui communi fune colligentur in pœna, sicut colligantur in culpa. at si non hic, saltem in inferno id fiet. Isa. 24. 22. *Congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum.* in malo concordes corde; at sæpè in supplicio, & furcâ concordes chorda. Isa. 24. 22.

Vnum marsupium sit omnium nostrûm, vt maior vnio sit in eis in malo, dæmon eos omnia vult habere communia, facere in eis vult Rempublicam Platonis, vt faciat Republicã Plutonis. cum inde bella, & lites in nobis, nempe ex concupiscentijs habendi; vult habere omnia communia. ceteræ enim differentiæ apud Logicos, si non sunt substantiales, nempe substantiæ; sunt accidentales, & parui momenti. ita nisi differentiæ & controuersiæ nostræ pertineant ad substantiam, hoc est ad marsupium; plerumque videntur accidentales, & parui momenti. ideo dæmon vult marsupium esse commune societati iniquæ.

4. Dæmon Deum iniquè æmulari volens, sicut seruorum Dei erat cor vnum, & anima vna, & vnum marsupium; (nam *nemo suum aliquid esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*) ita voluit & ipse habere tales, & quasi monachos inferni. sicut autem in veris monachis quodcunque vnus facit, facit & alter. conueniunt in psallendo, in orando, in congregationem; hoc est societatem malorum, solet omninò eadem facere, quæ illi faciunt. vnde Prou. 13. 20. *amicus stultorum similes efficietur.* Prou. 13. 20.

D. Ambrosius Lucæ 22. de Petri negatione ait, *Ibi negat, vbi Chri-* Luca 22.

ftus captus eft, vbi Chriftus ligatus eft. Sed in domo peccantium & in confortio eorum, per peccata læditur Chriftus, immo & crucifigitur. *rurfum fibimetipfis Filium Dei crucifigentes*, vt eft Hebr. 6. vbi ergo non eft tutus Chriftus, tutus erit Chriftianus? hoc eft inter malos pofitus? Vbi lupi non parcunt paftori, parcent gregi? D. Petrus in domo impiorum, & inter eos, qui lædebant Chriftum cecidit. & tu te plus quam Petrum facies, fecurum te inter eos æftimans? *Hebr. 9.*

Ecclefiaft. 15. Ecclefiaftici 15. *Appofuit tibi aquam, & ignem*, hoc eft bonum & malum, vt paulò poft colligitur. Petrus vbi inuenit ignem? in domo impiorum. *ibi calefaciebat fe ad ignem.* vbi inuenit aquam? difcedendo ab igne, & à domo impiorum, hoc eft inuenit aquam gratiæ, & aquam lacrymarum. *exiuit* enim *foras, & fleuit amarè*. ergo in Petro figuratum eft, quod Chriftianus inter peccatores inuenit ignem, peccati fcilicet; & extra illos, inuenit aquam boni, & pœnitentiæ. Ita exeuntes cum Petro de malorum medio, de igne ad aquam, poterunt tandem dicere: *Tranfiuimus per ignem, & aquam, & eduxifti nos in refrigerium.* hoc eft, in cælum.

CONSVETVDO.

2. *Ferè in nulla occafione omittitur.*
3. *In pueris, & nondum affuetis facilè tollitur vitium.*
4. *Inftitutio vincit naturam, multò magis confuetudinem.*

2. Quidam narrant aliquos fures in domum intraffe ad furandum, & cum nil ibi reperirent, vnum ex eis dixiffe, Vbi non funt res non furamur: fed ne perdamus vfum, tollamus hoc fufum. & cum dicto fufum ibi repertum rapuit.

3. Prou. 22. 15. *Stultitia colligata eft in corde pueri, & virga difciplinæ fugabit eam.* quamdiu puer eft, virga fola fufficit. at fi in ftultitia creuerit, & affueuerit; neque fufficit piftilli tunfio. nam Prou 27. 22. *Si contuderis ftultum in pilâ quafi ptifanas, feriente defuper pilo, non auferetur ab eo ftultitia eius.* fæpè enim corripere ipfum verbis, vel factis, eft, vt vulgò dicitur, *tundere aquam in mortario.* *Prou. 22. 15.* *Prou. 27. 22.*

4. Ambrof. 2. de Abel, & Caim, cap. 1. *Nonne animantium rationis expertium naturam inftitutio, & confuetudo vincit? difcit pica, coruus, & pfittacus noftra verba proferre: difcit ferox leo manfuefcere: equus difcit parere habenis. difcent etiam pueri, iuuenefque, etfi ad vitia propenfi, vitia fugere, virtutefque colere, fi diligenter inftituantur.* ita Ambro. per difciplinam acquirit irrationale, quæ funt hominis; & non deponet homo quæ funt bruti? beftia acquiret aliena, homo non acquiret fua? *In fe reuerfus* dicitur, qui à vitio ad virtutem tranfit, vt eft in parabola filij prodigi. brutum ergo per inftitutionem erigitur fuper fe, & homo fe non reducet in fe? vel fe non continebit, ne defcendat infra fe, iuxta illud *homo cum in honore effet, non intellexit* &c. ergo audi. Prou. 3. *Qui diligit filium, inftanter erudit.* quis *Ambrof. 2. de Abel, & Caim, cap. 1.* *Prou. 3.*

quis diligit, nisi qui bene vult? quis bene vult illi, nisi qui bonum vult illum?

2. *Dæmon præscriptionem acquirit super peccatorem longi temporis.*

Thom. Anglic. in Psal. 17. THomas Anglicus in Psal. 17. ait: sicut homo præscriptionẽ acquirit possessione longi temporis super rem possessam; adeo vt eâ nequeat amplius per leges priuari: sic, inquit, dæmon præscriptionem quandam videtur acquirere super peccatorem, cùm diu illum possederit, adeo vt non nisi per Dei virtutem & potentiam possit homo liberari ab ea seruitute. Idem dici potest de vitijs, quæ super hominem hanc præscriptionem acquirunt, Vitia, vt ita dicam, fidelissima sunt peccatori. legitur enim, & vtinam falsum esset, apud Indos moriente aliquo Principe, fideles eius ministros, & aulicos cum ipso mori, & sepeliri. sic de vitijs dicitur in Iob Iob. 20. 20. *ossa eius replebuntur vitijs adolescentiæ suæ, & cum eo in puluere dormient.* vitia fideliter cum illo viuunt, atque illum comitantur morientem vsque in sepulchrum.

3. *Institutio, & labor mutos docet loqui.*

3. NE dicas: non possum me cõtinere ab hoc, vel illo peccato, ab hac, vel illa vitæ ratione. nam per institutionem, & exercitationem facies etiam, quod tibi modò impossibile videtur. Quid difficilius, immò quid impossibile magis, quàm mutos absque miraculo loqui discere? at Ambrosius de Morales tomo 2. de rebus Hispaniæ in institutione Principis Hispanicè scripta à Patre societatis Iesu, nominat monachum quendam D. Benedicti, qui exercitatione meditante docuit loqui ætate hac nostra tres mutos à natiuitate quos ibi nominat, qui etiam surdi erant; ita vt cuique interrogationi, signo, aut scripto responderent. Vnde Ambr. lib. 2. de Caim, & Abel. *Tantum*, inquit, *valet institutio, vt vincat naturam.* Ad Rom. 11. gentilis populus, cum oleaster esset, insertus est in bonam oliuam. gratia vincit naturam, & peccatum. Ambros. de mor. Tom. 2. Ambr. lib. 2. de Caim. & Abel. Rom. 11.

4. *Asinus Ammonij discipulus. cicurantur bruta, multò magis homines.*

4. IDem auctor in institutione Principis citat Volateranum lib. 13 Antropologiæ dicentem Ammonium virum maximum Origenis præceptorem habuisse asinum in discipulum hoc est. qui gymnasium frequentabat vt ceteri discipuli, & se ibi locabat eo ordine, & moderatione, qua reliqui auditores. Suetonius in vita Tiberij cap. 27. scribit Tiberium serpentem adeo cicurem habuisse, vt cibum de manu eius sumeret, ac si auicula mansuefacta fuisset. Iacobi 3. 7. *Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* Quantò magis ergo possunt homines bona institutione cicurari, vt vincant consuetudines malas, Volat. l. 13. Antrop. Sueton. in vita Tiberij cap. 27. Iaco. 3. 7.

malas, seu vitia; per bonum visum?

Hebræ. 12. 11. Hebræ. 12. 11. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Molestè fert ab initio pectinem qui implicatos gerit crines; at deinde ijs explicatis facile, & suauiter feret eius operationem. summa difficultatis videtur esse in stamine inserendo in foramen acus. at inserto in illud eius capite, facile quod reliquum est inseritur. ita adagium est, *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.* Iustus ab initio difficilè recedet à iustitia. vt verbi gratia à castitate sectanda, & iniustus à via iniustitiæ, vt ab omissione confessionis, à retentione rei alienæ, vel famæ. at si semel iustus frontem perfricuerit; si iniustus semel seipsum vicerit confitendo peccata, reddendo æs alienum; facilè vterque current viam susceptam, *(a) Tutto stà in cominciare.*

(a) Omnia in eo sunt, vt incipias.

Psal. 48. Psal. 48. *Hæc via illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt.* Hieron. legit *current* loco verbi *complacebunt*. Agellius etiam in Psal. hoc loco ait, *in ore suo* significare in via sua. sicut ergo qui primo per viam, quam confragosam, & offendiculis plenam videt, lento gradu ambulat; at postea audacior effectus, quod eã sæpè perambularit, liberè ipsã percurrit: ita iniqui ab initio pedetentim solent in via peccati incedere ob offendicula ipsius; at mox audaces facti, eâ sæpè calcatâ, ipsam percurrunt. primo *ambulant vias difficiles, lassantur in via iniquitatum*. at deinde via ipsorum fit *complanata lapidibus*. sic enim Ecclesiastici 21. describitur via peccatorum. potest forsitan addi, quòd via illorũ ab initio est scandalũ ipsis: quia ipsimet scandalizantur, & offenduntur de eius turpitudine, & de se ipsis stomachãtur. vnde tardè incedunt per eam ob conscientiæ remorsum. at tandẽ audaces effecti, in ea currunt solutis habenis. Ita, *hæc via illorum scandalũ ipsis, & postea in via sua current.* congruit cum vulgata, *in ore suo complacebunt.* complacent sibi in ea, & ideo eam percurrunt. Ecclesiast. 21.

Hæc via illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt. Potest fortasse etiã dici, quod hæc via, hæc viuendi ratio, cũ adhuc eam nõ suscepissent, illis erat scandalũ, & abominatio. scandalizabãtur, stomachabantur de his, qui eam sectabantur. at postea eandem aggressi viã, & per consuetudinem sæpè illã perambulata, non solum amplius non abominantur ipsam, sed in ore suo sibi complacent de ea. iuxta autem versiones, & explicationes allatas, *postea in via ipsa currunt*, quam prædicabãt, & sentiebant esse scandalis & offendiculis plenam. Heu quot inuenies, qui aliquando, præsertim initio cõuersionis suæ, detestabantur vitia ipsa, quæ postea auidè amplexantur, & de quibus sibi complacent! certè Dauid, si non Psalmis, saltem verbis & animo detestabatur viã adulterij, & homicidij, vt & Salomon viam idololatriæ: & tamen postea vterque viã cucurrit, quã detestabatur. ergo corripiamus huiusmodi peccatores *in spiritu lenitatis, considerantes*

nos

nos ipsos, ne & nos tentemur.

Sed in hærendo sensui communi, & magis verò, dicamus, *hæc via illorũ scandalum ipsis & postea in ea current*, sicut diximus partim ex D.Hieron. partim ex Agellio. Cùm quis lapsus fuerit in via, præsertim si ex lapsu membrum aliquod infractum gerat; solet vel à via desistere, vel cautè, & tardè incedere per illam, vtpote infirmior, & cautior effectus. tamen via vitiorum huiusmodi est, vt quantò magis in ea corruis, tantò fortior fiat & confidentior ad ipsam percurrendam. ita Psal. 15. litteraliter ex expositione Genebrardi, & aliorum, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, hoc est peccata, & lapsus, vnde infirmi effecti sunt.* postea, putabas audire quod destiterunt à via, vel lento gradu ambularunt, *quot postea acclerauerunt post eadem peccata*. ita Genebrard. Peccator velut Antheus, qui dictus est terræ filius quantò magis à colluctatore in terram matrem deijciebatur, tantò fortior surgebat, ipsa vires nouas addente. Italicè diceremus, (a) *quando diuien scauezzacollo per la mala vita, e via che tiene; quando diuien carro strauolto in detta via; all'hora appunto egli corre à briglia sciolia per essa, cioè per l'habito fatto. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Ita etiam quidam in prælijs audaciùs pugnant, postquam sæpè vulnerati fuerunt: in mari audacius nauigant alij, post plura naufragia: & in via accelerant, posteaquam sæpè corruerunt. nam ab assuetis non fit passio. ideo veterani milites in omni militiæ genere fortiores.

Psal. 15.

(a) Postquam in via peccatorum cernuo lapsu ceruicem infregit, post quàm currum euertit; tum demum per eam currit laxatis habenis, ob comparatum peccandi habitum.

Sed quia adagium nostrum est, (b) *Caual corrente sepoltura aperta*; cumque infernus sit sepulchrum quoddam secundæ mortis; vnde diues *sepultus est in inferno*: ideo cum isti currant per viam hanc peccati ratione malæ consuetudinis (in qua via scandala sunt, & offendicula, per quæ in barathrum illud corruatur) quid mirum, si statim subdatur, *Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos?* nihil enim magis ducit ad tartara, quàm consuetudo peccati. A littore virtutis per cymbam malæ consuetudinis peruenitur ad portum damnationis. *Mos est bonus, mos est malus, vnde mors, & vnde salus.* Iuxta quemdam vulgatum dicendi modum dici posset exaggerationis gratiâ: si quis epistolam ad tartara tuto mittere cupit, tradat eam homini mala consuetudine inuoluto.

(b) Equus currens par ns sepulchrum

Sed sicut *vestis nuptialis*, hoc est, nobilis, & quæ ad cohonestandas nuptias apta est, vt Maldonatus exponit (per quam ait charitatem intelligi) facit vt homines ad nuptias admittantur; & quæ non nuptialis est, sed plebeia, & vilis, causa est, vt ea indutus mittatur *in tenebras exteriores*: ita etiam vestis animæ, habitus bonus, medium optimum est ad hoc, vt homo admittatur ad nuptias beatitudinis, sicut malus habitus, vt mittatur homo in tenebras exteriores, hoc est, in infernum. quia hæc duo sunt instrumenta alterum ad bona, alterum ad iniqua opera. vnde salus, vel damnatio prouenit.

Nonnulli, vt in tractatu de vestiũ pompa diximus, scribunt quemdam inuitatum fuisse ad conuiuium. venit, sed cum veste humili. vnde à ministris reiectus est. putarunt enim ipsum intrudere illuc se voluisse, vbi non nisi nobiles viri inuitati essent. rediit cum veste pretiosa, exceptusque est benignè post conuiuium discessurus, dum expectat, vt gratias agat conuiuij domino, ipse detracta se nobile pallium ponit in sede, quâ sederat ipse, & ad ipsum cōuersus, Gratias inquit, tibi ago, quod ad conuiuium me admiseris. similiter poterat & vesti plebeiæ, ob quam reiectus fuerat, dicere, Tibi adscribo eiectionem meam à conuiuio. ita quamuis Dei gratia, & mors sancta sufficiat ad salutem; quia tamen boni, vel mali habitus animæ, quasi vestes eius bonæ, vel malæ valde cōferunt, vt dixi ad bona, vel iniqua opera; sæpè homo admissus ad *cœnā nuptiarũ agni* poterit dicere: Gratias tibi ago vestis, quod me huc introduxeris. subaudi, post Deum & gratiam eius, gratias tibi ago. sicut & damnatus contraria dicere poterit vesti, seu habitui malo.

Parabolam audi. Dæmoni in cōcilio minorum dæmonum sedenti, in quo illi rationem reddebãt eorũ, quæ in homines operati essent, vnus astitit, dicens, Ego effeci, vt is cui deputatus fueram malos habitus cōpararet; & deinde etiam apud ipsum manens ad actus malos ex habitibus eliciendos tentabam. dæmon magnus iussit hunc verberari. ait enim, tempus perdidisti. sufficiebat enim in ipsum habitus malos inducere. ipsi enim habitus dæmones optimi sunt, & plus quam dæmones, ad inducendũ ex se ipsis hominẽ ad actus suos. Habitus mali nonne arbores sunt malorum fructuũ? nonne arbores, si iã creuerint, spōte fructificãt? sat erat ergo facere, vt arbores crescerent. nōne satis fuerat fontes excitasse, nisi etiã, vt aquam emitterẽt laborares? Hæc ille. quia quamuis homo etiã malis habitibus detentus, possit non agere secundum ipsos, tamen plerumque permittit se ab eis deuinci. (*a*) *Nel ballo del peccato dir si può, La mal' vsanza mena la danza. al suo suonare ci fà ballare.*

(*a*) In choreâ peccati dici potest: Mala cōsuetudo restim ducit. Ad eius modos saltandum est.

MVLIER.

2. *Mulierem fortem quis inueniet?*
3. *Est facilis ad lapsum, & dolosa.*
4. *Mulier etiam fortißimos vincit.*



DICTA *fuit mulier quasi mollior: est tamen Eua Non de carne sui sumpta, sed ossa viri.*

Ita quidam, sed adde, quod debet esse os, vt nō sit caro, hoc est, carnalis per fornicationem: iuxta illud, *non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* sit os, hoc est fortis resistendo petulantibus amatoribus, & propriæ cōcupiscentiæ. sit costa, vt sit casta. Producitur mulier dormiente viro, nempe Adã. sed sæpè hodie destruitur, tẽpe peccando, vigilante super se viro, hoc est, ipsam inspiciente.

3. *Ecclipsin raro patitur Sol, Luna frequenter:*
Est magis ad lapsũ femina prona viro.

Idem ait de dolositate muliebri:

Eſt mulier tanquàm generalis regula; quare?
In multis fallit regula; ſic mulier.

Alius Auctor:

4 *Vt norunt homines; in terris igne probari*
Aurũ, auro mulier, vir muliere, ſolet.

Ignis enim emollit aurum, aurum mulierem quamuis ſæpè ſolidam,& rigidam: mulier autem virum. nam aiunt aliqui dici *mulierem* quaſi mollientem herum, vel dic tu,quaſi mollientem æra, hoc eſt etiam eos, quorum caro, ſeu corda ænea ſunt.

2. *Mulier fortes, potentes, ſapientes, iuſtos etiam vincere potuit.*

2. DE laſciua muliere ait Salomon Prou. 7.26. *Multos enim vulneratos deiecit, & fortißimi quique interfecti ſunt ab ea.* Optimè quidam de hac re in hunc ferè modum: Duces extitere robuſti, qui viſi ſunt ſeipſos bellicorum tormentorũ ictibus exponere; muros ſaltu trãſilire; vbi prælium magis feruebat, ſe ipſos ſtatuere; & deinde coram vultu femineo,qui nõ alia tela eiaculatur, quàm oculorum, non alium impugnat gladium,quam laſciuientis cuiuſdam riſus, non aliam contra hoſtem dirigit lanceam, quam illecebroſæ corporis motationis: manus dat, & deditionem facit. *Fortißimi quique interfecti ſunt ab ea.* Fuêre viri fortes, atque induſtrij, qui comperti ſunt ipſas lenire tigres, ſuperare vrſos, domare leones, frænare feroces equos, ſolo æquare montes, implere valles, exſiccare paludes, procedere vltra terminos vniuerſi, vltra columnas Herculis: quibus poſtea defecerunt vires ſeipſos tutandi à vultu fucato mulieris. *Fortißimi quique interfecti ſunt ab ea.* Inuenti ſunt viri generoſo animo præditi, oculum mentis direxiſſe ad ſcopum ſatis præclarum ſapientiæ altiſſimæ comparandæ, aut obtinendi vniuerſæ terræ imperij: & tamen puellæ faciem omnem eorum conatum à curſu tantorum operum ſiſtere potuiſſe. *Fortißimi quique interfecti ſunt ab ea.* Viri reperti ſunt tantæ ferocitatis, tantique roboris, vt funes abrumperent, catenas ferreas confringerent, lamiras ferri non exiguæ craſſitudinis quaſi ceram digitis complicarent: & tamen facilè deuicti ſunt à ſolo mulierculæ vnius aſpectu, ſeu intuitu. *Fortißimi quique interfecti ſunt ab ea.* Viri agniti ſunt ita in ſenſu ac ſententia propria obſtinatè inhærentes, vt incaſſum vniuerſa facundia oratorum laborauerit, vt ipſis aliud perſuaderet: at ſpecies vnius mulieris, quaſi ſi abſque voce clamaret, abſque ſermone loqueretur, abſque eloquentia permoueret, abſque rationibus perſuaderet, quaſi colores vultus colores eſſent rhetorici, lumina oculorum lumina dicendi, crinium inuolucra nodi argumentorũ, eos quocũque voluit flexit,quocumque voluit traxit. *Fortißimi quique interfecti ſunt ab ea.* Denique viri fuêre virtute inſignes, quique culmen perfectionis attigerant: inter quos Dauidem vnum conſpicio, virum ſecundum cor Dei, inter regia negotia, inter ſceptra,& diademata Anachoretam: qui tamen

Prouerb. 7.26.

tamen ab vno oculorum intuitu in mulierem à supremo illo fastigio in barathrum profundũ sunt repente deiecti. *Fortissimi quique interfecti sunt ab eo.* mulier enim est armamentarium diaboli, est dux præcellens in expeditionibus belloɼũ eius. Hæc ille. at alio loco ait.

Lasciua mulier, insolens Agar tecum est prætextu ludorum puerilium: Ægyptia, quæ Iosephum, dum vocat ad crimen, conijcit in carcerem: Iael, quæ sub lacte clauum abscondit · Dalila, quæ per ementitas i ecebras ingremio capillos esecat. Herodias, quæ per choreas neces operatur Eua, quæ dum viro pomum exhibuit eum in mortem induxit, & è Paradiso expulit. Est etiam Iudith in eo sensu, quatenus apud lectum voluptatis retinet gladium occisionis. Dicatur ergo, *Multos vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* nam
Prou. 5. vt est Prou. 5. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.*

2. *Mulierum occupatio nimia in muliebribus operibus, aut cura familiæ extinguit in eis spiritum deuotionis.*

3. *Iterum de efficacia mulierum ad fortes quosque deijciendos.*

2. PLVRIMÆ mulieres vel accidiâ operum diuinorum, vel etiam auaritia, aut affectu nimio ergá suos, aut seipsas ductæ; adeo totæ sunt in operibus muliebribus, vt spiritum orationis, & deuotionis, & consequenter etiam virtutis per hoc sæpè extinguant, neque orandi, aut legendi, aut Sacerdotes in Ecclesijs audiendi tempus inueniant. His linteæ vestes, aut telæ, circa quas studiosè hic sexus operari solet, oculos obtegunt, ne bonum videant, quod amittunt nimia illa occupatione. Telæ sunt illis tela, quæ desideria virtutis, & inspirationes cælitus missas in eis configunt, ne vltra procedant, & viuant, sed statim cadãt in mortem. vel dic, quod eas ipsæ mulieres acubus transfigunt, & necant, ne in corde ipsarum amplius viuant: sicut pueri acubus transfixerunt Cassianum martyrem, quibus ille traditus fuit, cum esset eorum magister. Semen, quod est verbum Dei inter spinas curarum, & inter acus huiusmodi quasi inter ferreas spinas suffocatur, ita vt fructum nõ referat. Tempus & horas colligant staminibus, vt horæ ipsæ alligatæ laboribus illis transferri nequeant ad operationes animæ. Parcæ sunt plures earum, dum semper stamina ducunt, sed parcæ magis parcitate auaritiæ, quàm operis functione. Parcæ sunt (si de nonnullis loquamur) quatenus vitam sibi nent, eò quòd ita sibi comparent necessaria ad victum. at quæ ex vitio nimis in ea re occupatæ viuunt, mortem deuotioni nere inueniuntur, atque etiam animæ si per eum laborem omittant necessaria ad salutem animæ. Militant mundo, & contra spiritum deuotionis pugnant gladio colùs, & pugione fusi. (a) *Con batton à spada, e pugnale con la rocca, ò conocchia, & il fuso.* Quæ

(a) Lauoran so pra guanciatei nel acu cucire.

seu operantur circa linteas vestes, super ceruicalia quædam id efficiunt. diu ergo, & noctu in ceruicalia incumbunt, & quantum noctu indormiunt illis, tantum diu omninò inuigilant super illa. At rectiùs dicamus eas super ceruicalia operari, quia opera, & spes earum in rebus huiusmodi collocata, (quando, vt diximus, nimiæ sunt in ea re) & præsertim cum ad vanitatem, & superfluos ornatus, seu delitias (vt sæpè accidit) ea operantur; tunc inquam hi labores somnia sunt vigilantium; talem vigilantiam in fine vitæ agnoscent fuisse somnium, & ideo nihil emolumenti ex ea cepisse. ita dormient somnum suum, & nihil inuenient in manibus suis. Acus, quos putant se infigere in linteis indumentis, tunc infixos sentient in cordibus.

3 Iterum de periculo viri ob consortia mulierum. Prou. 7. 26. *Multos enim vulneratas deiecit, & fortißimi quique interfecti sunt ab ea.* Interfecti sunt ab ea, qui fuerant domitores nationum, terrores regnorum, formido principum; qui fulguribus gladiorum, tonitruis vocum minabantur orbi tempestatem excidij, & fulmina desolationis: qui inter illustriora virtutis opera reponebant vrbes destructas, regias prostratas, prouincias solo æquatas, regum familias, seu successiones extinctas, populos quasi maturam messem obtruncatos, campos sub cadaueribus sepultos, fluuios ijsdem à cursu cohibitos.

Prou. 7. 26.

4 *Qui fortißimi deuicti sint à mulieribus.*

5 *Hannibalis exemplum præsertim amplificatur in hoc.*

4. TESTES sunt huius veritatis, non dicam Iupiter in plurima monstra commutatus; non Mars in dolosis vinculis comprehensus; non Hercules femineis spolijs obuolutus; vt cecinerunt Poëtæ; sed Iulius Cæsar post victorias tātâ gloriâ obtentas in Gallia, in Germania, in Anglia, in Thessalia, in Ægypto, in Ponto, in Africa, in Italia, in Hispania, Alexandriæ à sexu femineo victus. Testis Hannibal flagellum Romanæ magnitudinis post tot strages editas Capuæ à mulieribus victus. Testis Olophernes, Samson, Dauid, Salomon. Hactenus eruditissimus, & recens auctor Italicè Idem in alia oratione habet quæ sequuntur, paucissimis additis, vel commutatis.

5. *Fortißimi quique interfecti sunt ab ea.* Ille Hannibal bellator, & hostis Romanæ magnitudinis (dicere possumus) fatalis; ille Hannibal, qui nouem adhuc puer annorum, iurauit super altaria obstinato animo se bellum cum Romanis esse gesturum; & quasi Sol initio ortus sui sanguine horribiliter aspersus, manifestum tempestatis super infelicē Italiam effundendæ præbuit indicium. Ille enutritus in castris, & in prælijs sanguine & hominum nece, & huiusmodi alimento maior ac ferocior effectus, vsque ad iuuenilem excreuit ætatem; & posteaquam adhuc Sagunti existens, aggressus esset Capitolium, imper-

uios aditus aperiens per medios Pyreneos armis Carthaginensibus, inter Gallorum opposita sibi agmina ferro amplam sibi dilatauit viam. ille, qui contra elementa aduersum se in bellum coëuntia, impauidus, & ferox, niues montium animi ardore colliquefecit, confregit duros silices sibi obstantes, non aceto, aut igne, vt quidam scripsêre, sed sudore & fortitudine. Posuit sub pedibus suis superbia fastigia alpium, quos montes natura quasi turres ingentes erexit contra barbarorum ferocitatem. ille, qui velut nouus Martialis furor, vel furia in oculis fulgura, in ore tonitrua, in manu mortem gerens, & fulmina, modo Ticinum Italo tinxit cruore; modo per minora flumina ad Eridanum sanguinis, & cadauerum horridum transmisit tributum: modo Lacum Trasimenum viginti quinque millibus Romanorum trucidatis repleuit: modo ad Cannas famem suæ feritatis saturauit intuitu soli extinctis equitibus seminati, & Latino irrigati sanguine. ille gentium domitor, ille Consulum interfector, ille Capitolij terror, ille Vrbis formido, quæ omnibus erat formidini, ille Fortunæ victor, ille naturæ triumphator, ille, qui videbatur de Parcarum manibus stamina, ferrumque eripuisse, vt pro libito mortalibus innumeris vitam obtruncaret. ille inquam, cum se Capuam contulisset, lasciuis victus amoribus amisit vna die, quæ sexdecim annorum labore adeptus fuerat, & tandem in exilium pulsus à Carthaginensibus toties sua virtute victoribus, profugus, & infelix, se ipsum erubescens, sui ipsius effectus carnifex, præteritorum dierum gloriam miserrimo terminauit exitu, & exitio.

2. *Vis attrahendi ad se ex occulta efficacia in rebus varijs res alias. talis est feminæ attrahendi viros.*

QVIDAM vt ostenderet quàm efficaciter mulieris forma virum attrahat, sic inquit: Luscinia ex occulta proprietate attrahitur à viperâ, mustela à bufone, bufo à leone, feræ à Panthera, aqua marina à luna, eliotropium à sole, festucæ à succino, ferrum à magnete, bilis à reubarbaro, & vir à pulchritudine muliebri, quasi vis eiusdem formæ superet in hoc cetera enarrata, postremo loco eam collocauit.

3. *Mulierum vanitas in cultu notata, earumdem curiositas, & garrulitas.*

2. EZECH. 38 4. dicitur, *Dedi inaurem super os tuum.* alluditur per hoc, vt Hieron. ait, ad vsum eius temporis gerendi annulum per modum inauris pendentem de fronte mulieris super os eius. hic mos & in bonam partem, & in malam potest multa significare. Primo luxum muliebrem in cultu ipsarum; primo quod non satis eis est annulos gerere in digitis, nisi etiam in auribus, & iuxta os eos gerant, quasi digitos in auribus, & Ezech 38. 4.

& in ore etiam habeant, vel aures & os in digitis ipsis, siue in manibus. annulus enim digito, & manibus conuenit. Vel super os gerebant annulum, vt ostenderetur sermonē mulierum plerumque esse de annulis, hoc est de ornamentis, siue de nuptijs per annulos significatis & huiusmodi res semper habere in ore. Vel potuit significari curiositas muliebris in audiendis rebus, & inuestigandis, eò quòd cum inauris sit Symbolum auriculæ, illæ videbantur tres habere aures, cum tres haberent inaures. Item inauris, Symbolum auditus, si iungitur ori; significare potest in muliere sæpè vnum ferè esse aurem, & os: quia in ea audire quippiam & illud dicere alteri, sæpè sunt vnum & idem. vel inauris cum ore iungitur, quia quod mulier dicit non debet esse diuersū, aut ampliatum ab eo quod audiuit, vt sicut in ornatu, ita in operatione audiendi, & dicendi conformetur auris cum ore.

2. *Mulier mutabilis, Lunæ comparatur, vt vir Soli.*
3. *Sapiens fit qui vxorem ducit.*
4. *Mulier sapiens Lunam sub pedibus, vana verò in capite habet, præsertim ob mutabilitatem animi, ac vestium formas, & varietates earum.*

2. QVÆ dicta sunt, & dicentur de defectibus mulierum ad correctionem ipsarum faciant, tum etiam ad vitanda earum consortia à viris: vel etiam, quando expediat, ad abstinendum à coniugio, vt castiùs viuatur. Deut. 24 1. permittitur repudium vxoris, vt & lege Romuli: non tamen permittitur his legibus vxori repudium viri. cur hoc? Primo, quia mulier dicta, vt aiunt, quasi mollis aër. ait Virg. *Varium, & mutabile semper femina.* ideo facillimè, & sæpè virum mutaret. Deut. 24. 1.

Vir, & vxor in Genesis 37. per Solem, & Lunam significantur ex somnio Iosephi de Sole, & Luna & vndecim stellis se adorantibus. quia mulier, nisi virtute contineat leuitatem suam; *Sicut luna mutatur.* vir autem eius debet permanere in sapientia sicut Sol, iuxta id Ecclesiastici 27. de iusto, quod *permanet in sapientia sicut Sol.* ille ergo debet, (quatenus expedierit discretioni) sustinere vxoris, seu domesticæ mulieris inconstantiam, & animi mutationes, atque etiam mentis infirmitates. quia 2. Cor. 11. *Sustinetis insipientes cum sitis ipsi sapientes.* (a) *Conuien che'l sauio porti il matto in spalla.* nam stultus vt luna mutatur. Sic sol immutabilis permanendo, & eâdem facie, tolerat Lunæ vxoris (vt ita dicam) suæ mutationes. Gen 37. Eccl. siast. 27. 2. Cor. 11 (a) Conuenit vt Sapiens tollat stultum in humeros suos.

3. Sol non solum symbolum est sapientis, vt vidimus, sed etiam ipsiusmet sapientiæ in abstracto. Sap. 5. *Iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Hinc disce stultitiam multorum, quisque enim etiam semifatuus ad ducēdam, & regendam vxorē se putat idoneū: cùm tamen sol prudentiæ debeat esse, imo ipsamet prudentia, seu sapien- Sap. 5.

neum:cum tamen sol prudentia debeat esse, imo ipsamet prudentia, seu sapientia, qui id ritè agere possit. cum inquam debeat esse Sol, vt possit Lunæ coniungi, & vt ita dicam maritari, eiusque varietates, & defectus lucis, quasi mentis, tolerare, Sed hodie multi, qui Lunæ sunt, hoc est leues, & fatui, siue effeminati, tamen audent vxores ducere, sicque Luna iungitur Lunæ. Vide qualis erit illa domus, in qua nunquam Sol videatur, sed tantum Luna. erit tanquam domus huius mundi, si in ea sint Lunæ sine Sole. Aliquando etiam contingit, vt Luna sit Sol, & Sol Luna, hoc est, vt vxor sit sapiens, & constans, vir verò stultus, & mutabilis. nonne Nabal Luna erat saltē per stultitiam, sicut nomen suum sonabat, & vxor eius Sol hoc est sapiens, & constans?

4. Pro miraculo autem magni Dei formata est *mulier amicta Sole* sapientiæ, & constantiæ, & quæ Lunam mutabilitatis & insipientiæ habet sub pedibus. Quæ verò vanæ sunt, Solem potius sub pedibus habent, & Lunam in capite, vel etiam in vestimento, quatenus ab illius perfectione dissimiles, eique oppositæ sunt. Amictæ sunt Lunâ, quia leuitas, & vanitas earum transiuit in habitum nedum in actum apud eas, ceperunt, vt Legistæ aiunt, inuestituram ipsius leuitatis. Lunâ induuntur præsertim ratione mutabilitatis vestium continua, (quæ vestes mutatoriæ dicuntur) & mutabilitatis rituum vestiendi, *mutationi di foggie, di forme, di colori*. In signum femineæ huius leuitatis, & mutabilitatis Lunaris, olim ornamentis vtebantur in forma Lunarum effectis, Isa. 3. 18. *Auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas & torques & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia*, & alia plura, quæ ibi prosequitur. Vbi aduerte primum ornamenti genus, quod nominatim suo vocabulo protulit fuisse lunulas, & post has cetera esse prosecutum. cur hoc? nisi quod indicare voluit sensu Allegorico, radicem primam omnium superfluorum ornatuum, ac muliebrium vanitatum esse lunulas, hoc est leuitatem femineam, è qua cetera illa consurgant. Isa. 3. 18.

2. *Inconstantem mulierem habens, quasi is qui ventum tenere nititur.*

3. *Mulier vas exiguum animi pusillitate. ideo ebullit facilè iracundiæ igne. eius ira toleranda.*

2. MVLIVR, inquiunt Etimologi, quasi mollis aër. imo quasi ventus, qui à nonnullis dicitur aër agitatus. tam difficilè est retinere mulierem litigiosam, & leuem, quàm continere ventum, Prou. 27 16. *Qui tenet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dextera suæ vocabit.* Prou 27. 16. ventus est; quando putas, vt dicitur, eam in pugno habere, iam effluxit: sicut etiam si oleum adducas in dexteram tuam, cum manum constrinxeris, iam illud elapsum est. quando fidem dedit tibi, putasque ipsam te manu tenere. iam illa mutauit propositum, mutauit sæpè & amatorem, te reliquit. amasium vetustiorem, non

non amplius possides eam, seu eius voluntatem.

Qui ergo seruit mulieri, præsertim amasiæ, seruit lunæ, obedit lunæ, & consequenter lunaticus est, & cum illâ cogitur mutari. *stultus vt luna mutatur*, hoc est, vt luna sibi dominans, eius domina. qui eidẽ seruit, & in ea spem ponit, spẽ ponit in vento. Cogitur obedire Lunæ, quia quæcunque amasia voluerit, quæcunque petierit, amasius facit, & ei tradit. *Pete quod vis, etiam si petas dimidium regni mei, dabo tibi*, ait Assuerus amatæ vxori. at etiamsi petat vniuersitatem regni tui, scilicet cæli, hoc est à te id auferre moliatur, facilè tradis: & rides promittentem medietatem regni terreni?

3. Mulier iracunda est, hoc enim vitium infirmi animi proprium esse solet, vnde ægri, & senes, & mulieres, vt Philosophi testantur facilius irascuntur. Ecclesiastici 25. *Non est ira super iram mulieris*. 1. Petri. 3. *Quasi infirmiori vasculo*, hoc est mulier. vasculum illa est. omnes nos sumus *vasa figuli, in vasis fictilibus ferentes thesaurum*: at mulier vasculum est ratione infirmitatis, & angusti animi. quis autem ignorat vascula exigua facilè ebullire etiam paruo igne supposito ob angustiam ipsorum? sic ergo illa citò ebullit iracundiâ, & strepit verbis in ebullitione sua. prudentis hominis est, cum olla efferbuerit, non addere, seu supponere ipsi nouum ignem, at potius subtrahere iam suppositum, ne illa per os effundat quidquid intus habet cum ipsius hominis iactura. Ita prudentis viri est, iratæ vxori, aut mulieri ignem non addere, sed subtrahere alioquin illa ex ore euomet quidquid furoris, & contumeliarum intus retinebat cum iactura honoris ipsius viri.

Ecclesiast. 25.
1. Petri 3.

Mulier quasi mollis aër. at aër in sphfera sua est igni proximus, & facilè ab ipso calescit: sic illa ab igne iracundiæ. mulier sexus est feminini, at iracundiæ masculinæ, hoc est, magnæ. *non est ira super iram mulieris*. est luna in mutabilitate, sed sol in calore. Anus ait Apost. Tit. 2. sint *non criminatrices*, quia multæ ex iracundia statim, vt vulgò dicimus, *vengon al criminale*, *siue ad crimina obiicienda*. *Apost. Tit. 2.*

4. *Angeli in forma muliebri non apparent, ne ex ea tententur homines.*

4. QVIDAM obseruant Angelos apparuisse in forma iuuenum, puerorum, militum, at nunquam mulierum, eò quòd hæc figura etiam in Angelis existens periculosa esse potuit videntibus. at dæmon sæpè in illa apparuit, vt quæ apta est ad nocendum. Etiam si Angelus sit illa mulier puritate, & probitate; etiamsi species eius non lasciua, aut fucata, sed angelica sit, & modestiam spiret; tamen tibi periculosa est: ne illam intuearis. An non deuenêre in concupiscentiam iniqui illi ex formis iuuenum, qui ad Loth sunt ingressi, cum essent Angeli? quantò magis alij lasciui arderent ex formis femineis?

2. *Qui non fugerunt à morte ipsa, fugient à muliere; quia sæpè hæc est fortior illa.*

Prou. 31. 2. PROV. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* difficillimè inuenitur mulier fortis in bono, at inuenitur valde fortis in malo, adeo,
Prou. 7. vt Prou. 7. *Fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Adeo fortis est, vt qui neque mortem ipsam fugiunt, dicentes absit vt fugiamus, *Moriamur, & non inferamus crimen gloriæ nostræ*: tamen ab illa fugere non turpe, sed
Ecclesiast. c. 7. honestum putent. nam Ecclesiastis c. 7. *Qui placet Deo effugiet illam.* Fugite fornicationem. Ergo morte deterior est femina nocitura animæ. Ecclesiastis c. 7. *Inueni amariorem morte mulierem.*

3. *Mulieres necis per venena exhibita primæ inuentrices.*

3. VIDEANT qui sese scortis, aut amasijs tradunt, in quarum se manus immittāt. sæpè enim amore in odium conuerso, vel saltem in fastidium ob recentem amatorem acquisitum; insidijs occultis, & mortiferis illos aggrediuntur, vt venenis, & maleficis artibus, quæ huius sexus sunt arma propria. nam *aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium*: vt sapientes dixêre. Vbi illa desijt te amare, incipit velle humare: vbi desierunt venerea, incipiunt venena. Adeo hæ insidiæ sunt eis pro-
Diodo. Siculus lib. 5. priæ, vt Diodorus Siculus lib. 5. dicat mulierem primo fuisse veneni inuentricem, quo tot occultæ neces, & proditiones exercentur. & Vale- Valerius. lib. 2. c. p. 5.
rius lib. 2. cap. 5. ait, *Veneficij quæstio moribus, & legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto scelere orta est.*

4. *Mulieris halitus ex locutione cum serpente venenatus effectus est.*

4. QVID mirum si mulier veneni auctrix fuerit, cum dicat quidam Doctor, *Mulierum halitum venenatum esse inde apparet, quod cum serpente olim locuta est mulier.* Imo sicut prima mulier instinctu serpentis (quamuis inuita) virum, vt ita dicam, venenato cibo interemit, & cum eo postea successores; ita filiæ eius eodem instinctu, sed scienter, venenato cibo sæpè enecant coniuges, vel alios viros: quasi hereditario iure hoc opus ad eas peruenerit. Cum autem hæc agant ex ira & odio, magnoque animi veneno; ideo cum serpente in hoc comparātur. Ecclesiastici 25. *Non est caput ne- Ecclesiast. 25.
quius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.* Cur confertur caput serpentis cum ira magna mulieris, nisi quia sicut ille è capite, & ex ore venenū effundit, eò quòd mordet; ita mulier ex ira ingenti venenum fundit in proximum?

Halitus mulieris venenosus est, posteaquam mulier cum serpente locuta est; quia colloquiū mulieris quasi flatus basilisci reddit sæpè homines venenatos, dū facit venereos. Aiunt quod mulier dicta sit quasi mollis aër. at iuxta dicta potius sic dicenda quasi malus aër, hoc est venenatus, & pestilens, nimirum ratione

tione peccati, quod inducit. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* talia sæpè sunt viris colloquia mulierũ. corrumpunt bonos mores, & corrumpunt bonos mares, non solum quoad virtutem, sed etiam quo ad virilitatem, & masculinam fortitudinem, dum effeminatos, & mulierosos faciunt. & illi adeo fatui sunt, vt dum feminis hinniunt, vt masculi videantur; vtique virilitatem abijciunt, vt se viros ostendant.

Ne se spadones, aut mulierculas ostendant, in hoc ipso spadones, & mulierculas se faciunt, dum abeunt post mulieres; & illis obsequiosè seruiunt. quæ enim personæ, præsertim apud nos, abeunt post mulieres nobiles, & quænam eis seruiunt, nisi mulierculæ, hoc est ancillæ? & qui sunt in obsequio & famulatu feminarum illustrium, & regiarũ, nisi eunuchi? An turpe est euiratum esse corpore, & turpe non est euiratum esse animo? si ita est, ergo homo, etiã si rex esset, deberet gallo, vel cain caput aperire tanquam maiori, si ipse rex eunuchus esset, quod illi non sunt.

5. *Mulieres viros in feminas mutant quasi etiam quo ad corpus.*

5. VIR, vt omnes aiunt, à virtute dictus est. si non habes virtutem, si cares virilitate, vir non es, euiratus es. imo, vt ita dicam, etiam corpore. non solum euiratus, & effeminatus; sed etiam femina es, dum feminam amas. Nonne verum, & tritum est illud, *Amicus est alter ego*? ergo femina efficeris, nam *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* 1. Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur.* Putabas te equitem, & strenuum virum ostẽdere mulieres sectando, & amasias: (nam hoc equitum, & militantium videtur esse. vnde Mars Veneris amator dictus.) at ostendi tibi, quod sic te feminam, & eunuchum fecisti, nec solâ animâ, sed quasi etiam corpore. nam *qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur.* 1. *Corint.* 6.

2. *Libido sapientiam aufert, & scientiam. Salomon eam perdidit ob hoc.*

3. *Lasciuè amantes se inuicem, etiam sine carnali opere spurium generant filium.*

2. CVm amor muliebris reddat effeminatos, quod est quasi in feminas conuersos, quid mirum si simul reddat indoctos, cum feminæ indoctæ sint, vt quæ omne studium adhibent circa caput, & nihil intra caput, & doctrina nihil cum feminis commune habeat, nisi femininum nomen?

Quis Salomone sapientior? tamen Patres asserunt eum per amorem feminarum perdidisse sapientiam, & doctrinam illã mirabilem, quam à Deo acceperat. Ambr. Apolog. 2. pro Dauide c 6. inquit, *Salomon sapientiam nec principio sui habuit, nec in fine possedit.* & paucis interpositis, subdit, *Offendit enim tantum, vt etiam quod meruerat, amitteret.* Augu. de doctrina Christiana, cap. 21. *Salomonis initia desiderio sapientiæ flagrauerunt, quam cum amore spirituali adeptus esset, amore carnali* Ambros. *Apolog.* 2. *pro Daui. de cap.* 6. *Augu. de doct. Chri. cap.* 21.

 amisit:

amisit.id ipsum ex alijs Patribus Pineda probat disertè Lib. 7. de reb. Salomonis. *Concupiscentia sicut ignis exardescit*, vt est Ecclesiastici 9. Amor ignis est. vt ignis non solum facit ignitū, sed facit ignarum. Prima res, quam ignis absumat, cum domum, seu locum aliquem inuaserit, hoc est, quam faciliùs vrat, sunt chartæ & libri. sic ingressus in virum doctum, qui est bibliotheca animata, facilè in eo Sapientiam ex libris haustam consumit, quia eodē puncto, quo intrat Venus, egreditur Minerua. neque Amor, cùm cæcus sit, potest libros legere. Attamen Salomon sapientiam perdidit Deo subtrahente donum suum ab indigno, & effeminato. (a) *Leuan le mogli all'huom la disciplina, Portan la dote, e leuan la dottrina.* Vix potest homo vacare liberis, & vacare libris: & saltem ob id deperdit acquisitam doctrinam.

Pin. Lib. 7. de reb. Sal. Ecclesiast. 9.

(a) Mulieres homini eripiunt disciplinam: dotem adferunt, auferunt doctrinam.

Rupertus, & alij libenter vsurpant prognosticum illud Gregor. quod *Salomon sapientiam in nocte, vtpote in ea non perseueraturus, accepit.* alludunt ad apparitionem Domini per somnium illi exhibitam, in qua tribuit ei illud donum. Adderem ipse, qui sicut donum illud accepit in lecto, ita & perdidit in lecto: accepit in nocte, & perdidit in nocte. hoc est, per cubilia, & noctes carnalium amplexuum.

3. Quidam vanos amores haud fugiunt, quod nil periculi, & turpitudinis in hac re putēt, dummodo res in amore solo sistat. At dico quod pessimum, & turpissimum est, ad quod mutuus amor cum muliere deuenire potest: vt scilicet eo procreetur illegitimus filius, sicut ex Dauidis amore cum Betsabea. nam quid est amare inuicem, nisi ex coniunctione duorum animorum maris, & feminæ gigni amorem vanum? quis est autē amor vanus iuxta antiquos, nisi puer, & puer spurius; Etiam vulgò qui amat dicitur amorem facere, *far l'amore.* facit ergo & gignit hunc puerum. Si ergo etiam inter amantes longè inter se dissitos sæpè castitas periclitatur; quia solo etiam cōsensu mentis illa polluitur, & proles illegitima inde gignitur; vide an res tuta erit, dum inuicem vicini manserint? Hoc distat inter lasciuientes ipso opere, & amantes, quod illi sæpè parentes fiunt spurij per corpus, hi verò saltem per animam, hoc est gignendo Amorem. Quod autem amor; quando peccatum est, & alienam concupiscit, sit filius hominis; probatur ex Iacobi 1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem*. est ergo peccatum filius illegitimus hominis, hoc est contra legem Dei genitus. Immo peius est parere vnum talem filium, siue amorem, quam parere omnes spurios, qui vnquam esse potuerunt. ergo si amas cum peccato; longè peiùs. & turpiùs agis, quàm si innumeros pareres spurios. in hac re enim non est peccatum, sed in actu libidinis ad suscipiendos tales liberos contra Dei præceptum.

Iacobi 1.

AMOR

AMOR VANVS.

2. *Amor stultitia est.*
3. *Morbus aliquando verus & ad veram insaniam & mortem pertrahens.*
4. *Virum in feminam mutat.*

Bisciol. lib.7.cap. 8.horar.



BISCIOLA lib.7.cap. 8.horar. subcisiuarum. dicit poma illa, quæ Italicè vocamus *Melenzane*, dici ita quasi *mala insana*. sunt autem ferè de genere melonum, seu cucurbitarum, aut cucumerum, magnitudine ipsis cucumeris, & in figura parum dissimilia, sed alterius coloris. hæc inquit Ruellius à Gallis vocantur *mala amorum*, & habent succum melancolicum, & irritant Venerem, vt ait Bisciola. dic ergo eadem esse mala amorum, & mala insana. quia amor insania est, & simul irritans Venerem, & homines melancoliâ, hoc est stultitiâ implens nam stultitia, & melancolia magna, idem sunt. Pro. 7.22. de amatore accedente ad alienam dicitur, *Ignorans quod ad vincula stultus trahatur* ergo stultus est amator. Pro.7.22.

3. Idem Bisciola lib. 17.c.23. hor. subcisiuarum dicit, Medicos appellare *hereos*, illum morbum, seu affectum redigentem hominem ad furorem ex amore, qualis sæpe contingit in multis: & sic appellatum censent, eò quòd heris, hoc est dominis & diuitibus eueniat. adde tu, quia *otia si tollas, periere cupidinis arcus*, ideoque artifices, & suo labore viuentes raro talia patiuntur. Tali infirmitate correptus erat, ait auctor ex Ponta. lib. de fortit. c. 29. quidam Galeatius Mantuanus, qui Papiæ cũ hibernaret, fortè puellã, quã deperibat in ponte obuiam habuit. illa ioci gratia, quin tu, inquit, bellissime amator, qui tantum tibi in acie places, è ponte in amnem amoris gratiâ desilis? ille cũ equo statim sese præcipitem dedit, quo exanimato, vix natando è Ticino emersit. tali morbo laborauit Ammon, inquit, Bisciola, & Antiochus Seleuci filius desiderio nouercæ. Galenus de præcog. cap. 6. similia narrat de quada muliere amore incensa. & Gordonius ait hunc morbum corrupto iudicio sæpe trahere homines, vt se perimãt, nisi amatâ potiantur. hæc ibi Bisciola. Adde, ideo dici mulierem sic vocari quasi *molliens herum*. quia amor sit morbus herilis, & mulieres non seruos, sed dominos præcipue mollire curant, præsertim si meretrices sint. tum quia inopes rarò amant. Bisciola l.17.c.23. Pontan, lib de fortit.ca.29. Gal. de præcogn. cap.6.

4. Nõ solũ Amor vanus herũ mollit, vt dicebamus, sed etiam in feminã mutat; adeo vt mulier ita videatur dici, quasi *mulierem faciens herum*; eò quòd vir, cum natura sit mulieris dominus, è contra se facit illi subiectum, eamque in dominã, seu dominum, & consequenter in virũ suum constituit. Sic amantes amicam suã apud Antiquos, & apud nostros *Dominam* appellant; quod nonen etiã nunc in Italia meretricibus insignioribus datur. Deuter. 22.5. *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste feminea.* dicit Lyranus super Deuter. 22.5.

hunc locum, hoc præceptum traditum esse, ne Iudæi imitarētur Gentiles, qui in solemnitatibus Veneris veste feminea induti incedebant apud aliquas Nationes. Macrob. lib. 3. Satur. cap. 8. dicit in regione Attidis viros in veste feminea, feminas virili indutas solitas esse sacrificare Veneri. sic ostendebant per mulierum & Veneris amores viros in feminas, feminas in viros commutari. *Non induetur ergo mulier veste virili*, &c. mulier non fiat vir supra virum, & è contra vir non vtatur veste feminea, non fiat femina.

Macrob. lib. 3. Satur. ca. 8.

Nonne exemplū huius facti præbuerunt Poetæ in Hercule, qui dictus est veste feminea inter ancillas suæ amatæ fila duxisse & fusum, & è contra illam arma, & vestes eius induisse? nonne vulgatum est Amorem transformare amantem in amatum? nam *facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt?* Italicum prouerbium est: *Mal và la casa oue la rocca comanda alla spada*. hoc est, væ domui, vbi colus gladio imperat.

Poteſtne maius malum domui euenire, quàm vt ipsa penitus ita euertatur, vt culmen seu caput eius sub pauimento & fundamento iaceat, & fundamentum in loco culminis? at hoc fit, dum vir, qui est caput mulieris ei seruit, & illa imperat. Nos diceremus, *Il mondo anda alla riuersa, ouero la casa anda alla riuersa. Non induatur mulier veste virili*, &c.

Non solum amator se mulierem facit, & mulierem virum; sed etiam ipsam efficit super seipsum Deam, illamque talē nominat passim. & sicut. *cor regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud*; ita cum dominus domus iuxta Iurisperitos domi suæ sit rex; dum seruum se facit mulieris & cor suum in manu & arbitrio eius collocat, quasi Deæ suæ, ansam sufficientem de se præbet, vt de ipso dicatur, *Cor regis in manu dominæ, quocunque voluerit vertet illud*. Nam, vt Cartarius de imaginibus Deorum notat, Romani templum Veneri dicarunt viâ Salariâ cū inscriptione hac, *Veneri Verticordiæ*. indicantes per hoc id quod diximus. Vis scire an vertat corda quocunque voluerit? ait Poëta, *Quid nō mortalia pectora cogis sæuus amor?* 3. Reg. 11. *Auerterunt mulieres cor eius*, hoc est Salomonis.

3. Reg. 11.

Aiunt quidem, Lunam esse, quæ corda, hoc est cerebrum vertat hominum. nam hoc apparet in ijs, qui aliquando amentes fuerunt. sed cum amantes sint quasi amentes; verè Luna eorum est Venus, quamuis Venus à Luna in Cælo res sint diuersæ. nos etiam dicimus, (*a*) *Le donne gli han voltato il ceruello*. cerebrum enim, & cor sæpè pro eodem sumuntur. Luna, est Venus amentium: Venus, est Luna amantium. Venus Verticordia, dictum de amantibus: *stultus vt luna mutatur* dictum de amentibus.

(*a*) Mulieres illi cerebrū inuerterunt.

Nonne diuersi sunt & distantes dies Veneris, & dies Lunæ in hebdomada? tamen in amantibus sunt vnū & idem ob rationem allatam. Huiusmodi amatores præcipuè in eorum rithmis, & carminibus incusant suū vt aiunt, sydus aduersum, quasi causam amoris eorum. sed dic, hoc sydus

ſydus non eſſe niſi Venerē, hoc eſt, luxuriam. vel dicere eorū amorē, cùm ſit amentia quædam; à luna, non à
Pſal. 57. ſtellis procedere. Pſal. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* ignis amoris excæcantis mentem, & ſolem intelligentiæ. ſydus Veneris illi ecclypſim facit, nedum luna.

Vel etiam dici poteſt, quod cum amor ipſorum amentia ſit (idcircò enim Amor cæcus pingitur, eò quòd cæcos in mente reddat,) conſequēter omnes dies eorū ſunt dies Lunæ, ſeu dies lunares, & non ſolares. nam *ſtultus in tenebris ambulat.* ſunt dies Lunares tenebrarum & ſtultitiæ; non ſolares, hoc eſt, ſapientiæ. quia *ſupercecidit ignis* luxuriæ, *& non viderunt ſolem.* ſol intelligentiæ, non luxit eis. ſunt dies lunares, ſeu noctes ſolares. quia cum Deus poſuerit lunam & ſtellas in poteſtatem noctis; & luna, & Venus, quæ ſtella eſt, dominetur diebus amantium iſtorum; conſequenter eorum dies ſunt lunares, ſeu ſunt noctes. nam luna, vt dixi, in nocte propriè lucet.

Adde, quod cum tales amatores ſapientiſſimi ſint, vt faciant malum, ſiue in rebus amatoriis, (vnde repente ex rudibus Poëtæ fiunt) & benefacere neſciant; apparet eos collocare ſolem in luna, & lunam deinde in ſole. quid enim aliud eſt collocare ſapientiam omnem & ſtudiū in ſtultitia. qualis eſt amor; & cæcitatem in ſapientia, quæ per ſolem ſignificatur? oſtendunt ergo ſe ex ijs eſſe, *qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras.* Vide ergo ſi vniuerſū peruertunt ponendo Solē in Luna, & Lunam in Sole, eodem pacto dū collocant ſapientiam ſuam in Venere, hoc eſt in turpibus amoribus, collocant ſolē in ſtellis. Venus enim ſtella eſt. & dum amores eoſdem ſcripto, vel ore in lucem edunt, *quaſi Sodoma prædicantes peccatum ſuū*: tunc Venerem, & ſtellas in ſole ponunt, quæ res in nocte & tenebris debuerant occultari. quia *qui malè agit odit lucem.* & luna & ſtellæ locum habent in nocte non in die, vt ſi non caſtè, ſaltem cautè.

Item dum amores ſuos (quos dixi ſignificari per lunam, quatenus ſtultitia quædam ſunt) dum inquam hanc ſtultitiam typis in lucem edunt, Lunam in ſole collocant, vt ita magis illuſtrata hæc amentia ab omnibus conſpecta vituperetur. ſicut amatæ mulieres liberos in lucē edunt, tanquā teſtes ſuæ turpitudinis cum ipſis amantibus commiſſæ: ita ipſi in lucem edunt libros eiuſdem facti probatores. hi libros, illæ liberos, ſed hi ſponte, illæ coactè. Illi ergo dicunt malum bonum. ideò ponunt tenebras lucem.

Comœdia plerumque amores & libidinem fouet. at comædia etiam (vt hoc verbo vti liceat, pro vt opponitur inediæ) id facit: *Si careat lignis, noſter non æſtuat ignis: Si tolero famem, non reputes quod amem.* Hos quaſi verſus decantant amicæ, ſignificantes amorem ſuum deficere, niſi paſcatur beneficijs.

2. *Amor fuga vincitur.*

2. QVidam clypei *Rotulæ* apud nos vocantur, qui figuram rotarum habeant. quia verò etiā in calca-

calcaribus rotulæ quædam aculeatæ esse solent; ideo ludendo super æquiuoco hoc, cùm equitum & nobilium, qui equis incedere solent, proprium sit amoribus vacare. ideo inquam dictum fuit equites non debere se ipsos defendere contra Amorem gladijs, siue rotulis manuũ, sed tantum rotulis pedũ nempe fu-
1.Cor.6. giendo. iuxta illud 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem.* rotulis etiã debent sese tueri, nempè affligendo, & feriendo abstinentiâ ventrem equi sui, scilicet corporis. (hoc enim nomen Patres Sancti illi dant.) ita rotulæ, seu clypei fient contra equum hunc gladij: & calcaria erunt illi pro fræno. frænum enim huic equo & in ore, & in ventre, optimè illum continet, ne præcipitet nos.

Cum autem cubilia, impudicitiæ Symbolũ sint, & lasciui amoris; iux-
Rom.13. ta illud Rom. 13. *Non in cubilibus, & impudicitijs*, sicut etiã pigritiæ, & sõ-
Prou. 26. ni, nam Prou. 26. *Sicut ostiũ vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* dicebat ergo quidam Italice: (a) *La radice, è fondamento de' letti son le tauole.* Tabulæ æquiuocum nomen significat & culcitrarum, seu cubiliũ sustentacula lignea, & mẽsas, scilicet nostro idiomate. subtractis ergo tabulis corruunt cubilia, nẽpe amor, & pigritia. Aufer plumas, quæ cubilia significant, à Cupidine, & statim velut auis è sublimi corruit, & quasi capta volucris potest coqui, & comedi, nedum contemni, & conculcari. ita si ab amore, seu ab amante (qui per Cupidinem est figuratus) amoueas plumas seu lectum otij, & desidiæ, ac vitæ dulcioris, qualis est in bene pastis, & nobilibus; statim corruit amor, corruit hostis: & hanc auem, quæ paulò ante erat gryphus terribilis, & ingens, potes torrere, vel elixare prout libet. *La puoi far arresta, ò alessa*, hoc est potes de amore pro libito facere, cum prius illius seruus esses, & captiuus. sic Ouidij notum illud: *Otia si tollas periêre Cupidinis arcus.*

(a) Tabulæ. i. e. mensæ. sunt cubilium fulcra.

3. *Amor dicitur Platonicus, cum sit Plutonicus.*

3. PLumæ, vt dicebam, significant cubilia, & impudicitiã. aufer plumas ab Amore, iam non erit amor, quia Amor fingitur alatus puer. non erit Amor, seu statim corruet Amor. altissimus erat, & statim cadens ceruices franget, *Si romperà il collo.* quid est hoc? volo dicere, quod amatores fingunt amorem suum non esse carnalem, & terrenum; sed nobilem, & sublimem eleuatum â terra, & carnali concupiscentia, quasi longe absint animo ab impuritate. aiunt eum erga amicas esse Platonicum. At si auferas ab eo plumas, si auferas ab eo cubile, & plumas strati concupiti, scilicet spem eius; statim corruit amor, qui paulò ante videbatur altissimus, nec non magnus. plumæ faciunt Amorem, sine illis Amor non est Amor. nam cum ille Cupido vocetur, est amor concupiscentiæ nõ amicitiæ. Amor in plumis est &, in tenebris est, quia cæcus & quasi oculis clausis, & nudus est. quia per ista omnia ostendit se lectum impudicitiæ captare, dormitionem affectare. non abijcit

abijcit *opera tenebrarum*, non induit *arma lucis*, vt in die honestè ambulet: apud eum nox non præcessit, nec dies appropinquauit. sunt apud eum Cimeriæ tenebræ. manet *in comessationibus, & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitijs*. Fingitur Platonicus & est Platonicus: fingitur ignis cælestis, cum sit infernalis, humilis, tenebrosus.

Amor puer est, cæcus est. *è vna frasbetta, vna pazzia*. hoc enim per puerum significarunt, & cæcum. sed cum volantem illum efficiant, & consequenter Angelum quemdam videantur repræsentare, & per has alas, & pennas in sublimi collocent, & ad cælum eleuent; scis quænam res sit, quæ ista operetur? certè non aliud, quam amantium Poëtarum pennæ, vel potius plumæ scriptoriæ, tales enim sunt ratione leuitatis, & vanitatis suæ: illæ pennæ, aut plumæ scribendo efficiunt rem sublimem, & Angelum, siue Deum cælestem, qui merus puer & cæcus est, hoc est mera stultitia. Cecinit Poëta de illo: (a) *Ei nacque d'otio, e di lasciuia humana, nutrito di pensier dolci e soaui, fatto Signor, è Dio da gente vana.* Aufer pennas istas ab Amore, & corruet de sublimi, & cum videretur Angelus videbis esse miseram absque mente, & oculis puerilitatem.

(a) Prognatus otio, nutritus cogitationibus imaginosis, à vanis hominibus in Deorū numerū relatus.

Quid tenebrosius, & vilius corniculâ? tamen, cum aues omnes olim illi mutuas dedissent aliquas ex coloratis ipsarum plumis, illa pulchra comparuit. at cum singulæ aues suas repetiissent plumas, furtiuis nudata coloribus mouit omnibus cornicula risum, vt Horatius cecinit. tenebrosus est Amor, & vilis cornicula. sed Poëtæ & amatores vani suis pennis perpulchris, & coloribus oratoriis illam reddiderunt speciosam. sed repetant suas plumas, & apparebit cornicula.

2. *Vani amantes amant vt perdant.*
3. *Definitio Amoris ex Chrysost. est animæ vacantis passio.*
4. *Vincitur fugiendo.*

2. ECCLESIASTES 10. 2. *Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.* stultus est amator. ideo enim fingitur Amor puer & cæcus. Ideo in sinistra habet cor at quomodo? quia cor suum, amorem suum sinistra manu donat, sinistra nempe intentione. nam amat, vt oderit: amat vt in æternum perdat, & vt hic etiam infamet. quamuis enim fortasse ea non sit intentio amantis, est tamen finis amoris, quia huc tendit concupiscentia. vocat amicam præ amore animam suam. sed verè de hac anima sua dici potest, *Qui amat animam suam, perdet eam.* est amor, vt pereat, est odium ne pereat. anima cor habet in sinistra, quæ debilis est; quia leue est, & vanum, nec eget dexteræ viribus, vt sustentetur. habet illud in sinistra, nempe debili; ideoque audias lasciuum iuuenum dicentem: Heu, me miserum, non possum esse continens. non valeo cor meum retinere, quin omnis mulier alicuius formæ, quam videam, illud mihi non abripiat. At cur hoc non euenit sapienti? certè quia ille in dextera illud habet, tu verò in sinistra

Eccle. 10. 2.

retines, sapiens cor habet in dextera, quia amat, vt profit: amat, vt amet amore amicitiæ, non concupiscentiæ. cor stulti amatoris est in sinistra sua, vt cor amicæ eius sæpè est in dextera eius, quia illa inde expectat quod cupit, hoc est à dextera eiusdem amantis. iuxta illud Psalmi *Sicut oculi seruorum suorum in manibus dominorum suorum*, &c. vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

CHRYS. in Matt. 21. Hom. 40. to. 2.

3. Chrysostom. in Matt. 21. hom. 40 tomo 2. *Definitio amoris hæc est, animæ vacantis passio. nam occupatio virilium sollicitudinum suggestionem voluptatis plurimum excludit. vnde proprium est hoc adolescentium nihil agentium.* Dic duo quasi carmina: *Si non labores, facilè laborabis amore. tunc feriens fit Amor, cùm ferians fit amans.* (a) *Questo detto del cor non t'esca fuora: quando l'huomo fà festa, Amor lauora.* Adde: *Qui in domo ferit, in officina perit.* Amor ferit manentes in domo, scilicet pigros, perit autem in officina, vbi laboratur.

(a) Nota: quod cũ homo ferias agit, Amor occupatus est.

4. *Fugite fornicationem.* in ceteris rebus fugimus, & neque aspicere patimur, quos odio habemus & auersamur. at in negotio amoris secus agendum. inquit Poëta quidam

Te fugio, vitoque tuos mea vulnera vultus,
Pontia: non quia te non amo; sed quod amo.

fugio tuam faciem, meam facem: qui tuus est vultus, meum est vulnus. In hac re verificatur adagium illud, nempe in seruitute amoris: *Aut serui tamquam seruus, aut fuge tamquam ceruus*, vt possis dicere, *posuisti pedes meos quasi ceruorum.*

Blanditias mulierum vitandas ab his qui salutem mentis, & corporis cupiunt, ostendit quidam festiuè. nam *fauus distillans labia meretricis*, &c.

Si renum cupis incolumem seruare salutem;
Sirenum cantus effuge; sanus eris.

2. *Horologium ex cinere mortui amatoris.*

2. NOTVM est illud decantatũque Horologium Amoris, Ex cinere demortui amantis confectum. de quo Poëtá:

Perspicuus vitro puluis qui diuidit horas,
Dum vagus angustum sæpè recurrit iter;
Olim erat Alcippus: qui Gallæ vt vidit ocellos,
Arsit, & est subitò factus ab igne cinis.
Irrequiete cinis, miseros testabere amantes
More suo nullâ posse quiete frui.

Dic iure cinerem amatoris, ex quo corpus, & vita eius constabat (nam homo puluis est) in vitrum translatum fuisse. nam amatoris corpus, & vita verè vitrea sunt, tum ob pericula riualium, vel propinquorum amatæ; tum ob passiones varias, & zelotypiam, quæ affectionem illam comitantur; tum etiam ob imbecillitatem, quam Veneris vsus adducit, si ad ipsum perueniat. vnde sicut in horologio modo de vitro in vitrum deuenit, sic de vitro vitæ suæ in vitrum horologij translatum est.

Adde quod cum puluis in horologio in magnam se angustiã coniiciat

ciat (nempe angustiam foraminis, vnde transit) sic potuit rectè exprimere amantium temeritatem, quâ, vt supra indicaui, sæpè in magnas se redigunt angustias in iis quæ ad rem familiarem, ad salutem, & ad vitam pertinent, si à riualibus, vel cognatis amasiæ deprehendantur. Quia quasi feles voluerunt irrepere, & ascendere eò quo non debuerant; & tamquam fures intrare per fenestras; ideo & tamquam feles coguntur aliquando præcipitare de summis culminibus. si tamquam feles cerebro caruerunt, oportet etiam vt tamquã feles pedibus, & leuitate polleant. juxta id (a) *Chi non ha ceruello habbia gambe.* per fenestram intrare voluerunt, & per eam præcipites dantur. itaque volunt esse felis, vt esset felix; fit infelix. imo vt esset felis, fit mus, & capitur in muscipula, dum sperabat edere caseum. & aliquando dum escæ eorum sunt in ore ipsorum, ira Dei ascendit super illos. quia cum Amor alatus sit, & ideo de genere volatilium; tamquam aui illi retia & laquei multi parantur. sic Vulcanus retia Veneri, & Marti tetendit. & quia Amor cæcus est, facilè incidit in laqueos. Prou. 6. 34. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*, scilicet adultero deprehenso.

(a) Pedes habeat, qui cerebrum nõ habet.

Prou. 6. 34.

2. Amor hodie venalis.

2. BALTHAZAR Bonifacius de venali amore sic cecinit:

Dic quota quæque fuit veterum, quæ vellet amare,
Gratis? hoc meruit ne Deus ipse quidem.
Callidus in pluuiam liquefactus Iupiter auri;
Virgineos fœdâ polluit arte sinus.
Haud nouus inuasit muliebria pectora morbus.
Is venalis amor, qui fuit est, & erit.

Vnde haud negligendum puto quod Patauij lingua vernacula, & alibi, saltem vulgares volentes dicere Venere, dicunt *vendere*, sic diem Veneris prounciando. Optimè ignorãtes quid agant, innuere videntur hac venalitatem Veneris, quam suo nomine secum fert ipsa Venus, quasi sic dicta, quia venditur. Acutè alius de hac venalitate eius:

Cum tam venalis quàm Bacchus prostet in vrbe.
Cur insigne suum non habet ipsa Venus?

Alludit hederæ vini venalis signo nã & ipsa Venus videtur quoddam vinum inebrians. nam Oseæ 4. 15. æquiparantur hæc duo, *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Sed responderi potest dubitationi de hedera; quod libidinosis adeo sapit hoc vinum Veneris, vt, iuxta adagium hederâ non egeat tale vinum. Osea 4. 15.

Ne dicas ergo: ego nobilis sum, formosus vel sapiens; gratis diligar ab hac, vel illa. nam etiãsi ipse Iupiter esses (loquendo cum ipsis Ethnicis,) nisi aurum pluas nedum impendas, nil obtinebis. ille enim aureâ pluuiâ Danaes pudorẽ expugnauit.

Ne dicas, promissionibus eam attraham; hac ed à capietur. nam *nubes & ventus, & pluuia non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.* Prouerbior. 25. Sed nisi de facto impluas aurum non fiet tibi Danae, quamuis Prou. 25.

Iupiter esses. non enim satis fuit illi per nubes, &c. hanc promittere pluuiam.

Idem auctor, qui supra significans Amorem pueris senibusque dominari, de illo sic ait:

Hunc Agathon natu minimum putat, Orpheus annis
Autumat hunc omnes excuperare Deos.
Num fallunt; an falluntur? bene sensit vterque.
Namque puer pueris est; senibusque senex.

Paulus Apostol. *Factus sum*, inquit, *omnia omnibus, vt omnes lucrifacerem.* Qualis autē Paulus ex charitate erga animas. talis fit Amor affectu improbo erga corpora. Iupiter, filius est Saturni. ille filios, & iuuenes, iste patres & senes significat, iisque dominatur. nisi me fallit mea cognitio, à Ioue quam vulgò dicimus *iouialitatem*, hoc est lętitiam; & inde etiam *iuuenes* seu, *iuuentutem* dictam fuisse, haud durum esset credere. sunt enim iuuenes læti, & vt ita dicam, *iouiales*. dic ergo Iouem, & Saturnum, patrem, & filium, iuuenem & senem quasi dedita opera habere mediam inter seipsos, & communem ambobus ipsam Venerem, hoc est in ordine dierum hebdomadæ. nam Sabbatum est dies Saturni: Venus autē est inter ipsum, & diem Iouis. inde apparet, senibus, & iunioribus Venerem esse communem quę inter Iouis, & Saturni diem sortita est locum. Amor vincit Samsonem iuuenem, sed & Salomonem etiam senem. apparet eam esse communem iouialibus, & tristibus: communem patribus & filijs.

Circa id quod paulò antè dixi, amorem esse venalem, non est [illegible]dum [illegible] quidam alius habet, quod quamuis opere non sit implendum, probat tamen illud pronunciatum:

Mittendi fidos ad amantes sunt adamantes:
Solo adamante polit durum adamata faber.

quasi innuatur duritiem, seu soliditatem mentis, & constantiæ mulieris amatæ vinci ab adamante dono dato, seu pretiosis gemmis, aut ingenti pecuniâ. nam gemmarij solo adamante adamantem alium limare, & polire possunt. quia durissimus est lapis.

Cinis est Symbolum memoriæ mortis; aër, mulieris. nam mulier, vt multi aiunt, dicitur quasi mollis aër. Quid mirum ergo si cinis respuatur, neque attrahatur à corde, at aër naturaliter attrahatur ab eo, & ad ipsū penetret? Mediet as sepulchri, scilicet pulchrum attrahitur à corde. totum sepulchrum respuitur.

Post Leandri & Herûs infortunium, inquit Celius Calcagninus, ferunt Sestianos consecrasse Anteroti lucernam illam natationis testem, appensis his verbis, *Qui se felicem in amore probauerit, hanc succendito.* & vsque ad hanc diem nemo eam succendit. ita ille.

VERBVM DEI.

2. *Adulterantes illud vaniloquentia inefficax reddunt, vt vinum aquâ dilutum.*
3. *Prædicans ad gloriam captandam non proficit.*

Isa.55. 2.  SIAS 55. *Verbum meum non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quacumque volui.* At dicet quis, cur ergo tam parum proficit apud nos, qui sæpè ipsum audimus? Responderi potest, hæc promissa esse Dei verbo, quale est propriè illud, de quo
Ps.11. Psam.11. *Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum probatum terra, purgatum septuplum.* At tu audire non sustines verba Dei purgata, & separata à scoria vanæ eloquentiæ, & puluere vanitatis. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aquâ.* ideo parum fructificat in te, quia non videtur amplius verbum Dei, sed verbum hominis. Assume, inquit medicus, hoc pharmacum & curaberis. at tu quia delicatus es nimis, infundi saccarū aliumvè liquorem ad palati tui solatium iubes in pharmacum: & deinde doles, quod salutem non attulerit? Hæc faciens,
2.Cor.2. ex illis es, 2. Cor. 2 *Cauponantes verbum Dei* hoc est adulterantes, vitiantes, vt aliqui explicant.

Laboras nimia frigiditate viscerum, & stomachi. assume, inquit medicus, nonnihil vini huius generosi, ac meri. sed quia austerum est aliquantulum & acre, & aquâ infusa mitescit & dulcius videtur effici; tu aquam infundi in eo vis: quid mirum si non calefacit viscera tua? Frigidus permanes sumpto vino verbi Dei, quod poterat accendere viscera tua ad virtutem: cur hoc, nisi infusa aqua vanitatum, vnde minus austerum & dulcius tibi fieret, illud bibere voluisti? hoc est, vt litteraliter alij docti exponunt *cauponantes verbum Dei.* caupones enim aquâ infusa virtutem, & calorem vini corrumpunt.
Isa.1. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aquâ.* potest exponi de simili vitiatione verbi Dei. Isa.1.

De eo, qui conuertit peccantem dicitur, *Lucratus eris fratrem tuum.* at quomodo possum redimere, & lucrari eum, qui venditus erat, (nam venditus erat sub peccato) exhibito argento adulterino, siue impuro? certè in mercimoniis reiicitur nummus huiusmodi. *argentum* ergo *igne examinatum.* verbum Dei non adulteratum hoc facit. prædicatio est moneta. *bonus de bono thesauro cordis profert bona.* sed adulterina non sunt bona. *Cauponantes verbum Dei.* alij propriè legunt, *adulterantes verbum Dei.* quod facit ad ea, quæ diximus.

Confluerent omnes, si de cælo descendens prædicaret Chrysostomus: confluerent, si prædicaret Angelus: & nolunt audire cum prædicat Deus? nonne prædicat Deus per Scripturas sacras? Nonne prædicat per concionatorem, qui verba Dei vsurpat casta, & depurata à vana eloquentia, qui separat ab argento eius scoriam? Hiere.15. *Si separaueris pretiosum à vili; quasi os meum eris.* fit os Dei, fit Deus ita prædicans. Hiere.15.

Exijt qui seminat seminare semen suum. hoc est, verbum Dei. si, quamuis seminator mundum seminet granum, tamen plerumque admixtum in eo nascitur lolium, vel aliud inutile; quantò magis si seminet semen admix-

admixtum semini immundo? nam, *quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Si ergo concionator seminet inutilia, tu credis quod colliget vtilia: Oseæ 8. *Seminauerunt ventum, & turbinem collegerunt. culmus stans non erit in eis, & germen non faciet farinam.* Qui seminat ventum vanitatis, colliget turbinem vanitatis. ne mireris ergo, si hic non faciat fructum.

Osea 8.

3. Si concionator seminat ventum, hoc est quærit ex inani, & inflata sapientia in populum iactata laudem; is metit turbinem, scilicet populi acclamationes similiter vanas in fructum, & mercedem suæ concionis, soluitur ei ex eadem moneta. Hic concionator fit *follis*, quod verbum Italicè etiam stultum significat, quia vacuus est. fit inquam follis, quia flatum dat, & flatum recipit: flatum pro flatu. follis est Italicè, & Latinè qui dat, & attrahit flatum hunc, aliter *mantice.*

D. Hier. ad Nep. de vit. cleric.

At Diuus Hieronymus ad Nepotianum de vita clericorum contrarium suadet. ait enim: *Docente in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus excitetur: lacrymæ audientium laudes tuæ sint. sermo presbyteri scripturarum lectione conditus sit.* Cum enim Ecclesiastis 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi:* hoc est, in profundum: quid mirum si ex punctione, & compunctione cordium (quæ compunctio dicta est, quod per eam, vt alibi dicitur, homo *quasi gladio pungitur conscientiæ*) quid mirum inquam, si non applausus, & vani clamores, sed lacrymæ, quæ dicuntur animæ sanguis, & ex clauorum penetratione gemitus exaudiantur?

Eccles. 12.

Vel si verba humana, & pia ipsorum sapientum, sunt claui; quid mirum si in altum, hoc est in profundũ cordium defigantur, cum hoc fiat vi verbi diuini, quod est *quasi malleus conterens petras?* hoc malleo vtitur sapiens, cum scripturæ auctoritate roborat, quæ dicit. vnde Hieronymus supra ait, *Sermo presbyteri scripturarum lectione conditus sit.*

Chrysostom. Hom. 28. ad pop. ait *Hoc Ecclesiam Dei subuerti, quoniam neque vos sermonem quæritis audire compunctionis, sed qui delectare sono valeat, & verborum compositione tamquam citharædos audientes: & nos segniter, & ærumnosè vestras sequimur concupiscentias, cum sit opus eas excidere. & idem fit, ac si quis pater frigido, & plus debito molli filio, licet ægrotanti placentum offerat, & aquam frigidam, & quæcumque dumtaxat delectare solent, vtilium verò nullam gerat curam. postmodum à medicis incusatus se purget, dicens, quid faciam? non sustineo flentem puerum cernere. Miser, & infelix, & proditor? non enim huiusmodi patrem dixerim. & quantò melius est breui contristatum, semper incolumem reddere?* hæc Chrysostomus.

Chrys. Hom. 28. ad pop.

Audi iterum tu qui fucatis coloribus, & lenociniis vanis ornatas exquiris audire conciones. Basil. hom. 3. in Exameron, *Quantùm castè viuentium mulierum pulchritudo meretriceæ formositati præponitur; tantùm noster sermo dignoscitur prælatus esse illorum doctrinæ,* hoc est profanorum librorum, & Doctorum. si igitur vis concionatorem ita Dei verbum fucis exornare; vis illam matronam honestissi-

Basil. hom. 3. in Exam.

nestissimam cultu meretricio inuitam circumdare, & ita dehonestatam per hunc ornatum populo spectandam exhibere.

2. *Ornatus Diuini verbi non fucatus sit, sed purus.*

2. SED inquies, non igitur studendum est, vt pulchros nobis prædicent sermones, vt amentur, & auidiùs audiantur? dico studendum esse huic pulchritudini, sed castæ, non meretriceæ: castæ inquam, & puræ, qualis est illa Scripturæ, vt Basilius modo aiebat. Ecclesiastici 44. *Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habētes.* quodnam erat hoc studium pulchritudinis? respondet Liranus, Scripturæ sacræ.

Eccles. 44.

Matth. 17. *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Ambrosius lib. 7. in Lucam, *Fortasse vestimenta Verbi, sermones sunt scripturarum, & quædam intellectûs indumenta Diuini.* Dic ergo etiam per hoc indicari, quod diximus. nam Verbum Dei, scilicet persona secunda Sanctissimæ Trinitatis, repræsentat verbum Dei scriptum, & prædicatum. Mysticè ergo per id significatur ornamenta verbi huius secundi, esse quasi niuem simplicitatis, puritatisque, non vaniloquentiæ: item non nisi candorem vitæ ac innocentiæ prædicare; hancque esse pulchritudinem ipsius verbi ergo homines Sancti *pulchritudinis studium habentes*; huius pulchritudinis, intelliguntur amantes, & studiosi.

Matt. 17. AMBR. lib. 7. in Luc.

Quamquam conceptus præcedāt partus; tamen sumpto vocabulo *conceptus* pro sententia, siue sensu aliquo intellectûs, vt vulgò *conceptus* vocantur res prædicabiles, dicendum est prima Ecclesiæ tempora fuisse tempora partuum nostra verò esse conceptuum: quòd auditores cōcionum hos valde requirant, qui tamen plerumque cum conceptus sint, conceptus permanent, non veniunt ad partum, hoc est ad fructum & natalem. Ecclesia, vt ita dicam, prius fecundior erat in ventre, modo autem fecundior est in capite. vnde quasi è capite Iouis pullulat, & nascitur Minerua, seu Pallas sapientiæ, hoc est doctrinæ, & sapientiæ verborum, cum prius fecundior esset partubus, & filijs genitis ab ipsa.

Fructus colliguntur ex summitatibus arborum. Sed fructus spiritales potius ex radice arborū, quàm à summitatibus. de illo enim, qui disserit de rebus sublimibus, vulgò dicimus, quod (a) *discurrit super summitates arborum.* at plerumque accidit, vt discursus doctrinales & altiores quam sint ipsi auditores, fructus non contineant; & super eas summitates incedēs nil fructûs inueniat. sed quando securis ad radicem arboris ponitur, quando prædicatio ferit corda audientium, quæ sunt velut radix hominis; tunc colligit inde fructus. Potest etiam dici discurrere super arborum cacumina, qui discurrit super hominum capita. homines enim velut arbores sunt. *vidit homines, sicut arbores ambulantes.* discurrit super hominum capita, qui discurrit de rebus ad intellectum potius pertinentibus, quàm ad affectū, &

(a) *Và per le cime de gl' arbolò.*

& cor. vnde dici potest discurrere per summitates arborum, non super radices.

Hiere. 23. Hierem. 23. *Nonne verba mea quasi malleus conterens petras?* Petræ per duritiem,& insensibilitatem sæpè sunt auditores. vnde Chrysostom. tom. 2. serm. de Lazaro ait, *O arduum munus, cum lapidibus ipsis pugnare! attamen opus iam ipsum aggrediamur. audite lapides: quanta enim potero voce contendam, vt audiatis. quid iactatis nec Dei voce flectendos, aut emmolliendos esse?* Hæc ibi.

Chrys. to. 2. ser. de Laz.

NB Addamus nos Verbum Dei in cruce *clamans voce magna emisit spiritum, & petræ scissæ sunt.* Hoc factum præter alia videtur significasse, ad scindendas petras audientium, & insensatorum huiusmodi, requiri, vt prædicator quasi alter Christus de suggesto, quasi de cruce tam validè, & tanto animi affectu exclamet, vt ferè totum spiritum, & animam exhalet vociferando contra duritiem earum petrarum.

Plotinus Philosophus dicebat quasdam animas esse, vt ille loquitur, sulphuratas, eò quòd ex qualibet scintilla accendantur ad virtutem. in casu nostro, ex omni scintilla ignis Spiritùs sancti. *verba mea sunt quasi ignis.* sic Aggrippa Actuum 26. *In modico suades me Christianum fieri.* Aliæ verò animæ sunt adianto indutæ, genus est telæ, quæ igni resistit. ita cum tota Quadragesimâ manserint in fornace, tamen inde egrediuntur frigidæ.

Aggrip. Act. 26.

Ferro tribulationis à Deo, vel correptionis acerba à concionatore, incisum cor; (nam verba sapientum sunt quasi claui in profundum defixi) facilè *suscipit insitum verbum, quod potest saluare animas.* sicut planta sterilis, seu syluestris incisa ferro suscipit ramum boni fructus, & fit vtilis, & ex oleastro transit in bonam oliuam.

Hoc distat inter coquum, & medicum, seu inter cauponem,& medicum, quod ille in cibis tibi appositis suauitatem quærit, hic verò salubritatem. Si vis concionantem apponere tibi tantum quæ delectant, vis facere illum cauponem, & Ecclesiam facis cauponariam, & tabernam, pulpitum mensam. ita illud, *Cauponantes verbum Dei;* exponunt aliqui eo modo quo dicimus. Sed verus prædicator medicus est. talis erat Christus, qui de se ait, *Non opus valentibus medicus.* Quærit quidem & medicus suauitatem in cibis, sed tantùm, quæ ad salubritatem confert.

Si medicus accedat ad ægrum, & æger nolit illum de ægritudine sua loqui, sed de rumoribus, de bellis, aliisque ad rem non spectantibus, & vix tandem duo verba facere de morbo suo; nonne insanum potius dixeris, quàm non sanum? at quid faciunt aliud, qui optant concionatorem agere de iis, quæ iucunda scitu sunt, non autem de animæ ipsorum morbis? Contrarium suadet Ecclesiasticus 38. *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum iusto de iustitia, cum timido de bello, cum impio de pietate.* cum vnoquoque ægro de eius propria ægritudine vult tractari, non autem Eccles. 38 more multorum medicorum, qui vt innuebam apud ægros de rumoribus, aliisque ad rem non facientibus multa

multa differunt, & tandem pulsu semel contrectato abeunt.

Quidam amant audire concionatores magna celeritate (quam vocant dicendi felicitatem) differentes. Sed Hieron. ad Nepotianum lib. 1, ep. 2. ait: *Nihil tam facile, quàm vilem plebeculam, & indoctam concionem* (hoc est multitudinem populi) *lingua volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur.*

Hier. ad Nepot. lib. 1. epist. 2.

Seneca item epist. 40. *Audisse te scribis Serapionem Philosophum, cum istuc applicuisses, solere magno cursu verba conuoluere.* &c. Et statim subdit: *Hoc non probo in Philosopho, cuius pronuntiatio quoque, sicut vita, debet esse composita. nihil autem ordinatum est, quod præcipitatur, & properat.* Et paulò infra: *sic itaque habe, vt istam dicendi vim rapidam, atque abundantem aptiorem esse circulanti iudices, quàm agenti rem seriam.* Sic ille.

Senec. item epist. 40.

Addit ibidem de sermone hoc accelerato: *Multum præterea habet inanitatis & vani. plus sonat, quàm valet. lenianda sunt quæ me exterrent, compescenda quæ irritant discutienda quæ fallunt: inhibenda luxuria, corripienda auaritia. quod horum raptim potest fieri? Quis medicus ægros in transitu curat?* sic ille.

Iterum dicit, quod celeritas ista non satis decora est Philosopho, qui *ponere debet verba, non proijcere.* nam sicut illum decet incessus modestus, ita nec præceps oratio. certè aiūt sapientes, quod sermo est deambulatio linguæ. vnde dicimus discurri linguâ. at sicut ridendus esset vir grauis currens absque necessitate, ita currens linguâ videtur ridendus. Rectè facies, inquit Seneca, si non videris istos, *qui quantùm dicant, non quemadmodum, quærunt.* Hæc retuli non vt damnarem aliquos concitatè dicentes, sed vt sententiam Senecæ referrem: qui tamē moderatur suam opinionem dicendo, se reprehendere ordinariam & præcipitem celeritatem; non autem moderatam, & vbi occasio & rei opportunitas exegerit, expeditam in dicendo facilitatem, & promptitudinem.

Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt. volo dicere, auditores concionum varios varia expectare, multosque quærere doctrinam, & vt disseratur de rerum, & vitiorum, atque virtutum causis, & effectibus. quæ quamuis vtilia esse soleant, tamen immorandum magis in ægro curando, quàm vt multi medici solent, in pulchra dissertatione de morbi natura, & causis. D. Augustinus ad Hieronymum scribens, *Cùm quidam* inquit, *in puteum cecidisset, accessit alius, & eo viso admirans, ait, quomodo huc lapsus es? cui ille, obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me extrahas, non quomodo huc deciderim quæras.* Dictum quidem Apostolis Math. 28. *Docete omnes gentes:* sed statim additum *baptizantes eos.* doctrina ad hoc præsertim dirigenda, mundentur audientes.

Matth. 28.

Multi quærunt conciones breues, dolentque nimis esse prolixas. Vulgò nil peius dici potest de concione aliqua, quàm, Hæc concio nec caput, nec caudam habet. tamen isti plerumque talem ipsam vellent, & quantum in eis est, talem faciunt. nam primo non veniunt ad ipsam, nisi iam incœpta sit: & cùm recitatum

Eeee tum

tum fuerit, vt ita dicam, corpus eius, iam terminatam optarent, murmurantque de eius longitudine vel etiam discedunt. ita sine capite, & sine cauda eam volunt, & partim faciunt. Sed vt D. Cyprianus serm. 3. de bono patientiæ loquens dicit, *Tunc demum sermo, & ratio salutaris efficaciter discitur; si patienter quod dicitur audiatur.* Prædicatio medicinalis est potio. sed potio effectu suo sæpè frustratur tota, quia à delicatis non assumitur integra. Cum oratores in fine dicant *dixi*: quidam ex ijs qui finem statim optant sic inducitur:

D. Cyp. ser. 3. de bon. pati.

Omnia cum dixti, superest tibi dicere, dixi.

Hæc mihi sermonis vox placet vna tui.

Attamen in Dei verbo (qui panis est mysticus, quem paruuli petierũt, & non erat qui frangeret eis) colligenda etiam fragmenta, ne pereant. Cum Deus producere voluit cælum & terram cur non legitur eum dixisse, fiat cœlum, & terra, vt postea dixit, *fiat lux, fiat firmamentum,* &c. respondet Fernandius in Genesim, cap. 1. sect. 3. quod quamuis dicere Dei in ea creatione esset iubere, vt Theodoretus & alij volunt; tamen loquendo iuxta modum nostrum loquendi, Deum non induci loquentem, nisi post creatum Empyreum, quia cum eo simul creauerat Angelos, vt Theologi sentiunt vt disceremus, neque vnum verbum ipsius Dei dictum, nisi postquam essent, qui audire possent. vide ergo si plura Dei verba debeamus inaudita permittere, & deperdita. Disce & inde illud: *Ne effundas sermonem vbi non est auditus.*

Fern. in Gen. cap. 1. sect. 3.

Plinius iunior 1. epistolarum epistolâ ad Sosium dolet de socordia multorum in audiendis Poëtis, qui ex more olim recitabant Poëmata sua coram multis. ait ergo: *Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendis fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari iubent, an recitator* (hoc est Poëta) *intrauerit; an magna ex parte euoluerit librum tunc demum, ac tunc quoque lentè, cunctanterque veniunt, nec tamen permanent, sed ante finem recedunt.* Hæc ibi. Si ille dolet quod sine capite, & sine cauda volunt Poëmata, & cantilenas; vide si dolendum nobis, quod nostri sic velint Doctores, & Prophetas? si vituperat qui audiendis fabulis tempus conterebant, nec audiebant alias fabulas (quid enim canebant, & canunt Poëtæ?) quid dicendum nobis de his qui fabulis histrionum audiendis patientiam cõmodant per plures horas, neque sustinent vnâ hora audire oracula Dei? *Coaceruant sibi magistros prurientes auribus ad sua desideria* (tales sunt histriones) *& à veritate auditum auertunt, ad fabulas autem conuertuntur.* Plin. ibi dicit eos non venire nisi multò antea rogatos: & nostri vt veniant, non satis est quod vocentur à campanario, nisi ad inuitandum etiam veniat Ecclesia, hoc est ecclesiastici, qui multò ante id aliquando præstant.

Plin. iun. 1. Epist. ad Sos.

Consoletur se concionator, si omnibus non placet, cum illo cuiusdam poëtæ de libello suo:

Non cuiuis lectori, auditorique placebo.

Lector & auditor non mihi quisque placet.

Con-

Confert probitas concionatoris ad fructū auditoris. Virtute, & eloquentiâ polleat concionator. admirandus sit dum prædicat; sed magis dum prædicatur, hoc est dum laudatur. maiora audiantur de illo, quàm ab illo. non sileatur dum silet, vt sileant quando non silet. Talem describit quidam Thomam quempiam Franciscanæ familiæ:

Mira silere fratis, quando tu Thoma loquendus.
Quando locuturus, mira silere lais.

D. Epiphanius in libello ad Phisiologum de proprietatibus animalium, dicit serpentem è fonte bibiturum virus antea vomere: sic qui accedit ad fontem verbi Dei debere prius deponere peccata, & iurgia. Hoc & concionatori, & auditori potest congruere. hoc facientes vtrique, erunt prudentes sicut serpentes. In significationem huius præparationis Ioannes præcursor Christi prædicauit ante illum Baptismum pœnitentiæ, vt pararet homines ad audiendum Dei verbū ab ipso Verbo increato. At homines hodie tunc maximè replent sordibus vasa sua (scilicet in Bacchanalibus) quando pretiosissimum liquorem diuini verbi suscepturi sunt in proxima Quadragesima. quasi serpentes imprudentes, tunc replentur, vel reassumūt venenum cum bibituri sunt.

Si auditor debet parare & mundare vas, in quod recipiat verbum, quod retinere debet; magis hoc præstare debet Doctor, qui illud & suscipere, & alijs effundere habet. 1. Esdræ cap. 7 de illo dicitur: *Parauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Israël præceptum, & iudicium.* vide quod prius parauit vas. sed præparatio ista videtur explicari per illud, *& faceret.* Apud nostrates ex lege artificum, qui artem operatiuam etiam mechanicā profitentur, cum vocentur magistri, tamē tales fieri, & nuncupari non possunt nisi per tempus à lege constitutum operati sint tanquam ministri in ea arte. ita operatio est dispositio ad magisterium, & ad docendum quod didicerunt. ita in casu nostro *facere* præparatio est ad *docere.* (1 Esd. cap. 7.)

Et faceret, & doceret, Militia est vita hominis super terram. sed spiritalis spiritus autem pugnat aduersus carnem, & diuersa est militia hæc spiritalis à carnali. in hac enim sonitus tubæ, & tympani præparatio est ad prælium, quasi dicta ad facta: at in spiritali prælio sunt præparatio ad tubas, & tympana, hoc est opera ad verba. Item in grāmatica Dei prior est tertia declinatio, siue verbum tertiæ declinationis secundâ declinatione, siue verbo secunda declinationis, nimirum *facio facis* prior est, quàm *doceo doces. Et faceret, & doceret.* vtrumque perfectum, si simul sit.

Vt decuit docuit, qui te sua dicta probauit.
Plus malè facta nocent, quàm benè dicta docent.

B. Petrus Damiani lib. 7. epist. 17. alludens, vt puto, ad chordas musicalium instrumentorum ex visceribus ouiū confectas, indicat quomodo quis cōcionator bonus euadere possit. qui si mortificet se, & moriatur mundo; benè sic se præparat ad prædicationem, & optimè eam exer- (B. Petr. Dam lib. 7 epist. 17.)

exercet, cum antea infeliciter loqui ciret. ait enim: *Imitare ouis exemplum, quæ nimirum cum viuit, turpiter, balat mortua verò in instrumentis musicis suauiter cantat.* Apostoli, qui sicut oues occisionis fuere mortificati, quàm benè deinde cecinere?

IVDICIVM EXTREMVM.

2. *Quatuor nouissima, sunt manus & pedes, quibus anima operatur, & mouetur ad bonum.*
3. *Quatuor nouissima in negotio salutis sunt quatuor prima.*
4. *Exterminatur qui abit extra terminos hos quatuor, scilicet eos non cogitat.*
5. *Quatuor nouissima quatuor equi solis intelligentiæ.*

Eccl 7. 40. 2.  CCLESIASTICI 7. 40. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternū non peccabis.* Quatuor sunt extrema nostra, in quibus vnū est Iudicium. Sicut autem quatuor sunt extrema corporis, hoc est manus, & pedes; ita quatuor sunt extrema animæ, siue nouissima. & sicut extrema illa corporis sunt præcipua principia motuum, & operationum corporis; ita extrema animæ sunt quasi manus, & pedes animæ quoad operationes, & motus probos ipsius animæ circa virtutem. Sed sicut cor longè distat ab extremis, siue extremitatibus corporis, & minus caloris in eas influit, quā in ceteras partes, ita cor in plerisque hominibus valde distat ab extremis animæ, scilicet cogitandis, & curandis, & minus influit in ea curæ, & studij. vnde de illis dicendum Deuteron. 32. *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Mors & Iudicium sunt velut duæ manus, quæ sunt principium operationum virtutis: Paradisus, & Infernus, sunt velut duo pedes, qui nos deferunt ad pœnitentiæ locū, & super quos, tanquam supra primum fundamentum, innititur corpus totū bonæ actionis, & salutis nostræ. Ergo, *In omnibus operibus tuis memorare,* &c. Deut. 32.

3. Ista quatuor extrema sunt quoad existētiam nouissima, sed quoad potentiam prima. Virtus in medijs, vitia dicūtur existere in extremis sed ideo cor nostrum declinat ad extrema, hoc est, peccat, quia non cogitat nouissima sua. Virtus ergo in hoc sensu consistit in extremis, hoc est in nouissimis, & extrema hæc sunt media ad media, scilicet ad media quibus acquiritur virtus, consequenda.

Extremi sunt animæ morbi, cùm æternam mortem inferant, & difficillimè curentur. Implendum ergo illud medicorum, *Extremis morbis extrema adhibenda remedia.* talia sunt quatuor extrema, & quia nouissima sunt, & quia potentissima, extrema enim sunt tempore, & potestate. Dicitur etiam à Philosophis, *Non transitur ab extremis ad extrema, nisi per media.* at nos dicimus in re nostra, non transiri plerumque ab extremis ad extrema nisi per extrema, hoc est, non transiri à vitijs ad virtutes, nisi per quatuor extrema considerata, saltem vt plurimum. Ergo

in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Etiam virtus comparata ad vitium potest dici extremum, quatenus illi opponitur.

4. *Exterminari*, aiunt nonnulli dictum esse quasi extra terminos eijci. ergo dum dæmones mittunt animā extra terminos suos, hoc est, dum eam separant à cōsideratione extremorum suorum, ita vt quasi post terga eos terminos sibi relinquāt; dum inquam sic agunt, illam extermināt. idem enim est in exterminium adduci, & adduci extra terminos. Adagium Italicum est, (a) *Huomini di confini, ò ladri, ò aßaßini.* eò quòd facilitas aufugiendi ex ditione vnius Principis in ditionem alterius post patrata delicta; occasio sit talia patrandi per impunitatis spem. At de his, qui versantur circa fines, & circa nouissima nostra per cōsiderationem crebram; contrarium potius verificatur, videlicet, *Huomini di confini, huomini diuini.* nam in omnibus operibus tuis memorare no. t. & i. æ. n. p., *Huomini di confini nè ladri, nè assassini.*

(a) Populi vel homines limitanei, aut latrones aut assassini.

Com. l. 5. cap. de sol. 5. Mythologiæ Comitis lib. 5. ca. de sole ait, solem curru vehi à quatuor equis tracto crediderunt antiqui. Lumen iustitiæ, & Sol intelligētiæ, qui lucet nobis à quatuor nouissimis, qui sūt equi eius, ad nos adduci solet. vel etiam dicamus nouissima hæc esse quatuor rotas, quibus currus huius Solis vehitur. ideo dicendum de hominibus, Deut. 32. *Vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent.*

2. *Quatuor nouissima alijs quatuor rebus collata.*

2. **A**ct. Apost. 10. 11. Petrus vidit descendes vas quoddā, velut linteum magnum *quatuor initijs* submitti de cœlo, &c. *& statim receptum est vas in cœlum.* subintelligendum, vt puto, iisdem quatuor initijs sursum eleuatum. idem est quatuor initijs, ac quatuor extremis, seu extremitatibus. Per animalia illa in linteo existentia electi figurabantur: quorum descensus ad Petrum, erat typus aduentus eorum ad gratiam; ascensus in cœlum, ascensionis ad gloriam. Ad hæc ergo dum feruntur per quatuor extrema lintei, videntur posse significare, quod electi plerumque ab initijs huiusmodi, seu à quatuor nouissimis consideratis, & creditis inchoent pœnitentiam, & salutem, iuxta illud Psalm. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* Ita Marci 2 3. peccator in figura paralytici, qui ad Christum *à quatuor portabatur*; à quatuor nouissimis videtur describi ductus ad Deum, hoc est, per considerationem eorum, mediante Dei fauore. Adde *à quatuor ventis*, hoc est à quatuor finibus, & partibus terræ congregandos electos; & *ab exitibus viarum*, hoc est à finibus, vt Sà exponit, intrantes ad conuiuium; idem posse repræsentare. nam nouissima, & fines sunt viarum nostrarum termini. Ergo, *In omnibus operibus t. m. n. t. e. i. æ. n. p.* Concutit dæmon hos quatuor angulos domus, (hoc est aufert à corde,) vt nos perdat, vt est Iob. 1. in mystico sensu.

Act. Apost. 10. 11.

Psal. 110.

Marc. 2. 3.

Iob. 1.

Adagium eſt ne viro inuicto, & forti, *Quadratus homo*. quia in modum teſſerarum, vulgò *dadi*, nõ niſi in pedes, vt aiunt, poteſt decidere. Quadratus ergo videtur, qui quatuor nouiſſimorum conſideratione, quaſi quatuor lateribus munitus eſt. Liber eſt conſcientia noſtra Dan. 6. *Iudiciũ ſedit, & libri aperti ſunt*. quatuor autem nouiſſima quaſi quatuor caractères ſunt in fine horum librorum ad regiſtrum ipſorum. ſæpè, enim, vt vulgò aiunt, quaterniones ſunt litteræ, quibus regiſtratur liber, & in fine eius ponuntur. quia ex nouiſſimis noſtris regiſtrantur conſcientiæ noſtræ. *In omnibus operibus t.m.n. t.e. i. a. n. p.* Per has litteras quaternas, errores in libris noſtris euitabimus. — Dan. 6.

De indocto homine, ſed qui vix libris nares admouerit, & ſe doctum putet; dicimus, quatuor litteras ille ſcit, & ſe Ariſtotelem facit. At in caſu noſtro eſt plus quàm Salomon hic, qui quatuor tantum has litteras optimè nouit. Vix, inquiunt, ille nouit quatuor terminos medicinæ, vel iuris, & ſe Medicum, & Iuriſtam vocat. at qui quatuor terminos (ſic vocantur extrema) bene norit in Chriſtiana diſciplina, valde doctus erit. nam vt dixi, per hæc adducetur, vt peccata effugiat. Ait Dauid: *ſuper omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. ſuper ſenes intellexi; quia mandata tua quæſiui.* Saperent, & intelligerent, ſi nouiſſima prouiderent. Iob 28. *Timor Domini ipſa eſt ſapientia. & recedere à malo intelligentia*, timor autem addiſcitur ex litteris prædictis. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Pſal. 118. — Iob 28. — Pſal 118.

Vt quid tot euoluis codices, tot congeris volumina, tot adhibes magiſtros, tot expẽdis annos, vt doctus fias? quid ſi aliquis te vnico libello, vel etiam vnicâ paginâ doctiſſimum reddat, in ea omnem ſapientiam cõpendio, & miraculo redigens? at dico tibi etiam ad quatuor litteras, & ad quatuor terminos ſcientię redactam eſſe compendiosè omnem ſapientiã. Pſalm. 110. *Initium ſapientiæ timor Domini.* exponunt aliqui apud Genebr. hic, initium, hoc eſt caput, & ſumma, atque perfectio. ſicut etiam Eccleſiaſtici 29. *Initium vitæ hominis aqua, & panis.* hoc eſt caput, & ſumma vitæ in ijs ſita eſt. Summa ergo ſciẽtiæ in timore: at timor in iudicijs. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* — Pſal. 110. — Eccl. 29.

2. *Summa ſalutis in conſiderandis nouiſſimis rari eos cogitant.*
3. *Sententiæ finalis Iudicij horror deſcriptus cum ruina reproborum in Tartarũ exemplo horribili euerſæ vrbis per terræ motum.*
4. *Id alijs exemplis recentibus oſtenditur.*

2. ACTVS, & motus, aiunt Philoſophi, ſpeciem ſumunt, formam ſumunt à terminis. in caſu noſtro ſpeciem ſumunt, & formam, hoc eſt pulchritudinem, & perfectionem à terminis, ſcilicet à finibus conſideratis. Polydorus Virgil. libr. 4. de inuentoribus rerum ait, Romanos Dijs Terminis primitias frugum conſecrare ſolitos. ſic nos primitias fructuum noſtrorũ, hoc eſt pri- — Pol. Virg. l. 4. de inu. rer.

primos pœnitentiæ, & nouæ vitæ motus adſcribimus terminis, hoc eſt, nouiſſimis noſtris. nam iuxta aliam expoſitionem ſic alij accipiunt, *initiũ ſapientiæ timor Domini.* Multæ cymbæ & naues enauigant maria noſtra. at raræ ſunt quæ perueniant vſque ad Herculis columnas, ad *non plus vltra*, vel etiam tranſgrediantur hanc metam tranſeundo ad orbem alium, orbem nouum recenter inuentum. Homines ſinguli intelligũtur eſſe ij, qui,
Pſal. 106. vt ait Pſalm. 106. *Deſcendunt mare in nauibus*, vt quidam exponunt hic apud Lorinũ. nauigantes ſcilicet mare ſæculi. Multæ ergo harum nauium enauigant maria noſtra, hoc eſt, diſcurrunt mente per res huius vitæ, & pertractant præſentia negotia. at raræ ſunt, quæ perueniant vſq; ad Herculis columnas, ad *non plus vltra*, hoc eſt, ad recogitandam mortem, & *conſtitutos terminos, qui præteriri non poterũt.* pauciores item naues ſunt, quæ hos tranſgrediantur terminos, ad orbem alterum, ad futurum ſæculum ſe cõferentes; quod ſæculum, quique mũdus alter, eſt illis velut nouus orbis ſed ſicut theſauros ingentes lucrantur naues illę, quę ad nouum orbem perueniunt, eò quòd abundet aurum ibi, velut hic æs; ita theſauros maximos adipiſcuntur, qui nauibus mentium perueniunt in futurum ſæculum, aliumque in mundum. nam *In omnibus operibus tuis m. n. t. e. i. æ. n. pec.* quæ res magnum theſaurum importat. nam ſapientia, vt eſt Sa-
Sap. 7. 14. pient. 7. 14. *Infinitus theſaurus eſt hominibus.* timor autem Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia.

Multi vtuntur conſpicillo, quod vocant *Galilæi* ab Auctore ſic appellato: conſpicillo inquam ad videndum longè remota. at rari vtuntur conſpicillo veri Galilæi, nēpe Chriſti, quod eſt fides, & ſapientia, quæ ſunt mentis conſpicilla, ſeu conſpicilia, quibus remotiſſima, & nouiſſima videntur. illo vtuntur etiam ſtulti, hoc verò tantùm ſapientes, eò quòd non corporis, ſed mentis ſit conſpicillum. ita Eccleſiaſtes 2 dicit: Eccleſ. 2.
Oculi ſapientis in capite eius. at Prou. Prou. 17.
17. 24 *Oculi ſtultorum in finibus terræ.* 24.
oculis ille vtitur ad inſpicienda quæ ſunt mentis, & animæ, atque rationis, & conſequenter ad recogitanda extrema ſua. ideoque dicitur habere oculos in capite, vbi mens, & ratio dominantur. at oculi ſtultorum quaſi conſpicilla corporis, ſiue per conſpicilla corporis feruntur tantum in fines terræ. Stulti ſapientes ſunt ad præuidendos exitus, & ſucceſſus, ſeu fines terræ, hoc eſt rerum, atque negotiorum terrenorum, vt caueant à damnis temporalibus per hanc præuiſionem, & prouiſionem, vel inde lucra quærant. Sic in contractibus vide quot cautiones adhibeant! Si caſu debitor non habeat ad ſoluendũ, ſoluat fideiuſſor: ſi moriatur hic heres, ſuccedat alter, &c. at cæci ſunt in præuidendis, & prouidendis finibus animæ. ergo, *Vtinam ſaperent, & intelligerent* &c. vtinam ſaperent, & intelligerent, hoc eſt eſſent ſapientes, & intelligentes, & in caſu noſtro vtentes conſpicillo fidei & mentis, nouiſſima præuidendo, & prouidendo.

De Iudicij ſignis in alia ſylua agimus

mus fusè, de rigore Iudicij agemus verbo, Iustitia Dei.

3. Sed vt ad iudicium, quod magnum est inter cetera nouissima, deueniamus, & ad sententiæ vltimę prolationem. non satis putauit Deus id dictis exprimere, nisi etiam factis sæpè ante oculos id proponeret. cum enim ad verba Christi, *Ite maledicti*, &c. Doctores aiunt, & notat Suarez in 3. Par. vbi de Iudicio finali, terra aperienda sit hiatu maximo, & reprobos omnes deuoratura, & vsque in abyssum illi sint detrudendi absque vlla spe consurgendi vltra ex eo loco: id in Apocal. exprimitur 18. 21. *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens, Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra non inuenietur*. Alio item facto id expressit. nam ex D. Gregor. Turonensi libr. 4. cap. 30. In Gallia, inquit, erat castrum Tauredanum nomine supra montem ædificatum, qui mons Rhodano imminebat. post signa præcedentia Iudiciū, & condemnationem huius oppidi, quæ fuerunt apparitiones horribiles: primo plures soles aliquando ibi visi, sol ipse obscuratus, cometes instar gladij integro anno visus: item cœlum quoque visum conflagrare. in quibus portentis apparuit etiam similitudo signorum, præcedentium ruinam damnatorū in Iudicio. Post signa item prædicta aduersus oppidum illud, auditus est mugitus horribilis illius montis, quasi sententiæ per preconem aduersus oppidum illud prolatæ, & mōs ipse, in quo erat oppidum, ab alio monte, cui proximus erat, mirabiliter discissus est, & simul cum castro ipso, & habitantibus eius magno impetu se præcipitauit, & demersit in profundum ipsius Rhodani. Fac te spectatorem fuisse huic tragœdiæ. quantus te inuasisset horror si spectasses corruentem ex alto quasi in profundum maris integrum oppidum quātus horror audire clamores, & vlulatus omnium incolarum eius loci, ruentis dico oppidi, & frustra à Deo, & fortè etiam ab hominibus opem implorantium. Hæc cogita, & puta longè deteriorem futuram tragœdiam Babylonis, quæ velut lapis magnus in mare mittetur. Cogita post signa in Sole, & Luna, & Stellis, & cōflagrationem ignis, &c. tandem audiendā vocem illam terribilem, vt in casu enarrato mugitum montis, *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. ad quam nō vnum oppidum, sed vniuersitas damnatorum, quæ plurimos posset implere mundos, simul cum dæmonibus corruet in profundum, numquā inde surrectura. cogita quantis vlulatibus, quantis fletibus, & clamoribus corruentium sit cœlum implendum, & sydera ferienda. Hæc cogita, & *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*.

Suar. in 3. Par.

Apocal. 18. 21.

D. Greg. Turon l. 4. c. 30.

4. Iterum species quædam Iudicij extremi exhibita est mortalibus in vrbe hac nostra Venetiarum, & præsertim diluuij ignis, futuri in eodem Iudicio, resurrectionis mortuorum, & tubæ horribilis sonitus. nam anno 1569. cum rumor paulò ante sparsus esset incerto auctore, vrbem eo tempore ruituram esse, multique hoc timore perterriti peccata sua apud sacerdotes cōfessi essent, vt habet Doglio-

glioni in Veneta Hiſtoria: nocte profunda dormientibus incolis, ignis accenſus eſt in armamentario ciuitatis in puluere bellico, cuius ibi maxima copia congeſta fuerat. repentè totum cælum, & vrbs vniuerſa ardere viſa ſunt. bombuſque tam ingens, & horribilis erupit, vt auctor affirmet vſque ad centum millia paſſuum nempe in Hiſtria exauditum eſſe. Ad ſonum horribilem, & ad clamores eorum, qui primi ruinæ huius perniciem ſenſerunt, expergefacti omnes repentè è ſtratis exiluerunt. Hic ergo quaſi per tragœdiam repræſentatum eſt, quod in Euangelio dicitur de Iudicio extremo, & morte, ac reſurrectione hominum ſub parabola decem virginum. nam *dormitauerunt omnes, & dormierunt: ſed media nocte clamor factus eſt*: (in quo clamore, tubæ ſonus indicatur) *ecce Sponſus venit, exite obuiam ei. tunc reſurrexerunt omnes virgines illæ*, nempe à ſomno, &c. quæ intelliguntur de ſomno mortis, & de reſurrectione ab illa. Similiter ergo Veneti ad ſonum bombi, & ad clamores quaſi ſponſi, hoc eſt Iudicis aduenientis, ſurrexerunt, cum media nocte talia facta eſſent. Adde, ſi bombus ille tam longè peruenit, & tam horrendus fuit, quid mirum ſi tubę ſonus audiendus ſit per totum vniuerſum? Si tam horribilis extitit bombus ille, vt dormientes potuerit excitare à lectis, qualis erit ſonitus tubæ, qui mortuos poterit de monumentis excutere: imo de profundis abyſſi viuos repente ſuper terram conſtituere? Impetus ignis vrbis præfatæ ædificia multa perdidit, alia labefactauit, & concuſſit. vnde diem iudicij aduenisse ab initio multi exiſtimarunt.

Iterum ex Theatro vitæ humanæ, pag. 3934. caſus huiuſmodi, & Iudicij extremi figura exhibita habetur. nam anno 1593. menſe Auguſto ignis accenſus eſt in puluere armamentarij Neruæ ciuitatis celebris in Liuonia. tota vrbs vi ignis terræmotu contremuit. vitreæ feneſtræ omnes diſſilierunt. fumaria, ſeu camini domorum corruerunt. Incolas tantus horror inuaſit, vt ſe abſconderent, putantes mundi machinam diſſolui. Puluis bombardarum, eò quòd aptiſſima eſca ignis ſit, & igne correpto erumpat in magnum, vt ita dicam, furorem, omnia euertendo, ac nullæ rei parcendo, ſymbolum eſt iræ, & furoris. de his enim dicitur Prou. 27. *Ira non habet miſericordiam; nec erumpens furor, & impetum concitati ferre quis poterit?* quaſi dicat impetus eius eſt velut impetus ignis ex huiuſmodi puluere. Sicut ergo Principes congregant, & ſubinde augent in eorum armamentarijs puluerem illum, qui quidem ibi quietus, & tacitus, & vt ita dicam manſuetus, nullique noxius iacet. at ſemel ſi ignem concipiat, vt in caſibus enarratis, omnia incendit, & euertit, & extremum diem, quaſi finalis Iudicij affert locis, ac perſonis ſibi proximis; ita homines quotidie congregant ſibi iram Dei contra ſe ipſos (quam dixi repræſentari per puluerem præfatum) & furorem Iudicij extremi. quæ quidem ira, velut puluis abſque igne frigidus, ſilet, & patiens eſt. at in die iudicii ignem concipiet hic puluis, hæc iracundia. nam *exarſit ignis* in

Theatr. v. h. pag. 3934.

Prou. 27.

in ira eius, carbones succensi sunt ab eo. Dies iræ dies illa soluet sæculum in
Rom. 2. 5. fauilla. Rom. 2. 5. homines iniqui *Thesaurizant sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* at modo silet hæc ira, hic puluis. sed tunc
Isai. 42. ignem concipiet. sic Isai. 42. *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo, & absorbebo simul: desertos faciam montes, & colles,* &c. Cum autem hæc ira thesaurizata, seu hic puluis non aliud sit, quam peccata ab initio mundi vsque ad finem patrata; & peccator vnus dicat *peccaui super numerum arenæ maris*; vide si ex tanto puluere sulphureo, qui magnitudinem mundi superat, possit euerti, & incendi, ne dum concuti mundus vniuersus cum ex modica eiusdem quantitate ardeant, & dissipentur ciuitates integræ. Ergo thesaurizatio pulueris, & iræ, est *in die iræ*, hoc est ad diem iræ, & iusti iudicij Dei, in quo nimirum accendatur hic puluis, & euertat mundum.

Ait sylua allegoriarum, *Mons passim solet significare Christum propter summam eius eminentiam.* scilicet in Scriptura, iuxta Patrum intelligentiam. *Ipse*, inquit, *est lapis, qui creuit*
Dan. 2. *in montem magnum.* Dan. 2. & *Mons*
Isai. 2. 22. *supra verticem montium.* Isai. 2. 22. Christus ergo est velut mons Vesuuius. in visceribus enim, & quasi in pectore huius montis adeo increuit materia ignis, quasi indignationis eius, vt non valens amplius in ipso contineri, in tantum ignem eruperit, & diffusa sit longè, lateque; vt anno Christi 472. vniuersam Europam cinis incendij operuerit, & Sole obscurato diem in noctem conuerterit: adeo vt Leo Imperator territus è Constantinopoli aufugerit. cuius facti Constantinopolitani memoriam agebant annuã octauo idus Nouembris. ita refert Sigonius lib. 14. Im- Sigon. lib. 14. Imp. Occident.
perij Occidentalis. Ita ergo cum in visceribus montis, de quo Ecclesia dicit, *ad montem, qui Christus est, peruenire valeamus*, valdè increuerit materia ignis, hoc est indignationis (loquimur humano more. in Deo enim non cadit ira tanquam passio) cum thesaurizarint homines in eo iram *in die iræ*, cum impleuerint mensuram patrum suorum: (quod præsertim fiet in vltimis temporibus, in quibus abundabit iniquitas) tunc si mons materialis indignationẽ suam potuit effundere per totam Europam, vide si Christus iram, & ignem per vniuersum orbem effundere poterit, & ex combustione rerum cinere complere omnia. Modo iram cohibet, nam *Deus iudex iustus fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies?* at quia vt est adagium *furor fit læsa sæpius patientia*: in die iudicij fiet, *Ardens furor eius, & grauis ad portandum*, & *effundet quasi ignem indignationem suam.* hoc loquendi modo vtitur Scriptura pluribus locis, de ira eius loquens.

2. *Iudicij rigor.*
3. *Iudex in Iudicio corrumpi nequit.*
4. *Pœnitentia tunc infructuosa.*
5. *Amaritudo damnandorum eo die. cor eorum in felle erit.*

2. APVD Delrium in Disquisitione rerum magicarum habentur hæc carmina, *Iudicabit iudi-*

ces iudex generalis, Neque quidquam poterit dignitas Papalis; Siue sit Episcopus, siue Cardinalis Reus, condemnabitur, nec dicetur qualis. Ibi nihil proderit quidquam allegare: Neque quid excipere, neque replicare, Neque ad Apostolicam sedem appellare. Cogitate miseri quid, vel quales estis: Quid in hoc Iudicio dicere potestis. Hic non erit codici locus, nec digestis: Idem erit Dominus Iudex, actor, testis.

3. Diuites non solum donis corrumpunt homines, & iudices, sed etiam inuenerunt quomodo corrumperent ipsam mortem. nam si moribundi sint, sorbitiunculas quasdam ex auro, & margaritis colliquatis, siue ex alijs huiusmodi rebus pretiosis, medicorum arte confectas assumunt; & tali munere morti exhibito, manifestè illam detinent pro aliquali spatio, ne ad eos accedat. cum enim iam iam expirantes eos videris; suscepto eo pharmaco cernis animam fugientem detineri, & ipsos pro tunc quasi reuiuiscentes, vt lampas deficiens infusa aliqua guttâ olei, nonnihil superuiuere. Sed si hoc pacto, vt ita dicam corrumpunt mortem, certè non corrumpunt Iudiciū. De prodigo, & nummos abjiciente, eorumque nullam rationem habente, dicimus, *Egli ha le mani forate*: Perforatas habet manus. nam pertusus sacculus non retinet, sed humi cadere sinit iniectam pecuniam. Aduerte ergo Christum perforatas habere manus. abjiciet aurum omne, nihili illud faciet. Non vendet cælum. (a) *All' hora non farà tempo di vendita, ma di vendetta.* Permisit se vendi,

(a) Tunc non erit tempus venditionis, sed vindictæ.

dum venit iudicari: non permittet se emi, dum venerit iudicare. permisit sibi configi manus ferro, dum apparuit vt reus, quasi ne tibi nocere posset: at non permittet eas sibi configi auro, dum apparebit Iudex, ne tibi nocere nequeat. Dan. 7. 19. *Argentum eorum, & aurum eorum non valebit eos liberare in die furoris Domini.* Dan 7. 19.

4. Dicitur Matth. 24. *Plangent omnes tribus terræ*, scilicet Iudicij tempore. versus pentametri & exametri simul incedunt, melius Italicè procedet quod dico. (b) *Va insieme l'esametro col pentametro, cioè la penitenza, & il pentirsi con l'esame del Guidicio.* sed sero sapiunt Phryges. Cum Romani Carthaginem misissent ad tributum exigendum, flentibus quibusdam ex illis, ipsorum dux ridere cœpit, dicens, vt quid nunc fletus? flere debueratis, cum efficiendum erat, ne vinceremini. Quadragesima nonne agenda est ante Pascha, hoc est, *ante transitum?* Pascha etiam dicitur *dies resurrectionis*. Aptemus ergo saltem hæc vocabula rei nostrę nempe pœnitentiam agendam ante mortem, & ante resurrectionem, ita vt non sit nobis plangendum in iudicio. Dicitur flentibus à conscientia sua, flere debueratis cū tempus erat. *Ego in interitu* in fletu *vestro ridebo.* Matt. 24.

(b) Coniuncta sunt Exametrū & Pentametrum, i. e. Examen conscientiæ metu Iudicij, & Pœnitentia.

Ideo Ecclesiastes 12. loquens de calamitatibus temporis vltimi, atque Iudicij extremi iuxta Ricardum & alios, vt Lorinus hoc loco testatur, ait, pœnitentiam agendam antequam *rumpatur hydria super fontem.* Chaldæus legit *rumpatur fel tuum super iecur tuum.* non solum ergo plangent, sed tanta amaritudine, vt iecur Ecclesiast. 12.

eorum, interiora eorum replenda sint felle, natare debeant in felle. Vel dic vesicam fellis (hanc enim Chaldæus intelligit, vt Lorinus docet) ex concepta afflictione, & amaritudine animi adeo replendam esse felle, vt necesse habeat dirumpi, & diffundere bilem per omnia viscera; ita vt quilibet eorum dicere possit
Thre 3.15. illud Thre. 3. 15. *Repleuit me amaritudine, inebriauit me absynthio.* Cum fel ad viscera pertineat, dici potest, viscera in eis dirumpenda esse ex rabie, ex amaritudine, vel etiam desperabunda indignatione. Aduerte etiam Philosophos passim docere iecur esse sedem facultatis concupiscibilis, sicut cor irascibilis. nam ira est accensio sanguinis circa cor. ergo significatur concupiscentiã præteritam & voluptatem tunc conuertendam fore in maximam amaritu-
Eccles. 11. 29. dinem. nam, vt Ecclesiastici 11. 29. *Malitia vnius horæ, obliuionem facit luxuriæ magnæ.*

Iob 20.12 Sophar Naamathites in Iob 20. 12. *Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua, parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo.* impij comedunt panem impietatis, vt alibi dicitur in Iob. panis hic est illis dulcis, dulcis in ore. at vertetur in fel aspidum. nam vt Horatius ait, & medici, *Dulcia se in bilem vertunt.* ergò *rumpetur fel super iecur tuum.* Prou. 20. 17 *Suauis*
Prou. 20. 17. *est homini panis mendacij, postea implebitur os eius calculo.* panis mendacij, quia videtur dulcis, at deinde vertitur in amaritudinem, in calculos, in cibos præduros, quos nunquam poterit comedere, nec concoquere; talis est pœna inferni. Vulgò dicimus, non valet glutire hoc, neque digerere, hoc est perferre. nam *quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* vt est Isai. 33. ideo damna- Isai. 33.
tus semper in ore habebit calculos istos, semper premet dentibus sicut equus ferreum frænum, & tamen nunquam consumet, nunquam deglutiet.

Caietanus ait, illud, *os impleri calculo*, esse impleri iustitia, & calculatione rigorosa. quia dicit alludi ad calculos, & scrupos, quibus in supputandis rationibus vti solent mercatores. Dic ergò per id significari posse peccatorem hic comedere quidem panem suauem; scilicet voluptatum: at os eius implendum forè calculo, hoc est iudicij discussione, & sententia, ita vt in os eius ita obturatum neque mica panis, aut gutta aquæ voluptatis, aut consolationis ingredi possit. ita diues frustra guttam aquæ petijt, cum per sententiam & calculos iudicij particularis os obturatum haberet. comederat panem mendacij. nam *epulabatur quotidie splendidè.* vnde postea impletum est os eius calculo. Solent diuites, & reguli, si probi non sunt, comedere hunc panem mendacij, quia præ ceteris hominibus solent voluptuosè viuere. vnde Prou. 23. de principe, Prou. 23.
& eius conuiuio dictum est, quod apud illum *est panis mendacij*, quod saltem mysticè accipi potest in sensu nostro. *Ne*, inquit, *desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.* ideo diues prædictus, quem quidam videntur ex purpura, quâ induebatur, suspicari fuisse regulum, pane hoc vescebatur.

Nota tamen sensũ diuersum à nostro à Caietano tribui huic loco.

vnde

vnde os eius postea impletum est calculo, vt dixi.

Morbus qui regius appellatur, siue aurigo, à colore auri per corpus diffuso vsque ad cutem, vt medicis notum est, ex bilis diffusione oritur. rectè autem morbus regius dici potest: quia cum bilis ex dulcibus, lautis, ac superfluis cibis gignatur copiosa; talis morbus proprius regum esse videtur, vt qui eo modo vescantur. vnde sicut in hac vita materialiter fel in eis diffunditur per corpus, ita in iudicio præsertim in ipsis *fel rumpetur super iecur, hoc est*, voluptates vertentur eis in amaritudinem, vel potius amaritudo amarescere faciet illorum præteritam dulcedinem. iecur enim, vt dixi, sedes est concupiscibilis facultatis, vt cor irascibilis.

Ecclef. 12. 5. Ecclesiastes ibi, cap. 12. *Memento inquit Creatoris tui, &c. antequam conteratur hydria super fontem.* dixi à Ricardo, & alijs id explicari de futuro iudicio, de calamitatibus, scilicet illius temporis: Chaldæumque exponere, *antequam rumpatur fel super iecur.* super iecur solet nutrimentum descendere, vt vertatur in sanguinem, quo nutriatur homo dum ille humor conuertitur in carnem. Sed quia homo eo tempore, hoc est peccator, nutrietur potius felle amaritudinis; ideo dicitur bilis effundi super iecur eius. *Fel rumpetur super fontem*: quia amarescere faciet, & quasi venenabit fontem aquæ dulcis, hoc est dulcedinem præteritam; & abominabilem eam reddet, sicut fel, & toxicum reddit abominabilem aquam fontis, si in eam infundatur.

Vel etiam dic, quod tunc *rumpetur hydria super fontem*: quia non erit amplius spes hauriendi ne guttam quidem consolationis, aut refrigerij vnde frustra diues guttam aquæ petijt. ne guttam quidem meriti, aut satisfactionis licebit haurire. *Puteus altus est, nec in quo hauria habes.* hoc dici poterit damnato. Ergò vt Ecclesiasticus 18. 19. ait, *Ante iudicium para iustitiam tibi, & antequam loquaris, disce.* Ecclef. 18. 19.

2. *Horribilitas sententiæ finalis exemplis iterum descripta.*

2. SED vt redeamus ad Iudicis sententiam condemnatoriam: quæ res magis prodest ad cohibendos animos à sceleribus. Matth. 25. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* dico hanc vocem non tam sono horribili, quàm significatione, quasi tonitruum maximum, & fulmen super omnia fulmina, ita percussuram esse aures, & corda reproborum; vt si illi in eo articulo essent quoad statum & constitutionem corporis, sicut nunc se habent, (Deo aliter non impediente) ipsos vniuersos repentè prostraturam esse, & omnino interfecturam; sicut per aliam vocem ipsemet Christus eosdem à mortuis suscitabit, de qua Ioan. 5. dicitur, quod qui in monumentis sunt, *audient vocem Filij Dei*, in iussu, & in voce Archangeli. Hanc autem vocem Chrysost. Hom. 8. in primam ad Thess. ait, futuram esse, *Resurgent mortui.* Petrus Hispalensis Syluæ par. 4. cap. 23. ait, in Tartaria fieri tonitrua tam ingenti fragore, vt aliquando homines inde moriantur. Olaus etiam lib. 11. cap 4 & 5.

Matth. 25. 41. Ioan. 5. Chrys. Hom. 8 in 1. ad Thess. Petr. Hispal. Sylu. pa. 4 c. 23. Olaus lib. 11. c. 4. 5.

Apud Finnos, inquit, in regno Suenonum specus est dicta Smellem, prope Moscouiam. irruentibus hostibus contra terram illam, præfectus illius iubet suorum aures cerâ occludi, & in antris abscondi, vt ita salui sint. ipse verò sic obturatis auribus animal viuum in os speluncæ immittit, & illa ex occulta sua proprietate tunc sonum adeo horrendum emittit, vt hostes ibi existentes inde corruant aut mortui, aut debilitati, & ita in potestatem veniant inimicorum. sic sæpè Moscouitæ, & Rutheni multa millia suorum desiderarunt. Vide ergo an Christi vox id agere posset in casu supradicto.

Origenes tract. l. 8. in Matth. Origenes tractatu lib. 8. in Matthæum dicit Ananiam, & coniugem eius ex acri Petri repræhensione auditâ mortuos concidisse, & idipsum *Gregor. 2. Dial. cap. 30.* Gregor. habet, 2. Dialog. cap. 30. dicens, *Quod Petrus vtrique coniugi vitam abstulit arguendo, qui reddidit Thabitæ orando.* Hæc apud Lorinum, in Acta Apost. vbi de morte horum fit mentio. Addit ibi prædicante B. Vincentio Ferrero, vt in eius vita habetur, quendam vi verborum eius mortuum, & in atrum carbonem conuersum fuisse. *Rafael dalle colombe* Dominicanus, fer. 2. Dominicæ primæ Quadragesimæ, ait, ætate nostra Philippus Secundus Rex Hispaniarum dum missæ interesset, audiuit quosdam sibi vicinos plurimum inter se colloqui. in fine sacrificij, dum iuxta eos transiret, ait, vos, posthac ne amplius coram me stetis. duo erant. alter mœrore mortuus est: alter verò stupido, & attonito similis in omni vita sua visus est. ita ille. audens, quid erit, cum non rex Hispaniæ, sed Omnipotens Deus dicet, *discedite à me maledicti in ignem æternum*, hoc est, nusquam faciem meam visuri? Si iuxta Patres illos tantum potuit Petri vox acerba in illis duobus, tantum Vincentij in illo quem retulimus: quid mæroris, & doloris non efficiet vox Christi in reprobis? Si vox iudicandi prostrauit velut mortuos tot milites, quid faciet vox iudicantis? Si tantum effecit vox agni, quid faciet vox Leonis? *Leo rugiet, quis non pauebit?* *Amos 3.8.* tunc se exhibebit Leonem de tribu Iuda. Notum est apud Scriptores de Animalibus, ad leonis rugitum multa animalia minora exanimata concidere, & ita in potestatem eius venire, illumque ad ea venanda eo medio vti. Ierem. 25. *Ierem 25. 30.* 30. *Dominus de excelso rugiet*, loquitur de eo cum ad iudicandum venerit. & Ioel. 3. 16. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cæli, & terra.* *Ioel. 3.16.* Potuit esse historia, quod ait Seneca in Hercule furente, nimirum filium eiusdem Herculis, dum pater furore concitus ipsum necare paret, ex terrore iræ eius mortuum esse, antequam ipsum occideret. ait Poëta, *Pauefactus infans igneo vultu patris, perit ante vulnus.* igneo vultu patris. sic in Habacuc dicitur, *Aspexit, & dissoluit gentes.* Neque si patientiam Iob quis haberet, vt vulgò dicimus, posset sustinere visionem irati Iudicis eo tempore. audi ipsum Iobum 14. *Quis mihi* *Iob 14.* *hoc tribuat, vt in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Dum mauult descendere ad inferos,

inferos, ad sinum Abrahæ, qui apud inferos est, vtique potius vult appropinquare inferno, appropinquare
Isai.30 29 diabolo, quàm irato Deo. Isaias 30. 29. de furore Christi in Iudicio, ait, *Ardens furor eius, & grauis ad portandum.* Iob, dum vult in inferno protegi, scilicet Abrahæ sinu, potius quàm videre furorem Iudicis: vniuersam terræ molem, quæ super inferos locata est, sustinere, vt ita dicam mauult, quam Christi furorem. vide ergo quàm *grauis ad portandum* existet.

Addamus prædictis. Inter portenta, quæ maximas calamitates mundo significarunt, vt notum est historias callentibus, fuit magnum illud, cum infans, qui de ventre cum ferè exijsset, in ipsum rursus intrauit, quasi exhorresceret prodire in lucem, & introire in mundum, in quo tam ingentia videret mala. At simile quid euenit Iobo, cùm enim de ventre matris suæ exijsset, optabat rursus in ventrem illius ingredi, ne videret furorem iudicantis Domini. nonne mater eius, & nostra terra est? ait
Iob 1.21. enim ille cap. 1. 21. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* hoc est in ventrem terræ. Sed quid dico de Iob, aut de vnico infante qui iterum ex terrore ingressus est aluum maternum: cùm pluri-
Apoc.6.15 mi id effecturi sint? Apoc. 6. 15. *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris, montium: & dicunt montibus, & petris cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.*

Paucis ab hinc annis exterruit vniuersos ferè mortales fama euentûs horribilis, qui accidit cuidam oppido. Piur nuncupato in Italia mercatoribus diuitibus, & opibus referto: super quod mons ingens corruit, & cum incolis ipsum oppressit. At quod hodie horrescunt etiam miserrimi, & in extremis calamitatibus collocati; tunc *reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes* loco gratiæ, & beneficij maximi ducent, & obtabunt. Beatitudinem expectabant, cùm fideles existerent cum aliqua probitate, quâ super summum cælorum collocaretur: at tunc se beatos iudicabunt, si accidat illis, velut oppido prædicto, si sub montium fundamentis, si in profundis terræ visceribus iaceant. Sed quid dico de speluncis, & montium radicibus aut de loco inferorum, nimirum Abrahæ sinu, in quo ipse Iob optat abscondi? Quid horribilius ipso damnatorum, inferno, & tenebris illis tartareis? tamen reprobi, & damnati absque dubio mallent ibi jacere, quàm post damnationem inde educi non solum in mundum, sed etiam in cælum ad conspectum Iudicis irati contra ipsos, & ad iudicium sustinendum. Certè vnusquisque illorum de vero inferno diceret, *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus?* Quantus igitur morbus erit, quantum malum his miseris, cui pro medicina, & pro refrigerio erit ipsemet infernus? *Nollent exire de inferno, quia non ideo exibunt de supplicio semel inflicto.*

Imo Chrysologus serm. 122. de Lazaro & diuite, ait, reprobos plus torqueri liuore inuidiæ, si videant felices *Chrysol. serm. 122. de Lazar. & diuit.*

felices eos, quos hic contempſerant, quam torqueantur ab ipſo igne gehennæ. vnde iuxta ipſum mallent in igne inferni cruciari, nedum in inferni loco detineri, quam rapi ad iudicium, vbi videant iuſtos glorificatos. ait enim ibi ad illa verba, *Mitte Lazarum. Vt video, quod agit diues, non eſt nouelli doloris, ſed liuoris antiqui: & zelo magis incenditur, quàm gehennâ. eſt graue illis, eſt illis incendium non ferendum, quos aliquando habere contemptui, vidêre felices.* ita ibi. dixerat enim ideo petijſſe, vt Lazarus ad ſe mitteretur, vt hoc prætextu ipſum extraheret ex ſinu Abrahæ, & in infernum traheret, inuidens illi ſuam felicitatem. Tot ergo infernos patiuntur reprobi, quot Lazaros, quot electos videbunt non in ſinu Abrahæ, ſed in ſtatu abſque comparatione vlla beatiore. An verò Chryſologus exaggeratiuè tantum ita ſit locutus; doctis permitto iudicium.

Venite benedicti. in fine iuſtis dicetur: *ite maledicti*, iniuſtis. & ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam. Thomas Anglicus in Pſal. 7. verſu 10. facit iuſtos, & iniuſtos quaſi in duabus lancibus oppoſitis collocatos eiuſdem libræ: deſcendente verò lance iniquorum ad infernum, ſimul aſcenſuram lancem iuſtorum ad cælum. Adde: grauantibus delictis, (nam *ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*, ſcilicet iniquitates) deſcenſuros peccatores; iuſtos verò abſque hoc onere, ſubleuandos.

Thom. Angl. in Pſ. 7. v. 10.

Cum homini res aliqua ſtomachum mouet, & turbationem viſcerum; ad vomitum deſcendere ſolet. cum autem id facit, prius pituitam reiectat, quæ aquæ ſymbolum eſt, & eiuſdem naturæ; deinde etiam bilem, quæ, quia calida & ſicca eſt, licet in humido ibi exiſtat, ignem repræſentat, vnde & igneum colorem præfert. Ita ergo cum Deus dicitur *tactus dolore cordis intrinſecus*, hoc eſt (more humano loquendo) quaſi turbatus intrinſecus, ſtomachum ei mouente hominum nequitia, vt humano more etiam loquar; prius effudit, & euomit ſuper mundum aquam quaſi pituitam, nempe diluuium aquæ, deinde iterum mouente ei ſtomachum nequitia mundi; etiam bilem, hoc eſt ignem ſuper eum effundet, hoc eſt in fine mundi. In iudicio verò præſertim, & in fine mundi dici poteſt eum effuſurum eſſe bilem, & choleram: quia hic humor iracundiæ imago eſt, & incitamentum. vnde vulgò ita vocatur *collera*, & de die Iudicij dicitur, *Dies iræ, dies illa* &c. Si ſimplex aqua non valet mundare, addi ſolet ei cinis, & lixiuium fieri. ſi ergo non mundamur à peccatorum ſordibus per aquam diluuij, ſcilicet per conſiderationem eius, mediante Dei gratia; addamus cinerem ex conflagratione mundi futurum, vt inde confecto lixiuio plenè abluamur, mediante eadem gratia Diuina. vt tandem dicere poſſimus, *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Si in aqua laborantes velut Apoſtoli, *nihil cepimus: laxemus rete* in ignem, *& capiemus.* in hac enim piſcatione faciliùs in igne, quàm aquâ capitur optata præda.

2. *Super*

2. *Super vtilitatem meditandi Iudicium mystica considerationes.*
3. *Etiam si instaret Iudicium, homines non cessarent à peccatis consuetis. Exemplum recens de hac re.*
4. *Peccata, quæ obliti erant homines in Iudicio congregata inuenient.*

2. POST librum Iudicum sequuntur libri Regum; quasi mysterium sit, quod per Iudicium scilicet consideratum, fideles eo deueniant, vt efficiantur Reges, nempè cæli. Quidam obseruant in initio, & in fine Scripturæ mentionem fieri de Iudicio, quasi illud sit res, à qua debeat incipere Dei Verbum, & prædicatio diuina, & in quam debeat desinere, vt quæ sit inter ceteras maximi momenti. Initio enim Genesis, *In principio creauit Deus*, Hebraicè pro Deus est *Eloim*, quod significat Iudices. In fine autem eiusdem Scripturæ, hoc est Apoc. dicitur, *Ecce venio citò, amen: veni Domine Iesu.* Sed in Psalmis præterquam quod sæpè mentio fit de Iudicio; aduerte in primo Psalmo, & postremò fieri. ibi dicitur, *Non resurgent impij in iudicio:* hîc verò de iustis dicitur, *gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus*, &c. *vt faciant in eis iudicium conscriptum.* Etiam Ecclesiastes (quod verbum significat Prædicatorem,) vt doceret nos hoc mysterium, nempè Prædicatores verbi Dei (quibus ille datus fuit à Deo quasi forma, & exemplar huius muneris) à Iudicio, & in Iudicium ferè debere exordiri, & perficere conciones suas, siue ab extremis, & nouissimis: incipit in hunc modum: *Vanitas, vanitatum*, &c. quasi dicat: omnia transeunt, & non sunt stabilia, aut stantia. ideo & addit *generatio præterit, & generatio aduenit:* & consequenter, cùm transeant omnia, & homines omnes; deuenitur ad Iudicium extremum. In fine verò quid legis? *Cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato siue bonum, siue malum illud sit.* hæc sunt postrema verba eius. In Prouerbijs etiam postrema verba, in quibus concludit, sunt iudicium. *Laudent eam in portis opera eius*, hoc est in iudicio. quia in portis iudicia olim fiebant. Christus etiam morti proximus iudicium in mentem reuocat, dicens illos visuros esse *Filium hominis venientem in nubibus cæli.* moriens in cruce figuram Iudicij exhibuit, dum alteri ex latronibus Paradisum tribuit, alterum reliquit damnandum: quasi in ijs duobus oues, quæ à dextris, & hœdi qui à sinistris locabuntur, significarentur, vt Patres docuerunt. Ita tanta res est iudicium, vt Christus mori voluerit ipsum prædicando, & ob oculos nobis ponendo. Etiam discedens iterum à mundo gloriosus post resurrectionem, per Angelos de cælo missos non aliud annunciat quam iudicium, ita vt hæc fuerit postrema eius actio, quæ in ascensione, & discessione ab ipso facta fuerit. nam cum intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt, &c. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.*

3. Quidam dicent, longè abest iudicium. Si enim propè esset, pœni-

tentiam ageremus. At metiuntur. nam & quando propè erit, hominesque per signa de eo admoniti fuerint, tamen obdormiscent in consuetis voluptatibus suis, & peccatis vnde Dominus dicit, quod, sicut diluuium aduenit, dum homines ederent, & biberent, & matrimonia inirent, quasi indormientes futuræ calamitati; sic erit aduentus eius. *& non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis.* ita habetur Matth. 24. 37. At primum opponam huic obiectioni Diuum Augustinum ad Dioscorum, vbi ait, *In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies. quoniam qualis in die isto moritur, talis in die illo iudicabitur.* Sed addo, quod etiam si cognoscerent homines Iudicium appropinquare, tamen imitarentur homines diluuij. Sic Maiolus auctor recens, & pius, atque eruditus, tomo 2. colloquiorum colloquio 4. (quod & apud alios legi) ait se recordari cuiusdam parochi, qui quibusdam prædictionibus deditus, inter concionandum prædixit diem & horam iudicij infra breue, certumque tempus secuturi. huic aliqui rudiores fidem habuêre & tantum abest, vt pœnitentiam agerent; vt è contrario compotationibus, & genio indulgere cœperint, & tamquam moriendū illis esset, omnia bona sua vendiderint & absumpserint in prædictis voluptatibus. mox hora iudicij prænunciata aduentante, ad concionem parochi conueniunt deuotis animis. tunc in aëre procella ingens excitatur. illi putantes verificari prædictionem, mox vident sedata tempestate nihil vltra fieri. tunc indignati aduersus parochum, quod illius causâ frustra bona sua prodegissent, contra illum insurgunt, vt interficiant. ille fugâ sibi consuluit.

Matth. 24. 37.

Maiol. Tom. 2. coll. coll. 4.

4. Considera quomodo cineres hominum defunctorum ab orbe condito inter se confusi sæpius fuerint, & corpora eorum in alimentum ferarum, ac piscium, & plantarum sæpè transierint. quomodo dispersi sint pulueres, & fere in nihilum videantur redacti: tamen in puncto resurrectionis, Deus in ictu oculi singulorum cineres, & dispersam materiam in corpora efformabit. ita quamuis peccata innumera hominum ab initio mundi vsque huc videantur quasi incognita, & impossibile esse ipsa redigi in mentem hominum: tamen sicut Deus repentè statuet corpora omnium, siue omnes homines in iudicio, vt ab omnibus videri possint; ita efficiet vt peccata omnia appareant ibi, hoc est cognoscantur ab omnibus. ita Eusebius Emissenus Hom. 5. ad Monachos, inquit: Perniciosa nosmetipsos persuasione fallentes, putamus quod mala nostra spatio temporis euanuerint: & quia illa nos obliti sumus, credimus quòd memoria diuinæ seueritatis elapsa sit. sed non ita est: omnia apud illum reposita, atque signata sunt. Iob 14. *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* & Deut. 32. *Nonne hæc condita sunt, & signata in thesauris?*

Eusebius Emissen. Hom. 5. ad Mon.

Iob 14. Deut. 32.

Quidā narrauit mihi se in diuersorio quodam Germaniæ simul cum sodali ebrium factum nummos simul cum illo è marsupio eductos

cœpisse

cœpisse projicere post humeros suos, quousque euacuati essent sacculi. cumque nocte transacta vinum concoxissent, putans, qui hæc mihi retulit, pecuniam suam deperditam esse, stabularia omnes nummos ab illo proiectos ad ipsum attulit, ne vno quidem deficiente. in qua re fidelitatem illius nationis licet admirari, & imitari. idem fecit etiam cum socio eius. Ita cùm nos velut ebrij peccata quasi nummos prodigè huc illuc, hoc est pro varijs occasionibus, & obiectis effundamus, & nobis videantur iam non inueniri amplius quoad reatum, & debitum soluendum; Deus ipsa, vt humano modo loquar, colligit, & condit in sacculo, seu thesauro suo; cumque tempus aduenerit, ea retribuit nobis. Eadem similitudo fieri potest de puero projiciente nummos, quos cum putaret amissos, à matre, qui eos collegit, rursus illos recipit, in tempore opportu-
Deut. 32. no. Sic Deut. 32. de peccatis Israëlitarum ait, *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore.* In casu nostro dies Iudicij est dies retributionis, & forsitan de hoc loquitur, cum statim addit, *Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. iudicabit Dominus populum suum,* &c.

HYPOCRISIS.

2. *Per Hypocrisim nummos quidam venantur.*

3. *Hypocrisis in habitu corporis, & barba.*

2. IERON. ad Eustochium virginem de quibusdam dissolutis monachis & hypocritis ait: Quidam in hoc omne studium, vitamque posuerunt, vt matronarum nomina, domosque & mores cognoscant. mane surgentes de domo in domum salutandi causa discurrunt, & penè vsque ad cubiculum dormientium importunè ingrediuntur. si puluillum viderint, vel mantile elegans, vel aliquid domesticæ supellectilis, laudant, mirantur, attrectant, & se eo indignos conquerentes, non tam impetrant, quàm extorquent. *Hieron. ad Eust. epist. 22.*

Et quia apud Ethnicos Philosophi dicebantur, qui contemnentes mundi delitias, virtutem sectabantur, & sapientiam, & multi idcircò tales se fingebant exteriùs ob lucri spem, vt apud nos qui dicuntur hypocritæ, qui fingunt se sanctos, vt illis non tam cera, quàm mel offeratur, hoc est vt in occulto melle voluptatum se impleant, & vt illis à fidelibus vota appendantur: vtque deo suo, scilicet ventri, ad vtilitatem, & pastum ipsorum, altaria, hoc est mensæ erigantur, & parentur, & luminaria, & thura gloriæ, & laudum ipsis exhibeantur.

Sic quia habitus, quo Philosophi sese tales ostentabant, erat pallium, quod erat genus vestis exteriùs præseferens grauitatem, & contemptum mundi; quo tamen, vt dixi, sæpè venabantur lucra, dum ea contemnere simularent: ideo Hermodotus dicebat hanc sententiam, quæ his duobus versibus continetur:

Hermodoti hoc dogma est: quisquis miser indiget ære,
Philosophi assumat pallia. diuus erit.

Huiusmodi homines simulantes opum contemptum, & odium, vt occultè illas obtineant; sunt sicut ille, de quo adagium Italicum dicit, qui interdiu fingebat se trepidare à vitulis: at noctu furabatur boues.

3. Barbam promissam, & capillos gerebant Philosop[hi] vt sic ostenderent se sapientes: qui idcircò irridentur in 2. epigrammatum Græcorum libro iuxta versionem Thomæ Mori sic:

Si promissa facit sapientem barba; quid obstat
Barbatus possit quin caper esse Plato?

Et Lucianus inducit Charontem (dum plurima genera personarum eius cymbâ vellent trajicere flumen) iubentem cuidam Philosopho truncari aliquâ securi tantum barbæ pondus, ne nauis illo mergeretur.

Herodes Atticus apud A gellium lib. 9. c. 2. Sic Herodes Atticus apud Agellium lib. 9. cap. 2. cum interrogasset quendam palliatum crinitum, & barba vsque ad ventrem exporrecta, quisnam esset; respondit ille, Nonne vides me esse Philosophum? cui Herodes: *pallium, & barbam video, Philosophum non video.* hoc est dicere, *homo videt in facie, Deus autem intuetur cor.* &, *nolite iudicare secundum faciem.*

Sen. epist. 3. Seneca epistola 3. Verus, & rebus, non artificijs Philosophus, in edito stat, admirabilis, celsus, magnitudinis veræ; non exurgit in plantas, nec summis ambulat digitis eorum more, qui mendacio staturam adiuuant, longioresque quàm sunt, videri volunt. Hæc ille. dic huiusmodi homines esse velut mulieres, quæ pusillæ cùm sint staturâ, soccis, seu calceis ex ligno prælatis ambulant, ita vt videantur gygantea staturæ. at eorum paruitas detegitur à brachijs breuibus, quæ in illis videntur. Brachia symbolum sunt operum; quia brachiorum & manuum est operari. *à fructibus eorum cognoscetis eos.* à paruitate ergo brachiorum, hoc est operum deteguntur. Dauid erat verus Philosophus & veræ magnitudinis, ideo ait: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me*, hoc est non ambulaui, vt ita dicam, in soccis, qui maiorem me super me ipsum ostenderint tam mihi ipsi, quàm proximo, & quasi alterum Saul supereminentem ab humero & sursum omni populo. talis enim sibi videtur Pharisæus, qui ait: *Non sum sicut ceteri hominum.*

In Quintiam hypocritam.

Docta, decens, iuuenis, formosa, pudica, benigna
Quintia; si non sis ambitiosa, bona es.

Idem Auctor contra simulationem nostri temporis sic:

In verbis nunc hæret amor, non rebus, vt olim.
Venditur à sensu, non ratione fides.
In caput ascendit quondam, quæ in pectore sedit
Religio: cerebri est, quæ modò cordis erat.

Ascendit amor, ascendit fides, hoc est fidelitas, seu religio; nempe ille

à

à manibus,& à rebus ascendit ad os, & ad verba, iste à corde ad cerebrum. nam intellectu potius,& acutis speculationibus, quàm voluntate, & corde, ac affectu, quæ fidei sunt tractamus, de ijsque disserimus. ascenderunt ergo, sed ascendendo descenderunt. nam pene defecerunt, deiecisti eas, ô homo, dum elevarentur.

Amor calor est, & quasi æstas. quando hæc alicubi dominatur, ibi fructus gignuntur terræ; si alio transeat, relinquit hyemem in priori loco, & priuationem fructuum, quos affert ad alteram terræ plagam, & regionem. Æstas ergo amoris olim in rebus & in manibus erat, ibi fructus ferebat, pertransijt ad os, ad verba. ideo in officiositate verborum, & ostensione externa feruidi sumus, ac minimè tepidi. ideo si spectes, si aspicias ad linguam; plena fructibus videtur: sed fructus eius folia sunt, & flores. promittimus enim bona, non facimus. vel dicamus, quod lingua pratum est, non hortus, aut ager segetum, scilicet floribus herbisque non frugibus, & fructibus abundat. *refrixit charitas multorum.* ideoque hyems relicta est in manibus, & in corde.

2. *Hypocritæ velut mendici ostentantes quasi suos filiolos, qui alieni sunt, hoc est opera aliena quasi sua.*
3. *Iidem hypocritæ claudicantibus similes, inter bona scilicet, & mala nutantes.*

2. QVIDAM pauperes, vt nonnulli aiunt, alienos infantes secum delatos tanquam suos ostendebant, vt ita stipem colligerent, qui tamen filioli post certum temporis spatium, vel in fine diei, dimissis mendicis illis, ad suos deducebantur. Si hoc verum est; tales videntur esse hypocritæ; plura enim bona opera ostendunt tanquam sua, & à propria virtute genita. cum tamen sint opera, & quasi filij variorum vitiorum: alia scilicet ab ambitione producta, alia ab auaritiâ, alia ab alio vitio prodeuntia. Ieiunant aliquando, *sed exterminant faciem, vt videantur ieiunantes.* opus est ambitionis. aliquando ex auaritia id præstant, & tamen ei videri volunt opera sua, nimirum à virtute profecta. at post certum tempus, scilicet in fine vitæ, in fine diei huius peregrinationis, cum hæc opera, hi filij alieni ipsos non sequantur; apparebit inde non fuisse suos. sicut è contrario filij veri agnoscuntur esse, qui in hoc casu sequuntur parentes. sic in iustis accidit, de quibus dicitur à Ioanne: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, &c. sed additur, *Opera enim illorum sequuntur illos.*

Quamuis autem aliqui ostendant opera aliena pro suis, non tamen temerè iudicare debemus hos, vel illos id facere. nam quidam scribunt de Comitissa illa, quæ genuit trecentos sexagintasex liberos vnico partu, quod quia improperauit mulieri emendicanti cum pluribus filijs, quod alieni essent; à muliere audiuit, Deum precor, vt tu tot parias liberos, quot sunt dies in anno. & ita factum est. Sic periculum est, ne

ne temeraria iudicia in proximum facta, in caput nostrum vertantur, præsertim cum iudicamus pauperes, & eis exprobramus, aut cum iudicamus bona opera aliquorum non esse eorum filios, sed aliorum, hoc est vitiorum, vt supra dicebamus.

Reg.3.18. 3. Regum 3. 18. dicebat Elias quibusdam hypocritarum consanguineis, *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* claudicant hypocritæ in duas partes. in quibusdam enim operibus, præsertim externis, videntur sequi Deum, cùm ex alia parte sequantur Baal, hoc est diabolum. Sed sicut claudi materiales, dum genuflexi iacent in Ecclesia, putantur sanis, & rectis cruribus sicut ceteri homines, nec agnoscuntur vt claudi; cùm tamen inde surrexerint, & ambulare cœperint, protinus apparet vitium gressus ipsorum: ita hypocritæ, quandiu genuflexi manent in Ecclesiis, hoc est, quamdiu externam quamdam pietatem orando, aut simile quid agendo præseferunt, non agnoscuntur claudi, iudicantur sani, hoc est probi: at cum transacta occasione, externaque genuflexione, ambulare cœperint in via morum; tunc apparet eorum claudicatio, apparet quam malè ambulent. vnde ait, quod *veniunt in vestimentis ouium*: hæc est genuflexio claudorum, sicut & cum orant in angulis. at *ex fructibus eorum cognoscetis eos*, scilicet ex progressu operum. *ambulare in via*, in Scriptura pro operari sumitur.

Videre mulierem in Ecclesia coram altari, ô quàm pium spectaculum deuotionis! quàm profundè inclinatur, quam piè orat! at cum domum reuersa fuerit, quas preces recitet cum filijs, vel alijs domesticis videndum est, præsertim, si res inueniat quomodo nollet. in hac re sæpè apparet claudicatio. Ideo obseruant aliqui, dictum esse à Christo, cum petijsset, *quem dicunt homines esse filium hominis?* addidisse, *vos autem quem me esse dicitis?* quia sæpè domestici aliter cognoscunt hominem, quàm externi faciant. Fabula est, facilè tamen potuit accidere, idolum in Ecclesia olim casu fuisse collocatum in altari. diabolus erat, & tamen hic diuus aliquis reputatus est à quibusdam simplicibus. rursus delatum est idolum in domum suam, & ab ijsdem pro diabolo agnitum est & execratum. Aliqui diaboli sunt: at in Ecclesia positi & orantes, vel etiam communicantes, iudicantur sancti. si eos deinde videas in domibus suis, apparent quod sunt, scilicet diaboli.

4. *Hypocritæ quasi mercatores mendici, apothecis intus vacuis, foris tantum mercibus ornatis.*

4. HIPOCRYTÆ mercatores, & venditores sunt, sed mendici, & decoctores: qui non alias merces in officina habent, nisi quas foris conspiciendas exhibent in officinæ fenestra. nam *omnia sua faciunt, vt videantur ab hominibus*; ita vt opera ipsorum ex alienis oculis potius, quàm ex suis manibus egrediantur. Cum Diogenes, vt est in eius vita, pluuiam decidentem nudo capite exciperet, aut alia huiusmodi

molesta

molestá subiret; quidam commiserabantur. tum quidam ad illos. Si, inquit, ipsius misereminí, auertite oculos ab ipso. quasi diceret, statim cessabit ab ijs passionibus. Vide quid vanius, aut futilius operibus huiusmodi hominum, cumad vnicum intuitum, seu gyrum oculorum producantur, & ad alium esse desinant?

2. *Hypocritarum est liquare culicem, & vorare camelum.*

3. *Rusticus se lupum putabat intus esse. vt id explorarent, illum excoriare cœperunt. id qui debeant facere in lupis metaphoricis, scilicet hypocritis intrinsecus lupis.*

2. QVOD intolerabile fuit etiam apud Dominum in hypocritis est, quòd sæpè *liquant culicem, & gluriunt camelum.* hypocritis agnati sunt, qui scrupulo anguntur nisi ieiunent in peruigilio Diuæ Luciæ; non tamen, si id non faciant in pluribus diebus Quadragesimæ. ita discurre in paribus exemplis. Cranzius lib. 4. cap. 10. Cum inquit, Henricus Sueuiæ Dux Conrardo Imperatori eius fratri non pareret, ob idque è Sueuia expulsus esset ab illo; ad Stephanum Hungariæ Regem affinem suum confugit. Rex autem in conuiuio in die Parasceues ipsi parato carnes apposuit. Dux rem admiratus, Non comedam, inquit: est enim dies Parasceues. hoc fecerat rex, vt occasionem sumeret arguendi ducem, sicut fecit. Subdidit ergo Rex: Minus malum est hodie vesci carnibus, quàm à fratre sine necessitate rebellare. hac re motus ille cum fratre in gratiam redijt. Si inuicem mordetis, & comedetis, inquit Apostolus, Gal. 5. 15. *Videte ne ab inuicem consumamini.* exponunt aliqui, si inuicem vos læditis. Rex ergo quasi dicere voluit, deterius est quod fratres se inuicem deuorent, quàm quod deuorent vetitas carnes. peius enim est deuorare homines quam animalia. Multi scrupulo anguntur, si deuorent in die ieiunij panem non autem si deuorent hominem, scilicet per detractionem, aut per auaritiam non soluendo illi mercedem, aut debitum, vnde miser possit viuere. nam *deuorant plebem meam, vt cibum panis.* Isaias 58. 3. videatur. vbi mirè depingit, & repræhendit huiusmodi scrupulosos, & ieiunantes absque proximi charitate.

3. Vierus lib. 3. cap. 21. de præstigijs dæmonum narrat, anno salutis 1541. captum fuisse rusticum ab alijs agricolis, qui rusticus se lupũ esse putabat. [tritum enim apud peritos, & Inquisitores est, homines operâ dæmonum quo ad imaginationem, & furoré in lupos conuerti.] Dixerunt ergo rustici ad eum, quem ceperant (eo quod velut lupus in homines insiliret, atque etiam necaret) quod homo erat, & non pellẽ lupi, sed hominis habebat. ille subdidit, se intrinsecus lupum esse, & lupinã pellem habere. illi, vt id explorarent, ipsum excoriare cœperunt. Dic multos hypocritas lupos esse intrinsecus, scilicet operatione, & ingenio: sed exteriùs homines, scilicet humanitatem, & ouinam pellem ostentantes. at decorticandi sunt, ab his tamen ad quos id pertinet, non ab homine quolibet:

Cranzius l. 4. c. 10.

Gal. 5. 15.

Isa. 58. 3.

Vierus l. 3. 21. de præst. dæm.

quolibet. detrahenda nimirum ab eis persona, vt detecti nequeant grassari per fraudem in proximos, si eorum hypocrisis noxia erat ciuitati, vt sæpè accidit in quibusdam, qui prætextu sanctitatis praua dogmata seminabant. *Attendite ergo à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. intrinsecus autem sunt lupi rapaces. à fructibus eorum cognoscetis eos.*

Paulus Æmilius, cum eum arguerent, quod probam vxorem repudiasset; ostenso pede calceato, nonne inquit pulcher, & bonus est hic calceus? at nemo nouit, nisi ego ipse, quâ me parte lædat. Ita multi exterius probi videntur, sed *à fructibus eorum cognoscetis eos.* qui intrinsecè cum eis conuersantur, qui de familia eius sunt, sentiunt qua parte pulcher calceus eos lædat. Christus agnitus est *In fractione panis.* ita in fractione panis agnoscuntur prædicti, hoc est à domesticis, & commensalibus, cum quibus panem comedunt.

4. *In agendo odimus lucem, quia malè agimus Senecæ dicta sapienter de hac re. de eadem magni viri exemplum.*

Seneca epist. 43. 4. SENECA epist. 43. inquit, *Tunc te felicem iudica, cum poteris in publico viuere, cum tui parietes te tegent, non abscondent. Si honesta sunt, quæ facis; omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contempseris hunc testem!* Hoc est dicere, *qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* sic habetur Ioan. 3. 20. Congruit prædictis quod respondit sapiens ille architecto dicenti, ædes tuas ita conficiendas curabo, vt nemo ex vicinis in eas inspicere queat. ait enim, Imò volo sic conficias, vt ab omnibus aspici possim. nihil turpe se facturum indicans.

5. *Mundus materialis, vt & humanus, seu sæculum est cape magnum duplicitatis, & absconsionis.*

5. AST hodie contrarium passim fit, Architecti quæruntur, melioresque ceteris æstimantur, qui interiora domorum ab oculis proximi magis amoueant. Penetralia magis, quàm domos quærimus: imo plerique hominum huiusmodi penetralium Architecti fiunt, dico secreti, & silentij. Plurimis sub tegulis viuimus, scilicet, propriè, & metaphoricè sumptis. Sicut mundus maior est, ita & minor, hoc est homo: sicut est mundus materialis, ita & humanus, scilicet homines mundi. Mundus sicut cælis contectus est, ita quodammodo potest dici celatus: sicut & celatus est mundus, scilicet sæculũ. mundus quasi cæpe magnũ videtur ratione plurium cælorũ inuicem vnitorum, quibus contegitur: sic cæpe magnum duplicitatis est sæculum hoc, seu mundus. Ecclesiastes 3. *Tradidit mundum disputationi hominum.* Quidam apud Titelmannum hic legendum volunt ex Hebræo, *tradidit absconsionem.* verè mundus est absconsio. æstimant illi lusum esse vitam nostram. at plerique

que æstimant, seu faciunt ludum illum, quo ludentes se ad inuicem abscondere student, ludus absconsionis vocatur. *Si gioca all'ascondarla.* Refrixit charitas; ideo abundant, vt Horatius ait, *Animi sub vulpe latentes*, quasi vt calefiant, & qui non contenti lupina pelle, scilicet malitiæ, assuũt etiam ouinam. *veniunt in vestimentis ouium, cum intrinsecus sint lupi rapaces.*

Tradidit mundum, seu absconsionem disputationi hominum. subdit, *vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.* etiam ipse mundus materialis absconsio est, & ludit cum hominibus ludo absconsionis. *Cuncta* enim *res difficiles, nec potest homo eas explicare sermone.* Occultant se cognitioni nostrę. Ab initio tot homines laborarunt, vt veritatem rerum detegerent; & tamen in plurimis inuenire non potuerunt. Si sic est in rebus sensu carẽtibus, quid mirum si accidat hoc in hominibus? Accidat factum aliquod, scelus cõmittatur in vrbe: desudat iudex inquirendo quis fecerit. per verbum *nescio* à plerisque resoluitur quæstio: dum aliquid periculi insit in reuelando, digito ora occludunt. Si aliqui quippiam mussitare audent, id tot facies habet, quot narratores inuenit; adeo veritas vix vnquam inueniri potest, *Veritas corruit in plateis; & dilexerunt magis tenebras quàm lucem.*

TRIBVLATIO.

2. *Tribulatio fulmen est, quod aurum nobis detegit.*
3. *Indurati tribulatione non mouentur.*
4. *Dulcis memoria mali præteriti. Mala petimus, & obtenta dolemus.*
5. *Tribulatio vt præmium virtutis datur.*

2. ACHARIAS Lilius in compẽdio de mũdi regionibus, post alios, refert in finibus Galliciæ prouinciæ Hispaniæ habitatores expectare fulmen à cœlo delapsum tanquam thesaurum: eò quòd cadens soleat terram suffodiendo detegere aurum, quod eo loci inuenitur, & ita post casum eius accurrunt ad eruendum prædictum metallum. Dic tu quid horribilius fulmine? & quis non æstimaret se à Cœlo, & Deo odio habitum, & horrendè mulctatum, cum fulminatur eius domus, vel ager? ita videtur hominibus mundi, cum desuper fulmine tribulationis impetuntur, & familia ipsorum vel per mortes, vel alia infortunia percutitur, tamen iusti scientes quod *tribulatio patientiam operatur*; sciẽtes quod hoc fulmen thesaurum abscõditum in agro, Dei scilicet gratiam, nobis detegit; lætanter fulmen expectant. *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis*, ait Iacobus, fulmen videtur esse mors; at iusti expectant mortem, &c. quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum inuenerint sepulchrum. in agro enim etiã isto mortis & sepulturę inueniunt thesaurum absconditum.

3. Tomo 1. li. 2. Historię Turcicæ per Lonicerũ collecto dicitur, Imperatorẽ Turcarum habere cursores, *Lonic. to. 1 l. 2. hist. Turc.*

 quibus

quibus ex cursu adeo induerunt plãtæ, vt laminæ ferreę eorum pedibus, sicut equis fit, apponantur, immo infigantur clauis similiter ferreis, ex quibus tamen sensum nullum doloris percipiant. pedes, affectus significant. nam vt Augustinus ait, *anima non mouetur pedibus, sed affectibus.* ex peccandi ergo consuetudine eorum (de quibus Prouerb. 6. 10.
Prou.6. 10. *Pedes veloces ad currendum in malum,* & Pro-
Prou.1.6. uerb. 1. 6. *Pedes enim eorum ad malum currunt)* adeo ex hoc cursu continuo induruerunt plantæ affectuum ipsorum, vt insensatæ affectæ sint non solum stimulis, & clauis verborum Dei (nam vt ait Ecclesiastes, *Verba sapientum sicut stimuli & quasi claui in altum defixi)* sed etiam clauis tribulationum. ita vt quilibet illorum di-
Prou.23. 35. cat ebrij illius verba Prouerb. 23. 35. *Verberauerunt me, sed non dolui, traxerunt me, & ego non sensi.* mysticus enim ebrius est peccator, quia vino voluptatum inebriatus & sopitus à dæmone non sentit Dei vocationes per verba, aut per verbera. vulgò
(a) Occalluit, vel occalluerunt illi pedes adeoque non exhorret vias asperas. dicimus, *(a) hà fatto il callo, ouer i calli a' piedi, però non teme di caminar sopra vie dure.* sic, sicut iustus dicit Deo suo, ita peccator ait dæmoni: *propter verba mandatorum tuorum ego custodiui v as duras.* pertuli potius tribulationes, quàm tua nõ implerẽ desideria.

Exod.24. 10. Exodi 24. 10. dicitur de Moyse, & Aarone quod *viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis saphirini.* Oleaster refert circa hũc locum, Hebræos dicere, Deum sic apparuisse, vt scirent lateres, in quibus elaborandis in Ægypto premebantur, in saphiros esse commutandos. dictu etiam: lapis ex ijs, quibus Stephanus lapidatus est: (vt audiui, quod alicubi habebatur) is, quasi in lapidem pretiosum conuersus, in magno honore nunc habetur. sic ex lapidibus pretiosis in cœlo ille coronatus est, iuxta illud *posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* lapides passionis in lapides gloriæ, vt ita dicam, in illo sunt commutati. hoc verò dicendũ de lapidibus, seu lateribus omnium tribulationum, quæ patienter ferantur. nam manus Dei erga nos *tornatiles, aurea, plena saphiris.*

4. Tribulatio cum transierit, per sui memoriam dulcedinem quãdam affert, iuxta illud, *Dulce est recordari quod fuit amarum pati. Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.* Glossa Gen. 8. Gen. 8.
refert Noë anno sequenti postquàm egressus fuerat ex arcâ, in ipsam intrasse, vt in memoriam reuocaret labores præteritos, & consolationem præberet mũdo aduersam fortunam non diu duraturam.

Legitur in Scriptura: *Non est malum in ciuitate, quod non faciat Dominus.* quamuis Paulo aliter saltem in vulgata habeatur, nempe, *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* voluntas ergo Dei est, quidquid mali nobis acciderit. nunquid ergo non stulti sumus, si quod quotidie petimus, *Fiat voluntas tua:* id postea cum obtinuerimus, dolemus? perijt tibi libertas, perijt filius, perijt res familiaris. impleta est voluntas Dei quod iamdiu petis: & ploras?

5. In Megalensibus ludis, inquit Celius Calcagnimus, victor sperabat à Præside insigne præmiũ, at ille poculum illi propinat pro præmio. bibit

bibit & inuenit absynthio commixtum. tum Præses, Disce inquit, fortunam suauibus amara miscere. Dic ergo Deum victori, nempe in militia spiritali præmium magnum merenti, calicem passionis & tribulationis pro remuneratione sæpè dare. discipulis, quos diligebat, præsertim Ioanni dilecto, ait; *calicem quidem meũ bibetis*. vincenti in calice amaritudinis dat *manna absconditum*, hoc est saporem spiritalem, quo exultant in tribulationibus, *quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. tribulatio ergo non fugienda pro supplicio, sed tenenda pro præmio. Item dic donum Dei esse, & remunerationem pro victoria peccati, si per calicem aduersitatis nos admoneat de inconstantia prosperitatis humanæ, & quod *risus dolore misceatur*, *& extrema gaudij luctus occupet*.

Adde: calix aduersitatis sæpè est etiam tentatio grauis, & aliud simile, quo humiliamur, & medemur iã cõceptæ superbiæ spiritali, vel mundanæ etiam in mũdi gaudijs. Modo victores sumus hostium, & triumphatores: sed paulò post cogimur bibere calicem, idque in præmium computare cogimur laboris præteriti. talis est mundi consuetudo, vt pro se laborantes prẽmiet amaro calice. est tamen amaritudo eius absynthij; quia si absorbeatur, hoc est patiẽter toleretur, prodest stomacho, & valetudini (vt ea herba solet prodesse) stomacho inquam, & valetudini animæ.

Tã ingens gratia est pati pro Christo, vt Ludouicus Granat. in tractatu de Amore Dei dicat, quod si inuidia in Angelicos spiritus cadere posset, nullam rem homini inuiderent, nisi quod pro Deo pati possunt.

2. *Tribulatio calix mentem infundens bibentibus.*
3. *Echo Italicè de fructu tribulationis.*
4. *Patienter ferenda, quia à Deo est, scilicet tribulatio.*

2. MERCVRIVS Ter-maximus appellatus apud Mascardi discursu 4. putauit animas ante ingressum in corpora, ex communi calice mẽtem bibere solitas, & eo amplius, vel minus, quã plus, vel minus ex eo biberint, intellectu pollere, in hac vita. Dicerem potius verificari in hac vita quæ ille sentit. nã bibere de calice, est participare de tribulatione, iuxta illud *Potestis bibere calicẽ, quẽ ego bibiturus sum?* & *calix, quem dedit mihi Pater*, &c. Plerumque enim in nobis accidit, vt tantum prudentiæ, & intellectus acquiramus, quantum ex tribulationis calice bibimus: quia verum est illud Isa. 28 19. *Vexatio intellectum dabit*. Magna res ista est. si enim alicubi inueniretur calix, ex quo intellectus hauriretur bibendo; quamtumuis amarissima esset potio, nemo esset, qui vt suam augeret mentem, & sapientiam, non inde copiosè biberet. & tamen cum quotidie propinetur nobis hic calix; vix est, qui, nisi cogatur ad bibendum, ex eo ne guttam quidem sorbeat. *Isa. 28 19.*

3. Echo Italicè sic habet de tribulatione: (a) *Che sarian l'alme senza felle? felle. Quai sansi i buon senza conforti? forti. Quai sansi i rei ne' passatempi? empi. Che manca all'huom, che và felicemente? mente. Che porta il mal, quando l'as-*

(a) Quid est anima quæ non gustat fel? fel. Quales erunt boni, si eos

non confortes? fortes. Quâ recaret homo fortuna aſpirante & clemente? mente. Quid faciā inter dolores? ores. Propter aduerſitates, à virtute aberras? erras. Quid hominibus ſunt ærumnæ & pericula? diſcernicula, quibus ſcilicet velut cribro diſcernūtur boni à malis.

Cel. l. 18. cap. 33.

t' aſſale? ſale. Che fai premuto da' dolori? ori. Sono di danno à i buon pene, e tormenti? menti. Ponno far danno loro i fochi, e i ferri? erri. Speſſo la porta al mal la ria ventura? tura. Che coſa ſon à gl' huomini i trauagli? vagli, cioè criuelli, che diſcernon i buoni da' cattiui.

4. Et ſi nulla ratio alia ſuppeteret patienter ferendi aduerſitates, ea vna ſufficeret, quod à Deo omnipotente, & rerum omnium moderatore, non caſu, neque temerè, & iniuſtè, ſed perfectâ prouidentiâ mittantur: quamuis varijs modis & inſtrumentis id ſæpè efficiat, vt per homines vel per dæmones, &c. Imò ſola nobilitas, & magnitudo victoris, ſeu interfectoris, quamuis victoria, & interfectio iniuſta eſſet, valde mitigat dolorem victi, & interfecti. Pulchrum exemplum huius ſecundi caſûs, & à fortiori multò magis etiam primi habetur à Celio lib. 18. cap. 33. lectionum antiquarum. Alexander (inquit Celius) iam obtentis victorijs magnus effectus, iuſſit decem iuuenes patria Sogdianos duci ad ſupplicium. Hi verò, cum prolata ſententia duci cœpiſſent ad patibulū, Pæana canere cœperunt, & lætiſſimè procedebant ad interitum, velut ad nuptias ſi properarent. (Pæan erat hymnus in laudem Apollinis, qui, vt ait Iulius Pollux, decātabatur in victorijs, & in auerſione malorū) Obſtupeſcentibus qui aderant, cùm res ad Alexandrum deueniſſet, iubet eos paulùlum conſiſtere, & interrogat, cur ita lætabundi eſſent? quia inquiunt, ad mortem rapimur iuſſu regis mundo vniuerſo imperātis. Adeo ſibi complacuit Alexander in eorum reſponſione, vt ipſos incolumes dimitti iuſſerit. Si illi hæc dixere de Alexandro, qui vermiculus erat reſpectu Dei; vide quid nobis dicēdum de Deo ipſo Rege vero vniuerſi, cū iuſſu eius mortis naturalis, vel alterius mali ſubimus pœnam.

Adde, quod, vt ſuprà iudicaui, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, & matura deliberatione, vel temeraria damnati eſſent; id nihili reputandum putarunt, ſolum auctorem ſententię ſibi ſatis eſſe putantes ad lętitiam; cum nos dubitare non poſſimus à ſumma prouidentia, & iuſtitia noſtram ſententiā deriuare. Item Iudic. 9. Abimelech, cum fragmen molæ à muliere deſuper deiectum, caput eius cōfregiſſet, nonne ait armigero ſuo, *euagina gladium tuū, & percute me, ne fortè dicatur, quod à femina interfectus ſim?* ergo ſola auctoris, & interfectoris dignitas interfectum ſolatur.

Iudic. 9.

Nonne notum eſt illud D. Greg. 2. Moral. cap. 13. quod Iob ita conſolatus eſt malū ſuū &, vti dicamus, quaſi Pæana cecinit in laudem veri Apollinis, dicens non diabolus abſtulit, ſed *Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum?* ſolatium Iobi in hoc nonne ex auctore mali ſui, quem Deum agnouit eſſe, non diabolum; quamuis inſtrumentum eius extiterit?

D. Greg. 2. Moral. cap. 13.

In victorijs, & in auerſione malorum decantabatur ille hymnus. cur ergo in caſu illū canebāt? quia tacitè agnoſcebāt quandam victoriam eſſe, & triumphum vinci atque interfici à maximo victore, vel potius victoriā de malo illato reportari à viro fortiter illud patienti, iuxta illud:

noli vinci à malo, sed vince in bono malum. vicerunt in bono malum collaudantes interfectorem suum. In auersione mali cantabatur hymnus ille. vnde ostenderunt per tolerantiam mali nos non subiacere malo, sed auertere à nobis malum, hoc est, per malum libenti animo exceptum. quod enim libens suscipis, iam hoc ipso desinit esse malum tibi: indeq; ex tolerantia gloriam potius recipis.

2. *Tribulatio in aurum cuncta mutat. Sponte est quærenda.*
3. *Pennas dat ad voladum in cælum.*

2. MIDAS quidquid tangebat conuertebat in aurum. addunt aliqui huic fabulæ, ipsum semel percussisse pede quempiam ex suis, dum noctu simul cum eo esset absq; lumine. qui aderant compatiebantur percusso; cumque lucerna illuc allata esset, vident vestem percussi auream euasisse, & illi inuidentes rogabant, imo & irritabant Regem, vt ipsos percuteret. Ita tribulatio putabatur noxia probis viris: tamen addita luce doctrinæ Euangelicæ apparuit percussum ab illa lucrum inde accipere, eò quòd eius tolerantiam in aurum charitatis commutet, quo auro ille emit sibi cælum. vnde postea multi optarunt se ab illa percuti, & gaudent in tribulationibus. Psal. 98. *Propitius fuisti eis & vlciscens in omnes adinuentiones eorum*, hoc est, etiam vlciscẽs eis propitius fuisti. sic Genebr. ait, posse exponi. punit amans.

Psal 98.

Plato in Gorgia asserit adeo vtilem esse tribulationem; vt amici nostri, si peccarint, à nobis accusari debeant apud magistratum, vt puniti probi euadant. Ibidem addit, *imo filios nostros, & nos ipsos culpâ perpetrat accusare debemus, vt per punitionem culpa à nobis auferatur.* Nonne ægri dum sumus, conquirimus medicos, qui nos vrant, & secent igne ac ferro, vt corpus conualescat à morbo, & pro hac re mercedem soluimus? quid mirum ergo, si & iudices ad medicinam animæ, quæ tantò nobilior est corpore, suadeat Plato esse conquirendos? Consilium hoc Platonis optimum est, & implendum: nisi cum iudicio boni, & prudentis viri res ita se haberent, vt in eo casu ab illo exequendo abstinendum esset. Apostolus verò aliter vult, vt nos ipsos etiam puniamus, & iudicemus, *Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.*

3. Plinius ait, animalia omnia duorum pedum pennas habere, excepto homine. vnde Plato definiebat hominem, quod sit *animal bipes implume, & rationale.* at ego dico, quod homo etiam pennas, & alas habet ad volandum. vnde cum D. Ambrosius in Exameron dicat hominem ad cælum erecto corpore formatum esse, quasi vt illuc volaret, dico pennas illi datas ad hoc esse pœnas. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Pœnæ, & dolores in Euangelio vocantur *crux.* oportet ergo, si volare volumus, vt crucifigamur. sic enim qui crucifixus est expãdit brachia sicut auis volans, & eleuatus est

Iob. c. 5. à terra. idem videtur esse crucifixus, volucris volans. Ideo Iob c. 5. dicitur, *Homo nascitur ad laborem, auis autem ad volatum*, indicare videtur idem esse homini laborem, & crucem tribulationis; ac aui alas, siue volatum: & per laborem debere ad cælum euolare. Obserua in sermone Italico in hoc verbo, *Mali.* contenersi *ali:* in hoc verbo, *Duoli* contenersi *voli*; quia hæc nobis exhibent alas ad volandum in cælum. Christus etiam est *aquila prouocans ad volandum pullos, & super eos volitans.* pulli eius sunt, qui assumunt pœnas, *vt aquilæ volant suos, & non deficiunt.* Ille expandit alas suas volans in cruce, & per crucem ad cælum, dicens, *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me*; expandat & ipse alas suas crucem sustinendo. hoc enim est *tollere cruce.*

D Basilius in Examerô dicit grues turmatim volantes angulum formare, vnamque alijs præcedere. omnes volando crucem alis formant. Sic ergo omnes discipuli Christi, omnes iusti post Christum volitant, suam quisque crucem sustinendo. Sicut autem prima illa in gruibus magis laborat, ceteris in volatu suo, & labore suo aërem scindendo, laborem alijs minuit, & viam aperit, & facilem reddit, eò quòd Dux ceterarum fuerit constituta: ita Christus Dux noster in hoc volatu crucis, & passionis longè amplius quàm ceteri sustinẽdo, laborem eis diminuit, & semitam facilitauit. vnde postea tam prôptè tot Martyres, & iusti assumpta cruce sua secuti sunt eum. *Qui vult ergo venire post me tollat crucem suam, & sequatur me.* Adde, quod Christus lapis est angularis, qui facit vtraq; vnum. vnit suos in angulo ad volandum per crucem. ✕

2. *Iustus palmes purgatus ferro amplius fructificat. Historia pulchra de vitis putatione.*

3. *Bona mundi immunditiæ sunt, quamuis gemmæ essent. Dei flagella amoris effectus.*

2. PAVSANIAS apud Theatrũ. vitæ humanæ dicit Nauplienses, cum nec dum ars vitis putãdæ apud eos innotuisset, & semel vidissent vitem quamdam à iumento abrodi; putarunt malè actum fuisse cum illa, & quasi perditam, & mortuam habuerunt. at cum anni tempore, quo vuæ gignuntur, vidissent eam plures afferre fructus, quàm anteà tulisset; inde agnouerunt non damnum, sed vtilitatem illi fuisse præstitam ab eo animali. vnde artem vites putandi didicerunt. Ait Christus. Ioan. 15. *Ego sum vitis, & vos palmites,* & quod palmitem ferẽtem fructum purgabit eum, *vt fructum plus afferat.* Vides tu, qui ignarus es putationis, & naturæ palmitum, humanorum, quod ij corroduntur, vel putantur ab aliquo, scilicet dente, vel falce tribulationis, detractionis, vel rapacitatis, quibus instrumentis ab illo detrahitur fama, detrahitur res familiaris. (detractio enim dicta est ab eo quòd demat, & detrahat aliquid: Corrosio etiam, & deuoratio talia significat. *Si inuicem* inquit, *mordetis, & comeditis,* hoc est, si inuicem vos læditis.) vides inquam hoc, & putas malè actũ cum palmitibus illis. at stultus es. Ioan. 15.

nam

nam beneficium illi per hoc præstitum fuit. videbis, quod fructum maiorem afferent. Præsertim ex corrosione, & detractione, quâ deteguntur turpitudines nostræ, & carpuntur vitia, solemus resipiscendo in melius mutari, vt fiat illud in
Psal.8 2. nobis Psalm. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Palmitem ergo non ferentem fructum purgabit eum, *vt fructum afferat.*

Omnem, qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat. Palmitem separatum à vite agricola non purgat, non putat. quid dices, si non purgat, ergo amat? at dico, si ille non habet Purgatorium, habet infernum, scilicet si non putatur, in ignem mittetur æternum, non vt ibi purgetur, sed vt semper ardeat. Aduerte etiam superflua palmitum esse illa, quæ fructum impediunt in eis abundantem. superflua scilicet opum honorum, &c. per eandem superfluitatem palmitum significata. Nonne spinæ, hoc est diuitiæ, & voluptates, quæ omnia superflua sunt, non pertinentia ad vitæ necessitatem, suffocant semen, ne fructum pariat? Quot prædiuites inuenias, & præsertim dominantes ceteris, qui simul sint Dauides regno, & Antonij officio? huiusmodi enim ferè fuit rex ille. At si Deus hos palmites circumcidat, scilicet auferat diuitias, & principatus, mediante scilicet aliqua æquè tolerata aduersitate, vel voluntaria eorum renuntiatione, atque susceptione status religiosi; tunc videbis coronam de eorum capite transire in eorum manus spinas opum, & voluptatum conuerti in Rosaria orationum, officium magistratus, aut dominij conuerti in officium Domini, hoc est in diuinum officium. *Purgabit eum*, non obtruncabit. Prou.
30. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi.* vtrumque enim periculosum esse solet. Superflua nocent viti, non necessaria. Prou. 30.

Ita camelus, vt ita dicam, valde circumcisus, & depositâ sarcinâ, intrat per foramen acus, vt inquit Beda de Zacchæo: &, vt palmes circumcisus, fructum optatum affert. Memento infantes per circumcisionem quasi palmites in vite Dei olim fuisse, vt per hoc fructificarent. sic solet Deus circumcidere à superfluis dilectos suos. *omnem qui fert fructum purgabit eum.* constituet in Purgatorio. vt inde facilè transeat ad Paradisum.

3. *Purgabit eum.* Inde agnosce omnia superflua, omnes opes superbas, &c. esse purgamenta quædam, etiam si gemmæ essent, & margaritæ. *Purgamenta huius mundi*, ait Apost. intelligens immunditias quamuis de alia re loquatur. sæpè mundamur ablatis his purgamentis. Superflua hæc purgamenta sunt; quia ex his inquinamenta carnis oriri solent & peccata, ideoque diuitum propria. Sarmenta sunt, ideo facilè accendunt ignem inferni, vt in epulone visum est.

Iaponij ritus habent plures nostris omninò oppositos. nos pileum detrahimus nobis, dum reuerentiam alicui exhibemus, illi calceos: nos surgimus in signum honoris exhibiti ei, qui ad nos accessit; illi sedent. deniq; color albus apud nos lætitiæ

&

& prosperitatis, atque niger mœroris, & funeris: illis albus funestus, niger lætus & felix. Ita cum apud nos calculi nigri damnationem in suffragijs ferendis importent, sicut albi absolutionem, seu fauorem; si forte apud Iaponios mos est vtendi his calculis in iudicando, & quispiam ex nostris ignarus moris eius regionis, in aliquo iudicio videat calculos nigros in causa sua; putabit suffragantes sibi aduersos, cum tamen propitij sint. Ita ergo dicendum est, Deum in causa, & delictis suorum sæpè iudicare Iaponiorum more, *giudicar alla Giaponese*, in hoc sensu, quia cum nigros calculos in vrnam imponit in causa ipsorum, cùm imperiti styli diuinæ curiæ, putant eum damnare reos suos, tunc eis fauet, & propitium in iudicando se eis exhibet ita Psalm. 98. *Deus tu propitius fuisti, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Genebr. ait, posse exponi illud *&* pro & *si*, vt interdũ alibi sonat, vt dicatur, *propitius fuisti eis, quamuis, vlciscens, si quando peccarint.* alij illud & pro etiam exponendum volunt, *propitius etiam dum vlscisceris*, dum nigros in causa eorũ ponis calculos. at enim Genebrardus quod punit suos amãdo, ne quid supersit eis soluendum in furto. *Psal. 98.*

2. *Nos mala ad nos trahimus. fabri sumus crucis nostræ.*

3. *Iustus hic quasi corpore glorioso consistat in vulneribus inuictus.*

2. QVID non insumeres, vt remedium inuenires non incidendi in tribulationem aliquam? at ipse gratis dabo. Tribulatio crux est. D. August. ait, crucem significatam fuisse verbis illius viduæ 3. Reg. 17. *En colligo duo ligna.* lignum alterum in longum, & rectum tenditur, alterum transuersum est recto. In cruce tribulationis lignum in rectum protẽsum est desiderium, & studium tuũ, verbi gratia obtinendi illud officiũ, vel lucrũ &c. huic ligno sæpè superuenit transuersum, nempè riualis alius, vel impedimentum, quod opponitur tibi in consecutione eiusdem rei, & ecce crux confecta. Amorem collocaras in filio: ecce lignum oblongum. mors rapuit filium, & ob immoderatam animi affectionem ex hoc cruciaris: ecce lignum transuersum. practica in ceteris. Remedium ergo promissum tibi ostendo: ne apponas tu lignum in rectum protensum, & non veniet transuersum super illud. numquam eris miser, imo semper felix. Crede Ethnico, si non Christiano. clamat Seneca, *Claude desiderium tuum, & cum Ioue de felicitate contende.* quid amplius expectas?

Transuersum lignum aduersitatem facit. vulgò enim dicimus, *le cose mi van à trauerso.* & Apost. *Cupiditas est radix omnium malorum.* addo ego etiam malorum pœnæ, nedum culpæ. Tolle propriam voluntatem (clamat Bernardus) *& Infernus non erit.* non erit infernus in futuro, nec infernus tribulationis in præsenti. non erit infernus, imo erit Paradisus. nam claude desiderium tuum, & cum Ioue de felicitate contende. 1. Petri 3. *1. Pet 3.* *Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Crucem tuam tu vocas aduer-

aduersam fortunam. sed Adagium antiquum est, *Vnusquisque faber est suæ fortunæ.* ergo tuam tibi fabricas crucem. opus fabri est crux. tu es Aman, qui in cruce à se parata iubetur crucifigi.

Tu faber es tuę fortunæ, tuæ crucis. affectus nostri opera nostra crucem nobis fabricant, in cuius rei signum manus nostræ, quæ opera significant, decem digitos habent. qui numerus cruce exprimitur. Sic enim vocamus decē X, eo quod sit crux. manus inquā nostrę conficiunt. Sed addas te ipsum tibi esse crucem. quid ostendam tibi, volens ostendere, seu significare crucem, nisi literam T? sed quid sonat littera T. nisi te? dum pronuntio T. pronuntio te? quia sine vocali non fit pronuntiatio vocis articulatæ. Cruces, quas videmus quid sunt, nisi ligna arida, & absque fructibus? at quid est homo peccator nisi lignum aridum & absque fructu boni operis? lignum aridum est, & consequenter sine fructu, iuxta illud, *In arido quid fiet?* Crux lignum est aridum sine fructu, sed insuper formam crucis habet. at homo si aridum, & sine fructu lignum est, nonne etiam habet formam crucis in se ipso, si brachria extendat? ergo homo, cum per peccatum habeat esse lignum aridum, & sine fructu, simul habet esse crucem sibi ipsi, esse cruciatum. Id autem non solum verum est ob allatam rationem desiderij inordinati, sed magis ob peccata commissa ab ipso, quibus ad se trahit mala pœnæ commeritæ. nam Psal. 38. 12. *Propter iniquitatem corripuisti hominem.* Ecclesiastici 7. *Noli facere mala, & non te apprehendent.* ergo dum homo sibi tribulationem creat, dum se ipsum peccando facit lignum aridum, & sine fructu; simul se facit sibi ipsi crucem commeritæ afflictionis; præsertim ob cōscientiæ vermē, per quem fit sibi ipsi importabilis. Crucem calamitatis impatienter trahit, & facit vt crux non fuget, sed potius attrahat dæmones. *Nemo læditur, nisi à seipso* læsione culpæ, sed plerumq; etiam ratione pœnæ; quatenus pœna plerumque propter culpam datur. dixi pœnam, hoc est tribulationem.

Psal. 38. 12. Eccl. 7.

3. Videē contra in iusto, quod nemo lædatur nisi à seipso. Chrys. Hom. 5. ad pop. Antiochenum, ait, *Quid enim quispiam facere possit, quo generosum virum cogat contristari? Auferet pecuniam? sed habet in cælis diuitias. Patria eyciet? sed in cælestem ciuitatem mittet. vincula inijciet? sed habet conscientiā solutam, & exteriorem non sentiet catenam. sed interficiet corpus? at iterum resurget & sicut cum vmbra pugnans, & aërem verberans, percutere poterit neminem; sic & cum iusto pugnans, cum vmbra tantum pugnat, & vires suas dissoluit, nullam illi plagam poterit efficere.* hæc ibi. Adde Prou. 12. 21. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit.*

Chrys. Hom. 5. ad pop. Ant.

Prou. 12. 21.

Quid est hoc, quod dicit Chrysost. *Sicut cum vmbra pugnans, & aërem verberans,* & quæ sequuntur? nisi miraculum grande, nimirum hominem resurrexisse à mortuis antequam moriatur? nonne Chrysostomus depingit nobis hominē in corpore glorioso, quale non obtinet, nisi qui à mortuis surrexerit semper victurus in cælis? nonne cum homine glorioso pugnans perinde se habet,

bet, ac si cum vmbra pugnet,& aërem verberet? nonne percutiet neminem,& vires suas dissoluet? Ergo hic iustus per fortitudinem beatus est antequam sit beatus. Beatior est homo gloriosus & fortior, sed felicitate; iste virtute: ille dote impassibilitatis, iste patientiæ: ille in patria, hic etiam in via ille vincit armatus, iste nudus: ille enim tegitur, vt ita dicam, clypeo adamantino beatitudinis; iste retundit gladios scuto vitreo fragilitatis: ille vincit, quod cum dolore non sentit; iste sentit, à quo ex dolore non vincitur. ille vincendo omnia, vincit nihil, quia omnia non possunt ei facere aliquid, nempe damni; at iste vincendo omnia, omnia vincit, quia omnia possunt illi afferre omnia detrimenta: ille inuulnerabilis, quia non potest vulnerari; hic inuulnerabilis ex vulneribus, quia non habet amplius vbi vulneretur. ille vincit nullam ex toto prælio lucrando coronam; iste vincit singulis ictibus coronam acquirendo. denique ille beatus præmio, iste merito: ille beatus, quia pertulit; iste quia pertulit, & quia perfert. nam *Beatus vir, qui suffert tentationem.*

Loquitur de corona Pauli. Hom 8. ad cap. 4. ad Eph. Tanta est beatitudo iusti viri, & pro Deo patientis, vt Chrysostomus hanc magis quàm illam exoptarit. ita Hom. 8. ad cap. 4. ad Ephes. ait, *Si quis mihi daret totum cælum, aut illam catenam, ego illam præferrem. Si quis me aqud superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem, & vincula. Si quis me faceret vnū ex Potestatibus, quæ sunt circa cælos, aut circa Thronos, aut talem vinctum; potius optarem talis esse vinctus. nihil est illâ catenâ beatius.*

Gregor. Naz. orat. 27. roborat quæ diximus de iusti fortitudine in patiendo sic: *Duo hæc arripi, & superari nequeunt, Deus, & Angelus: tertium est Philosophus in materia materiæ expers, in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impassibilis, omnibus rebus vinci se facilè cedens, præterquam animi magnitudine, & eo ipso, quod vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse videntur, deuincens.* *Greg. Naz. orat. 27.* Assimilauimus fortitudinem iusti fortitudini hominis beati: at Greg. etiam fortitudini Angeli, & fortitudini Dei, & gloriam præstantiæ illius, gloriæ nobilitatis istorum. Iuxta hanc similitudinem Christiani Philosophi ad Deum, sicut dictum est, aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat, ita quodammodo potest dici, aut Deus Philosophatur, aut Philosophus Deificatur. A fortiori de Angelo: Aut Angelus est Philosophus cæli, aut Philosophus est Angelus terræ.

Seneca tractatum fecit, vbi probare conatur. quod *in sapientem non cadit iniuria.* & inter cetera ait, *Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamat, aut cædi, vel teri potest, sed incurrentia vltro retundit, ita sapientis animus solidus est, & id roboris colligit, vt tam tutus sit ab iniuria, quàm illa, quæ retuli.* sed tales sunt veri Philosophi, scilicet iusti, qui ita à Deo roborantur. Ezech. 3. 9. *Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos.* *Ezech. 3. 9.*

Ideo Socrates de ijs, qui eum accusarunt, vnde postea neci traditus est, dicebat, *Me Anytus & Melitus*

tus occidere possunt, lædere non possunt. Decantatum est etiam illud Anaxarchi, qui cum pistillo tunderetur in mortario, dicebat tyranno: Tunde, tunde: Anaxarchi enim follem, seu vestem tundis, Anaxarchum non tundis. Ad vltimum cum tyrannus inclamasset, linguam illam tibi præscindi faciam; proprijs dentibus eam abscissam in os illius præ ira patulum expuit. Doctrina hæc communis erat apud Stoicos; scilicet quod Cicero famil. quinto testatur, *Præter culpam, & peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile, aut pertimescendum.* Quid amplius possit Christianus dicere? Notum est etiam illud Horatij, qui patientem facit esse quasi spiritum, & quasi Deum. quid enim timeret spiritus, quid timeret Deus si vniuersus orbis super ipsos corrueret? at cum Horatius ipse patientis fortitudinem, & animi constantiam valde magnificasset, tàdem illud addidit, *Si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.* Ergo stet illud, quod diximus ex Prou. 12. *Nõ cõtristabit iustũ quidquid ei acciderit.*

Cic. fam. 5.

Prou. 12.

Quid est, *quidquid ei acciderit*, nisi omnia accidentia? sic enim vocantur infortunia & aduersitates, eò quòd homini accidant. Sed sicut aiunt Philisophi, quod accidentia non operantur nisi in virtute substantiæ; vnde sine illa nil efficere possunt. nam actiones sunt suppositorum. ignis est calefacere medio calore, non autem calor per se ipsum id potest efficere; & ita in ceteris. At quænam est substantia accidentium de quibus loquimur, nimirum casuum, & tribulationum nisi peccatum? hoc est vnde illa accidentia nocendi vim habent, nec sine peccato lædere, aut terrere hominem possunt. Exemplum huius rei vide in morte, quæ inter omnia accidentia, & casus qui homini accidunt, teterrima est. est enim vltimum terribilium. quid est quod illam possit reddere fortem ad nocendum, vel terribilem nisi arma eius? at 1. Cor. 15. dicitur *stimulus autem mortis peccatum est.* ablato stimulo hoc ab ipsa, minus quàm apis, minus quàm musca timenda est. nam illa animalcula timentur & lædere possunt per aculeum, at mors sine peccato, sine aculeo est. Vide ergo verum esse quod ignoranter dixit Tullius: *Præter culpam, & peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile, aut pertimescendum.* 1. Petri 3. 13. *Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Ita supra dicitur, *Non contristabit iustum,* hoc est carentem peccato, *quidquid ei acciderit.*

1. Cor. 15.

1. Pet. 3. 13.

Iusti, & fortes, vt dicebamus paulò ante, adamantes sunt. at diuites adamantes habent. minus autem est adamantem habere, quàm esse. quid prodest adamantem habere in annulo, & vitrum in animo? vitrum dico, hoc est imbecillitatem in aduersis. Plus sæpè valet digitus diuitis, quam totus diues. digitus enim aurum, & adamãtem gerit, diues totus ligneus, vel vitreus est, vilitate scilicet vitij, & imbecillitate patiendi.

2. *Vbi aurum, ibi Lydius lapis, vbi virtus, & meritum ibi patientia.*

3. *Peccator in malis quo confugiat non*

 habet

habet vt iustus.

4. *Tribulationes feræ sunt circurata à Christo.*

5. *Nos causa malorum nostrorum sumus.*

2. IN Lydia quidam aiunt inueri Lydium lapidem, puto à prouincia sic appellatum. ibidem aurum gignitur in Pactolo fluuio. rectè ergo vbi aurum virtutis est (Apo. 3. suadetur quis *emere aurum ignitum,*) ibi etiam lydius lapis patientiæ, & probationis. Rom. 5. 4. *Patientia autem probationem.* in iusto enim vtraque res inesse debet. *quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te, Tobiæ dictum.*

Apoc. 3.

Rom. 5. 4.

3. In latrunculorum ludo rex vinci non potest, Italicè, *non può hauer scacco matto,* nisi, quando non habet amplius locum, quo se tuto recipiat. ita iustus non vincitur in tentatione, & tribulatione, quia ad conscientiæ asylum confugit, ibique pacem, & bonum, quo se soletur testem inuenit. ita etiam ad orationem, vbi inuenit refrigerium, se recipit. nam Iaco. 5. *Tristatur aliquis vestrum? oret.* (a) *Così se ha scacco, non l'ha matto.* 2. Corint. 4. *Persecutionem patimur, sed non angustiamur.* At peccator, non habet, quo in tribulatione recurrat. si enim confugit ad conscientiam; eam sceleribus, hostibus scilicet suis refertam reperit, inuenit in ea vermem, imò serpentem iniquitatis suæ, qui illum mordet, & remordet. fitque de eo illud Amos. 5. 10. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.* Tribulatione quasi Leone se insectante, dum cōfugit ad Deum, inuenit ipsū quasi vrsum contra se per indignationem.

Iaco. 5.

(a) Si premitur, nō tamen opprimitur.

2. Cor. 4.

Amos 5. 10.

4. Tribulationes iustorum, feræ sunt sed cicuratæ, sed inermes absq; vnguibus, & dentibus. Heliogabalus feras aliquando immisit, vbi amici eius dormiebant. illi exterriti repentino aspectu earum, at nihil nocumenti ab eis passi sunt. erant enim cicuratæ, & absque dentibus, & vnguibus. ita ferę tribulationum primo aspectu terrent. clamat iustus Psal. 21. *Salua me de ore leonis, & de manu canis vnicam meam.* at exarmatæ sunt hæ feræ. 1. Cor. 15. *Vbi est mors stimulus tuus?* Iob. 5. 23. *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.*

Psal. 21.

1 Cor. 15.

Iob. 5. 23.

5. Nos conquerimur de calamitatibus, cùm ipsi impatientia nostra eas nobis producamus. Quidam orator, vt insipidam orationem suam excusaret, causabatur asperitatem materiæ, de qua sermonem habebat, quasi sentibus plena illa esset, dicens: *Necesse est, per spinosum locum ambulantem suspensos habere pedes.* at alius subdidit, *non tui pedes spinas calcant, sed habent.* Ita difficultas, & spinæ non sunt in via virtutis, sed in pedibus nostris, hoc est in nobis ipsis, vel in pedibus affectuum. nam vt August. ait, *anima non mouetur pedibus, sed affectibus.* ægrè, & suspensis pedibus incedimus per viam virtutis, quia dicimus nos ambulare per spinas, cum spinas in pedibus, & in imaginatione habeamus. Quod ita res se habeat probatur. nam per eandem viam, & vitæ institutum ambulantes duo, vnus spinas sentit, alter non Prou. 15. 19. *Iter pigrorum* Prou. 15. 19.

quasi

quasi sepes spinarum, via iustorum absque offendiculo. duo, verbi gratia Quadragesimam agunt: alter, quia piger est, magno cum dolore, quasi semper pungeretur, & ægrè conficit cursum horum dierum, semper querulus est, quod & ab esurie, & à qualitate huius, vel illius cibi, quasi à spinis pungatur, & lædatur: alter autē dicit *viam mandatorum tuorum cucurri*; non inuenit offendiculum, quod impediat, ne hilariter conficiat cursum suum. Practica in ceteris rebus, quas patimur. *fingimus* enim *laborem in præcepto.* Quidam surdaster effectus, dicebat, abusus inoleuit hodie, vt homines submissè loquantur, nec audiri possint. ita nos non nobis, sed rebus attribuimus mala, & impatientiam.

Arbores coacto concilio conquerebantur de damno à securi sibi illato. vna ex ijs annosior, nonne inquit nos nobis creamus hoc malum, dum præstamus illi vnde manubrium illi conficiatur? ne ergo exhibeamus ipsi materiam, & illæsæ seruabimur. Matth. 3. Matt. 3. *Securis ad radicem arboris posita est.* homines verò arbores sunt. nam homo est arbor inuersa. non præstet materiam, hoc est peccata, vnde securis contra se armetur; *Noli facere mala, & non te apprehendent.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, &c. dictum est de homine, quod velut arbor sit. at quidam vt excuteret mala, hoc est poma ab arbore quadam, videns, quod illa ramos quosdam deorsum expanderet, quasi illos porrigeret tollendos, vnum ex illis auulsit, quo deinde ipsam arborem percutiendo, mala ab ea excutiebat. Peccator plāta est, quæ Deo porrigit ramum, seu virgam tribulationis, quam ille virgam arripiens, decutit ab ipso homine peccatore fructus suos, qui sunt mala, hoc est peccata. nam *arbor mala malos fructus facit.* & per punitiones peccator derelinquit mala, quę tenaciter retinebat velut fructus acerbos. nam peccata etiam acerbi fructus sunt, quibus dentes ei obstupescunt per punitionem. Cum etiam aliquando Deus ipsissmet peccatis nostris vtatur ad finem prædictum auertendi alia scelera nostra à nobis; vt quando vel conscientiæ remorsu vel aliâ pœna per occasionem peccati nobis inflicta id pręstat: dici potest illum facere. sicut ille, qui arreptis ab arbore aliquibus malis, hoc est fructibus arborem feriendo, ab ipsa reliqua illa mala deijcit. Facit pro prædictis, quod punitio per vigam significetur, Thren. 3. *Virga indignationis eius.* hanc ergo ei exhibet arbor Thren. 3. peccatoris, quia peccatum etiam virga est. ait ille, *germinauit virga superbia.* iniquitas hominis in caput eius descendet, quia Ecclesiastici 27. Eccl. 27. *Qui in altum mittit lapidem super caput eius cadet.* peccatum quasi lapidem, vel quasi virgam, aut malum, siue fructum prædurum iacit, peccator in altum in Dei manus, at ipse Deus hæc iterum in caput, & verticē peccatoris, quasi in caput arboris deijcit, & decutit ab ea cetera mala, hoc est peccata, quæ etiam mala dicuntur.

Primo Esdræ 6. *Qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo eius, & erigatur, & configatur in ea* aiunt 1. Esdr. 6.

nonnulli morem fuisse, vt de domo rei, hoc est peccatoris tolleretur lignum, in quo suspendendus erat in cruce, sicut de domo Aman ablatum est. Ita de ipso peccatore, de peccatis eius conficitur crux tribulationis, vnde ille crucifigatur.

Peccata nostra filij nostri sunt. nam Psal.7. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Hæc autem mater, cruces gignit quibus filij sui puniantur. Dolebat olim terra, quod plurimi homines crucifigerentur, vel etiam de furcis suspenderentur. dolebat inquam quod filij sui talia paterentur. nam illa mater est nostra, Iob.1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ (scilicet Terra) & nudus reuertar illuc.* Cum ergo ita doleret Terra; dictum est ei, & quare tu gignis filijs tuis cruces, & furcas, hoc est ligna, vnde fabricantur? sic ergo cum homo conqueratur, quod peccata sua, filij sui puniantur crucibus, & furcis; dicendum ei, quare tu generas cruces, & furcas ijsdem liberis? *noli facere mala, & non te apprehendent.*

Psal.7. Iob.1.

Vis tribulationem cessare à te? fac quod per illam Deus à te expostulat, fac quod illa petit. vis ablegare pauperem à percussione ianuæ tuæ? porrige ei quod postulat. tribulatio postulat, vt peccata abijcias, abijce; & abibit illa.

Animal, quod cornu habet pretiosum contra venenum, cum sciat ob ipsum venatores se insectari, illud à se abruptum derelinquit, & ita euadit ab eis. Nabuchodonosor eijcitur, vt maneat inter bruta *Donec sciat, quod dominetur excelsus.* Tamdiu lapidationes, & fustes patitur nux, quandiu mala habet, seu fructus. sic peccator quamdiu fructus suos, mala scilicet opera habet. Genes. 4. *Statim in foribus peccatum tuum aderit:* adest fores pulsans, percutiens conscientiam, vel tribulans te ipsum, donec quasi mendicum panem poscentem ipsum à te remittas dando quod petit, scilicet tuam conuersionem. Genes.4.

2. *Iustus ex tribulatione nil deperdit consueta fortitudinis.*

2. IACOBI 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes,* nonnulli ita accipiunt, quod cum iusti probentur vt aurum, vt passim Scriptura habet; tunc aurum probatur optimum, cum post ignem nihil in eo defecisse auri comperitur. tale aurum est perfectus vir in tribulatione, sunt enim hi iusti post hoc perfecti, & integri in nullis deficientes; vt dixi ex Iacobo. Iacob.1.

Domitianus Imperator adeo peritus iaculādi, vt infixis sagittis coronaret caput cerui: ita Deus ex saggittis tribulationū non ceruū suum, sed seruū suū coronat, nam cum probatus fuerit accipit coronā vitæ. Quid sunt spinæ tribulationum nisi quædam iacula infixa in capite iusti patientis, & coronam spineam illi facientia? nonne Christus primogenitus in multis fratribus ita coronatus signum fuit, quod sui ita coronandi forent? nonne coronam spineā ipse Christus proposuit Catharinæ

Senensi portandam ad significãdam patientiã, per quam illa coronanda foret, sicut & ceteri eius dilecti?

Psal. 35 5 Psal. 35. 5. *Reuela Domino viam tuã, & ipse faciet.* quasi dicat, & deinde permitte illi te ipsum quocumque modo ipsi libuerit, tractandum. ægrotus es, reuela statum tuum medico, & ipse faciet, quasi dicat, (a) *e lascia far à lui, ouero, & esso farà. le à tocca dire, à lui fare.* Dic: Domine, ecce quē amas infirmatur, & ipse faciet. hoc tantum, satis fuit amanti audire, & fecit. Hoc munus eius est, nempe *facere*, quia medicus est, tuum verò munus est *pati*; nam æger à peritis vocatur patiens; vt quodcumque tibi applicitum fuerit à medico, fortiter sustineas. Reuela Domino viam tuam, & ipse faciet, *e lascia far à lui.* quemcumque calicem amarũ, seu missionem sanguinis permitte illi, & expecta quid tibi præcipiet. ægrotas? Eccl. 2. 4. Ecclesiastici 2. 4. *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe.* æger es. sed æger, vt dixi, vocatur *patiens*. monstrum est patiēs impatiens. Quodcũq; facit medicus, æger bonũ sibi putat. multò magis tu quodcũq; fecerit medicus iste, qui errare non nouit, de quo dictum, *non est opus valentibus medicus.* Discipuli Pythagoræ quodcumque ille diceret putabant laudandũ, dicebantq; *Ipse dixit.* & tu dicas, *Ipse fecit.* nam reuela Domino viam tuam, & ipse faciet.

(a) Sine eum agere, Te narrare conuenit, illum curare.

2. Tim. 2. Iusti vasis aureis, & argenteis cõparantur. 2. Tim. 2. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argẽtea,* &c. Hoc posito legi de quodam prædiuite, qui mensã iuxta flumen positã, finito prandio vasa aurea, & argentea proijciebat in fluuium ipsum. videbantur vasa perire, & cogitabant fortasse aliqui ea expiscari. sed in rete sub aqua latente colligebantur. Ita iusti videntur proijci à Deo in aquas calamitatum, & in ijs perire; cùm tamen in eis tuti sint, & inueniantur *illæsi in aquis validis*, nec aquæ multæ possint extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Sap. 5. Sapienia 5. *Visi sunt oculis insipientium mori*, &c. *illi autem sunt in pace.* Exemplum in Iona. capit. 2. 4. *Et* Iona. c. 2. 4. *proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circũdedit*, &c. & paulò post: *Et ego dixi, abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursum videbo templum sanctum tuum.* Vasa illius potentis videbantur perire proiecta in fluuium, at inde puriora, & splendidiora collecta sunt: sic vasa electionis Dei ex aquis tribulationum puriora exeunt, quam intrarent: quia si quod inquinamentum exiguum habuissent, quasi denuo baptizati ipsum in aquis relinquunt.

Deus percutiens iustum facit perinde ac qui clauum percutit malleo, vt infigat in parietem. vna enim manu firmiter ipsum continet, ne à recto declinet, altera verò ipsum percutit. nam Deus vna manu, vt ita dicam, percutit iustum, altera ipsum continet, vt firmus persistat, & non declinet à rectitudine in ea percussione. hoc est illud Apostoli, *Facit cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Catharinæ Senensi dicenti, Vbi eras, cùm in corde adeo tentarer? ait, In corde tuo adiuuans te, ne vincereris. Hoc est

est clauum continere, ne declinet à recto.

Quidam impatientiam suam, & maledicentiam in Deum,& homines dum tribulantur,non sibi, sed tribulationi assignant; cum sibi debeant tribuere. August. serm.111.de tempore,inquit,de hac re: *Tribulatio nō ponit puluerem, sed facit eleuare qua erat.* alludit ad virgam vestem percutientem: quia tribulatio virga est. Virga non importat sed excutit puluerem. Multæ vestes mundæ videntur,ac si paululū virgâ percutias, magnū contra te excitant puluerem: sic,si quosdam percutiat Deus,contra eum impatientiæ, & iracundiæ nubem effundunt. intus retinebant hanc materiam, sed virga detexit. de his illud dici solet, *Tange montes, & fumigabunt.*

Aug. serm 111 de temp.

Cor impij quasi mare feruens.Immunditias, quas in trāquillitate mare intus occultabat, in turbatione, & iracundia ad littus euomit, quasi vestis percussa puluerem: ita & peccator quæ intus in prosperitatis tranquillitate retinebat, euomit in tribulatione,& iracundia.

Flagellat omnem filium, quem recipit. filij solent impressum gestare in corpore signum rei concupitæ à matre, dum prægnans esset eorum. vulgò, *figlion portar la voglia della madre*, hoc est desiderium matris. at desiderium Christi fuit patiendi: *baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiam illud.* ita ergo filij ipsius. *Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris, semper enim nos qui viuimus in mortem tradimur propter Iesum.* per mortificationem intelligit passionem. Ergo filij Christi eadem desideria cum patre suo gerunt. *Mostran le voglie della madre.*

2. Cor. 4.

2. *Tribulatio Princeps est, facit equites, & Doctores.*

3. *Quantum à Deo honorentur patientes pro illo.*

2. MAGNAM dignitatem confert tribulatio. Princeps illa est,quæ equites facit,non Melitæ, aut Sancti Stephani; sed Christi. talis enim eques accipit crucem suam, & sequitur Ducem suum,hoc est ipsum Christum. Imò & facit doctores. Paulus doctor erat. doctorem quid fecit eum,nisi doctrina; at quæ doctrina eius fuit nisi tribulatio, & crux Christi, non tam per cognitionem,quàm per participationem eius? Philip.3.7. *Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Christum, & hunc crucifixum.* Quid mirum si tribulatio docuerit Paulum,cum aliquomodo etiam docuerit Christum? nam *didicit ex his, quæ passus est.* Philip. 3. 7.

3. Ester.6.ei, quem rex honorare voluerit,equus regius, & corona regia dicitur debere tribui. at quis equus regis nostri,nisi crux? quæ corona,nisi spinea? hæc igitur tribuūtur illi, quem rex noster honorare voluerit. Cùm rex Hispaniarū, & rex Galliæ simul eidem mensæ accumbere pararent,simul Ferdinandū ducem Magnū cognomine, vt cū ipsis pranderet,aduocarunt,dicentes,posse in mensa assidere regibus,qui nosset acquirere regna. at hunc honorē Ester. 6.

Deus

Deus exhibet patienti pro se. Lucæ 22.18. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; & ego dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam.* Luc. 22. 18.

Sed quem vltra honorem potest rex exhibere viro magno & forti ad se venienti? numquid ire in occursum eius? iubere, vt operto ante ipsum capite maneat, vt sedeat, &c.? quid autem si etiam in throno suo ipsum collocet? sed hoc agit Deus cum eo, qui passiones pertulerit fortiter Apoc. 3.21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Apoc. 3. 21.

Tribulatio & crux pro Deo tolerata, est res tam pretiosa, vt cum Christus omnia sua distribuerit, eam solam sibi retinere voluit. Sic D. Ambrosius ait, ipsum Christum pauperibus dedisse aurum à Magis sibi donatum, vestes militibus, matrem Ioanni, Paradisum latroni communicasse, sibi tantum crucem retinuisse.

2. *Tribulatio iusto delectabilis. Eadem humiliat cor tumidum.*

2. **A**VGVST. quæst. 2. ex 83. ait, *iustos etiam sequestrata spe futuræ vitæ, iucundius, & lætius præ amore veritatis torqueri, quàm luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur.* Chrysostom. Hom. prima in cap. primum 2. Corint. ait, *Beatus Paulus cum videret quasi niuis cumulos tentationes quotidie ingruentes, non aliter quam si in Paradisi medio vixisset, ita gaudebat, gestiebatque.* AVGVST. qu. 2. ex 83. CHRYS. Ho. 1. in c. 1. 2. Cor.

Nautilus piscis ita appellatus, eò quòd in speciem nauis sese commutet, & mare nauiget. in tranquillitate enim pelagi hoc facit. & quasi se nauiculam, non pisciculum æstimet, sic fertur super vndas. at exorta tempestate, quasi tunc se piscem esse reminiscatur, reiectâ forma, & laruæ nauiculæ in profundum se immergit. ita homo in tranquillitate prosperitatis, quasi nauis effectus, inflat superbiæ vela, neque se hominem agnoscit: at exorta tempestate, vela contrahit sui fastûs, & reminiscitur se esse hominem: vnde & se humiliat, quasi in profundum se collocando humilitatis. Psal. *Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes, quoniam homines sunt.* Chaldæus *timorem*, Hieronymus *terrorem* legit, non legislatorem. ergo orto terrore homo agnoscit se hominem esse, & non nauim, & in profundum se humilitatis mergit. Psalm.

3. *Tribulatio iusti lectus quietis. Ea sola vita est pati pro Deo.*

4. *Per eam Deo datur gloria.*

3. **G**ENESIS 47. Israel adorauit Deum conuersus ad lectuli caput, septuaginta habent. *Adorauit summitatem virgæ.* Hilarius in Matt. canone 11. dicit, quod per virgam accipi solet tribulatio. hic verò virga accipitur pro lectulo à Septuaginta, quia *Numquam dulcius sancti requiescunt, quàm cum laboribus fatigantur.* Facit pro hac re quod refert 3. historiæ, capit. 11. Eusebius de adolescente, qui in tormentis semper siluit, eductus ab eis vociferare cœpit: ac si prius in lecto, modo autem in cruciatu esse cœpisset. clamauit enim Gen. 47. Hilar. in Matth. can. 11. 3. hist. ca. 11. Euseb.

quia amplius non torquebatur.

Gen. 11. Genesis 11. dicitur, *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abraham.* & in fine capitis dicitur, quod *Thare mortuus est, cum vixisset ducentis quinque annis.* de Abraham verò dicitur sequenti capite, quod septuaginta quinque annorum erat, cum egrederetur de Haram, cum tamen multò plures haberet iuxta computum iam allatum. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis respondet, dies vitæ Abrahæ inde incipi numerari, vnde incepit eius peregrinatio, & persecutionum, ac laborum perpessio. sic Hieronym. quasi illa sola vita sit pati propter Deum, & propter virtutem; laborum verò carentia & otium, sit mors.

Aquæ multæ, populi multi. certè si aqua non agitetur, non currat, mortua dicitur aqua. Ita Seneca epist. 82. *Otium sine litteris mors est, & hominis vivi sepultura.* De quodam, qui Similus vocabatur scribunt plures, quod relictis Reipublicæ laboribus, & curis, in villam se recepit, iussitque inscribi in tumulo suo; *Hic iacet Similus, qui vixit annis,* verbi gratia *sex,* aut *septem.* numerauit autem solum annos suæ quietis. si vita huius viri fuit otiosa, vitam æstimabat quæ etiam peior morte esse, hoc est sepultura, quodnam deterius tormentum simul ac turpius, quàm viuum defodi sub terram? tamen vesania multorum hanc solam æstimant vitam, quæ sola vita non est, imo tormentum quale diximus. hi sunt Similo similes.

SENEC. epist. 82.

CHRYS. Ho 35 de pat. Iob.

4. Chrysost. Hom. 35. de patientia Iob notat, quod si Christus pro nobis patiens vocauit hoc suam gloriã, dicens, *Glorifica me Pater;* quantò magis erit nobis gloria pati pro illo? Quid gloriosius ipsomet Deo, qui est ipsamet gloria, & *corona Sanctorum omnium?* tamen tanta est gloria viri patientis pro illo, vt hic patiens dicatur clarificare, & glorificare ipsammet Gloriam, scilicet Deum ipsum. nonne de Petro dictum. *Significans qua morte clarificaturus esset Deum?* ita Ioan. 21. Adde quod vita Sanctorum Martyrum tota fuit Psalmus, ea scilicet parte quâ Deo seruierunt. nam vt August. ait, per bona opera, & per bonos nomen Dei laudatur. finis verò huius Psalmi, qui fuit eorum passio & mors, fuit *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Qui bene agit, laudat Deum. Clamant iusti *Laudamus te, benedicimus te, adoramus te.* scilicet, per bona opera vitæ. at in fine per tolerantiam passionis martyrij, dolorum mortalis ægritudinis, & ipsius mortis naturalis, *Glorificamus te.* glorificat enim ipsum morte sua pretiosa: Addunt, *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,* quod etiam potest congruere his, quæ diximus; quia in his constituti passionibus quibus dãt gloriam Deo, gratias agunt ipsimet Deo propter hanc gloriam eius: quia ipsa simul est gratia ipsius, quâ eos dignatur ornare, vt pro ipso patiantur, quatenus etiam extra martyrij actũ, alij iusti etiam patientiam exhibeant ptopter Deum, & aliquod martyrij sentiant desiderium.

Ioan. 21.

In fabulis est, quemdam Principem aureos nummos cudisse, quos *verbera* appellarit, talenta verò aurea *furcarum*

furcarum nomine vocare solitum fuisse. Cum aliquando coram multis diceret, se velle prœmio afficere quemdam, qui pro ipso fortiter pugnauerat, & alium, qui ipsi beneficium exhibuerat magnum; ait ministris, primo tribuite mille verbera, secundo quatuor furcas. quidam peregrini inscij horum nominum, & propositi eius principis, obstupescebant, de hac re. at dictum est illis à domestico Principis, vos nescitis cuius generis sint hæc verbera, & hæ furcæ. Quid autem accidit in casu nostro, nisi huiusmodi res? Multi pro Deo laborarunt, in mercedem, inquit, accipiant verbera, habeant cruces. carnalis homo, qui non sapit, nec nouit quæ Dei sunt; scandalizatur audito hoc sermone. sed hoc accidit, quia nescit, quòd hæc verbera sunt aurei, hæ furcæ, aut cruces sunt talenta, nempè thesauri inæstimabiles, quibus emitur regnum cælorum.

Naz. orat. 40. Nazianzenus oratione 40. quærit, cur non plus datum si tardè venientibus in vinea? & respondet, Hoc ipsum amplius laborare amplioris mercedis loco habendum esse his, qui animo illiberali non sunt. Matth. 10. *Matt. 10.* reliquentibus sua pro Domino promittitur centuplum cum persecutionibus, quod aliqui exponũt pro parte mercedis. Scandalizantur carnales, qui non sapiunt quæ Dei sunt, ignorantque valorem monetę huius, mercedis huius, quòd ex moneta hac Deus suis soluat. sed cum viderint valorem eius in alia vita, tunc reprehendent propriam stultitiam, dicentes; *nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, &c.

Nomina tantum pœnarum, & vmbræ sunt ea; quæ diximus, non autem pœnæ veraces. sed è contra consolationes iustorum veraces sunt. 1. Cor. 6. *Quasi morientes, & ecce viuimus, vt castigati, & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes.* Notat D. Anselmus in hunc locum, addi particulam *quasi*, verbo *morientes*; non autem verbo *viuimus*: & ita in aliis malis addi *quasi*; quia gaudia eorum cum vera sint non sunt *quasi gaudia*, at mala sunt *quasi mala*, hoc est similitudine & mundi existimatione tantum talia. *1. Cor. 6.*

Hebræorum 12. *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris.* vbi Theodoretus exponit, dici, *videtur*, quia sic appareat, sed non sit; cum sit lætitiæ mater. Chrysost. Hom. 4. ad pop. Antiochenum ait, *Calamitatum nomina Philosophantibus (hoc est sapientibus) sunt nomina rebus carentia.* *Hebr. 12.* *CHRYS. Hom. 4. ad pop. Ant.*

Nonne ridiculum est viros iam senes, vel etiam in dignitate positos in gymnasio adhuc vacare nominibus, & verbis declinandis? at cum declinas tribulationes, & calamitates quid declinas nisi nomina & verba sine re, vt ex Chrysostomo dicebamus? nonne puerulorum est expauescere laruas? sed nonne laruæ sunt malorum, quæ sunt *quasi mala*, *velut mala*, *quasi tristes*, *quasi morientes*. Seneca ipse sæpè clamat laruas esse quæ calamitates videntur, detrahendas ab eis esse personas, horrorem non esse in ipsis quæ timentur, sed in eas timentibus. Ibi trepidauerunt timore vbi non erat timor. (a) *Il diauolo per Mezo di queste maschare fa carneua-* *le,* (a) His laruis diabolus

Bacchanalia sua celebrat. *le, cioè trionfa, ouer fa carneuale diuorãdo l'anime.* Larua facies est. sed ait sapiens, non timeo faciem, sed facientem. Deus faciens est, ait non timendos qui occidunt corpus, sed qui potest animam, & corpus mittere in gehennam. illud est mali facies, hoc verò est malum faciens.

PECCATVM.

2. *Ex magnitudine pœnæ peccato debitæ colligitur magnitudo culpæ.*
3. *Peccatum adeo horrendum, vt Deus quasi territus ab eo dicatur fugere.*
4. *Imo vt peccatum exhorrescere dicatur, & punire seipsum.*

Exod. 25. 2. XODI 25. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Secundum ergo legem iustitiæ commutatiuæ pœnam æqualem culpæ inferentem; ex quantitate, seu magnitudine punitionis colligitur magnitudo delicti, ita vt sicut ex magnitudine vnius brachij cognoscitur quantitas alterius in eodem corpore; ita ex quantitate pœnæ, vbi adsit vera iustitia, agnoscatur quantitas culpæ. Vis igitur aliquo pacto percipere magnitudinem culpæ mortalis? animaduerte quænam punitio ei decreta sit ab eo, qui est ipsamet iustitia, quamuis etiam, vt Theologi docent, puniat damnatos in alio sæculo citra condignum, sicut beatos præmiat vltra condignum. Hoc posito, si interroges, quantum scelus sit culpa mortalis quantumuis minima in genere, & esse mortali; respondeo hoc vnum: culpæ huiusmodi decretam esse damnationem, & combustionem æternam. Si iterum roges, quanta sit culpa mortalis? iterum respondebo, decreta est illi combustio æterna. Si tertio idipsum interrogas; idipsum respondeo, decreta est illi combustio sempiterna. Si credis, si mentis es compos, si lapide insensibilior non es; hoc satis, superque est, vt tu, & ceteri omnes fideles potius dicatis *montibus, cadite super nos, & collibus operite nos*, quàm vt vel cogitetis de mortali peccato perpetrando.

De quodam religioso viro refert Ludouicus Granatensis, qui, sententiæ cuiusdam præstantiam, & vtilitatem significaret, dicebat, integrum librum se velle conficere, in cuius paginis omnibus non aliud scriberet nisi sententiam illam. at ipse addo, si ex vniuersis libris eraderentur omnia, quæ in eis scripta sunt, & in eis tantum verba hæc vbique inscriberentur, *culpa mortalis tanta est, vt mereatur æternam combustionem.* si pulpita Ecclesiarum, ceteris omissis, eam tantum sententiam intonarent; nisi homines lapidei essent, deberent totis artubus ad solum nomen peccati contremiscere, iuxta illud: *Irascimini, & nolite peccare.* alij, *Contremiscite, & nolite peccare.* Ita Ecclesiasticus 7. 40. *Eccles. 7. 40.* *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* memorare quod peccato debetur iudicium, & damnatio sempiterna, & ferè impossibile videtur quòd pecces. Peccatum esse debitum quis ignorat? debebat seruus domino decem milla talenta. at quis nesciat ex quanti-

quantitate rei soluendæ agnosci quantitatem debiti? vide ergò quantum soluendum sit pro vnico peccato mortali, quod post innumeras annorum myriades, in quibus homo in inferno soluerit pœnas debitas, debitumque peccati, tamen nihil soluisse certum erit, acsi tunc tantum cœpisset soluere.

Dic mihi, si infidelis esses, atque Ethnicus, & conscius esses tibi omnium infandorum criminum, quæ vnquam malitia omnium scelestorum hominum patrasset, vel patrare potuisset: adeo vt peccata tua tantum vincerent magnitudine, & numero omnium aliorum hominum simul iniquitates; nonne ex consciétia tot delictorum te ipsum exhorresceres, teipsum tolerare non posses? nonne in maximo discrimine existeres ex dolore efflandi animam, vel teipsum demergendi, vel suffocandi? At dico, si Christianus es, & vnicum tantummodo peccatum mortale quantumuis minimum in genere mortalium commisisti; dolore, & confusione animi infinito modo maiore, quam si Gentilis existens patrasses prædicta omnia crimina, te affici debere. Ratio clara est, magnitudo enim doloris percepti ex admisso scelere, ex cognitione magnitudinis culpæ procedit. At Gentilis, cum credat se peccasse tantum contra homines vel contra Deos finitæ entitatis; minora æstimat peccata sua, quam tu, qui ex fide cognoscis te peccasse in Deum infinitæ essentiæ, & maiestatis vnde cum offensa, vt aiunt Theologi, crescat iuxta magnitudinem, siue excellentiam personæ offensæ; ideo peccatum malitiam infinitam habere aiunt ratione Dei infiniti, qui per illud læditur. Deinde infidelis, si æternitatem pœnarum vnico peccato mortifero debitam ignorat; neque ex hac infinitate pœnæ in ratione durationis cognoscit infinitatem culpę in ratione obiecti, vt diximus. id autem cognoscit Christianus. Mitto peccatũ in Christiano crescere ob magnitudinẽ beneficiorum, quæ infidelis partim non est consequutus, partim non cognoscit. Cum ergo vnica culpa infinita prædicto modo, excedat omnes culpas, quæ hac infinitate careant, & fidelis sciat se reum esse talis culpæ; infidelis verò ignoret hanc infinitatem; consequens est, vt fidelis amplius contristetur, & exterreatur ex vnico peccato mortali, quàm si in infidelitate omnia scelera prędicta patrasset. ergo si tu in infidelitate conscius tibi esses tot, & tantorum scelerum, sicut dicebam, adeo angi deberes; vide quid tibi agendum sit cum magis reum te agnoscas per fidem, quàm agnosceres in infidelitate in casu descripto.

3. Quid maius, quid fortius, quid ab omni timore longiùs excogitari potest quàm Deus, quã omnipotens? coram quo contremiscunt cardines cæli, quem tremunt Potestates? tamẽ peccatum monstrum est adeo horrendum, vt ad horribilitatem eius explicandam. ipsemet Deus dicatur fugere ab eo, quasi videatur exterritus ab eius deformitate, & tremendo nimis aspectu. Non solum enim ipse Deus exhorrescit ingredi vbi monstrum illud habitat, sed, vt dixi, inde

 fugit.

Sap. 1. 4. fugit Sap. 1. 4. *In maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum*, hoc est peccatorem simulatum, *& auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* en quomodo quasi exterritus ab hoc monstro dicatur fugere ab eo.

Sequitur statim, *& corripietur superueniente iniquitate.* Hugo, & Ians. exponunt de eodem Spiritu sancto, qui dicatur sic corripi. Corripere, seu corripi in Scriptura solet præsertim Ps. 6. accipi pro punitione Psal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira* Ps. 93. *tua corripias me* Psal. 93. *Qui corripit gentes non arguet.* Ergo Spiritus Sanctus, vt ostendatur quàm horrendum sit monstrum hoc peccati, non solum effugit ab eo, sed quasi correptus, quasi verberatus effugiet ab eo. quamuis enim nulla ratione lædi possit Deus; tamen ita describitur correptus, vt indicetur horribilitas iniquitatis superuenientis in hominem. Adde id dici, vt etiam ostendatur quantum lædatur anima ab iniquitate; cum ipsemet Spiritus Sanctus impassibilis, & Deus, videatur quasi ab illa lædi, quamuis tam longè absit ab omni labe peccati. Quod si Spiritus Sanctus dicitur hic corripi à superueniente iniquitate, quamuis statim se subtrahat, & ne momento quidem cum illa habitet in peccatore, quid dicendum erit de læsione, quam operabitur iniquitas in anima, cum qua, & in qua regnat aliquando annis multis?

4. D. Augustin. & D. Bonau. etiam apud Lorinum hoc loco exponunt de ipso peccatore, & ficto, qui *corripietur à superueniente iniquitate.* Dixi peccatum rem esse adeo horrendã, vt ipse Deus illud exhorrescere, & ab eo quasi verberatus fugere describatur. at addo insuper, ipsummet peccatum exhorrescere, & odio habere seipsum: imo & in semetipsum sæuire crudelissimè, quod tantam pati nequeant suam malitiam, & deformitatem. Primo igitur peccatum ipsum statim ac à peccatore patre, seu matre sua genitum est, ipsam matrem factis, si non dictis maledicit; & corripit, quòd tam horrendum genuerit monstrum. hoc est seipsum: *& corripietur à superueniente iniquitate.* sed fortassis leuis est huiusmodi correptio? matrem ipsam, sc. animam, & cõscientiã per remorsum cordis rodit vt vermis, mordet, & remordet vt canis, flagellat vt carnifex, & vt ait Iuuenalis, *surdo verbere cædit.* Sed de hac re in tractatu de conscientia agemus. Cum verò dicitur peccatum corripere peccantem, quid intelligendum est corripere in illo, seu punire, nisi peccatum, & consequenter nisi seipsum? Peccatum ergo tam horrenda res est, vt ne puncto quidem temporis possit tolerare seipsum, neque pati, vt expectet carnificem alium, vel iudicium futurum; sed statim seipsum torquere incipit: & tu æquanimiter tolerabis monstrum hoc mensium, vel annorum spatio apud te regnare?

2. *Peccatum res ita horrenda, vt Sancti in ora Leonum se immiserint, vt ab illo fugerent.*

2. PEccatvm monstrum est tam horrendum, & noxium mortalibus; vt innumerabiles homines, vt ab illo fugerent, ora leonum, flammasque ignium, & omnia tormenta diaboli non exhorruerint. imo hæc quasi res sibi innoxias; portusque salutis apperiere, vt se ab illo tuerentur. In spectaculis populo Romano exhibitis in theatro mira res inter ceteras visa fuit, de qua Martialis lib. 1. Epigrammatum meminit pluribus locis. scilicet visi sunt leones, & lepores ita cicurati, & mansueti, vt lepores canibus insequentibus fugientes, in ora leonum hiantium impunè se reciperent, leonibus nihil eos lædentibus. Ita in epigrammate de lepore, & leone ait, *Si vitare canum morsus lepus improbe quæris; ad quæ confugias ora leonis habes.* & alibi eodem libro, *Nunc sua Cæsareos exorat præda leones, tutus & ingenti ludit in ore lepus.* Ita ergo viri sancti adeo exhorruerunt canes peccatorum, vt leonum fauces æstimarent asylum salutis respectu læsionis, quã timebant ab iis canibus, à quibus fugiebant. vt ergo ab eis se tuerentur, *Obturauerunt ora leonum.*

Martial. lib. 1. Epig.

Inspectores enarratæ rei, ignari cicurationis, & disciplinæ eorum animalium æstimassent lepores illos secreto morbo, aut dæmone agitatos in ora leonum confugisse, vbi maiorem inuenissent perniciem, quàm à canibus pati possent. tamen res secus se habebat. Ita in casu nostro martyribus etiam in faucibus leonum existentibus: vt à canibus peccatorum se tuerentur, aptari potest illud Sapient. 3. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, & quod à nobis est iter, exterminium illi autem sunt in pace.* æstimata est afflictio, & perditio, quod obturauerunt ora leonum. visi sunt oculis insipientium mori. at veræ mortis tormentum illos non tetigit. in faucibus etiam leonum sunt in pace, seu fuerunt in pace. quia, *si boni æmulatores fueritis, nihil vobis nocebit.* nihil; nedum leonum dentes. quia dictum illis; *capillus de capite vestro non peribit.* in ore leonum salui sunt. quia tam ingens malum est peccatum, vt omnia mala præ illo mala non sint appellanda, sed potius salutis refugia respectu horrendi illius mali, & monstri.

Sap. 3. 1.

Sed quid dico Sanctos homines, vt fugiant à monstro horrendo peccati, se potius immissuros in fauces leonis; cum etiam id facerent in fauces Tartari, & ignis sempiterni, si tamen id sine peccato esset. D. Anselmus libro de similitudinibus ait, *Si hinc peccati pudorem, & illinc gehennæ cernerem horrorem, & necessariò vni eorum deberem immergi; prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem. mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm sorde pollutus, cælorum regna tenere.* Hæc ille. Psalm. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* quidam accipiunt de peccato, quod sit infernus inferno inferior scilicet deterior.

D. Ans.

Psal. 85.

Sed ne putes vocem huiusmodi tantummodo esse Sanctorum; audi

Cicer. l. Tusc. similia Ethnicum inclamantem, Cicero 2. Tuscul. *Si in vnum locum collata sint omnia mala, cũ malo turpitudinis non erant comparanda.* sic ibi. Cum malo turpitudinis, hoc est cum peccato, & 5. famil. *Præter culpam & peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile, aut pertimescendum.* hactenus Cicero. Si omnia mala in vnum collata ex Cicerone minus sunt quàm peccatum: ergo iuxta Ciceronem præligendus infernus peccato, ex Ethnici etiam sententia, (quæ erat sententia etiam scholæ Philosophorum, cuius sectator erat ipse) omnia mala mala non sunt respectu peccati. Et tamen illi non agnouerunt in peccato nisi turpitudinem moralem, quâ illud rationi aduersatur. quid si cognouissent deformitatem eius, eò quòd sit offensa Dei infiniti; Dei, qui nos creauit, qui vitam tribuit, qui omnia largitur, qui redemit filio moriente, qui tot beneficia contulit, & vitam promittit æternam?

5. fam.

D. Pet. Chrys. tract. de cas. diab. D. Petrus Chrysologus tractatu de casu diaboli sic ait: *Diabolus nulla præcedente peccati vindicta peccauit: ego visa eius pœna non continens, ad peccatum properaui. ille in innocentia constitutus, ego restitutus. ille perstitit in malitia Deo reprobante, ego vero Deo reuocante, ille obduratus ad punientem, ego ad blandientem. & si vterque contra Deum ille contra non requirentem se, ego contra morientem pro me. Ecce cuius imaginem horrebam, in multis aspicio me horribiliorem.* ita ille. Ergo iuxta hæc peccator diabolo deterior est.

Si (demus casum huiusmodi) in manu tua esset ampla domus, vel ciuitas, vel etiam integrum regnum, & peccando deberent excidere de manibus tuis, & in puluerem cadendo redigi; quàm cautè ambulares, quàm exhorresceres omne peccatum, ne fieres huiusmodi ruinæ auctor, præsertim si hæc tua essent? at dico, si peccas, & Dei gratiam deperdis; rem diruis, & ad nihilum redigis, quæ non solum domo, aut vrbe aut regno, sed longè maior est vniuerso mundo. Hæc doctrina est communis Theologorum, & D. Thom. part. 2. quæst. 113. artic. 9. vbi & D. Augustinum citat ad illud Ioan 14. dicentem, *quod maius opus est, vt ex impio iustus fiat, quàm creare cælum, & terram.* hoc est quoad magnitudinem rei operatæ, vt ibi D. Thom. exponit, & eodem artic. ad 2. ait, *Bonum gratiæ vnius maius est, quàm bonum naturæ totius vniuersi.* hoc est quàm totum vniuersum quoad naturalia. probat: quia iustificatio impij terminatur ad bonum æternum diuinæ participationis, bonum verò vniuersi ad bonum naturæ mutabilis. Si ergo centies gratiam Dei peccando amisisti, centum Dei opera diruisti, quorum singula longè maiora erant vniuerso mundo. Probat verò ibi D. Thom. magnitudinem gratiæ super alia præter allatam rationem ex Script. Psalm. 144. *Miserationes eius super omnia opera eius.* item ex illo Ecclesiæ, *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* Si dimidium eius, quod dixi credis, & tamen peccas; es plus quàm lapideus. Sed addo ex doctrina prædicta maius esse bonũ gratiæ

D. Tho. part. 1. 2. q. 113. ar. 9. Ioan. 14. Psal. 144.

gratiæ vnius, quàm mille mundos. quia eadem ratio militat in pluribus ac in vno, ergo dum gratiam amittis, rem diruis maiorem mille mundis.

D. Thomas (vt eſt in vita eius in Hiſtoria ſui Ordinis) inter ea, quæ dicebat ſe capere non poſſe, erat hoc, nimirum, quomodo exiſtens in mortali peccato, ex quantacumque occaſione ſibi oblata poſſet ridere, vel lætari. at ipſe nec capere poſſum, quomodo poſſit viuere; vt non ex dolore, & horrore ſuiipſius, animam efflare cogatur.

Notum illud Auguſti, vt habetur in vita eius, qui cum audiſſet Romanum quemdam obiiſſe, cuius æs alienum immenſam quamdam ſummam æquaret, optabat eius culcitram, quaſi quæ ad ſomnum valeret. alioqui obſtupeſcebat Auguſtus quomodo tantum debens, dormire vnquam potuiſſet. Peccator verò, vt in parabola Euangelij, dicitur ſub perſona ſerui debere *decem millia talenta.* quod indicat ingens peccati debitũ, quod per tot annorum millia in inferno numquam poterit ſolui, quamuis ſemper ſoluetur. mirum ergo eſt, quod dormire poſſit ſub onere debiti tam immenſi. Sed ſi mirum eſt, quod dormiat dormiens, magis admirandum eſt, quod dormiat etiam vigilans. Non tamen culcitra eſt, quæ ſomnum illi conciliet. *non è il mataraccio, ma il matto: non è la lana, mà la pecora.* non eſt lana, ſed ouis, hoc eſt ſtultus ipſe, qui ſomnum hunc ſibi facit. non dormiret niſi clauſos luci retineret oculos. non dormiret, niſi
Eccleſ.2. in tenebris degeret. nam Eccleſiaſtis 2. *Stultus in tenebris ambulat.*

Admirantur ſapientes quomodo peccatores poſſint lætari etiam ex re optima, & iucunda, vtpote peccati horrore locum nullum lætitiæ concedente. admirati ſumus quomodo ipſummet peccatum non auferat ſomnum ab oculis eorum. at ipſi peccatores derident nos. nam ex ipſo peccato ſumunt iucunditatem, nedum eam deperdunt. *Lætantur enim cum male fecerint, & exultant in rebus peſsimis.* & in Prou. 4. *Non enim dormiũt nisi male fecerint, & rapitur ſomnus ab eis niſi ſupplantauerint.* Prou. 4.

Peccatum peſtilentia eſt. *In cathedra peſtilentiæ non ſedit,* hoc eſt peccati. peſtilentia adeo ingens, & tetra, vt mundum inficiat, & corrumpat vniuerſum. vnde inter alias rationes, & cauſas, propter quas mundi conflagratio fiet in fine mundi (iuxta illud Petri 2. cap. 3. *Elementa verò calore ſoluentur; terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur*) vna eſt, vt Theologi communiter ſcribunt, vt purgetur mundus ab infectione, & contaminatione, quamuis morali non phyſica quam à peccatis, & conſortio peccatorum contraxit. Borbonij Dux, vt Guicciardinus refert lib. 16. à Rege Galliarum tranſierat ad Imperatorem Carolum Quintum. vnde quaſi rebellis ſuo Principi odioſus erat etiam ipſis Hiſpanis. Poſtulauit Imperator à quodam Hiſpano nobili ex ſuis, vt Duci illi ſuum commodaret palatium. cui ille: commodabo, inquit, quia maieſtas tua id petit; ſed ſtatim ac infamis ille inde exierit, ignem in ipſum iniiciam, vtpote contaminatum ab habitatione ſceleſti. Ita Deo rebelles ſunt, qui peccant.

Pet. 2. c. 3.

Guicciar. l. 16

Isa, 1. Isai.1.*Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Chald. *rebellarunt contra me.* Commodabo, inquit Deus, domum meam huiusmodi deserto-ribus. sed in fine ignem in eam iniiciam, saltem ad effectum expurgationis. Ita cum peccatores pati debeant infernum; ea, quibus vsi sunt, patientur purgatorium.

Ioan. Gerund lib. 2. Paral. Ioan. Gerundius lib. 2. Paralipomenon de rebus Hispanorum narrat Biscainos Hispaniæ gentem, legem habuisse, quâ nullum Episcopum admitterent præter Calaguritanum ob Sacramenta. cum illuc aduenisset Ferdinandus Rex Castellæ, & Episcopum secum adduxisset; aliqui ex plebe puluerem, quâ ille transierat, scilicet super mulam equitando, vndequaque eraserunt, & collectum combusserunt. quasi ne contaminarentur. Ita Actuum 13. 51. Paulus, & Barnabas *excusso puluere pedum*, scilicet terræ iniquorum illorum, qui ipsos eiecerant de finibus suis, discesserunt, iuxta Domini præceptum, Marci 6. 11. in testimonium contra non recipientes illos. in testimonium inquam iniquitatis ipsorum in ea re, voluit vt Apostoli etiam puluerem talium à se excuterent, ne illo inquinarentur tamquam pestilentiâ infecto. Deus autem non solum combureret puluerem terræ quem peccatores calcarunt, sed profunda etiam ipsius terræ. nec aërem solum, quem pestilentes isti spirando attraxerunt, sed etiam partem superiorem eius, quæ vsque ad cacumina altissimorum montium, & aliquot cubitis supra pertingit, vt Doctores docent. vt per id ostendatur pestilentię peccati magnitudo, quæ vsque ad eas partes se extenderit inficiendas. vtque ostendatur quantum abominetur eam Deus, & ipsos rebelles peccantes.

Act. 13. 51.

Marc. 6. 11.

Cogita ô infelix peccator plures maledictiones cõtra te immitti quotidie quam sint capilli capitis tui: nam omnes Ecclesiastici in prima hora diei id faciunt, incipiendo à Summo Pontifice, descende ad Cardinales, ad Episcopos, ad Sacerdotes, ad monachos, ad moniales, omnes vno ore contra te inclamant: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.*

Horrescunt aures audire id, quod narrat Valer. lib. 9. cap. 11. de scelerate dictis & factis. Tullia Romana Seruij Principis filia properabat in carpento iter faciens ad nuptias ipsius homicidæ patris sui. cum autem auriga currum aliquanto continuisset, eò quòd Seruij cadauer in media via, quâ ibant, iaceret; illa festinans ad amplexus homicidæ, iussit agi carpentum super cadauer parentis. Tu traheris equis concupiscentiæ ad peccandum. sed sese tibi in hoc cursu opponitur pater tuus, scilicet Christus, neque potes vltra progredi, nisi illo coculcato: & tamen conculcas. quid horribilius? peccando enim Christum conculcas, Hebræorum cap. 10. 28. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vllâ miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcauerit*, &c. *Val. lib. 9. c. 11.* *Heb. c. 10 28.*

Ps. 48. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus*, alij legunt *bestiis insipientibus*. ita propter diuersa vitia quasi in diuersa *Psal. 48.*

uersa

uersa mutatur bruta. sic habet leonem superbiæ in capite, aquilam rapacitatis, & auaritiæ in manibus, canem luxuriæ in lumbis, lyncem inuidiæ in oculis, lupum voracitatis in stomacho, vrsum iracundiæ in pectore, taxũ acediæ in toto corpore.

VITA MISERA.

2. *Miseriæ in quolibet statu personarum tot sunt, vt, mors optabilis videatur.*
3. *Vita mors & sepultura est.*
4. *Imo infernus iuxta veteres quosdam.*
5. *Nascens Zoroastres cum risu omen sibi extitit exitij futuri.*
6. *Vitæ miseria varijs similitudinibus exprimitur.*

2. EXTAT epigramma Posidippi, seu vt alij volunt Cratetis Cynici in li. 1. epigr. Græcorum: Crat. Cyn. in li. 1. epigr.

Quem teneas vitæ callem rogo? iuxta tribunal
Iurgia, & anxius est quæstus. At in domibus
Curæ. Durus ægris labor imminet. Vndique ponto.
Terror. Opes peregrè qui gerit vsque pauet.
Pauperies grauior. Connubia mente quietem.
Excutiunt. Cælebs heu malè solus eris.
Proles, fastidium. Genus hac sine concidit. Omnis
Mente caret iuuenis: viribus inde senex.

Vtrum igitur malis optandum, vel neque nasci
Vnquam, vel fato perniciore mori?

sic Ecclesiaste 4. *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub Sole fiunt.* feliciorem iudicat quantum ad hoc, quod non videat, & patiatur mala prædicta, iuxta quemdam recentiorem sic explanantem. Eccles 4.

3. Plato etiam in Cratylo corpus quasi sepulchrum appellat; & in Gorgia citat illud Euripidis: Quis nouit vtrum viuere mori sit, mori autem viuere? Et Cicero in Somnio Scipionis, inquit: Qui è corporum vinculis, tamquam è carcere euolarunt. Inquit Virgilius 6. Æneid. Virgil. 6. Aeneid.

Hinc metuũt, cupiuntq;, dolent, gaudentq;, nec auras
Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.

vbi Seruius exponit per tenebras, & carcerem corpus.

4. Tam miseram hanc vitam putarunt, vt non solum carcerem, & sepulchrum; sed etiam infernum putarunt, Sic Macrob. libr. 1. de somnio scipionis cap. 10. ait, quòd prisci illi Theologi inferos nil aliud esse dicebant quam corpora, in quibus inclusę animæ patiuntur fœdum, & tenebrosum carcerem, & sordibus ac cruore horridum. Macrob. lib. 1 de somn scip. c. 10.

Torquemada in Hortulo suo tractatu primo refert post alios apud quasdam gentes pueros nasci capillis canis, morituros verò & senes nigrum obtinere pilum. Certè plura exempla ipse legi de ijs, qui morte instante ante annos repente cani Torq in hort. tract. 1.

facti sunt. At apud eas gentes homines nasci canos, videtur signum esse, quod vita obeius miserias, & quia verè tendit ad mortis terminum, sit mors: sicut amittere canitiem in morte, significet mortem esse potius natiuitatem. quasi illi horrorem istius vitæ mortiferæ, seu mortis sub nomine vitæ, canescant; vt deinde præ lætitia appropinquantis vitæ, canitiem deponãt. eo quòd mors, abstrahendo, vt aiunt Philosophi, à meritorum ratione, sit liberatio quędam hominis à malis.

AVGVST. lib. 21 c. 14. de Ciu. 5. Augustinus libr. 21. cap. 4. de Ciuit. de infantia pueri, ait. *Quæ quidem quod non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat quodammodo.* addit ibi Zoroastrem Bactrianorum Regem, quem solum risisse aiunt in natiuitate, idque omen fuisse suæ infelicitatis, eò quòd artes magicas dicatur inuenisse, & quod à Nino Assyriorum Rege victus, & regno pulsus fuit.

6. Quid mirum est hanc vitam miseram describi ab auctoribus, cum Scriptura Sacra eam comparet cum iis vitæ institutis, quæ in mundo magis infelicia sunt, & dura? Quid asperius vita militari? at Iobus ait, *Militia est vita hominis super terram.* & iterum dicit, *Cunctis diebus nunc milito.* Quid durius quàm semper viuere sub tentorio, & in tabernaculo? at

D. Pet. 2. 14. semper hic viuit homo. D. Petrus 1. 14. inquit, *Velox est depositio tabernaculi mei.* domus quoque nostræ, & regia palatia, tabernacula vocantur

Psf. 48. Psalm. 48. *Tabernacula eorum in progenie, & progenie.* Quid asperius vitâ peregrinantis, & perpetuò vagantis? quot subit incommoda viæ, quot incommoda vitæ? quot pericula latronum, pericula fluminum, pericula barbarorum, & exterarum gentium? at plenæ Scripturæ sunt hac veritate, quod scilicet vita hæc est perpetua peregrinatio. *Incola ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Vnusquisque ergo dicere potest attenta hac peregrinatione, sicut Iacob dicebat, *Dies peregrinationis meæ parui, & mali.* hoc ipso enim quod vita hæc est peregrinatio, est etiam incommodis plena. nam *homo breui viuens tempore, repletur multis miserijs*; quod est dies eius esse paruos & malos. Quid calamitosius vitâ erronum illorum, qui vulgò vocantur *Cingari*, vel *Ægyptij*, quibus dicitur vetitum esse permanere diu in aliqua vrbe, vel ditione alicuius principis? at talis est vita hominum etiam regum, & imperatorum. nam Iob 14. de homine dicitur, quod *fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet.* Iob 14. quando vmbra vocatur, ratione atri coloris repræsentare videtur *Cingaros* quòd eiusdem ferè coloris sint. & sicut hi Cingari *numquam in eodem statu permanent* hoc est in eodem regno vulgò enim regna Italicè *stati* vocantur: ita homo numquam permanet in eodem statu vitæ. Vita ergo humana à nobis dici potest, *Vita Cingaresca.* Quid miserius, & durius vitâ nautæ? hic enim semper cum tempestatibus, & morte præliatur, & luctatur. digitis à morte remotus quatuor, aut septem, vt ait Iuuenalis, nimirum quanta est crassitudo carinæ

carinæ nauis. at vita hæc nauis est. vnde Aristotelis dictum, quod animam in corpore sit, *vt nauta in naui.* Ita Sapient. 4. Ipsimet impij nauem per similitudinem vocant vitam suam, *Tamquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam.* Quid miserabilius vitâ in carcere detenti? at Carcerem esse corpus iam ostendimus etiam ex Gentilium auctoritate. sed Psalm. 141. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* Esse etiam alligationem eiusdem animæ ad corpus testatur Apostolus, *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Quid acerbius, quàm vita perpetuò ægrotantis ex infirmitate insanabili? An non talis est vita hominum, quos etiam ipsi Ethnici auctores pleno ore ægros appellant: Virg. 2. Æneid. *Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris incipit.* Ægritudo perpetua est vita, cui quot quotidie adiutoria & alimenta præbemus, tot exhibemus pharmaca, sine quibus illa interiret citò. Vide an leuis sit hæc ægritudo, cum propter illam cogantur homines decumbere media vitæ parte, hoc est omnibus noctibus. vide an leuis sit, cum vsque adhuc nullus medicus eam potuerit ita sanare, vt ad mortem non perueniret tandem. Sap. 9. 5. ego, inquit Salomon, *Homo infirmus, & exigui temporis.* magis id nos dicere de nobis possumus. Quàm misera vita eius, qui in ventre matris detinetur adhuc? at talis est vita nostra hic. vnde Ecclesia vocat diem natalem illum, in quo Sancti moriuntur, quasi in eo ex vtero exeant. Quæ tandem vita est hominis in mortis transitu constituti, siue moribundi? at talis est hæc vita. *ipse enim defectus corruptionis*, ait Greg. *quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis.* Genes. 3. *In quacumque hora comederis, morte morieris*, hoc est, incipies defluere ad mortem, ad terminum tibi præstitutum.

Sap. 4. | Psal. 141. | Virg. 2. Æneid. | Sap. 9. 5. | Greg. | Gen 3.

2. *Vita febris continua. imo continua mors, & infernus.*

3. *Vita est perpetua distillatio cerebri.* (vulgo) *è vn lambiccarsi continuò del ceruello.*

2. GENES 47. 9. Iacob ait Pharaoni, *Dies peregrinationis meæ centum triginta anni sunt, parui, & mali.* Dies hominum (communiter loquendo) tales sunt, & præsertim mali. nam sicut vnaquæque dies suam habet noctem ita suam habere solet afflictionem, quæ in Scriptura per noctem designatur. Italicè aiunt, (a) *ogni di vien col suo mal' anno.* His positis dico vitam hanc febrem esse perpetuam, quam & *continuam* vocant. nam in febre tertiana, & quartana aliqui dies *boni* appellari solent, in quibus æger febre caret, aliqui verò dies *mali* sunt. at in continua sunt omnes mali. Febris continua est hæc vita, quia dicitur, *Febris continua hominem occidit.* at quis ignorat vitam hanc, febrem hanc, saltem annorum progressu hominem necare? Ne dicas solum Iacobum dicere dies suos breues & malos; etiam Epicurei homines in Sapient. 2. *Exiguum, & cum tædio* (aiunt) *est tempus vitæ nostræ.* Græca lectio habet, *Breuis & molesta est vita nostra.*

Gen. 47. 9. | (a) Vnaquæque dies suã adducit infortunium. | Sap. 2.

Alio item modo dici potest vita hæc febris: quatenus in febre aliqua trāſimus à frigore ad calorē.ſic enim in vita Deus(vt cum vulgò loquar) modò calidum,modò frigidum nobis mittit: *Ce ne dà vna fredda, e vna calda*:nam Prouerb.4. *Riſus dolore miſcebitur* &c. in cuius rei figura modo calorem æſtatis, modo dat frigus hyemis, ob quam viciſſitudinem caloris,& frigoris vita hęc imago quędam,& initium videtur inferni. nam Iob 24. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium*. Definet ergo febris vitæ in peccatoribus in deteriorem febrem, & frigidi ac calidi viciſſitudinem.

Prou.4.

Iob 24.

3. Vita præſens eſt quædam mors continua, & non ſolum corporis, ſed etiam ſpiritûs: & tamen non credebas eſſe febrem continuam, quod minus eſt. Eccleſiaſtes primo 14. *Vidi cuncta, quæ fiunt ſub Sole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus*. Ex Hebræo apud Pinedam hic, *Depaſtio,ſeu conſumptio ſpiritûs ad inſtar pecudis depaſcentis herbam*.Quid eſt mors perpetua, quid eſt infernus, niſi depaſtio quædam mortis in ipſis damnatis? Pſalm.48. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt,mors depaſcet eos*. hoc eſt, vt explicent, depaſcet ad inſtar pecudis depaſcantis herbam, & radicem eius interea viuere ſinentis in terra, eò quòd damnati morientes ſemper tamen viuent. Ergo vita hæc, cum ſemper depaſcat paulatim vires, & annos corporis,& ipſum corpus, donec tandem in puluerem redigat ipſum, & ſimul per rerum afflictionem depaſcat ipſum ſpiritum; idcircò cenſetur eſſe quædam mors perpetua, & infernus huius ſæculi, qui in damnandis continuabitur ab inferno futuro.

Eccleſ.1. 14.

Pſal.48.4

In os cuiuſdam piſcis ingentis, & hiantis ingredi ſolet aliquando auis quædam, vt plures ſcribunt. Diceres piſcem illum auem comedere; & tamen aiunt auem corrodere, ſeu depaſcere cor piſcis, & ita mortem illi afferre. Ita cum ex ea re, qua delectatur animus, dicatur paſci quaſi cibo ſuo: vnde eſt illud, *cibus meus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei*: cùm ſpiritus hominis videatur paſci rebus mundi, & voluptatibus vitæ, quas eſurire ſolet, quia iis oblectatur; tamen contrarium accidit.nam illæ ſunt, quæ depaſcunt ſpiritum,& cor ipſius.illæ enim ſunt *vanitas, & depaſtio, ſeu conſumptio ſpiritûs*.

Fingunt Prometheum ſemper in corde exedi à vulture;& ita ignoranter damnatorum ſortem depictam exhibuere, quorum vermis cor eorum exedens non morietur. At cum mundi res atque diuitiæ, & voluptates (quæ per Euangelium ſunt ſpinæ) ratione ſollicitudinis & moleſtiæ, tum ratione remorſus conſcientiæ, & pœnitentiæ, quæ illas conſequi ſolent, cor & ſpiritum depaſcantur; conſequenter apparet, eas eſſe vultures, & vermes rodentes hominis cor, atque ideo eſſe infernum ipſum. Cum verò omnes illæ res ſic depaſcantur cor; tot vultures, & vermes, & conſequenter tot (vt ita dicam) infernos patitur homo, quot creaturis, & vanitatibus delectatur. *Ecce vniuerſa vanitas, & depaſtio ſpiritus*.

3. La-

3. Lacrymas aiunt Philosophi esse destillationem quandam à cerebro prouenientem, eò quòd humidum sit. sicut pluuia à cælo aëreo destillatur per constrictionem frigoris, ita fletus per constrictionem doloris, seu causatam à dolore, vt iidem scribunt, frigus regionis illius, vbi nubes sunt, constringit nubes; dolor, cuius est constringere, sicut lætitiæ dilatare, constringit cerebrum. Sed cum in destillatione quæ fit per alembicum consumatur in re destillata (verbi gratia rosis) pars subtilior, hoc est illa, quæ spiritus, & vapor vocatur, qui in liquorem vertitur; ita etiam in hominis fletu destillantur spiritus cerebri in lacrymas, quod est destillari ipsum cerebrum. Cum ergo vita hæc tota ferè in lacrymis sit, vnde & lacrymarum vallem eam vocat Ecclesia; idcirco dicere possumus vitam hanc esse perpetuam cerebri destillationem, seu cordis, si iuxta lectionem prædictã, *Vanitas & consumptio spiritus, seu depastio*, verbum *spiritus* sumatur pro spiritu animali cerebri, seu cordis, hæc enim duo in Scriptura sæpè pro eodem sumuntur. Sed quando non destillatur cerebrum hominis per lacrymas, destillari solet per sollicitudinem, & cogitationem, quæ res etiam solet absumere spiritum, seu spiritus cerebri, & capitis, vnde vulgò aiunt (a) *Colui si lambicca il ceruello in questa, ò in quella cosa.* Qui ergo non patitur destillationem cerebri deflendo; patitur cogitando, & per cogitationem cauendo, ne defleat. (b) *Si lambicca il ceruello per non se lo lambiccare*, Conclude igitur, vitam hanc duplici capite esse perpetuam destillationem cerebri, cum sit consumptio spiritûs: (a) *è vn continuo lambiccarsi il ceruello.* Ergo *cuncta vanitas, & depastio spiritus.*

(a) Ille cerebrũ sibi exstillat in hac vel illa re.

(b) Exstillat sibi cerebrũ, sc. cogitando; ne illud exstillet, sc. flendo.

(a) Continua destillatio est cerebri.

2. *Exemplum necantis se ob vitæ miserias communes.*

3. *Non mors tantum, sed ignis purgatorij refrigerium sunt respectu vitæ miseriarum.*

4. *Deflendum potius in natiuitate, quàm in morte propria.*

2. STVMPSIVS apud Theatrum vitæ humanæ, volum. 8. lib. 3. Gaunoduri, inquit, vbi Rhenus ex lacu Podamico, seu Podanaico fluit, quidam obscuræ sortis homo vitam odisse cepit anno 1220. dicens, Quid est viuere, nisi edere, bibere, dormire, vigilare? liberemur ergo ab his miseriis. & ita de ponte in Rhenum se præcipitem dedit, & periit. Ex hoc saltem colligamus quantæ sint vitæ huius miseriæ, quæ potuerint huic mortem vitâ ipsa optabiliorem efficere: quamuis stultè egerit, & iniquè in hac parte, scilicet se necando.

Stump. Theatr. vit. hu. vol. 8. l. 3.

3. Sapientiæ 4. *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Vita hæc, vt diximus, quasi infernus est & ignis: sed talis præsertim iusto est. vnde sicut diues in igne, & in inferno positus optabat refrigerari aquâ; ita iustus optat mortem sibi tamquam refrigerium, quamuis neque ad cælum contenderet, vt fiebat quando Salomon hæc scribebat. iusti enim ad sinum Abrahæ tunc portabantur. Carthusianus verò apud

Sap. 4.

apud Lorinum hoc loco, dicit id locum habere etiam in iusto in Purgatorij ignem descendente per mortem. Vide ergo quàm acerbus ignis sit vita hæc misera, præsertim ob peccandi pericula, quando ignis ipse acerrimus (ad cuius comparationem dicunt aliqui Patres nostrum esse veluti depictum) refrigerium fit ingredientibus in ipsum, in comparatione prædicti ignis vitæ mortalis ob peccandi pericula, & damnationis, quæ in Purgatorij igne non timentur.

Sap. 7. 1. 4. Sapient. 7. 1. *Et primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Liranus, & alij expositores in hunc locum dicunt masculos in vagitu suo A insonare, feminas E, hoc est illos Adam, has Euam. *Masculus omnis A nascens; ast E femina profert. A dat Adam genito, E dedit Eua prior.* Augustinus lib. 21. cap. 14. de Ciuit. dicit, quod flendo in natiuitate quodammodo prophetant se ingredi in vallem miseriis plenam huius vitæ. hæc apud Lorinum ad locum citatum Sapien. Si autem infantes meritò plorant ingressuri vitam, ob calamitates eius; nonne stultum est eosdem ratione vtentes, & in actu secundo ab iis miseriis afflictos, (præsertim, si senectutis incommodis pleni sint,) in ventrem matris scilicet terræ se reuersuros, & ex prædictis malis egressuros, deflere? Quid inde infertur, nisi homines cerebrũ habere, cũ non habent; non habere cũ habẽt? infantes esse senes, senes verò esse infãtes? ita de sene flente ob mortem dici potest, quod puer centum annorum moritur, cùm senex vnius diei, vel vnius horæ natus sit; quia ingressus in calamitates fleuit, egrediens ex illis iterum flet. illud prudentis, & canitiei fuit, hoc verò insipientiæ, & infantiæ. Ergo minus prudentiæ habet homo, cum moritur, quàm cum nascitur? ergo rationis vsus, & senectus non adducet hominem, quo eum adducit carentia rationis, & infantia? scilicet ad cognoscendam vitæ huius miseriam, & deflendam potius mansionem in ea, quàm exitum ab ea?

Avgvst. lib. 21. ca. 14. de Ciu.

2. *Risus in moriente putatur Sardonicus.*

2. ET tamen adeo creditur tristitia esse morientibus etiam senibus propria, vt si aliqui in morte dicantur non flere, sed ridere; hic risus putetur esse Sardonicus. An nescitis adagium hoc, *Sardonicus risus* ortum habuisse, vt collector adagiorum habet, ex eo quòd apud Sardoas populos senes septuagenarij Saturno sacrificabantur, qui ridentes in morte se exhibebant: quia apud eos populos nefas erat tunc flere? at risus hic fictus putabatur. Sic ergo, si vnquam risus putatur fictus (quod idem est, ac Sardonicus) talis maximè putatur in morte. In nascentibus certè non est Sardonicus fletus: sed in morientibus, est Sardonicus risus. Fletus in morte, hoc est in moriente, ob rationem supra allatam de vitæ calamitatibus est dignus risu, & tamen risus in eodem moriente putatur dignus risu; quia putatur Sardonicus. Senes canitie sunt cygni, tamen in morte cantant vt corui *cras cras*. cupiunt enim differri mortem, differri pœni-

pœnitentiam.sunt in voce corui,in desiderio cornices.nam cornices dicuntur plura sæcula superuiuere, vt patet ex versibus Virgilij de ætatibus animalium, & ex alijs auctoribus.

3. *Vita etiam felicissima fletu digna.*

Augu. *de Ciu. lib. 21.cap.14.* 3. SED aduerte iuxta Augustini dictum supra de Ciu.lib.21. cap.14, & multorum sapientum,infantem natum flere, quasi prophetando futuras vitæ calamitates, idque facere non infantem hunc, vel illũ sed omnes. quia etiã filij regũ, & qui felicissimi futuri sunt in vita, tamen plorant ea de causa,eò quòd quælibet felicitas, & sublimitas etiã regalis,miseria est,& digna quæ lacrymis multis ploretur,non solum à ratione vtentibus, sed ab ijs, qui eo vsu carẽt,quales sunt infantes. Quis ad maiorem felicitatem, & ampliorem fortunam natus erat apud Iudæos quam Salomon?& tamen ait, *& primam vocem similem omnibus emisi plorans.* & nemo regum habuit aliud natiuitatis initium. Si viri non deflent vitæ miserias, deflent eam infantes:si illas non testantur loquentes, testantur linguæ officio carentes: vt verificetur & hic, *ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.* laus enim Dei est confessio veritatis, & detestatio vanitatis mundi.

4. *Vita in initio, medio, & fine tota casus est, homo semper cadauer.*

4. QVID mirum, si vita hæc plena est casibus, & foueis, atque offendiculis tum corporis, tum animæ, cum ipsamet natiuitas hominis casus sit, & homo prius incipiat cadere, quàm in hoc mundo viuere? nasci enim, est decidere in terram. Sap. 7. *Et in similiter factam decidi terram.* & quia fœtus dicitur *fructus ventris* à Scriptura: ideo sicut cum fructus maturus est, decidit ab arbore;ita caderet homo ab arbore ventris, & ob inualiditatẽ, & mollitudinem corpusculi ex casu hoc aliquando forsan periret, nisi supponeretur manus auxiliantis. Sicut autem fletus nascentis præsagium est fletuum,& calamitatum multarum futuræ vitæ illius;ita casus præsagium est,& testimonium casuum, & periculorum corporis, & animæ vitæ eiusdem nascentis. At *cum ceciderit,non collidetur; quia Dominus supponit manum suam*, mediante dextera auxiliantis. Vita incipit à casu, desinit in casum,scilicet in cadauer, quod à cadendo dictum est. immo cadauer est homo etiam nascens; quia statim cadit, vt diximus. *Sap. 7.*

Plutarchus in Apopht.cum vellet, inquit, Philippus rex Macedo castrametari in loco amœno, dicunt ei,id non poteſt fieri: quia illi asinis deesset pabulum. ea enim iumenta in exercitu sarcinas gerebant. tum ille,Heu qualis est vita nostra, si etiam ad asinorum commodum viuere cogimur. Asinæ Cis primo Reg.9.10.significant carnem, apud syluam Alleg.& non semel legi sanctos viros vocasse corpus suum,asinum,Saül electus à Deo, seu desti- *1. Reg. 9. 10.*

natus in regem, tamen, cum nondũ accepisset regnum, cogebatur propter asinas vagari. Hôc significari videtur electos à Deo in reges Ierusalem cælestis, tamen interea cogi ire post asinas, hoc est post carnem, & corpora sua, illis obsecundando in necessitatibus naturæ, illa recuperando, si à bona valetudine aberrarunt. Sed stando in exemplo Philippi, cum electi ijdem cupiant sæpè se conferre ad studium orationis, vel ieiunij, vel litterarum; dicitur eis interdum, Id fieri non potest propter asinos. ne scilicet detrimentum patiantur corpora infirmæ valetudinis. vnde exclamare coguntur, Heu qualis est hæc vita, vt cum reges simus, ad commodum asinorum viuere cogamur?

2. *Etiam rex est agaso vnius aselli, & agasone deterior.*

2. ADDE ad vitæ miseriam, Nõne infelicitas esset magna, reges, & monarchas agasones fieri? & quisnam est ex regibus, nedum ex minoribus hominum principibus, qui agaso & seruus esse non cogatur asini vnius, scilicet corporis, saltem in necessarijs? Asinum pascere, cubitum ducere, & sæpè viros multos pro vno asino defatigare? Miseria est, animum esse agasonem corporis asini sui, at etiam deterioris est conditionis quàm quilibet agaso. quia agaso portatur ab asino, at animus, seu anima portat corpus, & est asinus asini sui, quia ipsum semper portare cogitur. ideo etiam dicitur Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam:* non autem, quod anima aggrauet corpus. Vita ergo ista etiam felix, vita agasonis est, seu asinarij. vide ergo quàm misera, præsertim in electis ad regnum.

Sap. 9.

Pœnitentia perpetua est hæc vita, quoad res animæ: quia vbi semper peccatum, ibi semper requiritur pœnitentia. item quoad res mundi. nam plerumque verificatur illud, *Nemo sua sorte contentus*, quasi dicatur nemo est, quem aliquando non pœniteat suæ sortis, siue instituti, aut rerum à se gestarum. Ita Socrates vt ait Valer. Max. lib. 7. ca. 2. postulatus à quodam, num debeo vxorem ducere? ait, Si duxeris te pœnitebit; si non duxeris, & te pœnitebit. ita significans in nulla re pœnitentiam, & dolorem non inueniri.

Valer. Max. lib. 7. cap. 2.

Ad hoc facit, quod verbum *pœnitet* est impersonale, vt aiunt Grãmatici, ratio moralis fit, quia non est alligatum huic, vel illi personæ, sed vagatur per omnes. in omnes cadit pœnitentia. De vna tantum re dici potest, quod homines non pœniteat, scilicet de bonis operibus, vel de ipsa pœnitentia. attamen tanta est miseria nostra, vt sæpè cogamur pœnitentiam agere super ipsa bona, & super ipsam pœnitentiam, quam gessimus: quia *iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ*, & quia in Psalmo dicitur, *Ego iustitias iudicabo.* Pænitentiam semper inueniri in rebus mundi ostendit Salomon in Ecclesiaste, vbi cum modo ad has, modo ad illas se converteret; in eis inueniebat vbique vanitatem, & afflictio-

flictionem spiritus. Vide ibi.

Brusonius, cap. de fortuna dicit, priscos signasse dies felices calculo albo, infelices nigro; vel Scytharum more iniectis in pharetram calculis huiusmodi. Dic ergo iuxta hoc factum, & hanc significationē, vtrosque dies esse calculos, hoc est lapidosos, & præduros: esse bolos asperos, & malos, sed tantum colore diuersos, in substantia pares. quia & felicitas, & infelicitas mundi, misera est in re ipsa: sed quæ felicitas dicitur, colorem tantum habet felicitatis. Pulcher videtur calculus albus. at si ori imponatur, inuenitur omnino similis duro. sic quæ videntur felicia, & optabilia; plerumque accidit, vt cum postea obtinentur, inueniantur dura, & acerba. huiusmodi plerisque fiunt optata coniugia, vel officia, & magistratus. Denique exemplum dedimus in Salomone in Ecclesiaste, qui in omnibus concupitis, & obtentis inueniebat vanitatem, & afflictionem spiritus. Colorem tantummodo habent felicitatis, vt dixi; quia *fallaces diuitiæ* dicuntur à Domino, *fallax gratia, & vana pulchritudo.* denique *transit figura huius mundi.* figura est, ergo fictio & color. Transibant dies felices, non transibant calculi, sed remanebant in pharetra: ita Prou. 20. *Suauis est homini panis mendacij, postea implebitur os eius calculo.* transit panis mendacij felicitatis mendacis: at remanet calculus, hoc est calculi remanent in ore. Per calculos Caietanus hoc loco intelligit supputationem rationum, quæ per calculos à mercatoribus fiebant, aliam tamen explicationem dat loco integro ab ista nostra. Dicamus nos remanere calculos, hoc est rationes reddendas villicationis nostræ Deo. hi calculi implebunt os eius, qui comedit panem mendacij: quia si in ea re peccauerit grauiter, nec pænitentiam egerit; ad ea verba, *redde rationem*, obmutescet. *at ille obmutuit*, dicitur de eo, cui dictum *quomodo huc intrasti*, &c. Calculi etiam vocantur scrupuli, siue scrupuli sunt calculi lædentes pedem incedentis. os eius ergo in fine implebitur scrupulis, & reatibus peccatorum, quia, vt dicitur Prou. 1. 31. *Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consilijs saturabuntur. Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.* Auersio paruulorum, & prosperitas stultorum, hoc est fallacia peccati, & prosperitatis, quæ paruulos quoad prudentiam, siue stultos, decipere solet.

Prou. 20. | Prou 1.31

Brusonius eodem cap. de fortuna dicit quosdam signare solitos dies felices totidem vnionibus, seu margaritis, infelices verò nigris lapillis. dic inde potuisse significari tantò plures dies infelices felicibus inueniri, quantò plures sunt lapilli communes vnionibus. Item sicut ad expiscandum vnionem, oportet descēdere in fundum pelagi, seu sub aquis quærere conchas margaritis grauidas; ita ad vnam felicitatem obtinendā, vel ad vnā felicitatis diem, oportet ingredi in pelagum periculorū, & laborum, atque amaritudinū. mare enim ab amaris aquis dictū videtur. Sed vera felicitas est pretiosa illa margarita, pro qua nego-

tiator dat omnia sua, & comparat eam. hanc vt capiamus non opus est immergi in mare curarum & laborum. nam *regnum Dei intra nos est.*

Benè ergo Innocentius Tertius Papa tractatu de vilitate conditionis humanæ olim scripsit quæ sequuntur. Quis ergo det oculis meis fontem lacrymarum, vt fleam miserabilem humanæ conditonis ingressum, culpabilem humanæ conuersationis progressum, damnabilem humanæ dissolutionis egressũ? Considerauerim igitur cum lacrymis de quo factus sit homo, quid faciat homo, quid facturus sit homo. Sane formatus est homo de terra, conceptus in culpa, natus ad pœnã. Agit praua, quæ non licent, turpia, quæ non decent; vana, quæ non expediunt. Formatus est homo de puluere, de luto, de cinere; quodque vilius est, de spurcissimo spermate. Conceptus in pruritu carnis, in feruore libidinis, in fœtore luxuriæ; quodque vilius est, in labe peccati. Natus ad laborem, timorem, dolorem; quodque miserius est, ad mortem. Agit praua, quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit se ipsum. Agit turpia, quibus polluit famam, polluit personam, polluit conscientiam. Agit vana, quibus negligit seria, negligit vtilia, negligit necessaria. Fit cibus ignis, qui semper ardet, & vrit inextinguibilis; esca vermis, qui semper rodit, & comedit immortalis; massa putredinis, quæ semper fœtet, & sordet horribilis. Hactenus ille. Sed in Sylua Italica plura ab hoc Patre de hoc excerpsimus.

2. *Omnis felicitas gutta est mellis in dolio fellis.*

3. *Nec punctus temporis vacat amaritudine.*

2. IOb 14. 1. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* Si repletur homo, & vita hominis, quæ hic & pro homine accipitur; quomodo possunt in ipsũ ingredi voluptates, & lætitiæ? Calamitates hostes sunt, & interfectrices iucũditatũ, eò quòd cõtrariæ sibi sunt. quid mirum ergo, si vel nequeat intrare in hominem; vel, si se intrudant, statim à pluritate hostiũ interficiantur? breuissimè perdurãt voluptates in homine præsertim quæ sensuum sunt quia à sola multitudine in angusta habitatione hominis habitante; à multitudine inquam calamitatum comprimuntur, & necantur. Vel si iucunditas aliqua ingrediatur in hominem plenũ calamitatibus, perdit esse iucunditatis. mel enim exiguum se immiscens in plurimum fellis, statim amarescit. ideo dicitur *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* cum risus intrarit, quasi gutta mellis in fellis flumẽ, illi commiscetur, & luctus occupat extrema gaudij; extrema enim gaudij simul prima sunt. nam *gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Si ad instar puncti est, vide quid fiet de illo, si misceatur inter tot calamitates, quasi gutta mellis in vas felle refertum? Plenum vas vix guttas potest recipere. at homo repletur multis miserijs. ergo vas habet,

Iob. 14. 1.

habet, siue est, plenum miserijs.

Tritum est apud Patres vitam hãc mare quoddam esse ob amaritudinem aquæ ipsius, & procellas ac pericula. De hominibus enauigantibus vitam illud Psal. 106. accipimus, *Qui descendunt mare in nauibus.* & dicitur, quod *qui nauigant mare, enarrant pericula eius.*

Psal. 106.

Sed quamuis tot flumina dulcis aquæ semper in mare ingrediantur; numquid dulcescere faciunt eius amaritudinem, an potius ipsa protinus amarescunt? Quamuis ergo flumina voluptatum, & lætitiæ in hominem plenum miserijs, & amaritudinibus intrarent, quid possunt facere huic mari vitæ eius?

3. *Repletur multis miserijs.* sed vtinam tantum impleatur! cum enim exigua res sit homo, non videretur posse multas capere miserias, sed sæpè miserijs vndique circumdatur, cum nequeat illas in se continere. *Circumdederunt me dolores mortis.* Apud Iob exercitum miseriarum habet peccator ille contra se pugnantem, quia circundat eum angustia sicut regẽ, qui præparatur ad prælium. *Repletur multis miserijs.* vtinam repleretur tantum suis! quod vas repletur liquore, qui in aliud vas infunditur? at homo talis est, repletur & alienis miserijs. Si enim charitas efficit, vt dicat Apostolus, *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* quomodo & amor naturalis aliquo modo non communicat dolorem? repletur ergo etiam malis eorum quos amat.

Neque diem vnum habet homo felicem, aiunt, (a) *ogni di vien col suo mal'anno. in vn di non vi può star vn' anno, è vi può star vn mal'anno.* Matth. 6. 34. *Sufficit diei malitia sua*, ergo quilibet dies habet malum suum, intellige afflictionem. immo nec momentum habet sine malo. nam vita mare est, vt dixi, cuius littus est mors, cuius portus beatitudo, cuius scopuli pericula, cuius venti tentationes, cuius guttæ sunt momenta: at etiam guttæ amaræ sunt in mari. ergo etiam momenta vitæ amara sunt.

(a) Quæque dies suum ducit infortunium. Matth. 6. 34.

Repletur multis miserijs. Homo indefinitè, hoc est omnis homo quãuis felicissimus ceterorum, repletur multis miserijs: vide quid erit de his qui minus felices habentur? *Multis miserijs.* non dixit calamitatibus. Proprietas verborum seruanda est in intelligentia cuiuslibet Scripturæ, sed præsertim sacræ, in qua Patres volunt considerari etiam puncta, & quæuis minima. Miseria significat statum miserabilem: & miser efficitur homo per miseriam. ergo cum vnus sit ad vitam, est multiplex ad miseriam. non semel est miser, sed multipliciter: nec vnius habet felicitatem, & multorum habet miseriam. *Breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* D. Grego. alludens ad eam breuitatem, ait super hunc locum *Angustatur ad vitam, & dilatatur ad miseriam.*

Multis miserijs. Quis felicior Salomone? ac hic in omnibus bonis, & delitijs inuenisse se dicit vanitatem, & afflictionem spiritus. Quis felicior Augusto? In assumptione alicuius ad Imperium precabantur ei

sic, esto bonus vt Traianus, felix vt Augustus. at hic præter plura vitæ discrimina, tam infelix fuit in filijs, vt sæpius optaric nunquam fuisse patrem. Scribunt nonnulli quendam, cum vidisset in ciuitate, in quam erat ingressus, quosdam, qui incessu, & corporis specie insani videbantur, interrogauit, qui nā essent? responderunt ei, Hi sunt sapientes ciuitatis. tunc ille, Si hi sapientes sunt, quales sunt in hoc loco stulti? Ita si felices in mundo pleni miserijs sunt, quales erunt miseri? ergo *Homo repletur multis miserijs.*

Repletur multis miserijs. Nulla pars vitæ eius est, quæ ijs non repleatur, non dies, non hora, non momentum. Quia nulla dies est, in qua martyris alicuius festiuitas non sit, hoc est natalis. aiebat quidam, quotidie habemus aliquem Martyrem, & aliquod martyrium, hoc est afflictionem aliquam. ideo Lucæ 9. *Tollat crucem suam quotidie*, de horis dici potest. (*a*) *dodeci hore, e tredeci disgratie.* Quot etiam temporis puncti, tot puncturæ. In scriptura vitæ, virgula, seu virga, coniuncta est cum quolibet puncto (virga enim percussionem signat) homo semper cogitur spirare, semper suspirare, vt de Antiocho dictum, *per singula momenta doloribus augmenta capientibus.*

Luca 9.

(*a*) Duodecim horæ, tredecim calamitates.

Tota vita *Repletur multis miserijs.* Mundus totus est miseria, mundus totus misericordia: miseria hominis, misericordia Dei, nam *misericordiâ Domini plena est terra.* tria ergo m. m. m. vnum sunt, scilicet mundus, miseria, misericordia. Adeo repletur miserijs, vt Seneca de Consol. ad Martiam, cap. 22. ausus sit dicere, *Non mehercule quisquam accepisset* (intellige vitam) *nisi daretur inscijs.* Diceret Seneca, stando in prædicta sua sententia, rationis vsum, siue intellectum, vt qui res sit sapientissima in homine, ideo tardè venire in hominem, & paulatim; eò quòd inuitus veniat, sciens in quam ingrediatur calamitatē: cetera verò, vt quæ rationis vsu tunc careant, citò, & simul venire, cetera dico, quæ ad animam pertinent. nam homo viuit primo vitâ plantæ, vita animali: deinde rationali, vt loquar verbis Philosophorum.

Seneca de Consol. ad Mart. cap. 22.

Sicut homo plorat in natiuitate in signum calamitatis vitæ huius; ita à contraria ratione in morte ridere debet ex hoc capite, nisi aliud, hoc est peccatum, sibi obstet. ita Ecclesiastes 3. ait, *Tempus flendi, & tempus ridendi.* ponit illud primo loco, hoc secundo. Sic mulier sapiens *ridebit in die nouissimo.* quando non alia de causa rideret; hæc vna quod ex miseria vitæ exiret, sufficeret, Ecclesiastes 7. *Melior est dies mortis die natiuitatis*, ob rationem allatam.

Ecclesiast. 3.

Ecclesiast. 7.

LINGVÆ moderatio.

2. *Frænum ori imponendo homo de equo se facit hominem. Abstinentia frænat linguam.*
3. *In inconsideratis ad loquendum dæmon loquitur, magis quàm homo.*

4. Le-

4. *Loquamur cautè, Deo omnia verba nostra scribente, quasi rei coram iudice.*

5. *Mulieri silentium, & veritas inesse præsertim debent.*

Iacobi. 3. 2. Acobi 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. potest etiam fræno circumducere totum corpus*, hoc est, vt litteraliter explicant, poterit se totum regere, vt solent equi fræno regi, si frænum ori suo imponat. Si quis alicui frænum immittat in os, videtur illi iniuriam facere, & ex homine quasi equum constituere. nam ex Iacobo ibi, *equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis.* at dico, si equus, & mulus, *quibus non est intellectus*, esse non vis; si cupis te ex equo hominem constituere; equum te fac, frænum ori tuo inijce. sic enim non offendes in verbo. at *qui non offendit in verbo* non solum est vir, sed *hic perfectus est vir*, vt Iacobus ait. Quomodo autem se talem faciat, ostendit idem, dicens, quod is poterit fræno sibi imposito totum se ipsum regere in vijs suis: in qua re cognoscitur perfectio viri. & cum antequam id præstaret comparatus esset iumentis insipientibus; postea fræno hoc se perfectum ostendit virum, & iumentum rationale Dei, vnde dicat, *vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum: tenuisti manum dexteram meum, & in voluntate tua deduxisti me.* Ergo frænum ori imponendo, non de homine equum, sed de equo facis hominem, immo perfectum virum.

Si verò cupis equo tuo immittere frænum, subtrahe fœnum. abstinentia enim compescit loquacitatem, gula prouocat. vulgò aiunt (a) *pan asciutto fa diuentar muto*: equus stimulatus in ventre calcaribus epularum, præceps fit, & frænum oris abrumpit. vel non timet. ijs calcaribus agitatus in ventre diues, frænũ linguæ abrupit, vt Gregorius sentit, & peccauit linguâ: vnde & in lingua præsertim torquebatur; *vt refrigeret*, inquit, *linguam meam*;

(a) Panis sicus mutum efficit.

3. Dicit Christus suis Matth. 10. *Cum autem tradent vos: nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini. sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Diabolus etiam, vt Deum pessimè æmuletur, suis dicit: *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*, spiritus meus, qui diabolus sum pater vester. nam vos *ex patre diabolo estis.* ille inquit, spiritus est, qui loquitur in vobis. Quid est hoc, nisi dicere, quod si improbi homines non cogitent quid dicant, iuxta monitum diaboli; tunc sæpè diabolus per ipsos, vt ita dicam, loquetur. quatenus ipsi non recta, non bona, sed improba, vel saltem vana, aut turpia effundent. Non cogitat obsessus à dæmone, cum dæmon linguam eius mouet, quid, aut quomodo loquatur. non enim est obsessus, qui loquitur, sed dæmoniacus spiritus. ita secundum similitudinem quamdam accidit in peccatore, cuius animam, si non corpus dæmon possidet. sæ- Matt. 10.

pè

pè ergo accidit, vt si homines cogitarent quod dicunt; non dicerent quod cogitāt, hoc est quod eis suggerit vana, aut diabolica cogitatio. ergo vt est Prou. 13. *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Hoc differt inter prudentes, & imprudentes, siue inconsideratos ad loquendum, quod illi dormiunt silendo, at isti dormiunt etiam loquendo. Hi sunt velut ebrij loquentes, quorum verba exeunt (a) *dal boccale più, che dalla bocca.*

Prou. 13.

(a) Magis ex amphorâ, quàm ex ore.

4. Si quis reus in periculo capitis coram iudice, & notario, cuncta, quæ ille reus dixerit, scribente, in processu loquatur, & respōdeat; anne id incogitanter, & perperam efficiet, & non potius magnā cautelâ, & animaduersione singulas syllabas etiā proferet? At cum tu loqueris, nonne coram Deo supremo Iudice tuo in causa æternæ vitæ, & mortis id facis? nonne ille ipse Iudex, & notarius est cuncta verba tua in suo libro describens, in libro illo, de quo dicitur, *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur?* Consideras ergo verba tua, illa scribente homine: & non consideras, scribente Deo? Consideras illa loquens in causa mortis momentaneæ: & nō consideras in causa mortis æternæ? Audi Ecclesiastem 5. 1. *Ne temerè quid loquaris.* statim addit rationem dicens, seu significans te loqui coram Deo: *neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram: idcircò sint pauci sermones tui.* Etiam singula verba otiosa annotat Deus in libris rationum suarum. nam *de omni verbo otioso reddent homines rationem in die Iudicij.* Nonne dementia est nolle examinare verba, cum simus examinandi super verba? nolle verborum habere rationem, cum de verbis reddituri simus rationem? *quod Italicè diceremus: non voler delle parole far conto, douendo delle parole render conto?*

Ecclesiast. 5. 1.

Horatius in Poëtica iubet Poëtas, qui scribunt, seu dictant carmina, aliis mox legenda, atque euulganda, pluribus ea doctis viris prius examinanda tradere, vt pluribus annis cribrentur, antequam edantur. si quid inquis velis edere, *In Metij descendat iudicis aures, & patris, & nostras; nonumque prematur in annum.* At tu dum loqueris, nonne dictas scribenda digito Dei, & plus quàm in silice sculpenda, atque legenda non tantum ab aliquibus, sed à cunctis mortalibus, qui vmquam in carne fuerint, & ab Angelis ipsis: immo ab ipso Deo, qui ea iudicaturus est? Ergo, *ne cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo: Deus enim in cælo, & tu super terram.* quia liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur. Id præcipit Horatius, ne gloriola minuatur humana, & tu non discuties quæ dicis, ne gloria tibi pereat æterna?

Cum tintinnabula seu campanulæ quæ ex collo pecudum pendere solent, vilissimi sint pretij, semperquè ad motum animalium moueantur; ait quidam (alludens ad loquacitatem imprudentium, quæ ceteris antecedunt) deteriores campanæ personare audiuntur diutius, quàm

Prou. 29. 11. quàm ceteræ. ita Prouerb. 29. 11. *Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, & reseruat in posterum.* Stultus Italicè *folle*, quod nomen significat & follem aëre, & spiritu plenum. Sic ergo vt follis non cessat effundere spiritum, hoc est sensum suum, donec totum emiserit, & vt ita dicam, garrire non cessat donec halitus in corpore suo superest, ita & stultus.

5. Tiraquellus apud Aldrouandum de auibus vbi de psyttaco agit, dicit psyttacum feminam humanũ sermonem non discere. Dic mulierẽ etiãsi de stirpe psyttacorum esset, hoc est valde loquacium, tamen debere silentij amantem esse, sicut natura id 1. Timot. 2 docere voluit in ea aue. 1 Timot. 2. *Docere autẽ mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Tamen plerumque contrarium accidit, scilicet, vt potius mas loqui nesciat, seu sileat, quàm femina. Vulgo non solet laudari mulier, quæ linguam calleat alienã, eâque loquatur: sicut femina in psyttacis sermonem non addiscit nostrũ. vnde parœmia est, (a) *Dio mi guardi da Tedesco negro, e da donna, che sappi Latino.* Sapiens illa mulier Machabæorum mater, dicitur locuta *voce patria*, quod videtur facere ad rem prædictam.

(a) Deus me tueatur à Teutone nigro, & femina quæ latinè sciat.

Vitium sexus feminei solet etiam esse simulatio, & fictio, & hypocrisis, quo vitio aliud habent in corde, aliud in ore: & cùm, velut psyttaci, sint bestiolæ; in sermone pro hominibus se vendunt. hoc est, cum aliquando improbæ sint, & indeuotæ, & lupæ rapaces; in verbis, & precibus externis, quasi in vestimẽtis ouiũ se ostendunt. ideo per eandem proprietatem cum psyttacis feminis nõ loquentibus à se alieno id est humano modo; edocentur à natura, non mentiri, non assumere vultũ, & verba aliena, & ab interna intentione discrepãtia. Psyttacus enim loquẽs, symbolum est simulatoris, & hypocritæ apud Symbolicos. Prǽter Dalilæ exemplum, plenæ historiæ sunt exẽplis fraudum muliebrium præsertim in viros. Multæ etiam prætextu sanctitatis deceperunt. Cauendum à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, docet Christus. at mulierum esse solet fermentum tractare, & eo imbuere farinam, vt ex alio loco Euangelij colligitur. ita ergo proprium est feminæ fermentum hypocrisis, & simulationis.

2. *Perseuerantia silentij Secundi Philosophi.*

3. *Silens pluribus oculis, & auribus, quam loquens munitus est.*

2. VINCENT. in Spec. historiali, lib. 10. cap. 70. de Secundo Philosopho Pythagorico narrat, quod, cùm occasio fuisset mortis matris suæ, quamuis inscius & inuitus; tamen ob hoc perpetuum silentium in pœnam sibi indixit. cum Athenas venisset Adrianus Imperator (sub quo ille floruit) audita fama Philosophi, eum ad se venire fecit, & illum primus salutauit. at ipse tacuit. tunc Adrianus, Loquere, inquit, Philosophe, vt à te aliquid discamus. at illo tacente imperat Adrianus, vt ad necem ducatur, sed latenter carnifici iubet, vt suadeat ei loqui,

Vicent. in Spec. historiali, lib. 10. c. 70.

loqui, & si loquatur, eum occidat: si taceat, illum ad se redūcat. carnifex hortatus est Secundum ad loquendum morte ei proposita ni faciat. tamen ille perstitit in proposito, & ad mortem libenter ibat. vnde ad Imperatorē eum reduxti, qui tandem admiratus viri perseuerantiam, obtinuit ab eo, vt per scripturam communicaret sibi de doctrina sua, propositis illi multis quæstionibus, quibus ille respondit ingenio admirabili, quæ adhuc leguntur apud Auctores.

Quidam inducit lyram sic loquētem de se ipsa:

Viua fui in syluis, tum dura occisa securi.
Dum vixi tacui, mortua dulce cano.

Potest applicari in bonam partem Monacho, & Eremitæ hic in silentio viuenti, qui deinde in cælis dulce canet in laudem Dei per ęternitatem. nam *exaltationes Dei in gutture eorum*. vel ijs, qui dum viuerent in sæculo, nondum mortui mundo; (nam religiosi vocãtur mortui morte ciuili. vnde & in professione iacent ante altare vt mortui) quasi lignum nōdūm excauatum in lyrā, abstinebant à cantu, & à lætitia animi: at mortui, scilicet effecti Dei serui, in hymnis, & instrumentis musicalibus Deum diu, noctuque laudant, quasi lyra, ventre per ieiunia vacuo.

Applica ijs, qui viuentes in silentio sunt, ignoti scilicet & absque famæ sonitu vllo; at post mortem sonum edunt per miracula, vel per librorum sapientiam. nam *Maius ab exequijs nomen in ora venit.*

Celius Calcagninus in dictis moralibus, inquit: Hoc vno silentium orationi præstat, vt si quid tacueris, rursus effari possis. at si quid elocutus es, id silētio relabi non potest. ita raro tacuisse nocet, nocet esse locutum.

3. Idem Calcagninus in quodam suo tractatu de silentio Silentiū describens, facit ipsum esse hominē plenum oculis, & auribus sed ore carētem. vt intelligamus, eū qui tacuerit, ob vnicam linguā, quam videtur amittere, centum oculos, & centum aures acquirere, hoc est, ipsum centies magis oculatum fieri, atque sagacem homine loquaci, imo & centies magis sapiētem nam sapientia, & doctrina per eas ianuas solet intrare, præsertim ratione lectionis, & auditionis, quæ ijs sensibus exercentur, sicut è contrario eadē sapientia per os solet potius à nobis exire, quā in nos intrare. Italicè (a) *il taciturno à cento per cento impara più del cicalatore.* (a) Tacens, cētum in centum lucratur prægarrulo & loquaci.

Qui vult etiam tenuem percipere sonum, & longè dissitum à se; ipse silet, & in loco silentij se collocat. Ideo silentium, & prudentia noctis comites sunt. & Græci, vt Calcagninus supra ait, vocarunt noctem prudentiæ matrem; quia in nocturno silentio mens cogitans prudētior fit. Silentium tribuitur nocti, & nocturnis Sideribus. vnde Poëta 2. Æneid. 2. Æneid. dicebat naues Græcorum *per amica silentia Lunæ*, venisse ad littora Troiæ. Ideo sapiens in silentio suo videtur quasi cælum nocturnum plenum oculis tacitè contemplans omnia, & super ea vigilans quasi Argus. Lam. Lamb. 3.

3. Se-

3. *Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit super se.* Plures è Latinis Rupert. Hugo, Lyranus, & alij legebant, *leuauit se super se*, quasi diceret factus est velut Cælum nocturnum, vt supra. Ideo Iacobus cap. 1. coniungit hæc duo, *Velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Os porta est, vt ita dicam, oculi verò, & aures fenestræ. at *Sapientia lumen, quod lucet nobis, sicut lumen est; ita non solet ingredi per ianuã, sed per fenestras.* Ideo etiam D. Thomas cum semper sileret, & plenus oculis ac auribus esset; *bos mutus* appellabatur à condiscipulis. at Albertus Magnus eius præceptor, vt est in vita D. Thomæ, vos inquit, bouem mutum hunc appellatis; sed bos iste talem edet mugitum, qui in toto orbe exaudiatur.

Iacobus cap. 1.

Lumen nõ solet ingredi per ianuam, sed per fenestras.

2. *Pueris aurium ligacula imponenda, ne turpia audiant.*
3. *Linguam nullus hominum domare potest.*
4. *Breuiloquium Laconum. Alij nutibus loquebantur, vt silentio viciniores essent.*
5. *Garruli vasa rimis plena.*

1. XENOCRATES, vt ait Calcagninus tractatu de silentio, iubebat pueris imponi aurium ligamina illa, quæ focalia dicebantur, quibus athletæ vtebãtur. imponi inquã pueris potius quàm athletis, ne audirent turpia, quæ postea loquerentur. Ideo inquit idem auctor ibi, prisci osculabantur puerulos in auribus non in ore, vt ostenderent salutem ipsorum in obturatione aurium sitam esse. Italicè (a) *bisogneria si ponesse la musarola à i padri, co'si hauerian il guarda orecchie i figliuoli. bisogneria, che ò li grandi fossero muti, ò li piccoli sordi. Li padri, e li domestici son i primi à dar, come si dice, il Latino à i fanciulli del mal'esempio di parlar male nella Grammatica di Christo, e poi si prendon grand'. affanno à farche i maestri dian loro i Latini per parlar bene secundo la regola di Donato, ouer la Grammatica.* Ibidem Calcagninus ait: digitus index vocatur *salutaris*, eò quòd cum per illum ori impositum significetur silentium, simul ostendatur silentium ipsum esse rem salutarem. (b) Ierem. Lament. 3. 26. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.*

(a) Oporteret patribus indere oris frænum siue linguarium: ita filij haberent aurium munimẽta. Vtquè aut maiores natu inuiti essent, aut paruuli surdi. Domestici primum malè instruunt pueros in Grammatica Christi: vnde fit vt sæpe parum proficiãt in Grammatica Donati Verepæi. (b) *Ierem Lament.* 3. 26.

Ait Calcagninus ibidem sapientem olim dixisse: Barbarorum conclamatio est, Græcorum silentium. allusit vt puto, vociferationi, quâ barbari prælia incipiunt, vt legimus apud Historicos. Digitum, qui vocatur index, diximus ex Calcagnino vocatum fuisse salutarem, quia in silentio, per illum ori applicatum significato, inest salus. id autem intelligitur de silentio, & obturatione oris, quæ opportunè pro exigentia temporis, & loci. Addere possumus salutem quoque corporis, & animæ inesse in eodem digito ori imposito, hoc est in oris obturatione ad cibum oportuna, vel etiam in conformatione, & vnione operum ad verba, vt iuxta ea quæ dicimus bona, seu prędicamus, ita operemur. digitus enim ori impositus significat prædictam etiam concordiam oris ad

ad opus. in qua re etiam sita est salus nostra. Salus ergo sita est in triplici silentio, scilicet à verbis, à cibis, & à discrepantia verborum ab operibus. Bonum ergo est præstolari cum toto hoc silentio salutare Dei. *Dum medium silentium tenerent omnia*, &c. *Omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit.* mundus ergo cum silentio expectauit Salutare suum.

3. Duæ litteræ istæ, scilicet. St absque vocali aliqua (in quibus, & per quas fit sonus, vnde & à voce vocales dicuntur) silentium indicebant apud priscos, vt testantur auctores passim. attamen cum duæ litteræ sufficiant ad silentium exposcendum, vix libri integri sufficiunt ad ipsum persuadendum. Cum digitus vnus, scilicet ori appositus silentiū exigat; sæpè nec vtraque manus, nec gladius silentium impetrat. Sæpè potuêre homines occludere magna fluminum ora, vel hiatus terræ ingentes; cū tamē ora exigua hominum nequeant obturare. nam *linguā nullus hominum domare potest.* Ora loquacium, & maledicorum videntur exigua, & exiguo bolo repleri, & obturari posse; at dico ea maiora esse quam infernus, vel etiam cælum. nā neque per huiusmodi bolos possunt occludi, hoc est cōminatione illius, & promissione istius. Dicamus ergo, *linguam nullus hominū domare potest.*

4. Interrogatus Lacon, cur sui breui sermone vterentur? quia, inquit, vicinior est silentio. vnde ad epistolam prolixam Philippi patris Alexandri responderunt: De his, quæ à nobis postulas, *Non.* Sed addit Calcagninus in eodem tractatu de silentio, nationes quasdam Lacones in hac parte vicisse, eò quòd nō contentæ breui sermone, solis nutibus vterentur ad colloquendum, vt etiam silerent in ipso colloquio.

5. Plutarchus in libro de garrulitate ait: Alij sermones continent. garruli autem pleni sunt rimarum, & perfluunt. deinde tāquam vasa mente cassi, sono pleni, obābulant. Quid est pleni sunt rimarum, nisi dicere quod pleni sunt oribus, & linguis ad effuriendum quidquid intus retinebāt? ergo quod duabus auribus hauriunt, id centum oribus effundunt, centum linguis. ideo dicitur *vir linguosus non dirigetur in terra.* linguosus vocatur, vt aliqui concionatores obseruant, quasi multis linguis armatus designetur. Italicè dici potest (cum per rimas effundat quasi per ora) *le bocche di costui non son bocche, ma buchi.* id est, non tam sunt ora, quàm rimæ vel foramina. vnde ijs non loquitur, sed effundit. nam stultus, vt dixi, *effundit totum spiritum suum.* Deus vnum os illi effecit, diabolus addidit centum: sed pro oribus rimas potius, & foramina. imò vulnera, vnde animæ sanguis, & spiritus vitæ ipsius animæ effunditur, quando ex maledicentia grauiter peccat. vnde etiam hoc modo *effundit totum spiritum suum.* multò magis spiritum deuotionis, & affectum per loquacitatem hanc amittit, & effundit. Eccli. 19.

Addidit ibidem Plutarchus: *In eo infelices sunt, quod neque audiunt, neque audiuntur, sermonis finis est, vt fidem faciat audientibus: nemo autem fidem habet loquacibus, etiamsi vera loquan-*

loquentur.ſic ibi Nō audiūt:quia quis liquorem ſuarum cogitationum in vaſa confracta, & plena foraminibus inferet? quis vel aquam ſuam in vaſa,& dolia perforata immittet? Addit:*quod eſt in corde ſobrij,id eſt in lingua ebrij. Dicendi magiſtros habemus homines;tacendi Deos.*ita Plutar. Cur quod in corde ſobrij eſt &c.quia vt eſt in Eccleſiaſtico.21.29. *In ore fatuorum cor illorum,& in corde ſapientum os illorum.*

Eccleſiaſtico 21. 29.

Venuſtè luſit, & acutè Italicus Poëta in imaginem loquacis,cuius Poëtæ gratiam in hoc non alia quàm eius verba rectè exprimenti:

Pittor, che'l piu loquace
Fra i più loquaci,in vaga tela hai finto;
Per dipinger lo ben, l'hai mal dipinto.
All'effigie viuace
Non manca altro che ſola
La voce, e la parola.
Garritor importun, noioſo, e graue
Fuor che lingua, e parole altro non haue.

Id eſt: O pictor, qui loquacium omnium loquaciſſimum in tabula depinxiſti: Volens illum benè depingere, malè expreſſiſti. Nam tabulæ quidem tuæ nil præter vocem deeſt: at garrulus importunus ac moleſtus, nil præter vocem habet.

2. *Fures, & homicidæ ſæpè ſilentium ſeruant magis quàm religioſi.*

2. ITEM alius Poëta noſter ſic de ſilentio cecinit, *Mancati quei Filoſofi,e quei Santi, che lo ſolean tener per camin dritto, dalli ſanti coſtumi,ch'hauea inanti fece alle ſceleraggini tragitto. comincio andar la notte con gl'amanti: indicoi ladri à fare ogni delitto. molto col tradimento egli dimora: veduto l'ho con l'homicidio ancora.* Defunctis Philoſophis, & Sanctis illis ſilentio deditis,tranſiſſe, inquit Poëta, ſilentium ad ſceleſtos, cum amatoribus,cum furibus, atque homicidis noctu incedere cœpiſſe,ſimulque cum proditoribus. Si ergo nos ſerui, & ſeruæ Dei, præſertim religioſi,& religioſæ ad cælum conſequendum, ſilentium non ſeruamus,confundet nos Dæmon in die Iudicij oſtendens nobis plurimos latrones,adulteros proditores,magnos ſilentij obſeruatores. Vt ita dicam,ſurgent in Iudicio fures amatores turpes,fraudulenti, ſicarij, & condemnabunt nos, quia non facimus ad conſequendam gloriam, quod illi præſtant ad obtinendam perditionem. Poteſt dicere Deus. Rom.10 19 Ego *ad æmulationem vos adducam in non gentem,in gentem inſipientem.* Tam ſtrictè ſeruant ſilentium aucupes, vt auiculas capiant; piſcatores,vt piſciculos captent; vt ne quidem ſpuere,aut ſe mouere audeant,ne præda aufugiat:& nos vt aues, & piſces tam magnos,nempe beatitudinem æternam, & Deum ipſum capiamus, non poterimus ſilere? Ad æmulationem vos adducam in non gentem,in gentem inſipientem.

Rom.10. 19.

3. *Ante tempus docentes ſunt pulli, qui adhuc in cortice oui dicuntur pippire.*

3. PLINIVS lib.10.cap.53.dicit pullum gallinæ,poſtquam

Plin' lib.10.cap. 53.

per viginti dies mater ouo incubauit. in ipso ouo adhuc existentem incipere pippire. tales sunt qui, vt ita dicam, necdum nati, & ex cortice oui egressi (Italicè *ancora non vsciti dalla guscia*) pippire incipiunt: hoc est, nondum manu ferulæ subtracta, adhuc imperiti, aut imberbes, tamen loqui præsumunt in cœtibus virorum, aut fortasse etiam docere, & suam sententiam proferre.

Qui autem homines sunt; non solum in ventre matris non loquuntur, sed neque id præstant in infantili ætate: imo diu addiscunt paulatim sermonem humanum. Dic ergo, insipientes, & præsumentes de se esse, quasi pullos, hoc est, in anticipatis sermonibus modo paulò ante explicato: sapientes verò esse velut homines, & ideo nō loqui nisi in tempore suo, & in ætate, ac scientia sufficienti, postquam diu didicerint loqui, & disserere inter viros, præsertim autem quasi magistri. Ecclesiasticus 18.19. *Ante iudicium para iustitiam tibi, & antequam loquaris disce.* Ecclesiasticus 18. 19.

4. *Loquaces malunt remigare in triremibus, quàm silere.*

4. GEVARA Episcopus Mondognetti in Epistolis dicit, Lydos populos legem habuisse, quâ loquaces cogerentur vel ad aliquod tempus silere, vel remigare in triremibus. & Plutarchus ait apud eundem auctorem, multos maluisse per triennium remigare, quàm vnico anno silere in ciuitate. Apud nos malunt damnari ad triremes longo tempore, quàm morte puniri: eò quòd mors sola videatur deterior illo supplicio. at quia loquaces putant silentium sibi esse quasi mortē, iuxta illud Ecclesiastici. 19. 12. *Sagitta infixa femori carnis sic verbum in corde stulti*; tot sagittis perpetuò configitur in corde, quot verba, siue res cogitur intra se retinere, & reticere. ergo silentium est illi non vna mors, sed plures. imo non tantum mors, sed vt ita dicam est illi infernus. nā infernus perpetuam infert mortem: & cum loquax semper plures ex sagittis illis cōfixas habeat in se; semperque moriatur, nisi loquatur quæ nouit; infernum quemdam patitur, & per passionem vnius inferni aliquando lucratur alium infernum. Vel ex loco citato Ecclesiastici colligere possumus quàm molle, & potius aëreum, ac vanum sit cor loquacis, quòd verba ei sunt pro iaculis. verba enim prolata aërem penetrare solent, & per ipsum deferri ad aures audientium. Ecclesiastici. 19. 12.

2. *Silentij difficultas. Quidam elingues in bono, in malo eloquentes.*

3. *Silentij amatores dominantur loquacibus.*

4. *Iustus cælum est, non debet cælum loqui verba inferni.*

2. GEVARA Episcopus Mondognetti in Epistolis ait, cum Rhodienses olim petijssent ab Epaminunda pictore, vt ipsis aliqua ex ijs, quæ in peregrinationibus suis viderat, siue expertus fuerat narraret; ait: Ego duobus annis nauigaui, vt artem piscandi edifscerem; sex in Asia consumpsi, vt apprehenderem picturæ facultatem; octo Athenis

thenis expedi vt silere discerẽ. Congruit his quod de Abbate Papho in Patrum historijs habetur, qui cum quemdam rogasset, vt ipsum legere doceret; cum peruenisset in Psalterio ad illud Psalmi 38. *Dixi custodiã vias meas; vt nõ delinquam in lingua mea;* hic, inquit, sistamus: nec vltra procedere voluit. magnũ inquit, hoc est, & si id perfecero valde doctus fiam.

Psalm. 38.

Si quis indoctus, & stupidi ingenij homo præter morem suum facundè loquatur; apud nostrates ex quadam vulgi fabulosa superstitione, vel parœmia dicũt noctem esse Epiphaniæ, in qua bestiæ loquuntur. Certè ignaris, & fatuis, maximè improbis hominibus nomen brutorum vulgò tribuitur. Huiusmodi ergo rudiores, & improbi, qui, tanquam bruta, loqui non norunt; aliquando, si ad malè loquendum de proximo descendant, facundissimè id faciunt, & ex brutis repente homines eruditi fiunt. Hi sunt fratres serpentis, qui erat in Paradiso terrestri. hic enim sermone omnino carebat; at diabolus in eum ingressus est, vel illo vti cœpit; vt adfuit tempus, siue occasio iniqua loquendi; scimus quam eloquens fuerit. & ea occasione elapsa numquã loqui valuit. Ita imperiti isti, quia sapientes sunt, vt faciant malũ; benè autem facere nescierunt; cùm prius neque os aperire possẽt, statim ac diabolus in eos per malitiã ingressus est, statim ac occasio se obtulit iniquè loquendi (verbi gratia seducendi mulierẽ aliquam, vt serpens Euam, & eam ad peccatum pertrahendi, promittendo illi, quod erit sicut Dea; quod eam ducet in vxorem, quod plurima ei donabit, &c. vel vt se obtulit occasio alia lædendi proximũ, subito facundi fiunt: aliàs omnino elingues.

Qui temerè loquuntur, antequam cogitent quæ locuturi sunt, similes sũt puero ab Eliseo suscitato 4 Regum 4. de quo ibi dicitur, *Oscitauit puer septies, aperuitque oculos.* septies aperiunt ora, septies loquuntur, antequam semel aperiant oculos ad discernendum quid loquantur. Vel, semel tantum aperiunt oculos, cum septẽ vicibus aperiãt ora. Vel: modò sæpè aperiunt ora in fine autem vitæ, vel in inferno aperient oculos. Similes diuiti Epuloni, qui torquebatur præsertim in lingua, quã inquit Chrysologus maledixerat pauperi hoc Lazaro, & in qua eum peccasse putat Gregorius. in inferno autẽ dicitur eleuasse oculos, & vidisse Lazarum, &c. quia vt Greg. ait, *oculos, quos culpa claudit pœna aperit.* Aperiunt etiam ora, & deinde oculos; quia (a) *parlano, e poi pensano.*

4. Regum 4.

(a) Primum loquuntur, deinde cogitant.

3. Saturnus, symbolum est silentis hominis, vulgò dicimus, *egli è Saturno,* Saturnus est, id est taciturnus. hic autẽ in planetis supremum in situ obtinet locum, Mercurius verò penultimum. quia qui silet, in eius silentio & patientia ferè se ̃per reperitur superior & dominus, præsertim supra loquacẽ. qui per loquacitatẽ suã se inuenit deuictũ, & inferiorem patiente, & tacente. (b) *Vn paio di buone orecchie stracano (cioè vincono) cento lingue,* sic vulgò dicitur. Aquila non garrula est, at regina est, & lo ̃gè præcellit graculis, & cicadis. *In silentio & spe est fortitudo nostra.* si

(b) Vnum par auriũ fatigabit, ie: Vincet centũ linguas.

forti-

fortitudo, ergo & victoria, ergo
Prou.14. 23. & supereminentia. Prou.14. 23 *Vbi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Si egestas, ergo & ignobilitas, & infimus locus, Sed antea ait, *In omni opere erit abundantia: vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Cur opposuit operationem verbositati? quia vbi silentium, ibi opera, ibi opes, & consequenter ibi nobilitas, & præstantia super verbosos, & pauperes. id intellige de supereminentia tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, siue de diuitijs vtriusque generis. Adde Saturnum super planetas omnes stare, quia per silentium, & patientiam, atque grauitatem animi, per Saturnũ senem, & tardi motus planetam, significatam, vincuntur passiones animæ quæ per Sidera cetera errantia denotantur, vt ira per Martem, libido per Venerem, inconstantia per Lunam, &c. in silentio igitur, & spe erit fortitudo nostra.

4. Verbum otiosum iuxta D. Hieronymum est quod absque loquentis, vel audientis vtilitate profertur. at iustus est cælum. nam *anima iusti sedes est sapientiæ*, quæ etiam ait, *cælum mihi sedes est.* quod argumentum est D. Gregorij. at cælum non inuenitur fuisse apertum, nisi ex magna & vtili causa. ita ergo iustus non debet os aperire absque simili ratione. Vulgatum est apud auctores hominem esse mundum exiguum, siue imaginem, & compendium mundi, mundum abbreuiatum: caput rotundũ, cælum in ipso esse; in quo duo lumina Solem, & Lunam repræsentant, sed cum dicitur cælum quasi os suum aperuisse, numquid vox inferni inde audita est? legitur quod *Cæli aperti sunt super eum, & vox Patris intonuit.* Portentum ergo est, si, dum cæleste os aperitur, scilicet os hominis, & præsertim iusti; audiatur vox infernalis. talis enim est illa, quæ peccatum est, licet tantum veniale foret.

2. *Homo castrum est obsessum, cautè ostium oris aperiat.*

3. *Loquendum & silendũ opportuno tẽpore. præcipitatio linguæ vitanda.*

2. HOMO castrum est vndique obsessum ab hostibus, & dicere potest illud Psalmi, *Inimici mei animam meam cricumdederunt*, at castrum huiusmodi sic obsessum numquid ianuam aperit absque magna necessitate, vel vtilitate? Obserua simul quanta cautione & timore in casu simili apperiatur ianua prædicta, & cognosces quanta cum consideratione, & formidine iusti viri aperiant os suum, ad loquendum. sciunt enim quod via hostium, est ostium etiam in sensu nostro, hoc est os & quod Prou.13.3. *Qui custo-* Prou.13.3.
dit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala. qui nimirum inconsideratè ostium aperit in obsidione positus, facilè ab hostibus ingredientibus damna patietur.

3. Ecclesiastes 3. *Tempus tacendi & tempus loquendi.* silentium enim & lo- Ecclesiastes 3.
cutio, si sunt continua, non sunt discreta: hoc est enim aliquando, quod homines decipit. Mutus erat quidam apud Lucam cap. 11. sed silen- cap. 11.
tium

tium hoc erat à dæmonio. *Erat Iesus eijciens dæmonium. & illud erat mutum.* Alius Lucæ 4 33. loquax & clamosus erat; *Exclamauit voce magna dicens, sine. quid nobis, & tibi Iesu Nazaren? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sãctus Dei.* at loquacitas hæc etiam à dæmonio. Ideó curandus fuit vterque morbus. eiecit dæmonium illud. & locutus est mutus. huic etiam dixit, *obmutesce, & exi ab eo.* Tacent quidã, cum tempus est corripiendi peccantes domesticos suos, filios, seruos, vel proximos dæmonis est hoc silẽtium. Non tacet alius, sed vociferatur contra eosdem domesticos, contra proximos, ob leuem causam cõtumelijs eos onerat. dæmonis est hæc loquacitas. Si Dei gratia eijciet ab illis dæmonium, loquentur muti: si eijciet ab hoc, silebit loquax. Luc. 4.33.

Psal. 51. Psal. 51. *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.* linguosi & improbi hoc proprium habent, vt præcipites, ne dum veloces sint ad loquendum, præsertim mala: cùm Iacobus probum virũ velit esse tardiloquum, *velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum:* quod de tarditate ad ineundum sermonem, & etiam ad prosequendum potest intelligi, hoc est, de tarditate ex prudentia procedẽte. Ita cùm Æsopus linguã nobiliorem & meliorem, ac etiam deteriorem ceteris partibus corporis pronuntiarit esse; ad hoc alludens quidam cecinit de præcipitatione improbæ linguæ:

Humano membrum non est in corpore linguâ
Nobiliusvè bonâ, mobiliusvè malâ.

Improba hæc lingua velox est vt forfex in manu veterani tonsoris ad tollendas comas famæ proximi: & simul garrula est velut eadẽ forfex, quæ tanta celeritate mouetur.

AMOR IN DEVM.

2. *Agnoscitur amor in paßione pro amato.*
3. *Flagella pro Christo sunt litteræ testimoniales, quod eiusdem sumus.*
4. *Apostoli quasi campanæ percussæ per passiones adduxêre plures ad Ecclesiam.*
5. *Agere & pati sunt Prædicamentum substantiæ in Logica Dei.*

2. D Galat. 6. *De cetero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto,* exponunt Doctores communiter de vestigijs plagarum, quæ acceperat propter Christum, alij etiam de ijs flagellis, quæ sibi ipsi inflixerat. in qua re suum in Iesum amorem ostendit, cui etiã in hac parte voluit assimilari. Alex. ab Alex. 1. Genial. cap. 27. refert, Quorumdam Æthiopum Regem habere aliquos amicos, seu domesticos, qui si rex, verbi gratia oculum amitteret, vel claudus fieret, aut aliud tale pateretur, statim & ipsi se tales exhibebũt, exoculatos scilicet, claudos, &c. & tandem illo mortuo & ipsi mortem sibi inferebant, in qua re se ostendebant esse amicos, vel de familia ipsius regis. Sic Anselmus illum locum Pauli explicat, *ego enim stigmata Domini Iesu, &c. Ego sum de familia Christi Domini: ego sum de militia Regis æterni* vbi vult al- Galat. 6. Alex ab Alex. 1. Genial. cap. 27.

ludi ad Romanos milites, qui impressa gestabãt in manibus insignia suorum Ducum, vnde sciretur ad quem pertinerent.

3. Vide magnum Dei amorem in te, cum propter ipsum flagellaris. Quantus honor D. Francisco ob stigmata Iesu Christi? at tu si flagella, siue verberum, siue tribulationum tibi inflicta, vel sponte suscepta æquanimiter feras propter Christum; alter Fräciscus in hac parte, imo alter Paulus quodãmodo dici potes, & stigmata Iesu in corpore tuo, vel in corde te portare. nam Paulus nõ solum potuit dicere prędicta de flagellis illatis sibi ab inimicis, sed etiã à se ipso: vt ait Fernãdius de Visionibus Veteris Testamẽti, colum. 60 ne diceres eum tantum habere ea stigmata, quia propter fidem ea passus est.

Veniet aliquis ad nos suadens nobis hoc, aut illud: dicetque se in eã re agere ex commissione Principis: & tandem quia nos vix acquiescere possumus ad credendum illi, veste ante pectus laxata, ego, inquit, ostẽdam vobis ipsius regis litteras, quæ vulgo vocãtur *lettere di credenza*, hoc est litteræ fidei, quod si res sit Pontificia, ostẽndit bullas in carta ouina. Sic Apost. loco citato, quia fortasse aliqui tardi erãt ex Galatis ad sibi credendum, quod erat verus Christi nuncius & vera prædicaret; post multa adducta ad persuadendum, ait: *De cætero, nemo mihi molestus sit*, &c. vt supra, vbi Theodor. *Non amplius inquit, ad vos scribam, sed pro litteris vibices ostendam, & plagarum signa. ea veritatis prædicationi testimonium ferant.* quid est hoc, nisi quasi discindere vestem ante pectus, & extrahere litteras fidei ipsius Principis? quid enim sunt litteræ nisi paginæ characteribus alicuius impressæ? characteres & stigmata quid differunt, nisi quod in duriori materia (quasi paginâ) imprimuntur ista, quàm illa? discindit, vt ita dicam, vestem ante pectus, & ostendit cicatrices acceptas, characteres sui Principis, hos enim ille infligit in filios, vt fidem faciat suos filios esse, quia *flagellat omnem filium, quem recipit*, Hebr. 12. Ostendit ille tibi bullas Pontificis, & statim credis. vibices plagarum vulgo apud nos *bullæ* appellantur, & sunt bullæ Pontificis, id est Christi, *stigmata Domini Iesu*. Vide ergo quantum probent Dei amorem in eum, quem flagellat. sed istæ litteræ probant si sint in pelle ouina, & non probabunt in humana? imo non probant nisi in ouinâ. nã nisi sint in oue, scilicet in patiẽte, in iusto, qui ouis est Christi; non probãt flagellatum esse Dei filium, & ab eo dilectum & ipsum esse Dei dilectorem. nam *qui diligit me, diligetur à Patre meo*. Hebr. 12.

Ita de Paulo vel simili flagellato potest dici, quod est epistola Christi scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui. Spiritus enim sanctus amor est, & illa sunt stigmata amoris, litteræ Christi, & Spiritus sancti, litteræ sunt à Deo ad nos directæ. vide ergo quantæ æstimationis, & fidei sit littera, seu epistola stigmatum à Christo impressorum in nobis: vt non scriptura apocripha, sed quodammodo scriptura

tura canonica sit, & epistola fidei, *epistola di credenza*. & sicut, cùm quis cunctatur ad credendum, vt obstruamus ei os, post multa venimus ad Scripturas fidei & canonicas; ita & Paulus, quasi dicens, Si nō sufficiunt verba, veniemus ad verbera, scilicet ad ostendenda hæc stigmata: ad ostēdendas has Scripturas, quasi canonicas, & epistolam fidei, vt credatis me esse Dei amicum, & cetera.

Plus aliquando in prædicatione suadet habitus, quā monachus: plus scilicet patientia, quàm frater (alluditur ad eam indumenti partē, quæ vocatur *patientia*, sed simul ad patiētiam veram.) Persuadet habitus, scilicet rigidus, & asper. & cum apud nostrates sermo, seu concio ad populum habita soleat appellari actio (vt etiam dicunt Demosthenē dixisse actionem esse maximum in oratore, hoc est pronuntiationem) ideo dicendum videtur, plus persuadere passionem, quàm actionem. ideoque Apostol. iuxta Theodoret. aiebat, *Non amplius ad vos scribam, sed pro littteris vibices ostendam*. quia id quod magis persuadet, est agnosci ab auditoribus pro verò Dei amico, quod per passiones probatur.

Audi parabolam, seu narrationem ad rem nostram faciētem. Dolebat aliquando concionator pinguis, & delitijs deditus, quod quamuis eloquētior esset quodam alio eodem tempore prædicante, tamen minus illo audiretur. cum autem hic secundus esset homo macer, & pœnitentiæ deditus, ideo plus audiebatur, & proficiebat. dolenti ergo priori dictum est, An miraris minus audiri cōciones Bacchanaliū, quàm Quadragesimæ? notauit differentiam vtriusque concionatoris, ratione crassitiei, & macredinis, delitiarū, & pœnitentiæ. Adeo fidem faciunt Scripturæ talium stigmatū, hoc est pœnitentiæ & patiētia prædicantis; vt sæpè iste fidem fecerint Scripturis verè diuinis, & ipsimet fidei prædicatæ. asserunt enim graues auctores, multos infideles, qui nec per miracula credebāt, visa patientiâ mirabili primorum Patrum prædicantium in perferēdis iniurijs, & malis, conuersos esse ad fidem. iure igitur Paulus iuxta Theodoretū, *Non amplius ad vos scribam, sed pro litteris vibices ostendam*.

4. Voluerunt nostri sacerdotes inuitare gentes ad Ecclesiam suam, & ad Deum adorandum adducere. id præstiterunt, & præstant per cāpanas non humi iacentes, sed à terra super turres eleuatas, & seipsas percutientes, dum sonitum edunt. Eodem pacto Deus gentes adduxit ad Ecclesiā suam, & ad fidem mediantibus viris Apostolicis quasi campanis eleuatis à rebus omnibus terrenis, & voluptatibus, & sua passione & patientiâ tum asperitatis vitæ, & flagellorum, tum omnium tormentorū, percussione verberatis. Sic Apostolus aiebat, *Castigo corpus meum*, &c. *ne fortè cum alijs prædicauerim*, &c. & sic illū alij imitabantur, & imitātur modo qui feruentes sunt. & sic Apostolus loco, citato ad Galat. volebat quasi cāpana percussa illos trahere ad Ecclesiā. *Non amplius ad vos scribam, sed pro litteris vibices ostendam.*

In vita Francisci Xauerij à Turſellino conſcripta legitur, quod cum ille aliquando hortaretur quendam peccatorem ad agendam pœnitentiam, & ille ſurdum ſe præſtaret eius monitis; vir ſanctus arrepto flagello ſe ipſum pro eo cœpit acriter verberare. qua re ille commotus & compunctus, fecit quãtum volebat. Ecce tibi campana ſe percutiens quantum ſonitum edat, & quomodo audiatur & ad bonum ducat. ecce tibi quomodo magis docet ferula quam magiſter. ergo *pro litteris vibices oſtendam*. concluſio ſit, ex flagellatione, valde agnouiſſe peccatorem illum Xauerij amorem in Deum, & ideo emollitum eſſe.

Vide quot Scripturas euoluat, quot conceptus effundat ille prædicator, quantam doctrinam proferat. attamen iſtæ litteræ ſæpè parum, aut nihil efficiunt, iſtæ inquam doctrinæ parum proſunt. veniat ergo & dicat, *Non amplius ad vos ſcribam*, quaſi dicat, non vtar litteris & doctrinis, *ſed pro litteris vibices oſtendam*. hæc dicta ſint, vt diſcamus magis ſtudendum pœnitentiæ, quàm doctrinæ in concionando, non quód etiam doctrina non ſit adhibenda. imo de his rebus vnitis vſurpari poterit illud *Flagella, & doctrina in omni tempore ſapientia*.

5. Prædicamenta ita dicta ſunt apud Logicos quaſi ea, quæ prædicantur: licet apud eos prædicatio varia ſit ab hac noſtra. in ijs ergo Prædicamentum Actionis, & Paſſionis ſunt ex vltimis, & ex minimis in numero aliorum. at in Prædicamentis Amoris ſiue prædicationis Chriſtianæ, id eſt, inter ea, quæ prędicantur in his rebus, Actio & Paſſio, ſeu Agere, & Pati, ſunt Primũ, & principale. nam ſi, vt dixi, vis prædicationis potiſſimum in eo cõſiſtit, quòd prædicator agnoſcatur amans Deum: certè vt ait Gregor. *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis*.

Imo addo, quod in his Amoris Prędicamẽtis *Agere & Pati* ſunt Subſtantia, hoc eſt Prædicamẽtum ſubſtantiæ, quod in illis eſt primum. Vnde enim dicitur ſubſtantia niſi à ſubſtando, quòd ſubſtet omnibus accidentibus, & firma ſit ad ea ſuſtinẽda? an ignoratis apud noſtrates, pericula & varios euentus bonorum & malorum, ſed præcipuè malorum vocari *accidentia & caſus*? Amor ergo verus habet Agere & Pati pro ſubſtantia; quia hæc duo in amante firma manent contra omnia accidentia. Audi amantem operantem, & patientem: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames; an nuditas?* &c. Agere & Pati ſunt ſubſtantia, hoc eſt ſunt ſumma rerum, & à quibus velut à ſubſtantia reliqua depẽdent in amore. duobus verbis id explicare videtur Apoſt. dum ait: *Charitas patiens eſt, benigna eſt*. hæc duo primum poſuit quaſi inter Prædicamenta amoris, ſcilicet inter ea, quæ de amore prædicare parabat, quaſi ſint ſubſtantia, à quibus alia pendent. deinde proſequitur alia, *charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur*, &c. benignitas pertinet ad benefaciendum, & ad facienda alijs bona: patientia, ad perferenda ab alijs mala, iuxta illud *Bona facere & mala pati*.

Ipſe-

Ipſemet Chriſtus (quem Paulus in hoc videtur imitatus) cùm paucos ſua prædicatione conuertiſſet, reſpectu eorum, quos poſt mortem conuertit; tandem per Paſſionem ſuam quaſi facto ſilentio, velut campana ingens in altum per Crucem eleuata (ſe enim ſerpenti æneo comparauit exaltato à Moyſe) & agitata funiculis charitatis, adeo pulſata eſt & verberata per Paſſionem, vt per hoc traxerit ad Eccleſiam ſuam omnes gentes. *Ego inquit, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Quomodo id effecit, niſi ſtigmata accipiendo, portando, & oſtendendo? efficacia ipſa prędicationis Apoſtolum conuertendi gentes vnde orta eſt, niſi ex plagis, & Paſſione Chriſti? ſic igitur etiã in prædicatoribus efficacitas verbi (ſecundum aliquam ſimilitudinem cum hoc facto Chriſti) pendet ab ipſa Paſſione & Stigmatibus Chriſti in ipſis impreſſis per flagella pœnitentiæ, vel alia talia propter Chriſtum ab ipſis perpeſſa.

2. *Deus omnibus anteferendus.*
3. *Amor numquam otioſus, ſicut nec mors.* Fortis eſt vt mors dilectio. *explicatur variè.*
4. *De Catharina Genueſis amore in Deũ.*

Didac. Vega. fer. 6. Domin. 4. Quad. 2. DIDACVS Vega. fer. 6. Domin. 4. Quadrageſimę refert ex alijs Scriptoribus, Æneæ Troiâ captâ optionem datam, vt quod ſibi chariſſimum eſſet, id ſecum auferret. ille Deos tulit ſecum. factâ ei nouâ poteſtate aliud auferendi, tulit parentẽ. facta tertia facultate aliud aſportandi ſeu ducendi ſecum, amicos inde deduxit. ſic Vega. ſed, vt cum Virgilio ſentiat, vxorem abduxiſſe potius dicere forſitan debuit. Primo ergo diligendus Deus. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus, & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Ideo Cant. *Ordinauit in me charitatem.*

Quidam citant Chryſoſtomũ dicentem, qui amat Deum ob ea, quæ ab illo recipit, amat eum, velut amat bouem ſuum, eò quòd fundum ſibi aret. intellige, ſi tãtum amat ob beneficia. (a) *tratta Dio da bue.* (a) Deus pro boue habet aut cum Deo agit tanquam cum boue.

3. Cant. 8. *Fortis eſt vt mors dilectio.* quia charitas non agit perperam, & verus amor numquam otioſus eſt. nam vt Gregor. ait *proba io dilectionis, exhibitio eſt operis.* at mors numquam eſt otioſa: ſemper operatur: numquã feſtum diem agit neque diebus Dominicis, neque in Natiuitate Domini. Semper ferit, numquam feriatur. eſt ſoror ſomni, imo & ſomnus in Scriptura dicitur, & tamen ſemper eſt ſine ſomno. Vt nos dormire faciat, numquam ipſa dormit, ideo *fortis*; quia numquam laſſatur. Ita *dilectio fortis vt mors*; quia numquam laſſatur bene agendo. *Cant. 8.*

Fortis eſt vt mors dilectio: ſicut enim mors vitam carnalem, & ſenſus omnes corporis extinguit, & facit hominem viuere tantum animâ, & ſpiritu velut Angelum, neque reſpicere ad corporis illecebras, & non amplius moueri concupiſcentia rerum terrenarum: ita amor Dei quodammodo hæc omnia præſtat in eo, quẽ plenè occuparit. quaſi enim Angelũ abſque carne hic eum cæleſtem vitã degere facit, repudiatis carnis operibus.

bus. vnde talibus dicendum, *mortui enim estis*. ergo *fortis est vt mors dilectio.*

Mors corpus, quod tam speciosum, & delicatum videbatur, vilissimum in lutum, & cinerem, ac vermes redactum, ipsi animæ, cuius erat, abominabile reddit, & quale fuerit ostendit. ita amor Dei, vbi animam imbuerit, carnē, quam antea quatenus æstimabat, ostendit esse vermes & lutum, & contemptui ab ipsa anima haberi eam facit. nam *gustato spiritu desipit omnis caro.* Fortis est vt mors dilectio.

4. B. Catherina Genuensis, vt legi in eius vita, tantum in corde suo, caloris, & amoris vim sentiebat, vt vix manu contingere posset corpus suū præ eius calore, manumque pectori admotam retinebat, vt ita aliquo modo sentiret inde refrigerium. adeoque aliquando æstuauit tali amoris incendio, vt si huiusmodi calor biduum perdurasset, actum fuisset de eius vita.

Adeo in Deum amando, vt ita dicam, transformata erat iuxta illud *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*; vt exhorresceret dicere verbum hoc, Me: cumque illud cogeretur pronunciare, simul intra se loquens, & seipsam emendans dicebat, *meum Me est Deus.* sibi enim ipsi inimica erat.

Spiritus Sanctus ei suasit, vt tres sibi has regulas præfigeret; primam, vt numquam diceret volo, vel nolo. secundam, vt numquam in ore haberet meum, vel nostrum: tertiam, vt numquam se excusaret, sed semper accusaret. Acceperat etiam à Spiritu Sancto, vt pro se sumeret quasi fundamentum vitæ spiritalis, *Fiat voluntas tua*; ab Aue Maria, *Iesus*; à Scriptura sacra verbum, *Amor.* Adeo se totam per amorem in Deū refuderat, vt nihil velut suum retinendo, neque se ipsam nominare vellet, tanquam si nihil omnino esset extra Deum dilectum. Dicebat, nolo amorem propter Deum, vel in Deo. audire non possum illud *Per*, & illud *In*. videntur enim mihi denotare aliquid interponi inter me & ipsum Deum, quod inter positum non admittitur à perfecto amore. Hæc ibi.

Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Vbera significant amatores supra. *meliorē sunt vbera tua vino*, alij, *amores tui vino*. ergo collocatur inter vbera sponsus: quasi ab eâ dicatur, ille centrum est, & vmbilicus omnium amorum, & desideriorum meorum. quia anima amatrix Dei, quidquid amat & cupit id tantum amat & cupit propter Deum, & ob amorem eius. huc dirigit omnia opera mortificationis, & exercitia aliarum virtutum. Fingunt Poëtæ & pingunt pictores aliquando plures exiguos Cupidines circumuolitantes Cupidinem, seu Amorem eorum dominum. Sic ergo accidit in amoribus sanctis, quod illi confingunt in vanis. omnes enim amores minores sunt veluti famuli circumstantes amorem ipsorum dominum, nempe amorem Dei. dixi amorem Dei, vel potius ipsum Deum. quia Deus charitas est.

Inter vbera mea commorabitur. Sol iusti-

iustitiæ est sponsus noster,ardetque, & feruet flagrantissimo calore charitatis. ideo vt Sol à nobis collocandus est quasi Amor potissimus, & fax maxima inter faces ceterorum amorum, quasi inter planetas, & stellas, quæ comparatione eius neque ardere videntur, & splendescere. quia in comparatione charitatis ceteræ virtutes, & opera quasi neque ardent, neque aliquid esse videntur. Ipse tanquam sol lucem porrigit facibus minoribus. Hæc dixerim quatenus ipsemet Charitas est,& quasi Amor magnus oculos vittâ redimitus, vt in passione visus est; & in cruce quasi volans brachijs extensis, quasi sol iustitiæ pennas habens: *& sanitas in pennis eius.* Si tamen ad ipsam charitatem erga Deum prædicta accommodare cupis, facilè paucis mutatis id præstiteris. per illam enim, quasi per solem, ceteræ faces minores ardent, & splendent, hoc est, ceteri amores, & desideria, ac opera bona, quæ sine luce inde accepta omni luce carebunt, quatenus *si linguis hominum loquar & Angelorum*, &c.

Hoc loco amor late sumitur etiam pro ipso Deo amato, qui amor noster dicitur quia charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet.

Sponsus etiam siue dilectus *inter vbera mea*, (inter amores meos) *commorabitur*, id est, inter ardentes affectus,& desideria flagrantia benè operandi,& placendi illi; quasi in Eucharistia super altare mei pectoris inter faces & lampades ardentes in eius honorem, quæ faces liquefiunt, vt ita dicam, igne amoris, & pij obsequij ante suum Creatorem. Sic in sponsa *fortis est vt mors dilectio*, & *lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* antea enim dixerat, *pone me vt signaculum super cor tuum.* quod facit ad rem propositam. lampades ardentium desideriorum, & piorum affectuum (si ita explicare liceat,) circumstantes sint faces mihi residenti super cor tuum, seu super pectus liquefiant faces prædictæ tuorum desideriorum, et potentiarum quasi ex cera essent: liquescant deuotione, soluantur in lacrymas pietatis et amoris coram me, dicitur enim *anima mea liquefacta est vt dilectus locutus est.*

Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Osculum est amoris signum, et concordiæ, quia per illud duo vniuntur quasi in vnum. at aduerte, ò sponsa, quid quæras. Sponsus tuus est iste (crucifixum digito indica) habet os aceto, et felle aspersum: coronam retinet in fronte spineam: amaricabitur os tuum, si in eo te osculetur, compungetur facies tua eius tibi fronte appropinquante. pro amore ergo, et suauitate pœnas, et amaritudines obtinebis. sed vera sponsa appetit hæc; quia amarum sibi à sponsa exhibitum æstimat amorem: spinas æstimat delitias. quia scit, quod tribulari, à Deo amari est, et pacem ab eo inuenire, cur enim arcus in nubibus, cum sit belli instrumentum signum est pacis, et fœderis; nisi quia participatio amaritudinum, et passionum sponsi est osculum, et amor eius nobis impensus. Dum ergo ore suo amaro felle imbutos,

buto,& fronte sua spinis coronata tibi appropinquat,& tuum os amarum reddit, dumque communicat tibi spinas suas, tunc te osculatur, tunc te diligit.

DÆMON.

2. *Omittens deuotiones consuetas facilius infestatur à dæmone.*
3. *Sæpè culpam nostram falsò tentanti dæmoni appingimus.*
4. *Dæmon sub varijs coloribus tentat.*
5. *Dæmon vulpes ex cauda, scilicet fine rei agnoscitur.*
6. *Patefaciendæ tentationes, vt vincatur dæmon.*

Vinc in Spec Hist. lib. 5. c. 65. 2. REFERT Vincentius in Spec. Hist. lib. 5. c. c. 65. Alexandrum habuisse lapidem alligatum brachio, quem qui gestaret, non poterat veneno necari, sed subreptum illi fuisse ab insidiatoribus, cum venenum ei præbuerunt, quo & perijt. dic legi ibidem in historijs aliquos à dæmone non potuisse lædi in corpore, nec à strigibus, eò quòd vel cruce signati essent, vel reliquias apud se haberent, vel aliquid tale: ideoque dæmonem sæpè suadere homini, vt omittat talia antidota, quo facto præbeat illi venenum suum. sic curat, vt tu omittas solitas preces, vel Missam, vel Sacramenta; quibus impeditus non potuit tibi nocere, inducendo ad peccatum: at cùm hæc à te abstulerit, facilè nocet.

Raulin. ser. 12. pæn. 3. Raulinus ser. 12. de pœnitentia narrat puellam in vrbe tentatam ab adolescētibus de impudicitia, ex eo loco in castrum quoddā iter sumpsisse, occurrit ei dæmon sub imagine hominis. interrogat, quo vadis? illa in castrū, inquit, propero illic mansura, quia in vrbe insidias meæ pudicitiæ tendunt. ille ait, ne abeas in castrū, alioquin ibi corrues in eandem culpam illa non acquiescens, abijt illuc. & ibi in fornicationem lapsa est. Rediens ad vrbem de castro illo mœstitiæ plena, obuium habet eundem dæmonem. interrogata, cur rediret; fatetur rem & ait: dæmon me impulit, vt in castrum illud me conferrem. tum dæmon (erat enim specie hominis) dedit ei alapam, dicens, mentiris. imo ego id tibi dissuadere conatus sum, ita fit quod dicitur Ecclesiastici 21. 30. *Dū maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.* quia ipsamet sibi sæpè fit in Satan. *homo enim homini Deus, & homo homini diabolus*, & consequenter etiam sibi. In Græcis adagijs est: *Ipsum hominibus ingenium, bonus, vel malus est dæmon.* *Ecclesiastici 21. 30.*

4. Leo Africanus 3. parte relationum suarum dicit in regno Fezzæ quasdam maleficas degere, quæ dicunt se commercia habere, cum dæmonib. varij coloris. alios enim albos, alios rubeos, alios verò esse nigros. hoc puto dici, quia sub eis coloribus se ostendāt. Sic ergo dæmones patimur tentantes nos, vt vulgò dicitur, sub varijs coloribus. aliqui tentāt sub colore albo nempe lætitiæ, dicentes, *Gaudete in Domino semper. iterum dico gaudete.* sed silent. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, imo inducūt ad *Africanus 3. part.*

gau-

gaudium, vt immodestia vestra nota sit omnibus hominibus. aliqui nos tentant sub rubeo erubescentiæ, colore, vt illius prætextu peccato obstare non audeas, dum teneris: aliqui sub colore nigro, nempe mœstitiæ; dum prætextu doloris peccatorum inordinati in desperationem tētant inducere, dum abutentes Scripturis ad malum, dicētes illud Ecclesiastes 7. 5. *Cor sapientum vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia.* vel dum per tristitiam in indignationem in proximum, & in ægritudinem parant inducere. album etiam pudicitiam, munditiam, pallorē, timorem significat, rubrum audaciam, vel dominationis purpuram, modestiam. nigrū mortem tenebrarum, ignorantiam, obscuritatemque & occultationem. sub quibus coloribus, & prætextibus tentant dæmones.

Eccl. 7. 5.

Adde quod habetur in vita Sācti Martialis, vt testatur Beluacensis in Speculo morali, scilicet dęmonem in obsesso exorcisatum dixisse, Nomē meum est mille artium. ergo non sub tribus, sed sub mille coloribus, & artibus innumeris nos aggreditur. Arcus dæmonis, quo nos ferire parat, videtur mihi iris, de qua Virgil. ait, *Mille trahit varios aduerso Sole colores,* aduersus. Solem veritatis, mille coloribus apparet varijs. ita ergo se habet arcus infernalis, vt arcus Cælestis; & arcus diaboli, vt arcus Dei, hoc est quantum ad analogiam istā, quamuis contrarij sint in reliquis. nam arcus Dei est, de quo dicitur, *vt sit signum fœderis inter me, & inter terram.* at arcus diaboli est signum belli perpetui. Colorum varietas, quæ est in collo columbæ contra Solem stantis, in corde est serpentis (serpens enim est diabolus callidum animal) sicut legitur de vulpe, quod pardo glorianti de varietate sua, ait, quod tibi est foris, mihi intus. Vulpes quoque est diabolus. Psal. 62. *Partes vulp um erunt.* abundat dæmon coloribus. non mirum si depingat nobis res vtcumque sibi placuerit.

Psal. 62.

5. Vulpes est dæmon, vt dixi. Olaus autem l. 18. c. 31. dicit in quodā loco vulpes immissā cauda in aquā expiscari pisciculos quasi hamo, dū illos enim sentit adhæsisse caudę, illā eruit, & excussos deuorat pisciculos. sic vulpis illa infernalis caudā sua, hoc est in fine, & in exitu rei, & negotiationis, capit rudiores. se enim trāsfigurat in Angelum lucis, at in cauda suam capturam facit. impletur in eò quòd est in adagijs, *Cauda de vulpe testatur*, vulpes enim caudam adducēs abscondit inter femora, ita vt videatur canis: at si appareat cauda, detegitur apertè vulpes. ita dæmō occultat finem, & intentionem suā: dum specie boni, & misericordiæ erga mulierē famulam (quā cum periculo incontinentiæ tuæ domi alis) ne illā eijcis; vel prætextu alicuius vtilitatis inde excipiendę: at abscondita cauda cùm canis appareret, hoc est fidelis consiliarius; postquàm te impulerit in peccatum, tunc apparet ex cauda vulpes. cauda ergo de vulpe testatur. cauda etiam, & exitu tentationis traxit stellas de Cœlo, & trahit iustos de statu gratiæ.

Olaus lib. 18. c. 31.

6. *Insidiaberis calcaneo illius.* id serpenti dictum Genesis 3. ergo etiam in Genes. 3.

calcaneis oportet habere oculos enim, cui pugnandum est cum tam versuto hoste. *Ipsa conteret caput tuum.* semen mulieris Christus contriuit caput serpentis, sed secundariò id etiam accipitur de membris Christi, hoc est de Christianis. Conterendo caput serpentis, cerebrum eius ex eo egredi, & vt dici solet, saltare facimus. tota fortitudo serpentis est in capite, fortitudo serpentis diabolici in capite sita siue in cerebro, hoc est in astutia, & animo serpentino, sed latente in capite. cum aperitur, & detegitur cerebrum & astutia ista; iam perijt. ergo contere caput eius, detege, & vince astutiam eius. Ipsa mulier conterit caput eius, nudat astutum cerebrum, cùm reuelat confessario eius suggestiones, eius apparitiones, vel omnes cogitationes cordis, vt discernantur, si ex eo sint.

Insidiaberis calcaneo illius. æternam damnationem toti generi humano molitur diabolus: & præter alias rationes, ob quas hæc læsio dæmonis vocatur *morsus calcanei*, etiam hæc videtur afferenda, quod ille ex incredibili odio, detrimentum tam ingens, quale est peccatum, æstimet quandam calcanei læsionem: vt vulgò dicimus, (a) *m'ha fatto mal ne' calcagni*, hoc est, nil mihi nocuit. Posset etiam dici quod peccatores peccatum, & damnum eius maximũ æstiment calcanei morsum, hoc est nullum, & ob id etiam sic vocentur eius insidiæ. ait enim impius, vt Ecclesiastici 5. innuitur. *Peccaui, & quid mihi accidit triste?* non vident peccantes huiusmodi malum, vtpote sub calcaneis latens, paruipendunt, pedibus conculcant; & vt vulgò dicimus de ijs, quæ contemnimus, in calcaneis illud gerunt. Conscientiam, & animam gerunt in calcaneis, ideo calcaneo insidiatur. hæc dicenda saltem per accommodationẽ de peccatoribus, quia iustis non conueniunt, cum serpens insidietur calcaneo omnium. Sed *cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* iniquitas quam modo contemno, vel despicio vt paruam, tunc circumdabit me.

(a) In calcaneo me læsit aut offendit.

Eccles. 5.

Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. non dicit, tu mordebis calcaneum, sed *tu insidiaberis.* at de ipsa dicitur, non quod insidietur capiti eius, sed quod ipsum *contereret.* tamen tanta est libido nocendi, tantum odium in hoc serpente, vt, dummodò calcaneo insidietur, ipsum caput conterendum exponat. in hoc quasi ludo exponit, seu ludit caput contra calcaneum, contritionem contra insidias. Odium cuiuspiam pessimum vnum sibi oculum eruit, vt inimico duos erueret, vt est in prouerbio. at odium serpẽtis huius duos sibi eruit, vt ne vnum quidem eruat homini. imò ambos oculos cum ceteris capitis sensibus, & cũ capite ipso sibi sæpè conteri patitur, ne cesset insidiari calcaneo hominis. Quæ dicta sint iuxta similitudinem prædictam, vt ex ea appareat diaboli odiũ immensum in nos, quo etiam cum longè maiori damno proprio tentaret etiam modicum nocere nobis.

Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius. ex prædicta materiali

teriali similitudine sic argumentemur. prius dicitur conterendum caput eius, postea mentio de insidiando calcaneo. quia tãta est eius fames, & tam immortale odium, vt etiam infracto toties capite, etiam infractis dentibus, tamen mordere nititur, & mordere calcaneum, duriorem & viliorem partem hominis. Estnè cibus iste cibus ægroti, cibus mollis, & ei cui infracti sint dentes cum capite ipso? inde discendum est, non esse fidendum diabolo ne mortuo quidem, nec in os eius, & contritos dẽtes inserendam manum, hoc est non esse fidendum victorijs contra illum obtentis. Ecclesiast. 12. 10. *Non credas inimico tuo in æternum.* & addit, *Et si humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & custodi te ab illo.* Si etiam infracto capite, & contritis dentibus durum bolum sic appetit, & mordet; vide quid faceret, si integro capite, & dentibus esset? De serpente legi quod etiam penitus diuiso & obtruncato corpore in duas partes, pars altera in quâ erat caput momordit hominem. peius accidit in hoc serpente. Ælianus l. 2. c. 23. dicit Lacertos si in Caluaria percutiãtur, & diuidantur in partes, aliquando superuiuere vt prius, partibus in vnũ coalescentibus.

Eccl. 12. 10.

Ælian. l. 2. c. 23. Lacerti serpentes sunt, vulgò lucerto.

Cranzius l. 1. Vandal. c. 5.

Cranzius l. 1. Vandaliæ, cap. 5. ex Saxone Grammatico de Sioldo filio Regis Danorum ait, ipsum in pueritia maximæ indolis specimen dedisse. in venatione enim ad quam spectandi gratia exierat, obuiam habuit vrsum insolitæ magnitudinis: neque vllo modo inde expauescens, cum, vt puer sine armis esset, cingulo à se ablato feram aggreditur; quę, quasi pueri audacia & generositate perterrita, ab eo colligata est, & eius famulis ad necẽ tradita. ferunt enim, inquit idem auctor, bestias feroces deprehendere in homine animi generositatem, & ei vires submittere: cùm è cõtrario in degeneres animos insurgant. Bestia certè fera est diabolus, *leo rugiens.* is ergo in degeneres audax, cum generosis timidus. leo cum lepore, lepus cum Leone. Sic Iacobus: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* vtere in eum manibus, & ipse vtetur pedibus. ne fias illi seruus, & fiet tecum ceruus, hoc est fugiendo. Adagium est, *In pace Leones, in prælio cerui.* tales sunt dæmones, in pace enim, vbi non repugnes, leones sunt, si pugnes contra illos, cerui. *circuit tamquam Leo rugiens*: sed si resistas *fortis in fide*; fit lepus fugiens.

Diabolus in re contrario modo videtur se habere, ac in pictura. Pictus enim habet personam hominis, manus verò vrsi, vel leonis. cum in re potius habeat personam & ingenium leonis, manus verò hominis, hoc est, imbecillas, & inermes. quia habet quidem cupiditatem nocendi, sed non ei respondentem potestatem. sic Gregor. 2. Moral. capit. 6. de illo ait, *Voluntas semper iniqua est, sed potestas numquam iniusta. quia à semetipso habet voluntatem, sed à Domino potestatem.* ita Greg. quod est dicere habet nocẽdi potestatem à Deo, voluntatem à diabolo.

Greg. 2. Moral. 6.

2. Dæmon cuniculis & vulpibus pugnat. hi sunt milites eius exercitus.

3. *Iustus Dæmonem pro solea, & luto calceorum æstimat, & calcat.*
4. *Dæmon decipit securitatem promittendo in periculis animæ.*
5. *Dæmonum etiam familiarium voluntas semper est ruina hominis.*
6. *Resistendum dæmoni, non cedendum.*

2. AVDAX diabolus est antequam vincatur à nobis, & leo; sed victus, ex Leone dupliciter fit cuniculus, hoc est, timidus. De timido enim dicimus, *Cuniculus est ille homo.* & cuniculus, hoc est insidiator. quia nos cuniculis oppugnat. sed formidabilior est habens secum cõtra nos cuniculos in suo agmine, quàm si haberet Leones. (alludimus æquiuoco nomini cuniculi supra explicato) nam vt ait D. Leo, *plus plerumque est periculi in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto.* fit ergo cuniculus dupliciter, cum est deuictus. Exemplum sit, cum Deo, vt ita dicã, paulò ante pugnare ausus fuerat. sed cum victus, & inde deiectus fuerit; modo etiam virum vnum timet aggredi, vnde vxorem eius appetit, scilicet Euang. & hanc vt cuniculus appetit. tamquam fortis miles à tergo aggreditur, insidiatur calcaneo illius. nonne ridẽdus esset leo, qui pugnaturus cum hoste, etiã cuniculos, vulpesque secum in auxilium aduocaret? diabolus certè est tamquã Leo rugiens, vt ait D. Petrus, & tamẽ pugnaturus cum muliere cuniculos, & vulpes, fraudes scilicet in auxilium assumit, iuxta adagium: *Quo non pertingit leonina, assuenda est vulpina.*

3. *Ipsa conteret caput tuum.* ipsa, & semen eius. Hieron. in Genes. legit, ipsum, hoc est, semen. quid calcatur pedibus, nisi solea calceorum, & lutum ipsorum? non solum Christus, sed eius gratia etiam ipsius adoptiui filij, ipsi iusti calcant, conteruntque caput serpentis. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* cur ita, nisi quia ad hoc peruenit Dei virtute iustus, vt dęmonẽ æstimet tãquam soleas, & lutũ calceorum suorum? id enim dicere solemus de ijs, quæ valdè contemnimus. Hieron. in Genes.

Xenophon in Agesilao apud Bruson c. de bibendo, dicit Reges Persarum circuire Orbem ad inueniendas potiones excellentiores. dic illos circuire quærentes quid absorbeant, at dęmonem circuire terram, & perambulare eam, quærendo quid deuoret. *Circuit quærẽs quem deuoret.* inde collige eius famelicam rabiem deuorandi etiam vnicum hominem. *Circuiui terram, & perambulaui eam,* inquit: scilicet, quærens quem deuorarem. vnde dictum ei, *numquid considerasti seruũ meum Iob?* Xenop. in Agesil. apud Brus. ca. de bib.

4. Socrates l. 7. c. 38. Quidã Moyses, inquit, anno integro in Creta circuibat vrbes, & loca, & ita excitauit Iudęos ibi commorantes, promittens se illos vt alterum Moysen per mare traducturum. die statuta ducit eos cum vxoribus & liberis ad littus, & promissis atque præstigijs persuasit multis ex illo numero, vt in aquam ingressi enatarent vsque ad vicinam rupem. ex ea deinde sicco vestigio se illos ducturum. hoc fecerunt, & submersi sunt. alij secuti essent ipsos natãdo, nisi hi qui à piscatoribus saluati fuerant, redeuntes, admonuissent eos Socrat. l. 7. c. 38.

eos de periculo.ipse Moyses euanuit interea ab illis,creditus est fuisse dæmon,Dei permissione illis illudens: ita Auctor.Similia facit diabolus,dũ vel instigatione per se facta, vel per homines suadet vt Christianus subeat hoc,vel illud periculum animę, promittendo securitatem, vbi illa non est.sicut ait Christo.*mitte te deorsum. scriptum est enim, quia Angelis suis Deus mandauit de te*, &c. inducit iuuenem in sodalitium, vel familiam plenam peccatorum periculis, ob qualitatem habitantium in ea domo. inducit eum in mare,promittens saluum ex eo educendum.ait,Intra securus:nam in omni loco potest homo bene viuere.Iob sanctus fuit in terra Hus &c. sed hi qui redeunt de periculis huiusmodi, narrant qualiter res se habeat. *qui nauigant mare, enarrent pericula eius.* mare est negotiatio illa,& contractus illicitus: tamē dæmon per se,vel per alium suadet non esse in eo aliquid periculi: sicco vestigio promittit te ducere per hoc mare. at in fine vitæ inuenis te proximum naufragio.idem dic de non soluentibus debita, vel iniustè morantibus in solutione mercedum; detinentibus pauperum eleemosynas &c. hi enim *volentes diuites fieri, incidunt in desideria multa & inutilia, quæ mergunt homines in interitum*, cum tamen dæmon suasisset eis, quod ipsos per hoc mare tutos traduceret. sic in figura dæmon suasit Ægyptijs, vt intrarent in mare. *dixit inimicus, persequar & comprehendam, implebitur anima mea*, &c. expoliandis Hebræis etiam inhiabant. at *flauit spiritus tuus, & operuit eos mare, operti sunt quasi plumbum in aquis vehementibus*. ergo in his,& similibus occasionibus peccati memorandum est illud Christi, *Non tentabis Dominum Deum tuum*: &, *qui amat periculum, in illo peribit*.

5. Intentio, & finis dæmonis in nos semper eadem sunt; licet tentationes & media diuersa. & quamuis aliquando, vt strigibus solet, amasium se ostendat, illecebrasque, atque etiam risus aliquibus faciat, vt solent dæmones, qui vulgò vocantur(a) *Folletti* est autem finis eius ruina nostra, & ceruicum nostrarum confractio quoad animam, ac etiam quoad corpus, si possit. ideo Christum tentaturus incipit à lapidibus, *Dic vt lapides isti panes fiant*, volebat enim hanc tentationem esse illi lapidem offensionis, & petram scandali. hanc dixi tentationem, siue hos lapides volebat illi esse in scādalum, quo ruendo ceruices in eis frangeret. *il suo fin è di farci romper il collo, di far l'huomo scauezza collo cioè scelerato, disfoolo*, iterum cum ait, *mitte te deorsum*; idipsum nedum spiritaliter, sed & corporaliter cupiebat facere, præsertim, si in viam casurus erat complanatam lapidibus, vt sunt viæ vrbium nobilium. cum etiam ait, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. adhuc, vt etiam ex verbis ipsius indicatur, casus expetitur: *Si cadens adoraueris me*. & ne frustretur maligno hoc fine suo, semper ad maiorem casum à minore procedit. primo vult eum cadere, in lapides impingendo, ita vt prosterneretur, & non staret, vt antea, per virtutem abstinentiæ. deinde de pinnaculo vult

(a) Ludentes vel illusorij.

vult vt se deorsum deijciat. volebat enim, vt ad sui iactantiam Deum tentaret, miraculum absque causa quærendo. Et nota quod lapides, quos Christus euaserat victa prima tentatione in oblatis lapidibus, denuo illi apponit in sensu supra explicato, dum ait. *In manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* ceruicem eius confringi volebat, & ne pedem quidem lædendum dicebat. imò ex casu hoc in alio sensu volebat tantum lædi pedem ad lapidem, ne ipso contereret caput suum. serpens enim erat, & Christus illi contriuit sic caput. tertio vult, vt corruat ab altitudine dignitatis, & sanctitatis suæ, quasi de Cælo subtus ipsum infernum, adorando ipsum dæmonem. Notum est illud Damocratis Atheniensium Legati, qui finita legatione apud Philippum Macædoniæ Regem patrem Alexandri Magni, cum dixisset Rex, quidnam cupiunt Athenienses, quod eis præstare possim? libenter enim faciam. ait Damocrates: *Vt te ipsum suspendas*, quod est vt ceruices frangas. Athenienses, vt ita dicã, omnes dæmones sunt, omnis homo est illis Philippus: desiderium eorum est, vt Philippi omnes eum successum habeant.

Ipsa conteret caput tuum, præsertim per Christum id Maria factura erat.

6. *Insidiaberis calcaneo eius.* Estote inquit, fortes in bello; *& pugnate cum antiquo serpente, & accipietis Regnum æternum.* si fugias, & non pugnes, si vertas dæmoni calcaneos; hoc est quod quærit serpens, calcaneum quærit. calcaneos in pugna vertit equus, & mulus. ijs enim pugnant. pugnant autem homines manibus. Si calcaneos vertas; iam ostẽdis, quod factus es sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, nempe per peccatum non resistendo dæmoni. nos dicimus. (a) *Chi non ha cor, ò chi non ha ceruello habbia gambe.* ostendis ergo te absque corde, absque intellectu esse, esse equum non equitem, pugnantem ferro pedum, non manuum; spem ponentem in armis Latinè sumptis, non Italicè: *armi* Latinè terga animalium significant.

(a) Qui cor non habet, habeat pedes.

Vel dicendum est non fugiendum à dæmone, sed resistendum. nam sicut legitur de quibusdam militantibus, quod, vt desperationem inducerent fugiendi à prælio, siue pugnãdi vsque ad mortem animum præberent, naues combusserunt, quibus venerat exercitus ad ea loca. ita dæmon serpens factus est, vt contra nos pugnet, & quasi pedes sibi truncauit. quia obstinatè pugnare vult, & non fugere. ideo dicitur ei, *super pectus tuum gradieris.* ergo, vt iuxta leges pugnantium conditiones sint pares; neque nos pedes habeamus ad fugiendum ab illo. ideo dicitur, *iste sanctus pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem.* De claudo quodam legitur, qui militiæ nomen dederat, & ob claudicationem à quibusdam ineptus huic rei putabatur: legitur inquam ipsum respondisse, in prælio manibus, non pedibus opus est homini.

Ipsa conteret caput tuum, &c. omissis altioribus mysterijs supra indicatis circa hunc locum: de qualibet iusta muliere, quæ serpentem conterit istum, hæc vera sunt. nam & de muliere id pręsertim dictum esse, possumus dicere, quod sicut vir maior est

in pugnis corporalibus, & contra homines; ita mulier fortior sit in spiritalibus prælijs contra dæmones. dixi fortior in eo sensu, quatenus plerumque plus deuotionis, & virtutis præcipuæque perfectionis hodie in feminis reperiri solet, quàm in maribus. Serpenti ergo mulier opponitur signanter. sed nota etiam ad confusionem virorum, quod prius dicitur, *ipsa conteret caput tuum*, & postea, *& tu insidiaberis calcaneo illius*. quia promptior per Dei gratiam fit femina ad conterendũ hostem, quàm ipse dæmon ad insidiandum illi. plusque potest calcaneus feminæ, quàm caput diaboli. plus illa virium habet in calcaneo, quàm ille in toto corpore, quatenus serpens est. quia tota vis, & vita serpentis in capite sita est,

VIRGINITAS.

1. *Nuptiæ ideo laudabiles, quia virgines gignunt.*
2. *Mater virginis socrus est Christi.*
3. *Virgo est arca testamenti, eam temerè attingens, vt Oza percutietur.*



1 HIERONYMVS ad Eustochium: *Laudo nuptias, quod mihi virgines generant: lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritam.*

2. Ibidem: *Quid inuides mater filiæ tuæ, quod militis noluit vxor esse, sed regis? grande tibi beneficium præstitit, socrus Dei esse cæpisti.*

3. Ad eandem: *Obtestor te coram Domino, & Angelis Dei, ne vasa templi facilè in publicũ proferas, ne sacrariũ Dei quisquam profanus inspiciat, quia arcam, quam non licebat tangere, attingens, morte subita prostratus est. neque enim aureum vas, & argenteum tam charum fuit Deo, quàm templum corporis virginalis. præcessit vmbra, nunc veritas est*, &c. & paulò post apertiùs id dicit, ait enim: *Sponsa Christi arca est Testamenti, intrinsecus, & extrinsecus, deaurata, custos legis Domini. super hoc propitiatorium, quasi super Cherubim, sedere vult dominus.* hæc ille. vbi nota quod sicut in arca continebatur lex Dei, ita in virgine sancta illa seruatur. aduertant hic, qui virgines castas, præcipueque moniales audent aliquo pacto appetere, vel tentare, arcam enim testamenti videntur profani violare.

4. *Virgo ne vagetur, ne per hoc pereat.*

4 IBIDEM ait: *Hortus conclusus soror mea, fons signatus, caue ne domum exeas, ne videre velis filios regionis alienæ*, &c. *nolo te sponsum quærere per plateas, nolo te circuire angelos ciuitatis. Sponsus in plateis non potest inueniri, arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, atque vtinam non inuenisse sufficiat, vulneraberis, & gemebunda narrabis, inuenerunt me vigiles*, &c. hæc ibi. vbi nota in prædictis alludi primo ad Dinam filiam Iacob, deinde ad sponsam, quæ vulnerata dicitur fuisse, dum vagaretur. item cum arcta sit via Domini, non inuenitur in plateis, quæ sunt latæ tam spatio, quàm licentia morum: ibi enim mercatus est mercium & vitiorum, otij, & confabulationum.

5. Vir-

4. *Virgines putatiuæ, sed corruptæ, abortus procurantes.*
2. *Eædem amatores post se trahunt, Eucharistiam sumunt, vt putentur castæ.*
3. *Habitu tantum sunt virgines.*

1. HIER. ad eandem Eustochium indicat quasdam virgines idcircò maritos non habere, quia inuenire non potuerunt. de alijs etiam meminit, quæ habitu tantum præseferunt virginitatem. ait enim: *Videas plerasque tales, viduas esse antequam nuptas, & infelicem conscientiam mentita tantum veste contegere, quas nisi tumor vteri, vel infantum vagitus prodiderint, erecta ceruice, & ludentibus pedibus incedunt*, &c. nonnullæ etiam, inquit, cum se senserint concepisse de scelere, abortiui venena meditantur, & frequenter ipsæ commortuæ trium criminum reæ sic ad inferos perducuntur, homicidæ sui, adulteræ Christi, necdum nati filij parricidæ.

2 Ibidem ait de prædictis: *Hæ per publicum notabiliter incedunt, & furtiuis oculorum nutibus adolescentium greges post se trahunt, & quam viderint pallentem, ac tristem, miseram, & Manicheam vocant.* in quibus verbis alludit Sanctus ad eas, quæ pœnitentijs & ieiunijs pallentes essent, quas virgines fatuæ sui temporis, vocabant Manicheas, eò quòd illius sectæ mulieres ob ieiunia, vel alia de causa tales esse solebant aspectu. at apud nos vocarent hypocritas, & colla intorta. vulgò. *colli torti, gabba dei*, & similia. Prosequitur Hieronymus: *& cum se mero ingurgitauerint, sacrilegium corporis Domini sumendo committunt.* vbi ostenditur eas, vt ita dicam, velle ostendere se esse quasi tot Marias Virgines, dum intra se Dei Filium habent cum tamen spurcissima scorta sint, & aliquando Filio Dei, quem intra se sumunt volunt tegere filium hominis, quem in vtero ex fornicatione conceptum habent, vel Christo volunt tegere diabolum.

3. Tandem Sanctus idem describit habitum talium virginum fictarum, & comæ dispositionem, incessum, &c. quæ in vsu erant apud virgines sui temporis, & in fine addit: *Hoc est apud illas tota virginitas.* Describe tu prædicta in talibus mulierculis iuxta ritum hodiernum nostrarum virginum, & deinde adde prædicta verba Hieronymi.

1. *Quàm magna res sit virginitas ex eius culpabili defloratione agnoscitur.*
2. *Quàm magna pœnitentia tale crimen expiandum.*
3. *Quantum distet Virginitas à matrimonio.*

1. IDEM Hieronymus de lapsu Susannæ virginis Deo consecratæ inter cetera sic ait: *Vnde incipiam? quod primum, & quod vltimum dicam? bona commemorem, quæ perdisti, an mala defleam, quæ inuenisti? eras virgo in Paradiso Dei, vtique inter flores Ecclesiæ, eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus Sancti. & quoties dico eras, toties necesse est, vt ingemiscas, quia non es quod fuisti Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est, Pennæ columbæ deargentatæ, &c.*

splen-

splendebas enim, vt argentum, fulgebas vt aurum, eras tanquam stella in manu Domini. Quæ est ista subita conuersio, quæ repentina mutatio? de Dei virgine facta es corruptio Satanæ, de sponsa Christi scortum execrabile, de templo Dei fanum immunditiæ de habitaculo Spiritus sancti, tugurium diaboli. quæ incedebas cum fiducia vt columba, nunc lates in tenebris vt vespertilio. quæ fulgebas vt aurũ propter virginitatis decorem, nunc vilior facta es luto platearum. quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto cælo ruens, extinctum conuersa es in carbonem. Væ tibi misera, & iterũ væ, quæ tãta bona pariter propter parui temporis luxuriam perdidisti.

Aperi oculos tuos, si potes; erige frontem, si audes; & aliquem Sanctorum diligenter intuere. nonne faciem tuam conscientia cõmissi tanquam plumbum inclinat? Quid facies coram Maria, & Tecla, & Agnete, & immaculato toro puritatis? quid iterum facies coram angelis sanctis? nonne splendore & claritate immaculatorum quasi fulminibus percussa combureris? &c.

2. Prosequitur idem Sanctus: *sed quanta putas, & qualis necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat?* Imprimis omnis cura huius vitæ intermittenda est tibi, & quasi mortuam te existimas sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita. deinde tibi lugubris vestis accipienda est, & mens, ac mẽbra singula digna castigatione punienda. amputentur crines, quia per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. defluant oculi lacrymis, qui masculum non simpliciter aspexerunt. pallescat facies, quæ quondam impudicè irrubuit. totum itaque corpus incuriâ, & ieiunijs maceretur, cinere aspersum, & cilicio coopertum, & quod sibi malè de pulchritudine placuit, perhorrescat. Cor verò seipsum inquietans, & cogitationibus ventilans, tamquam cera liquescat. *grandi plagæ altæ & prolixâ opus est medicinâ; grandeque scelus grandem habet necessariò satisfactionem.* hæc ibi.

Sed addit vnum, quod pertinet ad omnes peccatores dicens in fine talis hortationis: *& certè si mente tenerent homines quale iudicium imminet sæculo; sensus humanus necessitate sæculari non dispergeretur, si non infidelitate grauaretur.* Quantũuis & qualemuis cruciatum ad præsens libenter sufferrent, dummodo illas pœnas ignis æterni non incurrerent.

3. D. Fulgentius ad Probam ait: *sanctam virginitatem dicimus merito potiore distare à coniugali vita quantùm distant à bonis meliora, à terrenis cælestia, à carne spiritus, ab infirmitate virtus.*

Ibidem ait: *Nec dicere dubitamus, tantum à sancta virginitate carnis & spiritus fidelium coniugatorum, licet à Deo concessum distare concubitum; quantum similitudo pecorum ab imitatione discernitur angelorum.* in vno quippe ad terram spiritus terrena carnis voluptate deprimitur, in altero terrena caro cælesti delectatione spiritus ad cælestia subleuatur.

Chrysol. serm. 143. *In carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis. & si vultis scire, angelica in gloriam acquirere maius est, quàm habere.* *Chrysol. serm 143.*

Qqqq esse

esse Angelum felicitatis est: virginem esse, virtutis. virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura.

Allud. seq. vers. 1. ad Cor. 7. Alluditur sequenti versu 1. ad Cor. 7. *Quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mūdi.* sicut virgo cogitat quæ Domini sunt, vt Paulus ibidem dixerat. *Sæpè fugit meritum, dum quærit virgo maritum: Sæpè tenens hominem, perdidit illa Deum.*

Quidam alludens ad illud Ambrosij de virginibus, scilicet: *Ideo laudabilis virginitas, non quia in martyribus reperitur; sed quia ipsa martyres faciat*; de virginitate monialium præsertim id inquit verificari, scilicet quod sint martyres, quod ligentur, in ergastulisque collocentur, sanguinem fundant, interficiantur, & sepeliantur. ligantur inquit, ratione nexus triplicis voti: in carcere detinentur, hoc est, clausæ in claustris: sanguinem fundunt in lacrymis pænitentiæ, & flagellis corporis spontè assumptis: necantur, & sepeliuntur ratione voluntatis, quæ, vt quidam Sanctus ait, sepelitur in sepulch: obedientiæ. Adde virginem, dum sibi capillos detruncari vult, occasione prædicta, religiosam videri Parcam, quæ vitæ præteritæ sibi stamina rumpat. & quæ quasi Cometes, si comam retinuisset, crine suo mortem alijs fortasse esset comminata; deinde quasi stella portum salutis naufragantibus in pelago sæculi, & peccati commonstrat.

2. *De virgine vitam tradente, ne violaretur historia recens, & pulchra.*

2. AVGVSTINVS Mascardi oratione 3. in ordine in funere Francisci Gonzaga Principis Castilionei, qui nostris vixit temporibus, narrat sub eo Principe quendam, cum à virgine à se pertentata numquam potuisset obtinere concubitum, ipsam interfecisse, & mox capitali supplicio affectum fuisse iussu Principis Francisci: qui deinde statuam erexit virgini, candidam mustellam in sinu præferentem, additus verbis apud imaginem: *Maluit mori, quàm fœdari.* Allusit ad eius animalculi morem, quo se potius capi sinit, quàm per lutum circa se à venantibus positum fugiendo saluari. *August. Mascar. orat. 3.*

Addit idem Auctor tantâ opus illud virginis dignum extitisse gloria, vt lapides ipsi quasi sensu, & spiritu sumpto æterna voce, ac laude illud debuerint celebrare; hoc est per statuam, & verba subscripta. ita fiet illud Lucæ 19. 40. *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Lapis absque vllo sensu caloris, & libidinis, lapis inquam castitate, atque etiam constantia, & resistēdi fortitudine extiterat ipsa puella. imo & statua (à stādi firmitate dicta) fuerat illa virgo: lapidea inquam statua fuerat merito, & lapidea statua debuit esse triumpho. Innumeræ innumeris erectæ fuere statuæ ad viuum etiam illos repræsentantes. at dici potest, nullam statuam rectiùs dicatā fuisse alicui, neque illum magis repræsentasse ea, quàm diximus virgini erectam fuisse. Cum speciosa illa meretrix iactasset se, quod Zenocratem illum castissimum victura esset, frustraque modis omnibus tentatum com-

commouere nequisset; se id cum homine, non autem cum lapide facturam spopondisse dixit: indicans ipsumlapidem fuisse. Potest ergo qui carnis victor est dicere, *Fortitudo lapidum fortitudo mea, & caro mea anea est*, quod in alio sensu negatiuè de se dixerat Iob.

2. *Comparatio Virginum cum Spiritibus Beatis.*
3. *Flos Virginitatis tam pretiosus, vt ne arescat sanguine suo multæ illum irrigarunt.*
4. *Virginitas rosa cellata. Conseruatur pœnitentia & victus asperitate.*
5. *Ob virginitatis pretium impudicè se virgines simulant, etiam vt amentur.*

2 RESIDENT, vt quidam ait, beati illi spiritus in cælo, & perpetuam feliciter seruant integritatem. at quid mirum si semper vegetus perdurat flos (scilicet puritatis) in delitiosis Paradisi viridarijs, vbi ver ridet perpetuum absq; temporum varietate? vbi cælestis decidit copia roris? vbi per diem Sol non vrit, neque Luna per noctem? quo, ob pulchram pacis sæpem circumcirca positam, non penetrat ventus prauæ tẽtationis, ardor prauæ concupiscentiæ, tempestas immoderati affectus, pruina refrigescentis charitatis, glacies accidiosæ torpedinis? Vbi Angeli per naturam non subiacent corruptioni, per gratiam adhærentes sunt charitati, per gloriam nulli exponuntur tentationi: Non habent obiectum quod eos turbet, carnem quæ eos irritet, sanguinem qui eos inflammet. Non est ibi forma, quæ eos accendat; illecebra, quæ eos rapiat; dolus, qui eos decipiat; impetus, qui eos impellat. Vbi omnes in Deo sepulti, mensæ æternarũ assidentes delitiarum, ebrij torrentibus voluptatum per ciuitatem sanctam fluentibus, quidquid habent cogitationis, intellectus, & voluntatis, id totum in vno Deo tamquam vltimo fine collocant, & ad votum eius voluntatis dispensant. At quod homo indutus hac miserâ mortalitate, oppressus à corpore prægrauatus à carne, victor dominetur affectibus, irrumpat in cupiditates, opprimat tyrannides, prosternat passiones, retundat impetus, conculcet voluptates; hoc quidem admirabile est super mirabilia, & maiorum opus virium. quàm sint humanæ: quodquè puritatem Angelicam ostendit minus fortem, quamuis eam fateamur magis felicem.

3. Dilecta sibi germina, pulchrasq; plantas tanti æstimant aliqui, vt eas medicatis aquis, nedum repentibus, vbi opus sit, irrigẽt, seu irrigari velint. Legi etiam quosdam eas vino solitos irrigare. Sed qualis quæso flos, quale germen existimandum foret, quod operępretium esset proprio, & à se educto sanguine irrigare? at vide quot virgines sanguine suo lilium & florem virginitatis ita irrorarint, ne periret? dum enim martyrium pati maluerunt quàm virginitatem violare, nonne hoc effecerunt? Inde collige quanti æstimandus sit hic flos. sed quid dico de virginibus, cum ipsemet Christus, præser-

tim sanguinem fundendo, vt lilium hoc in Ecclesia vigeret, id ipsum præstiterit? Nonne Christus ratione corporis, & sanguinis est *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*? granum frumenti est cadens in terram, præsertim ad fructificandas virgines.

Strabo scribit virgines olim in templo Dianæ Persicæ, eius falso numini dicatas, diu super accensos carbones sæpè deambulasse absque pedum læsione. Si hoc verum fuit, certè mirabilius est virgines nostras semper sub pedibus gerere, pedibus conculcare ignem concupiscentiæ, (nam vt est Ecclesiastici 9 11. *Concupiscentia quasi ignis exardescit*) & tamen illæsas permanere, illæsis pedum affectibus.

Eccl. 9.11

4. Virgo rosæ comparatur ab Anacreonte Græco Poëta, & à Catullo, præterea à nostris Poëtis Italicis. Audiui & quosdam dicentes, vbi dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; aliquos legere *sicut rosa inter spinas*. Modo de rosis quidam aiunt id quod operæpretium esset experimento cognoscere, scilicet rosas seruari pluribus mensibus recẽtes inter spinas asperas hordei. Ita virgines seruantur illibatæ inter asperitates pœnitentiæ, inter ieiunia, atque cilicia. ideo Ecclesia eas sic præseruat in asperitate religionis, & clausuræ, magisque apud hordeum, quàm apud triticum, hoc est magis in duro victu, & pane hordeaceo, quàm in lautitie ciborum, & pane triticeo. In casu nostro Italicè dici potest, (a) *si fa conserua di rose meglio con l'assentio, che col zucchero*. Eucharistia est *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*. sed si frumentum, & vinum cæleste virgines gignit; frumentum, & vinum terrenum sæpè virgines enecat. nam inter Cererem, & Bacchum non friget Venus. Dici potest Italicè, (b) *che due C rouiano il terzo, cioè cucina, e cantina la chastità mandan in rouina. Castità è il terzo C, che volli dire.*

(a) Conditum siue conserua rosacea rectius fiet absyntheo admixto, quàm sacharo.

(b) Duo CC, interimunt tertium: sc. culina & cella vinaria, castitatẽ.

Rosa virginitatis, seu rosa virginis, Christi bonus odor est, imo & hominum: pulchraque res est oculis Dei, & mundi. vnde dicitur. Sap. 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate. immortalis est enim memoria illius: quoniam apud Deum nota est, & apud homines*. in notitia famæ, & claritate gloriæ, & existimationis indicatur suauitas odoris eius. bonus enim odor bona fama, & suauis memoria. Ecclesiastici 49. 1. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij*. pulchritudo verò rosæ indicat pulchritudinem virginitatis, seu virginis, quatenus virgo est. Catullus Poëta comparans virginem illibatam rosæ adhuc florenti, & recenti, dicit huiusmodi rosam, dum sic se habet, ab omnibus concupisci: at cùm decerpta fuerit, & elanguerit; non amplius diligi. idem esse de virgine. amatur, æstimatur dum inuiolata est: spernitur à cunctis, posteaquam violata fuerit. In primo statu dicit de rosa, *Mille illam pueri, mille optauere puellæ*. in secundo, *Nulli illam pueri, nullæ optauere puellæ*. Ideo etiam impudicæ, & prostitutæ se aliquando virgines simulãt, vt

Sap. 4.

Eccl. 49.1.

vt ita trahant in rete suum pisces honoris, & gloriæ, vel alterius emolumenti, vel etiam pisces, hoc est amatores plurimos. Nonnulli scribunt, semina rosarum in retibus posita trahere ad retia pisces multos. Semina symbolum sūt verborum. nam *exijt qui seminat seminare semen suum*, scilicet verbum suum. Ergo & non virgines in rete fraudum suarum collocant, seu spargunt semina rosarum, hoc est verba virginitatis, verba virginei ruboris, & pudoris quasi rosea verba. adhibent verba virginum; imò & gestus, & habitum: verba virginum, hoc est modesta, & quibus se virgines prædicant, vt per hoc trahant ad rete suum plurimos pisces. nam de huiusmodi muliere dicitur Ecclesiastis *Sagena cor eius.* meminit enim de rosa dictum, *mille illam pueri mille optauere puellæ.*

CRAPVLA.

2. *Voraces animæ, vt prandium obtinerent, creditæ sunt Paradisum relinquere. gulosi eis similes.*
3. *Discreti in edendo pascuntur per os capitis, indiscreti per os ventris, scilicet per vmbilicum, vt fetus in vtero.*
4. *Gulosi nec Paradisum vellent sine crapula.*

2. piphanivs Ancorato dicit Græcos solitos fuisse cibos, & vina cōgerere super tumulum defuncti, illumque nomine suo inclamare, dicendo: Surge Petre, seu Paule, veni, & comede, & bibe cum lætitia. De simili abusu meminit etiam August. & alij multi. Vide ergo quàm existimarent mortuos illos auidos, & crapulatores, vt etiam defunctos putarent cibos appetere. At hoc parum est. nam cum crederent Pagani animas suorum, qui boni fuissēt, Paradisum, nimirum Elysios campos incolere; dum eas ad conuiuiū vocarent, putabant eas pro vno prandio ipsum Paradisum ex gulositate relicturas. Sic Brodeus libr. 3. epigr. apud Theatrum Vitæ hum. dicit creditum fuisse talibus cibis elici, & euocari manes. *Brod. l. 3. epig. apud Thea. Vitæ hum.*

Ridebis tu stultitiam prædictorum. Sed nescis hoc sæpè fieri apud nos? nam cum aliqui iam sint mortui, iuxta illud Colos. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*: cum sint mortui peccatis, vt iustitiæ viuant, & consequenter mortui crapulæ illicitæ cum ieiunij violatione; tamen cum dæmon super tumulos horum mortuorum conferat cibos, & inuitat ad ieiunium frangendum, sæpè tales mortui contempto Paradiso, cui iam erant deputati secundum præsentem iustitiam, terga vertendo Deo, & Aulæ Cælestium omnium, ad prandium oblatum accurrunt. Rides creditum fuisse animas tam voraces esse, vt de regione tam longinqua venire voluissent, vt semel pranderent. at tu ad longinquiorem accedis eadem de causa. Lucæ 15. de prodigo seu de peccatore sub eius persona dicitur, quod *Peregrè profectus est in regionem longinquam*, hoc est à bono *Luc. 15.*

ad malum, vt Ambrosius hic exponit. An non est proficisci in regionē longinquam, pro vili esca de summo cœlo descendere ad abyssum?

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras. Vide quantum distet gratia à peccato, & quantum viæ tu curras, vt semel prandeas. Vere tendis ad occidentem ab oriente, ad occasum enim vitæ, & ad id quod te occidit properas per viam vitæ (tale enim est alimentum) properas ad mortem. Ab ortu ad occidentem, (a) *Da vn buon natale à vna mala Pasca.* natalis enim est tibi acquisitio gratiæ. at peccatum cum sit malus transitus nempe à bono ad malum, est etiam tibi malum Pascha eo sensu quo vulgò accipitur hæc loquēdi forma. nam Pascha etiam significat transitum. (b) *Per vna mala Quaresima (cioè male da te fatta, ò digiunata male) vieni ad hauer vna mala Pasca, ò Pasqua.*

(a) A felici Natali, ad infelicem exitum.

(b) Per malè obseruatam Quadragesimam venis ad malū vel infelix Pascha.

De cibis exquisitis dicunt vulgò: *E' vn cibo, che mangieria vn morto.* (c) *è vn cibo da far resuscitar vn morto.* Cum ergo diabolus aliquādo animaduertat te esse mortuum peccato illicitæ crapulæ per pœnitentiam, per mortificationem, propositumq; non amplius in ea re delinquendi; iuxta illud Apostoli. *Vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus*: tunc occasione alicuius conuiuij, seu cœnæ ab amico tibi paratæ offert tibi cibum de quo comedere possint etiam mortui, seu resurgere à mortuis, & ex eo edis. itaque tu aliquando licet mortuus, comedis, seu à morte resurgis. oblitus mortis tuæ, seu mortificationis, euadis canis reuersus ad vomitum suum. Argumentabatur enim dæmon, dicens, iste mortuus est. vt ergo comedat, quærendus est cibus, de quo & mortui comedere possint, cibus qui possit suscitare mortuum. Sic verbotenus te suscitat mortuum, reuera autem interficit viuum. Inde discamus fugere occasiones crapulæ, & ciborum huiusmodi, ait enim Ecclesiasticus 37. 30. *Fili in vita tua tenta animam tuam, & si fuerit nequam, non des illi potestatem.* Hoc verò, quod facit dæmon in casu gulæ, & cupiditatis ciborum, facit & in concupiscētia cuiuslibet rei illicitæ, cui mortui eramus. Si enim non possit vincere oblato bolo ordinario, vincit oblato exquisito: vt ingenti lucro, liberalem & auaritiæ mortuum; speciosa muliere, libidini defunctum; & sic per reliqua, sic oblato Euæ pomo quod erat pulchrum visu, & ad vescendum suaue, eam induxit ad edendum.

(c) Cibus est, quo vel mortuus reuiuiscat.

Eccl. 37. 30.

3. Homines, vulgò dicuntur *Ora*. (d) *Ho meco tanta bocche, cicè persono.* Modo quidam sunt ora capitū, quidam ventrium. ora enim ventrium sunt vmbilici, per quos infantes alimentum excipiunt in ventre matrum. Ora ventrium ad nil valent nisi ad cibum capiendum. non enim locutioni inseruiunt. Ora capitum locutioni, & doctrinæ tradendæ, ceterisque bonis linguæ operibus sunt instrumenta. Præterea ora capitum habent apud se oculos, nares, imò ipsum cerebrum. ventrium vero ora ab istis procul absunt. Parasiti, & ventri dediti, inutilesque homines, *Ventres* vocabantur vulgò, vt apparet ex antiquis adagijs. Huiusmodi er-

(d) Tot ora mecum habeo vel pasco i.e. tot homines.

ergo homines ora sunt: sed ventriũ, non capitum. non enim aliud quam edere sciunt. idque sine discretione aliqua faciunt, vt qui longè sunt ab oculis,& cerebro prudentiæ. sunt enim meri ventres. edunt inquam absque discretione aliqua ciborum, temporum, seu dierum, velut fœtus in ventre matris, qui talia non obseruat, sed quidquid alimenti eius ori, hoc est vmbilico exhibetur, id absque luce, absque oculis & discretione aliqua prædictarum conditionum deglutit. Huiusmodi sunt Hæretici recentiores respuentes Ecclesiæ abstinentias,& ieiunia per infidelitatem; & voraces fideles, idipsum agentes per incontinentiam. Hi non solum sunt pueri(vt dicitur) centum annorum, sed necdum nati, hoc est in ventre matris sunt, cum iam sint senes; cum viuat prædicto modo. imò dicendum eis: *nolite fieri sicut equus,& mulus, quibus non est intellectus.* sũt enim muli,& equi edentes capite in sacco incluso. *Mangian col capo nel sacco,* hoc est absque discretione vlla, vt supra dixi.

Vt igitur ora vestra, seu vos, sitis in edendo ora capitum, non ventriũ (nam, vt dixi, homines ora vocantur) vt vobiscum habeatis oculos, nares, cerebrum discretionis; ait Salomon, Prou. 23. 1. *Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ posita sunt ante faciem tuam & statue cultrum in gutture tuo.* Beda hoc loco per cultrum quo cibi dissecantur, discretionem intelligit. subdit ibi: *Et ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij. In quo,* hoc est, *apud quem,* vt Iansf. hic exponit. *Panis mendacij* est apud Principem, scilicet in mensa eius, hoc est, vt idem Iansf. ait. quia lauti cibi, qui solent esse in mensis potentum, solent sua lautitia decipere conuiuas gulosos, vt plus sumãt cum periculo salutis. alibi etiam scriptum est Habac. 2. *Vinum potantem decipit.* Si ergo comedis velut os ventris, seu vt equus capite in sacco immerso; haud mirum, si dæmon, seu gula imponat tibi, pro cibo suaui infirmitatem corporis, vel etiam mortẽ animæ glutire te faciat. Prouer. 20. *Suauis est homini panis mendacij, postea implebitur os eius calculo.* en tibi deceptio ex pane mendacij, hoc est ex cibo. *implebitur os eius calculo.* Caietanus per calculum intelligit ratiocinationem, quod hæc per calculos fieret apud mercatores. Tu putas edere gratis oblatos cibos contra legem abstinentiæ, vel ieiunij: at ipsi te decipiunt, vel qui te inuitauit, te decipit per eos. nam in fine inuenies te in taberna comedisse, & cogeris rationem reddere, vsque tuum calculo implebitur. (a) *Bisognerà, che facci il cõto con l'hoste.* hoc est Deo rationem te reddere oportebit, & solues in quadruplum. hoc est plus pœnæ (vel in corpore per ægritudinem, vel in inferno, si damnaberis) quã fuerit voluptas, sustinebis.

Prou. 23. 1 | Habac. 2. | Prou. 20. | (a) Oportebit te rationem inire cũ hospite.

Os ventris, nimirũ gulosus, & inutilis, seu parasitus, comedit in ventre, hoc est in tenebris vitæ præsentis, comedit inquã velut vmbilicus infãtis, (quem dixi esse os, quo infans in ventre matris alitur), comedit cibum vilissimum: at cum exierit de vtero nimirum de hac vita, tunc sẽper ieiunabit, vt vmbilicus semper ieiu-

Luc. 16. ieiunat. sic diues in inferno, Luc. 16. neque guttam aquæ obtinuit è cōtrario vir sanctus, qui est os capitis, cum in ventre huius vitæ ieiunet; vt ita dicam, semper; nam parum (quod comedit) pro nihilo reputatur: postea exiens ex hoc carcere, seu vtero vitæ, optimè vescetur totâ vita sua velut os capitis solet vescetur inquā in illa mensa eoque cibo, de quibus Luc. 22. dicitur Lucæ 22. *Vt edatis, & bibatis super mensam meam.*

In quo est panis mendacij. Sunt mendacium cibi lautiores, quales in mēsis Principum apponuntur. quia faciunt vt conuiuæ mentiantur: vt nox dicitur cæca, quia velut cæcos reddit homines. efficiunt hi cibi, vt cōuiuę mentiantur sibi ipsis, dum se ipsos decipiunt; dicentes intra sese, Hic cibus, licet alijs sæpè nocuit, non nocebit mihi: illis enim nocuit, quia stomachum papiraceum habebant, ego verò ferreum habeo, & similia. Panis mendacij. (a) *Perche ti fan mentir per la gola.* Luditur super æquiuoco. quia homo vorax ita mentiens mētitur propter gulam: Dicam paradoxū: Cibi exquisiti, & à Regibus exhibiti sunt castaneæ, & genus illud radicis rubeæ rapo similis, quæ Italicè *Carota* dicitur. his enim vocibus mendacia vocātur apud nos. (b) *I cibi Reali (cioè Regij) son manco reali, cioè manco veridici.* ergo ne credas illis. *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.*

(a) Faciūt vt mentiaris per gulam.

(b) Cibi Regales, minimè reales.

4. Gulosi eo deuenerunt per gulam, vt neque in Paradisum vellent venire, si ibi non edatur. vnde Mahomet, vt huiusmodi homines alliceret ad illuc aspirandum; commentus est pro Paradiso hominum, Paradisum (vt ita dicam) equorum, & asinorum, qui cōsistit in edendo die ac nocte. Cum autem Astrologi inter signa Cælestia, vt Tauri, Cancri, Arietis, &c. etiam vnum ibi agnoscant, quod vocatur, *Aselli*: & iuxta asellos, seu asellum sit macula quædam, quæ vocatur *præsepe*: Aratus libro de signis ventorum dicit Iouem transtulisse iumentum hoc in cœlum, eò quòd in pugna contra gigātes à Sylenis, vel à Sileno mediante hoc genere brutorum adiutus fuerit, & præsepe etiam illuc transtulisse. quasi sciret asinos nolle nec in Cœlo esse sine præsepio ad edendum. Asinus verò vt Greg. 27. moral. 15. significat immundum peccatorem. ita accipit illud Exod. 13 13. *Primogenitum asini mutabis oue.* asini sunt: ideo præsepe etiam in Cœlo apud eos ponendum fuit.

Greg. 27. moral. 15.

Exod. 13. 13.

2. *Gulosus impinguat equum corporis: vnde Christus excutiatur.*
3. *Mos Gentilium, & religio in mensis, præsertim gratias agendi Dijs.*
4. *Gulosum qui necarat mercede donatus, seu iussum esse, vt acciperet.*
5. *Gulosi anima supra ventrem non assurgit in corpore suo.*

2 CVRATOR quidā equorū Principis sciens equū illū, quē sępius rex equitabat multo cibo lasciuire, & excutere sessore cū periculo vitæ; tamen prędictum iumentū alebat copiosè, & lautè, vt regem excuteret, & damnum illi fortasse mortiferum offerret. Parabola verificatur ferè in pascente seipsum, & corpus suum

suum quasi iumentum, vt excutiat Christum à se, seu Spiritum sanctum. Sic Hieron. epist. 9. ad Saluinam: *Nostrum est, lasciuiens iumentum frenis inediæ subiugare*, &c. *vt sessorem Spiritum sanctum moderato atque composito portet incessu.* hæc ibi iuxta illud, *vt iumentum factus sum apud te*, &c.

Hieron. epist. 9. ad Saluin.

3. Plutar. in Sympos. lib. 7. q. 4. dicit antiquos mensę accubituros Dijs suis ciborum primitias consecrare solitos, quasi vitæ datores ita eos recognoscendo. ex quo tamquam gulosi in libris Græcorum (vt videre est apud Athen. lib. 6. cap. 2) reprehenduntur ij, qui de olla, vel sartagine comedebant, scilicet antequam dijs esset libatum.

Plutar. in Sympos. l. 7. q. 4. *Athen. l. 6. c. 2.*

Et apud Stobæ. ser. 41. legitur, quod etiam diuos in mensa habebant ad custodiam temperantiæ. & Athen. lib. 4 cap. 9. refert Naucratitas post accubitum è lectis assurgentes, hoc est è mensa, assurgere in genua, & vna cum sacro præcone vsitatis precibus Dijs libare, & Porphir. lib. 4. de abstinentia ab esu animal. narrat Samaneos himnophistas ad tintinnabuli signum preces fundere ante, & post mensam.

Stobæ. serm. 41 *Athen. l. 4. c. 9.* *Porphir. lib. 4. de abstin.*

Hæc commendant ritum religiosum benedicendi mensam. narrat Greg. dial. primo cap. 4. monialem quamdam vorasse lactucam non præmisso crucis signo, & à dæmonio mox fuisse occupatam.

Greg. dial. 1. cap. 4.

4. Inter Lepidas narrationes habetur ista: Erat quidam qui in conuiuijs nobilium de se spectaculum faciebat, edendo quantum decem homines vix possent. Quidam hunc occidit. Princeps re audita, ait: Numerate illi quinque libras. significare voluit illum lupo necem attulisse. tantum enim pecuniæ occidenti hoc animal ex lege debebatur.

5. Cum quidam in scenâ Gigantum personas sustinerent, capite, atque oculis sub ingenti laruâ latentibus, vsque ad ventrem gigantis tantum pertingebant. vnde quæ supra ventrem erant, inania inueniebantur, vel suffulta tantum aliquo stipite caput & pectus gigantis externa larua repræsentante. Tales mihi videntur animæ epulonum, quæ cum pusillæ sint, atque humiles, (pusillanimis enim, & demissus animo est, qui cogitat tantum quæ sunt ventris) idcircò cum in corpore suo sint, vt ita dicam, quasi sub persona, & larua gigantis, hoc est magna, & alta; ideo non videntur capite, & oculis mentis pertingere, nisi vsque ad ventrem ipsius corporis. hoc est in nulla alia re esse ingeniosæ, nisi in ventris studio. in ijs autem quæ ad caput & pectus pertinent, scilicet ad operationes mentis, & cordis, omnino expertes ingenij sunt, & oculorum, atque aurium: quia, vt dixi, hæc omnia habent tantummodo in ventre. neque altiùs insurgere valendo, videntur dicere, *Quæ supra nos nihil ad nos.* nonne talis erat, qui cum in rebus virtutis, (quæ sunt opera intellectus veri, atque oculorum & lucis) absque cerebro, & capite, & absque oculis erat; (loquor de villico iniquitatis) vbi ventum est ad ventrem, scilicet ad studium prouidendi stomacho, totum caput, & cerebrum, atque oculos in prædicto

ventre habuit, cum ait: *Quid faciam*, &c. & tam prudenter sibi alimenta conquisiuit, vt Dominus laudarit eum quod prudenter egisset.

Antonius Torq. in suo hort. flor tract. 1. Antonius Torquemada in suo hortulo florum tract. 1. ait, circa annum Domini millesimum quingentesimum decimumtertiũ duo monstra visa esse, quorum alterum erat homo viuens habensque caput alterius hominis prominens extra stomachum suum, adeo vt reliquum corpus videretur habere in ventre, excepto capite, quod vt dixi, extra ventrem extabat. Aliud autem contrario modo erat homo viuens in cuius ventre caput alterius hominis inesse videbatur, reliquum verò corpus extra ipsius ventrem extabat. Primum mihi videtur repræsentare hominem sobrium, ac sapientem qui quamuis aliquando toto corpore, vt ita dicam, cogatur manere in ventre, hoc est occupari in refectione, & in opere sumendi alimenta & concoctionis ciborum, vt euenit in ægritudine, & imbecillitate stomachi; tamen iste homo saltem caput, scilicet mentem, & cogitationem extra stomachum exerit, & tenet. è contrario auidus, & crapulæ deditus, licet aliquando toto in corpore extra ventrem emineat, vtpote liber sit ab actu, & necessitate alimoniæ, curæque corporis & ventris; tamen capite, hoc est mente, & animo in ventre demerso manet, & vt dicitur *Animus est in patinis*. Religiosi dum inter refectionem librorum spiritalium lectioni audiendi vacant, nonne licet corpus aliquomodo in ventre habeant, caput extra illum habent? at auidi mundani, qui etiam dum audiunt rem sacram, vel concionẽ, animo recurrunt ad ventris delitias cogitandas; nonne corpus extra stomachum, & capite intra illum manent?

2. *Statua epuloni ex ebore, scilicet dente elephantis decreta.*
3. *Multi fortes in edendo, at in opere, & pugna imbecilli.*
4. *Quidam ieiunium suum faciunt vitiorum suorum vmbraculum.*
5. *Prætextu infirmitatis seruiunt gulæ.*

2. CVM insignibus viris in aliquare soleant statuæ erigi, fingitur mortuo epulone insigni dubitatum fuisse à collegio epulonum eius sociorum ex qua materia statua illi conficienda esset, cùm iam de ipsa ei ponenda statuissent. & cum varij varias proposuissent materias; vnus ait, ex ebore efficiendam se sentire, eo quod ebur ex dentibus elephantis habeatur, & per id ostendetur eum hominem totum fuisse dentes in edendo, vel ad nullum opus honestũm aptu fuisse, nisi ad molas dentium agitandas, tum etiam, quia huiusmodi homines in mensa lauta si aliquando assideant, non solum os, sed oculos, nares, manus, & omnia ferè membra exercent, & agitant quasi de toto corpore dentes efficiendo, vt citò & ex qualibet patina copiosè se infarciant. Hæc suo modo applicari possunt etiam mordacibus, qui vt Apost. ait, *se inuicem mordent*, Galat. 5. 15. vel etiam deuoratoribus pauperum. his enim omnibus ex ebore statua debetur. Nicolaus Leonicus lib. 2. c. 89. var. hist. ait, *Galat. 5. 15. Nicolaus Leonicus l. 2. c. 89. var. hist.*

Arcades

Nota bls Arcadibus & horum similibus conuenire, quorum Deus venter est, & gloria in cõfusione, scilicet in ignominia quia gloriam in re turpi collocant.

Arcades pro summo honore habuisse magnam edacitatem, & miris laudibus celebrasse eos, qui multum edissent in sacris eorum conuiuijs. Dic hoc statuas libenter posituros edacibus.

Nic. Leon. l. 1. c. 3. de var. hist.

3. Idem Leonicus lib. 1. cap. 3. de var. hist. dicit quemdam Lepreum Phrigei filium vrbem condidisse apud Elidem, nomine de suo Lepream eam vocasse. Hic, vt ille ait, Herculem prouocauit ad certamen comedendi. Hercules bouem totum vna refectione comedit; id etiam præstitit Lepreus. at deinde prouocauit Herculem ad duellum pugnæ, ab eoque victus, & necatus est.

Tales armigeri nobilium sæpè non cedunt in edendo armigeris inimicorum, at vincuntur ab eis in pugna vera.

Applica quod multi potentes sunt in pugna maxillarum, át imbecilles in pugna manuum. tales sæpè sunt armigeri illi, quos nobiles sibi asciscunt mercede data, vt contra inimicos priuatos eos in rixis defendant. Italicè dicuntur *braui*, ô *sgheri*. Huiusmodi etiam sunt gulosi, qui in pugna deinde cum hostibus, scilicet cum dæmone, mundo, & carne succumbunt. Discipuli in mensa Christi omnes parati erant in carcerem, & in mortem ire. at in horto non duos gladios illos de quibus dictum est, *sunt duo gladij hic*, sed duos gladios, scilicet suorum pedum in fine vibrarunt, dum omnes relicto eo fugerunt, quamuis Petrus quidem solus gladium in vnum extenderit. Vel dic etiam aliquos in edendo, & frequentando Agno Dei in Eucharistia æquare aliquos ex Sanctis: at in pugnando deinde contra spiritales hostes ab ijs longè superari.

4. Mercatores, seu venditores aliqui (quia *qui malè agit odit lucem, fortaßè vt non arguantur opera eius*) linteamina quædam, & vmbracula extendunt in introitu officinæ, seu apothecæ ipsorum, vt mercium defectus emptori non appareant, & fortasse etiam, vt mala pro bonis vendant. Ita quidam virtutem mercimonium contendunt facere, ne defectus mercium suarum appareant, & vitia pro virtutibus vendant, ieiunia, & similes mortificationes quasi umbracula quædam obtendunt suis prauis moribus. Sic D. Hieronymus ad Demetriadem virginem: *Abstinentia tua eo magis Deo grata est, quo cum moribus sanctis offertur, vt quæ in alijs sunt vmbracula vitiorum, in te sint ornamenta virtutum.*

5. Guttur, vulgo *gula* appellatur. hoc autem membrum aliquando ægritudines quasdam patitur, vt inflammationes, & alia. Vt autem succuratur his morbis, & inflammationibus, sæpè in corpore reliquo adhibentur confricationes, & alia præsidia. Ita etiam in dolore dentium Galenus, & alij Medici docent pulsibus manuum apponenda esse quædam diuertendi humores facultatem habentia. Qui viderit prædicta fieri putabit his rebus succurri corpori infirmo, vel in casu postremè narrato succurri putabit ipsis pulsibus: cùm tamen reuerâ, non corporis morbo, vel pulsuum, sed inflammationi & morbo gulæ succurratur, atque morbo oris, & dentium, Laborat homo morbo gulæ & inflammatione eius nimirũ auiditatis: laborat morbo oris, & dentium, scilicet gulositatis: & quamuis videatur suc-

succurrere ægro corpori, vel membro per comestionem delicati cibi, quia hoc prætextu talem cibum sumit; tamen reuera non ægro corpori vel membro, sed gulæ, & dentium morbo succurrit, hoc est gulositati. ita etiam cum videtur succurrere naturæ, sæpè succurrit crapulæ. Ita Gregor. 7. Moral. ait: *Sæpè edendi ratio seruit gulæ, & seruire se simulat indulgentiæ.*

Gregor. 7. Moral.

2. *Nisi deuictâ gulâ plenè non vincuntur alia vitia.*

2. **D**OCTORVM, & Patrum sententia est, non solere vinci hostes spiritales, nisi deuictâ gulâ. Si me deuincit pullus mortuus (scilicet per gulam in me incitatam) quomodo resistam Leoni viuo, nimirum dæmoni? ideo dicitur: *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens*, &c. vt indicetur per gulæ victoriam vinci deinde & dæmonem. Sic sententia Gregor. est 30. Moral. *Non ad conflictum spiritalis agonis assurgitur, si non prius gulæ appetitus edomatur.*

Gregor. 30. Mor.

Dicebam ego ventrem aliquorum epulonum esse velut arcam Noë, quia vt ait quidam, quidquid auium volitat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepelitur in ventribus. at cum hodie apud nos pisces etiam cum carnibus eodem in conuiuio ordinariè habeant; etiam plusquàm arcam illam efficiunt ventres; quia pisces illa non habuit.

3. *Gulosus optaret esse Hydra. Frustra ieiunat os, epulantibus sensibus.*

3. **F**ERVNT Hydram septem capita, & colla oblonga habuisse. vnde si Philoxenus optabat se collum gruis habere, vt cibus per totum illud spatium transeundo, gustum protraheret diutiùs: multò magis in Hydram libenter mutatus fuisset, si de ipsa audierat, vt per septem ora edere potuisset, & per septem colla oblonga cibus transisset. sed si Hydra hæc vno ore ieiunasset, & reliquis sex perpetuò epulata esset, num tibi videretur bene ieiunasse? ad quid agis tu, cum ieiunando peccas, & voluptates hauris aliorum sensuum? certè sensus sunt quædam ora, per quæ pascitur homo. nonne dicitur, *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur?* nonne vox est communis, Sanctorum ieiunium debere seruari non solum ab ore, & gula, sed ab omnibus sensibus? ergo cum quæcumque obiecta, & quoscunque cibos finis intrare ad tuos sensus; vno ore ieiunas, & septem oribus epularis. imo aliquando ieiunas vno ore à cibis licitis, cum ieiunium tuum est solius deuotionis; & septem, vel ampliùs oribus etiam ab illicitis non abstines. vnam ianuam custodis Deo, & septem aperis diabolo, vel vnam dæmoni claudis, & septem aperis. cum enim duplices sint oculi, & aures, & totidem foramina nasi præter tactum toto corpore diffusum; plures fenestræ, seu ora dici possunt, quàm sint ipsi sensus. De Briareo Gigante ferunt eum habuisse centum brachia; modo quid diceres si vna manu quempiam demulceret, & decem manibus eundem vulneraret? at quid aliud facis tu, cùm vno ore

Deum

Deum videaris honorare, & septem oribus lædas? quamuis, si ieiunium sit cum mortali peccato, neque ipso ore vnico Deum honoras ad effectum merendi gratiam.

2. *Gulosus lupus est; nec viuus, nec mortuus vtilis.*
3. *Gulositas vitæ nox. Mensa detegit viri qualitates.*
4. *Saturi esurientibus auari sunt.*

2. QVÆDAM animalia vtilia & bona sunt viua, & mortua, vt bos: quædam viua tantum, & non mortua, vt falcones, accipitres: quædam non viua, sed mortua, vt porcus: quædam nec viua, nec mortua, vt lupus. Boui similis est bonus paterfamilias, qui suis vtilis est ratione laborum suorum dum viuit, & per hereditatem illis relictam, dum moritur. Falconi similis est artifex, qui artificio suo alit domum suam, at mortuus nihil ei confert. Porcus verò est auarus, de quo adagium est, quod non est bonus viuus, sed tantum mortuus, tunc enim lætificat familiam per hereditatem. Lupus verò per voracitatem est homo gulosus, qui eò quòd viuens omnia deuoret, & nihil post se relinquat; nec viuus, nec mortuus bonus est, hoc est vtilis.

3. Malus est lupus etiam mortuus, vt Fernelius de occultis naturæ miraculis libro 2. cap. 13. scribit ipsum qui comederit venenari, & quosdam, qui de eo comederunt rabie fuisse apprehensos, & objisse. Vulgò dicitur de valde guloso, Habet lupum in stomacho, siue habet rabiem edendi lupinam. sicut ergò materialiter loquendo actum est de illo, qui lupum (hoc est lupi carnes) in ventre habet; ita plerumque actum est de illo, qui lupum habet in stomacho, hoc est voracitatem; nam *propter crapulam multi perierunt*, vt dicitur ab Ecclesiastico. Actum est de illo qui rabiem lupinam in ventre patitur, hoc est voracitatem. hoc enim est comedisse lupum, venenoque infici.

Fern. de occultis nat. mir. l. 2. c. 13.

In libro idem est tabula, atque index. ita etiam cum apud nos mensa vocetur tabula; hæc tabula simul est index, quia in fractione panis cognoscitur homo, & vt adagium fert, *In vino veritas.* Sicut enim fercula, quæ cooperta deferuntur, postea in mensa deteguntur, & apparent quæ antea nesciebantur: ita & mores hominis, internique affectus sed præcipuè sobrietas, vel incontinentia, aperiuntur in conuiuio. Vnde Italicum adagium est, *La mensa è vna dolce corda, & vna dolce colla*: hoc est, mensa est dulcis tortura, & dulce glutinum. est inquam glutinum; quia detinet chorda apud nos dicitur tortura; quia in tortura, illâ vtimur.

4. Duos progenitores habemus, Adam, & Noë: ille edendo, iste bibendo nudatus est, & opprobrio expositus. ne mireris ergo quod diximus mensam nudare in homine etiam quæ contegi debuerant. Sed adde nec mirum esse si tot ipsorum filij quasi ex stirpe, originale, vt ita dicam, malum attraxerint, nimirum per comessationes & potationes nuditatis, hoc est paupertatis ruborem. Quot enim familias, vel homines le-

Adam nudatus, hoc est nuditatis ignominiam passus quã antea carebat, licet nudus esset.

gimus, vel audiuimus ex huiusmodi rebus spoliatos opibus & honoribus, cum magno rubore vixisse. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? vt ait Greg. sic Prou. 21. 17 *Qui diligit epulas in egestate erit, qui amat vinum, & pinguia non ditabitur.*

Greg. sic Prou. 21. 17.

Ægidius Corozetus de dictis, & factis memorabilibus apud Theatrum Vitæ humanæ hanc historiam refert. Quidam plebeius adijt Alphonsum Aragoniæ Regem, dicens: A duro exactore valde vexor quotidie ac sine intermissione, ob debitum graue contractum iam à parentibus, nec possum efficere vt vnquam me dimittat. Rex misertus illius, Sine, inquit, agnoscam creditorem hunc, & placabo eum. tunc plebeius, Hic inquit, est meus venter, cuius debito quod quotidie exigit à me, nequeo satisfacere. tu cui plura suppetunt ad illi soluendum, misericordiam mihi impende. Delectatus Rex hominis lepida adinuentione, non indonatum dimisit. O quot miseri veniunt, & clamant ad te: Creditor, seu exactor suffocat nos, dicendo, *redde quod debes*, & non habemus vnde reddere. oramus, vt præbeas vnde liberemur à morte, ad quam nos ducit iste durus exactor, nimirum venter. & tamen tu dices, *ego autem tanquam surdus non audiebam.* Ducuntur ad mortem ab isto exactore, & tu te excusas, quod vires tibi non suppetant ad eos liberandos. sed audi verbum Spiritus Sancti, Prou. 24. 11. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. si dixeris, vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, redderque homini iuxta opera sua.* Gregor. ad Iob 3. *Vocem exactoris non audit, per exactorem ventrem intelligit cibum exigentem.*

Prou. 24. 11.

Greg. ad Iob 3.

2. *Gula militat contra se ipsam, somnum impedit.*

3. *Ad ieiunia per inopiam deducit.*

2. QVID ais ô epulator? vel vis sectari abstinentiam, vel non vis. si vis, debes eam sectari, vt sis abstinens: si non vis, eam debes sectari, vt non sis abstinens. gulam debes fugere, vt non sis gulosus. An ignoras adagium nostrum? (a) *Non fà bel la festa se chi non fà ben la vigilia.* Hoc non solum verificatur quoad deuotionem festiuitatis, sed etiam quoad festum, hoc est epulas in eo faciendas (quas etiam vulgus festa appellat) quas ieiunium præcedere debet, vt possit ipsæ subsequi tanquam famulæ dominum. Dulciores post famem epulæ, inquit Ambrosius, & Prou. 27. *Anima saturata calcabit fauum, quæ autem esuriens est, etiam amarum pro dulci sumet.* Ad id quod diximus facit quod sequitur.

(a) Male agit Festū diem, qui ritè non celebrat Vigiliam.

Prou. 27.

Viso quodam adolescente ientaculum tantummodo in cœna sumente, cum alioquin esset minimè parcus in edendo; ait illi Philosophus quidam: Non ita cænares, si ita prandisses. Sed fac ipsius ientaculum fuisse (quod sæpè euenit apud nos) olus exiguum: tum audire merebatur: Nisi prandisses vt lupus, non

cæna-

cænares vt ouis: præsertim si carnes in prandio edisset, quæ sunt luporum cibi, vt herba ouium. nos diceremus: (a) *Se non haueßi fatto la festa, non faresti hora la vigilia.*

(a) Si præpropere non celebrasses Festũ, iam non ageres Vigiliã.

Occurrit ad hanc rem, quod Leones sunt Hieroglyphicum vigilantiæ apud omnes, vt Pierius testatur, eo quod oculis semiapertis dormiant. vnde ob hoc Leonum capita super ianuas solent exculpi, quasi his vigiles sint constituti. Hoc posito dicendum videtur de gula, quod non solum fami, sed etiam somno obstet, adagiale huiusmodi. cænant vt lupi, dormiunt vt Leones, surgunt vt bubones. Italicè diceremus *leuan come babioni*, quod vocabulum fortasse deductum à bubonibus, qui apud nos *barbagiani, aut allochi*, animalia nimirum somniculosa, & stupida. dormiunt vt leones, scilicet quasi vigilando: *nam saturitas diuitis non finit eum dormire.*

3 Sed de hac re infra dicemus. Interea qui in mane, & prandio (vt ita dicam) iuuentutis suæ omnia deuorat, seu consumit, & præsertim in comessationibus, & ebrietatibus; ita vt postea in cœna, ac vespere senectutis esuriat; audiat sibi dictum: Si ita prandisses, non ita cænares: Nisi prandisses vt lupus, non cænares vt ouis. An non pransus est vt lupus filius prodigus, & quisquis talis fuit, qui vt est in Euangelio *deuorauit substantiam suam cum meretricibus?* quid est cum meretricibus nisi cum lupabus. nam lupa Latinè etiam meretricem significat, vnde denominatum lupanar. Quis nisi lupus fuit, qui cum lupabus in lupanari, & tam celeriter tantã deuorauit quasi vno prandio? sed cum cuperet saturari deinde de siliquis, & nemo illi daret; nonne herba terræ, vel re consimili cogebatur cœnare? ergo cænabat vt ouis, quia pransus erat lupus. Nam Ecclesiastici 25. 5. *Quæ in iuuentute tua non congregasti, in senectute tua quomodo inuenies?* si non inuenies quæ non congregasti; inuenies quæ dissipasti? Eccl. 2. 55.

Veraciter in hoc deuoratore, & prodigo *ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* nam in matutino ætatis egit festiuitatem, in vespere vigiliam, hoc est ieiunium, & pœnitentiam. Risit, & epulatus est in die Dominico, hoc est in iuuentute: flebit & ieiunabit in die Veneris, hoc est in senectute. nam hic dies deputari solet pœnitentiæ, vt senectus in hominum vita.

Vide miseriam huiusmodi epulonum, vel prodigentium bona. quando senes effecti à ieiunijs liberantur ob ætatem, & infirmitatem; ad ea coguntur ob inopiam. quando ab ijs eximuntur à Medico, vel Confessario; ad ea compelluntur à coquo, vel tabernario. sunt vt feminæ fœcundæ, quæ in iuuentute ferè semper videntur pleno ventre nimirũ prægnantes: at in sequenti ætate ventre cernuntur vacuo. In ætate acerba, pleni sunt dulcedine; in matura acerbitate, cùm in fructibus contrariũ accidat.

In prima Quadragesima vitæ suæ, nimirum in primis quadraginta annis (si tamen tam diu perduret eorum fœlicitas, & res familiaris) in hac inquam Quadragesima faciunt Saturnalia. at post bonam Quadragesimam, habent vt vulgus loqui-

loquitur, malum Pascha. vel in Quadragesima secunda (si tamdiu superstites sint) agunt Quadragesimam, & pœnitentiam de pœnâ. Adagium est, *Maxilla seni baculus.* at cum in senecta puniantur de iuuenili voracitate; verè maxillæ fiunt baculus senectutis eorum. præterea fiunt baculus ratione imbecillitatis, & ægritudinum ex intemperantiâ præterita consequentium, & senectutem occupantium.

Sed, vt supra tetigimus, etiam sanitati, & somno officit crapula. lupus est ratione voracitatis homo gulæ deditus. & culcitræ ex ouium lana confici solent, quas nos vocamus, *mataracci.* & quia saturitas diuitis, & lupi nostri, non sinit eum dormire; ideo iactatur tota nocte per lectum, & culcitram miseram per noctes continuas solet consumere, ac earum internam lanam, nedum externam valde lædere. Valde in hac re sæuior lupo: nam ille, si non ouium carni, saltem lanæ parcit. Vel dicamus hunc hominem in hac parte se ostendere lupum. nam vt inter alios scripsit Gesnerus de animalibus quadrupedibus tractatu de lupo, talem antipathiam habet hoc animal cum oue, vt auctores dicant eius pellem ouinæ pelli impositam eam lædere. & vulgatum est apud Auctores, tympanum ex corio ouis pulsatum non audiri, seu ferè nihil audire, si aliud ex corio lupi prope ipsum pulsetur. Non mirum ergo esset, vt ita dixerim, si lupus, hoc est vorator corio suo vastaret lanam ouium, dum saturitas sua eum dormire non sinit, dumque dormit in culcitra lanâ ouium referta.

Si cœnas, & ad te accedit quispiam, etiamsi esset vir magnus, nec tibi exhibeat consuetum illud, Prosit, seu proficiat; Italicè, *se non ti dà il buon pro*; vel amota cœna dum recedit, vt Italicè dicimus, *non ti dà la buona notte*: id est, non precatur bonam noctem: perinde censeretur facere, ac si malam relinqueret noctem, malum ciborum effectum precaretur. Si inquam hæc in te quispiam faciat, certè illi valde irasceris, & fortasse non tolerabis. At quod non tolerares ab homine, id toleras à vitulo, vel sue, vel potius à multis alijs animalibus, quæ degustas: quia nedum tibi non dant illud *prosit*, seu *bene proficiat*, & *bonam noctem*; sed male proficiat, & malam noctem tibi exhibent. an non est hoc verum, cum dictum sit, *Saturitas diuitis non sinit eum dormire*? quid est saturitas, nisi animalia comesta? quid est non sinere eum dormire, nisi dare ei male proficiat, dare malam noctem? Irasceris ei qui hæc mala tibi dicit, & non irasceris ei, qui illa tibi facit? *Saturitas diuitis non sinit eum dormire*, hoc est non exhibet ei, Prosit, &c. vide quàm malè morigeratæ, quàm inurbanæ diuitiæ sint. at è contrario paupertas, & sobrietas præbent istud prosit, & noctem optimam ac quietam. Ambrosius lib. 6. Examer. cap. 8. ait, *Quem audisti pauperem cruditate defectum? prodest illi inopia sua.* en tibi quomodo inopia det edenti suum prosit. dat etiam optimam noctem: nam dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat. cur etiam si multum comedat dulcis est ei somnus? quia operanti præci-

Ezec. 10.

Ambr. l. 6. Exam. cap. 8.

præcipuè pauperi, & esurienti plerumque etiam multus cibus non est multus, hoc est superfluus, & quia lassitudo allicit ei somnum.

Hoc vocabulum *Lances* significat apud Latinos patinas quasdam quibus vtebantur in mensa. atque significat etiam lances libræ, quia similes illis sunt. vnde *bilances* dicuntur, quia geminæ sunt. dic igitur idem esse nobis debere patinas, & lances, iuxta illud Ezech. 4. 10. *Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere.* Subditur ibi, *Et aquam in mensura bibes.* ideo Sancti prædicant, ad cibum vt ad pharmacũ progrediendum nobis esse. pharmacum enim & boli eius in numero, pondere, & mensura accipiuntur. Sed sicut lances, seu patinæ in libra colligatæ seruant iustitiam ponderis in librando: ita inde solutæ, verè dissolutæ fiunt in hac parte, seu dissolutos reddunt qui ijs vtuntur. patinæ ergo nostræ, seu lances, cum solutæ sint à libra; iudicantur solutæ à quocunque munere ponderandi, seu discernendi, à quacunque discretione & temperãtia demonstranda, seu continenda. fiunt nobis lances sine lancibus, mẽsuræ sine mensura. imo etiam ob multiplicitatem, sine numero. *mendaces filij hominum in stateris* istis, *vt se ipsos decipiant* non de vanitate, sed de plenitudine ipsarum. patinæ lances sunt solutæ, seu dissolutæ à libra, hoc est à iustitia. quia propter luxũ, & lautitiam viuendi iustitia dissoluitur. Libra dissoluitur, si eius lancibus volumus vti pro patinis. sic iudex, sic alius minister Palatij ob hoc dissoluunt iustitiam vt comedant tam propriè, quàm metaphoricè, iuxta illud Iobi, *Diuitias, quas deuorauit*, &c. ob hoc dissoluit librã, qui non soluit debita, vel illicito lucro vacat, &c. Sic Ecclesiastes 10. 19. *In risum faciunt panem, & vinum, vt epulentur viuentes. & pecuniæ obediunt omnia.* litteralis, & communis sensus est, vt apud Pinedam, & alios videre est; *in risum*, hoc est *ad risum*, nempe ad voluptatem, & luxum *faciunt panem, & vinum*, hoc est, cibum, & potum sibi parant. quia in Scriptura per panem omnis cibus intelligi solet., vt & hic intelligitur. *& pecuniæ obediunt omnia*, hoc est, vbi ita gulæ dediti sunt homines, apud illos pecuniæ obediunt omnia, nempe nihil non agunt, dummodò currat moneta, ad ventrem nimirum implendum. quod est dicere, omnem iniustitiam committunt causâ ventris. omnia ventri obediunt. Cui obediunt omnia, nisi Deo? de illo dictum Psalm. 18. *Quoniam omnia seruiunt tibi.* at horum Deus venter est. (a) *In vna mascherata caualcaua la gola, e sempre li andaua in groppa l'ingiustitia.* apud nos *andar in groppa*, est esse accessorium alicui rei. quando diabolus vendit carnem gulæ, solet dare additamẽtum iniustitiæ, siue auaritiæ, quæ in iusto modo acquirit. *quando vende carne di gola, dà l'agionta, ò per gionta, l'ingiustitia, ouer l'osso dell' ingiustitia.*

In risum faciunt panem, & vinum, & pecuniæ obediunt omnia. Tigurina legit. *Apparant conuiuia cibis magnificè propter voluptatem.* paulò ante enim hæc verba dixerat de Principibus, qui *Vescuntur in tempore suo ad reficiendum,*

Ezech. 4. 10.
Prou. 1. 6. n. 8.
Ecclesiast. 10. 19.
Psalm. 18.
(a) In pompa laruatica equitabat Gula, cui à tergo sedebat in eodem equo iniustitia.

dum, & non ad luxuriam. apud epulones Principes, & Iudices (vt Pineda exponit) *Pecuniæ obediunt omnia.* hoc est, pecuniæ, vt supra dicebam, ad implendum ventrem. Quasi dicat omnia obediunt ventri, vel ori voraci ipsorum. De huiusmodi voluptuosis epulonibus dicitur: (a) *Che hanno, bocca che vuoi?* quidquid os appetit, seu postulat venter. rectè ergo lautæ epulæ explicatur per hæc verba, *Bocca, che vuoi?* quia sæpè qui ita gulæ vacant, solent dicere ori suo, vel ventri, *Venter,* seu *domine quid me vis facere?* quid iubes? nam horum Deus venter est, & apud illos omnia per ipsum facta sunt. nil est, quod non agant causa ventris, quamquam iniquum esset.

(a) In promptu habent, Gula quid appetis?

PAVPERTAS.

2. *Deplumata auis, scilicet homo opibus relictis facilius volat sursum:*
3. *Religiosus sua relinquens per Iacob figuratus, è terra tollitur ad cælum.*
4. *Pauperes non ambulant per terram, sed per aëra. Iidem se suspendunt, vt perfecti sint.*

2. Lumæ sunt symbolum diuitiarũ. vnde de quodam Gallo legitur, qui cum omnia consumpsisset scortando, alludendo ad nomẽ galli volucris, dicebatur *Gallus deplumatus à meretricibus.* plumæ sunt opes, quia hominem sustollunt, & ornant quoad mundum. Sed nota, quod, cum finis noster sit volare ad cælum per bona opera; is qui deplumauit se plumis opum, aptior est ad illuc volandum. Sic Amb. super illud Matth. 19. 21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes,* &c. *& habebis thesaurum in cælo.* concludit dicta sua sic. *Vsque adeo nuda virtus apta est cælo.* en tibi virtus nuda, sine plumis, apta volatui. sic Christus iuueni illi quærenti quomodo ad cælum volaret, respondit cum valde plumatus esset, *Vende quæ habes.* quasi diceret depone plumas. (quod dictum sit stando in præterito loquendi modo.)

Matth. 19. 21.

3. *Virtus nuda apta est cælo.* vide Iacob, cum derelinquit domũ parentum, & opes primogenituræ paulò ante obtentæ, & vt mendicus cum baculo peregrinaretur; tunc plumis relictis, à terra cæpit eleuari, & ad cælum volare. sic vbi legimus Gen. 29. *Profectus ergo Iacob venit in terram Orientalem.* Ambro. per Orientalem terram exponit mysticè *cælum,* & dictum locum sic legit: *Eleuans Iacob pedes abijt in terram Orientis.* & explicat, dicens: *Separatus à peccatore Esau, eleuari statim, ac cælo appropinquare cæpit.* vbi nota quod legit Iacobũ pedes eleuasse quasi per aëra sine plumis volando, & cælo appropinquãdo. quod etsi Ambrosius dicat obtinuisse separãdo se ab homine malo; tamen id etiam obtinuit relinquendo opes. & qui fit religiosus, & pauper simul est Iacob fugiens Esau, scilicet conuersationem iniquorum, ne ab eis occidatur in anima.

Gen. 29.

Philo libro de victimis, super id quod dicitur de animalibus, quæ sacrificabantur, *Intestina verò, & pedes*

Procop. in hunc locũ Leui. vult lotionẽ p...

dum Apostolorū in eo facto significatā esse prout imitandā.

des lauabunt aqua: dicit præcipi lauari pedes hostiarum, quia ab anima, vel homine Deo dicato post hac nō incedendum humi, sed per æthera ambulandū, hoc est terrena, & curā eorum relinquenda. Nota ergo cur Christus lauarit pedes Apostolorum: *quia qui mundus est*, inquit, *non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* appropinquabat tempus, vt Apostoli magis sanctificati, magis adimplerent quod dictum erat eis, cum mitterentur ad prædicandum, Matt. 10. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam,* &c. vbi Chrysost. hom. 31. in Matth. *Ipsos*, inquit, *ad Vniuersi magisterium missurus, ad Angelicam, vt ita dixerim, disciplinam ex humana vita traducit, ab omni cura rerum sæcularium liberos reddens.* sic ille. nota ergo ex hominibus (tunc maxime, cum prope erat, vt per totum orbem irent) volebat eos Angelos fieri per paupertatem, & conculcationem terrenorum, elongando se à terra, & volando. vnde quasi dicerent, *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* &, vt essent speciosi pedes euangelizantiū, lauit eis pedes, quasi dicens: post hac non amplius super terram ambuletis, sed per æthera; tendite ad cælum per contemptum terrenorum. *Eleuans Iacob pedes abijt in terram Orientis.*

Matt. 10. 9.

Chrysost. hom. 31. in Matth.

Abluit pedes Apostolis comesturis verum Agnum Paschalem Eucharistiæ, vt indicaret verum modum peregrinandi eorum, qui ad veram terram promissionis, scilicet ad cælum contendunt, esse, vt pedes lauent, hoc est, non amplius per terrena, sed per sublimia tantum ambulent. Nonne videtis Eliam raptum à Deo à terra, & vt dicunt, ad Paradisum terrestrem, reliquisse pallium suum? nam quid sunt terrena omnia, ait Grego. nisi quædam corporis indumenta? in Paradisum raptus Elias, cui similis debuit fieri, nisi homini de Paradiso? an nescitis Adam in paradiso nudum, nullaque re indigentem? sic Remigius in Catena D. Thom. de hac Apostolorum nuditate loquens, ait: *Redegit eos ad primi hominis dignitatem, vt nullâ re indigerent,* vis fieri Paradisi incola? en tibi optima via, *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* In toto cælo nec quadrantem inuenies.

Vis iterum videre viros Apostolicos lotis pedibus esse, vt post hæc non in terra, sed sursum ambulent? Greg. Niss. libro de Beatitudinibus de perfectione talium agens, ait: *Quid opus est ijs infernâ terrâ, quorum vita spe suspensa est?* Suspensa est eorum vita, & persona, vt ita dicā, in aëre supra terram, & quia iam dixi hos per hanc sublimitatem fieri homines Paradisi; modo dicam fieri eas aues, quæ nuncupantur Manucodiatæ, auesque Paradisi, quæ semper degunt in aëre, nunquam nisi mortuæ ad terram cadunt. sed isti mortui cum sint cadunt in cælum. ideo cum ista sit vita donatrix perfectionis, hoc est sanctitatis, obserua Græce sanctum dici *Agios*, hoc est sine terra.

Quid opus est inferna terra, quorum

vita spe suspensa est? ideo B. AEgidius Franciscanus peteti quomodo perfectus fieret respondit: *Vade, & suspende te ipsum.* hoc est eleuare à terra. benè hic potest dicere illud Iob: *Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea.* nam religiosi mortui fiunt mundo. in suspendio confringitur guttur suspensi, quod vulgò vocamus gulam. gulam ergo hoc est cupiditatem, & affectum rerum omnium terrenarum debet confringere, qui suspendi vult vitam suã. vulgò dicimus, (a) *hauer gola d'vna cosa, cioè desiderio.* & gula præsertim hoc est gulositas confringenda est ab huiusmodi suspendendis.

(a) Habere gulam alicuius rei, id est, cupidinem vel desiderium.

Iacob, nedum vt forma Religiosi, reliquit parentes & omnia; sed baculum assumpsit quasi crucẽ suam, sequens Deũ. qui etiam peregrinationem & vitam duram suscipiens, typus fuit eorum qui arctam viam ineunt, & peregrinos se faciunt in hoc mundo. is ergo hoc pacto eleuatur à terra versus cælum, vnde & videt post hæc scalam à terra vsque ad cælum pertingentem, & Dominum in summitate innixum scalæ. Hieron. epistola ad Furiam de seruanda viduitate vocat religiosam vitam scalam istam Iacob. vt etiam Benedictus in regula, c. 7. & Romualdus vidit scalam similem, per quam ascendebant sui monachi albis vestibus induti, ad significandã congregationem eorum, quorum ipse fuit pater, & vitæ puritatem cũ veste alba. ecce ergo quomodo qui relinquit omnia, eleuatur à terra. & cum religio sit scala perfectionis, verificatur de eo, qui in ea profecit, quod *ascensiones in corde suo disposuit, & quod ibit de virtute in virtutem, videbit Deum Deorum in Sion.* Deus enim dicitur in summitate scalæ fuisse. *eleuans ergo Iacob pedes abiit in terram Orientis.* quasi diceret Ambros. in terram illius, de quo dicitur, quod *Oriens nomen eius.* terra hæc autem est cælum.

Ben. in Regula, cap. 7.

Fac. quod Israel nomen datũ Iacob dicitur interpretari videns Deum.

2. *Reges quidam scalas aureas habentes. per has scilicet per aurum calcatum itur ad Regem cæli.*
3. *Idipsum alijs similitudinibus, ac locis explicatur.*
4. *Priuatio est vltimum principium, & constitutiuum generationis viri perfecti. alluditur priuationi principio generationis.*

2. SCALA ergo Iacob videtur esse paupertas religiosa. obserua pro qualitate palatij. debere esse eius scalæ nobilitatẽ, vnde legi in libris itinerum, vel relationum recentiorum, quosdam reges in remotis partibus mundi inueniri adeo auro, vel argento diuites, vt palatia habeant cum scalis ex auro, vel argento cõfectis. & quantò est maior princeps, eo thronus, per quẽ ascenditur ad eum, debet esse pretiosior. vnde de throno mirabilissimo, quod fecit sibi Salomon, dicitur 3. Reg. 10. qui habebat sex gradus, & quod ipsum auro vestiuerat. cum ergo palatium Cæli empyrei, & Dei sit adeo nobile, & Deus sit super omnes reges, quid mirum si per gradus aureos, & argenteos, per conculcata scilicet ista metalla ascendatur ad hanc regiam, & per conculcatum aurum

3. Reg. 10.

aurum ascendatur ad locum, vbi quasi super thronum sedet verus Salomon? *Beati ergo pauperes, quia vestrum est regnum Dei.*

3. In tribus metallis videntur cõsistere thesauri, in ære, in argento, in auro. ex his ergo tribus calcatis scalam facimus nobis ad cælum. hæc enim tria videntur repræsentari ab elementis tribus, quæ conculcare debemus, vt ad cælum perueniamus, à terra nimirum, aëre, & igne, quæ & colore, & ordine nobilitatis, ac superioritatis videntur repræsentari à prædictis. Vel dic, cùm pecuniæ omnes Latinè vocentur *æs*, eò quòd ex ære olim fiebant, vnde *ærarium*; & cum de cælis istis inferioribus Empyreo, dicatur, quòd quasi ære solidissimo fusi sunt, & videtur esse quasi tot gradus per quos ascenditur ad thronum Dei, & videntur ornati tot gemmis rutilantibus, & tot auri fragmentis, quot in ijs sunt sidera, quæ etiam à Poëtis antiquis vocantur aurea, quamuis omne aureum, & omnes gemmæ respectu illarum tum qualitate, tum magnitudine sint vt calculus arenæ, cum inquam hi cæli repræsentent omnia æra, hoc est thesauros, & omnes gemmas; non nisi his conculcatis, & post nos relictis ascendamus ad thronum prædictum; inde docemur per conculcatas diuitias optimè in cælum Eympyreum perueniri: imo non posse illuc tendere nisi illis calcatis, hoc est, saltem per affectum, & appretiationem, illis Deo posthabitis.

Terra æs; aer argẽtum, ignis aurum.

Petenti iuueni quomodo ad cælum iret, respondit Christus, *serua mandata*, vlteriùs postulans, respondit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes*, &c. illud primum est vincere peccata, & vitia; hoc secundum vincere opes. de vitijs, & de diuitijs igitur calcatis facienda est nobis ad cælum scala. Thronus Salomonis, vt dixi, erat vestitus auro; & consequenter sub auro latebat lignum, vel aliud quippiam vile respectu auri. dicamus ergo in ligno inferiori repræsentari alia vitia, in auro auaritiam, seu opes. non tantũ oportebat ascendere super lignum, seu calcare lignum; sed etiam aurũ, vt ad Salomonem perueniretur. sic scala facienda de vitijs, & de diuitijs. vel, si scalarum gradus eorum regum, quos diximus erant ex materia communi, & tantum vestiti laminis aureis; idem potes dicere de ascensione per tales gradus. Sed sicut nonnisi maximi reges per tales gradus ascendunt ad thronos, vel palatia, & id pro miraculo habetur: (communiter autem alij homines volunt ascendere ad superiora calcatis lignis, vel lapidibus) ita nõ nisi valde magnanimi homines, ac animo regio præditi, imo reges maximi, scilicet electi ad regnum cælorum specialiter, tales inquam videntur pro miraculo de auro facere sibi scalas, vel gradus ad ascendendum, dum dant omnia pauperibus, vt ad cælum cõscendant vel potius, vt Deo placeant, sperantes etiã per hoc in cælum conscendere. at alij homines contenti sunt ascendere per scalas ligneas, vel lapideas, hoc est superare alia vitia: at eò deuenire non audent, vt omnino conculcent

aurum, vt euenit prædicto iuueni. Vere *Beatus diues, qui post aurum non abijs*, &c. *quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua*, en habentur pro miraculo hæ scalæ aureæ. ideoque regibus tantū magnis suadentur, cum dicitur: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.*

Sed obserua quod ait, *Nolite timere*. quid non debent timere? scilicet, quod explicat, *vendere omnia sua* &c. magnum nimis opus videri poterat conflare totum suum aurum, & cōficere scalas aureas, nimis regium hoc videbatur, & posse redigere homines hoc agentes ad extremam miseriam. at ipse animum ingerit, dicens, *nolite timere, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* vos estis reges maximi regni, ideo decet vos tales scalas extruere. manet vos de proximo hæreditas tanti regni, & tantarum opum, vt non sit timendum per has expensas vos redigendos ad inopiam: nam ita *facitis vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* Adde tu: nonne audistis de magnanimo Rege Alexandro? iste quidquid ex victorijs lucrabatur in suos liberaliter diuidebat. interrogatus. & quid tibi reseruatur de tantis rebus? respondit, Spes. Spem regnorum consequendorum intelligebat; putabat enim quod Iuppiter Ammon, cuius se æstimabat filium, ei daret cæteras mundi prouincias quasi ergo cogitatio sua illi dicebat, Noli timere dare quæ possides, quia complacuit patri tuo dare tibi regna. dicat ergo & Rex noster cum omnia dat, *reposita est hæc spes mea in sinu meo*, quod complacuit patri meo dare mihi regnum. Nam & Curtius li. 4. dicit expresse Sacerdotem Iouis Ammonis, per quem Alexander consuluit eius oraculum adulanter respondisse Iouē illi promittere totius mundi imperium: & se eius patrem esse, quæ melius facient pro prædictis. *Curt. l. 4.*

Materia, forma, & priuatio sunt principia vulgata apud Aristotelem, & Philosophus cuiuslibet generationis. sic. vt ita dicam, in generatione, seu formatione perfecti viri priuatio hoc est, qua ille, se priuat cunctis quæ possidet, est vltimum principiorum, & quasi constitutiuum ac vltima differentia sui esse. ideo cùm dixisset ille, quod mandata seruabat; dictum est eidem, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia*, &c. quasi diceretur, adde priuationem, si vis tuam perficere in bonitate generationem.

Monachos in veste alba, vt dixi, vidit Romualdus quasi per alteram scalam Iacob ascendere de terra ad cælū; in qua vestis albedine, & puritas, castitasq; vitæ & paupertas poterat designari; quia per hanc seruatur vestis immaculata, & candida à puluere, & luto terrenæ auaritiæ, & de redacto ad inopiā recte dicitur, redactum esse in album. *egli è ridotto in bianco.* sic enim videtur repræsentari, quod vnum sint fieri pauperem, atque fieri candidum, hoc est innocentem. tales ergo, qui vtroque modo albi sunt, dici possunt monachi veri, quibus parata est scala cæli. vnde

de apud nos (quasi homines confiteantur facilem aditum esse ad hanc scalam veris monachis, hoc est præter innocétiá paupertate dealbatis) dum mortui sunt, quamuis diuites essent, volunt indui habitu pauperum, hoc est religiosorum, vt hac albedine inopiæ adiuuentur ad ascensum scalæ.

Arcta est via, quæ ducit ad vitam, lata est via perditionis: ideo suos discipulos Dominus sine impedimentis, & sarcinis ferè nudos dimisit, vt facilius per eam incederent. Chrysost. cap. 7. Matth. dubitat, seu quærit cur lata via sit perditionis, & respondet Luciferum, cum adeo intumuisset superbia, vt totum cælum occupare præsumeret; quasi minor locus ita tumefacto non sufficeret, primum omnium peccantium æqualem tam amplo tumori aperuisse viam perditionis. nec satis hoc illi fuit, sed quasi timeret, ne hæc tam ampla via restringeretur; misit per eam homines ingentium peccatorum, & totius mũdi sarcinâ onustos. sed dices, quomodo totius mundi sarcinâ onustos? intelligit Sanctus Doctor quòd per auara desideria totum mundum vellent possidere, & affectu (qui apud Deum æstimatur) possident. subdit verò ibi Chrysost. angustam esse viam vitæ: quia Christus omni humilitate collectus primus eam patefecit, ac proinde, inquit, eam solos, qui quasi subtiles, & spiritales fuerint, admittere.

Chrysost. cap. 7.

2. *Paupertas febris continua est.*

3. *Honore illi negati, diuitibus tantum exhibiti videntur.*

4. *Opes non dantur nisi diuitibus. Aqua currit ad mare.*

2. ADEO vulgus mortalium odio habet paupertatem vt Sophocles in Creusa dixerit:

Sunt autem nonnulli, qui,

A morbis immunem laudant; at mihi nullus videtur

Qui pauper sit, vacare morbo; sed ægrotare perpetim.

Vulgo dici solet de damno, seu afflictione aliqua permanente, hæc est febris continua; & amator pecuniæ dicit, cum cogito me nil habere in marsupio, febre corripior, Italicè, *Mi viene la febre.* continuè ergo febricitare sibi videtur, qui iugi paupertate premitur, & modo præ labore, quem cogitur subire æstuat, modo præ nuditate inopiæ suæ alget, quæ duo in febre contingunt.

Ægritudo, inquiunt, perpetua est inopia; nam pauper veluti ægrotus fere nudus decumbit in lecto paupertatis suæ, & aquâ potatur tenui, exiguoque cibo pascitur, & amaras sorbitunculas cogitur sumere variarum passionum, ac iniuriarum. Denique infirmus videtur esse pauper, eò quòd nunquam firmus, ac quietus sinitur consistere, cogente eum inopiâ ad parenes labores manuum suarum. nam Prou. 16. 26. *Anima laborantis laborat sibi; quia compulit eum os suum.* *Prou. 16. 26.*

3. Odiosam insuper reddiderunt paupertatẽ, eo quod dignitates solis diuitibus conferre soleant. sic Esai. 3. *In domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me principem,* dixerant enim *Vestimentum tibi*, *Esai. 3.*

tibi est; Princeps esto noster. Sic Ouid. 3. Eleg. Ouid. 3. Eleg.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores.

Inde grauis Iudex, inde seuerus Eques.

congruit hoc cum illo loco Esther. 4. 2. *Non enim erat licitum indutum sacco aulam Regis intrare.* Sic 1. Fastorum. Esther. 4. 2. 1. Fastorum.

In pretio pretium nunc est, dat census honores.

Census amicitias: pauper vbique iacet

Apud quasdam gentes, vbi præ penuria ferri, & copia auri etiam rei catenis aureis vinciebantur; & auro pro ferro vtebantur, credibile est seras portarum non nisi aureas, & claues aureas in vsu fuisse. tales videntur esse portæ multorũ Principum, quæ nisi claue aurea non possunt aperiri, ideoque inopes ab ijs excluduntur, vt dixit supra Poëta: *Curia pauperibus clausa est.* hi enim claue aurea carent.

Census Italicè dicitur *entrata*, Latinè diceretur introitus, eò quòd reditus, seu prouentus bonorum intret in domum, & in corbonam possessoris; sicut expensa dicitur exitus. Dic ergo in Palatium aliquorum Principum, eò quòd magnum sit, non intrari nisi per amplũ, seu magnum introitum, *non vi si entra se non per mezo d vna buona entrata.* amplius introitus, *vna larga entrata*, hoc est amplius census (luditur enim super æquiuoco) ducit hominẽ ad interiora Curiæ. ideo pauper inde excluditur, quia non habet censum, seu introitum, per quem intret. *Curia ergo pauperibus clausa est, dat census honores.* quod intellige exceptis Principibus bonis, Sic Prou. 18. 16. *Donum hominis dilatat viam eius; & ante Principes spatium ei facit.* Spatium ei facit vt accedant ad ipsos, sedeantque apud ipsos etiam ratione dignitatis, & officij. Homines obsistente sibi turba spatium sibi faciunt (vt barbarè, sed congruè ad sensum nostrum loquar) spathis, sed multò melius scutis, (sic enim vocamus scutos aureos.) Prou. 18. 16. Prou. 22. 29. dicitur de viro industrio, quòd corã Regibus stabit, hoc est, ministrabit. sic accedere Regi est ad ministerium ei accedere.

Imo obserua censum à nobis vocari introitum absolutè, *entrata.* quia siue ad honores, siue ad amicitias, siue ad voluptates ingredi velis; *La entrata è entrata ad ogni cosa.* census introitus est absolutè, non ad hoc, vel ad illud; quia ad omnia est introitus. *Pecuniæ enim obediunt omnia.* & Horat. epist. lib. 1. *Scilicet vxorem cum dote, fidemque, & amicos, & genus, & formam regina pecunia donat.* Ad omnia facilè intrant diuites præterquam in locum, in quem solummodo conandum est, vt intretur, scilicet in cælum. nam in hoc sunt cameli ad foramen acus, & in hoc sensu sæpè qui habent bonum introitum (hoc est censum) habent malum exitum. Horat. epist. li. 1.

Dat census honores. petijt quidam, quodnam esset mediũ intrandi in Curiam? & respondit Dominus Curiæ, *Porta.* Allusit ad æquiuocũ, quasi diceret porta, hoc est, affer munera & obtinebis honorẽ optatũ. vocabulum autem prædictum porta sonat etiã ostiũ, quia afferre munera est porta, per quam intratur in Curiam ad dignitates. nam *donum dilatat viam hominis, & ante Principes spatium*

spatium ei facit. dic tamen, quod qui modo intrat per hanc portam, intrat per fenestram in ouile:& ideo solet intrare, non vt pastor, sed vt fur, *vt perdat, & mactet*: intrat propter lanam, non propter oues. Qui officium emit, solet fieri, vt quæ officij sunt vendat.

Dat census honores; *Quia, Munera dant munus, tribuunt tributa Tribunal.* Dant munus, hoc est officium. Qui vt nobilitetur, donis datis dignitatem quærit; hic sæpè ne sit mercator, se facit mercatorem: quia mercator honorem, vt desinens esse mercator, qualis erat antea per professionem, fiat nobilis,& clarus.

4. Vide ergo mundi odium in paupertatem,& pauperes. tria enim, seu quatuor sunt maximè hominibus exoptata, scilicet sanitas, honores, opes,& fama, seu bonum nomen: & hæc omnia denegare pauperi contendunt. de sanitate, & honoribus, iam vidimus. de opibus verò notabile est illud Martialis:

Pauper eris semper, si pauper es, Æmiliane.
Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

vnde & dici potest ad hãc rem, quod
Luc. 19. 26. Lucæ 19. 26. in alio sensu dicitur, scilicet, *Omni habenti dabitur, & abundabit, ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Cum diuite est prodigus diues, cum paupere auarus. Dat saturo panem, vacuum dimittit inanem.

Vulgò dicitur ad prędictum abusum significandum: Aqua currit ad mare. hoc est, diuitibus dantur opes. *flumina intrant in mare.* tales prodigi in diuites, auari in pauperes sunt, veluti nubes, quæ aliquando pluunt quasi flumina aquarum super mare, & interim relinquunt multas regiones,& multa sata cum magna ariditate perire siti. hoc etiam modo *flumina intrant in mare.* non ditescit pauper. quia, *Fit nihil ex nihilo, facit at moneta monetam. Inopis inopiæ non est excedere metam.*

2. *Pascua diuitum sunt pauperes. animi oblectationem diuites aliqui æstimant pauperes opprimere.*

3. *Pauper non facilè societur diuiti. A diuite etiam infamatur pauper nedum spoliatur.*

4. *Diuitiæ iudicio mundi etiam pulchritudinem eloquentiam sapientiam dant, paupertas hæc aufert.*

2. AT parum esset, quod inopi non detur: sed & quod habet, seu habere videtur, aufertur ab eo. Ecclesiastici 13. 13. *Venatio Leonis onager in deserto; sic & pascua diuitum sunt pauperes.* vere onager est infelix pauper, plus re, quàm nomine. onager enim sonat onus gerens. semper enim illi necesse est portare pondus diei,& ęstûs laborando,& tamquam *Asinus fortis supponit humerum ad portandum.* Eccles. 13. 13.

3. Obserua inopes comparari bestiæ venatione captæ. quia potentes sicut venantur non famis, sed delectationis gratiâ & ad fallendum tẽpus; sic deuoratio pauperum ab eis æstimatur quasi animi relaxatio, & dulcis venatio. item pauperes dicuntur esse vt onager in deserto deuoratus à Leone, quia sicut in deserto nullus

nullus eſt, qui Leonem deterreat, & ſuccurrat onagro, ita deuorantur pauperes, & nemo eſt, qui adiuuet. Item ſunt pauperes vt venatio Leonis, quia ſicut Leo, cum beſtia ſit, nulla conſideratione, vel ſcrupulo cordis tactus, ſed toto impetu ſuo beſtiali actus onagrum deuorat; ſic iſti diuites mali nullo ſcrupulo conſcientiæ, ſed toto impetu ferino miſeros diripiunt.

Sed addit nouam ſimilitudinem, dicens: *ita paſcua diuitum ſunt pauperes.* paſcua ſunt, quia æſtimant vorando pauperes, quaſi fœni manipulum conſumere, vel herbarum & tam reſiſtere eis poſſunt pauperes, quàm herbæ beſtiis eas carpentibus.

Eccleſ. 13. 3. Idcirco Eccleſiaſticus 13. longo ſermone, & pluribus rationibus, & ſimilitudinibus conatur auertere pauperem à conſortio diuitis, ne per hoc pereat; & inter alia ait: *Quid communicabit cacabus ad ollam?* (hoc eſt, cacabus æneus.) *quando enim ſe colliſerint confringetur.* ſi cacabus impingat in ollam; confrigitur olla: ſi olla impingat in cacabum, confringitur olla. nos diceremus, *ſempre gioca à perder, e non mai à guadagnar.* hic eſt ludus, in quo olla, ſcilicet pauper ſemper illuditur, imo illiditur.

Suprà diximus pauperem comparari onagro diuitem Leoni. & eodem loco dicitur num. 2. *Pondus ſuper ſe tollit, qui honeſtiori ſe communicat.* hoc eſt ditiori, vel nobiliori, vt exponunt communiter. quaſi dicat, huiuſmodi homo conſortium habens cum ditiori ſe, & potentiori, ſeu cum Leone, ſeipſum efficit onagrum non ſolum nomine, ſed effectu. nam onager ſonat quaſi onus gerens, quia, vt dixi, pondus ſuper ſe tollit, & fit quodammodo aſinus diuitis. ſæpè enim leui ex cauſa (cum diuites ſuperbi ſint) ipſum pauperem onerat contumeliis, vel etiam fuſtibus. nos dicimus, ſi tantillum bilis moueat pauper in diuite, ſtatim accipit ſarcinam contumeliarum, vel verberum. *vna carica di villaine, vna carica di legnate* Onus ſuper ſe tollit, quia velut aſinus cogitur portare & tolerare ipſum diuitem & ab ipſius arbitrio quaſi frœno circumagi, & veluti iumentum Balaam fuſte percuti. Italicum adagium: (a) *Chi prattica congran maeſtri l'vltimo à tauola, & il primo à capeſtri.*

Num. 2. Onager eſt aſinus ſylueſtris.

(a) Qui potentibus ſe aſſociat, vltimus eſt in menſa, primus in onere aut ſeruitute.

Sed non ſolum pauper à diuite priuatur opibus exiguis, quas habet, ſed etiam priuatur fama, & bono nomine ſi enim pauperem conſpiciunt, ſæpè ſceleſtum exiſtimant furem, periurum, &c. eo quòd famæ, & nummorum (& fortaſſe cibi, & potus etiam penuria laboret. Sciunt enim illud: *quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames?* & Eccleſiaſtici 27. *Propter inopiam multi deliquerunt.* at fortè parum deliquerunt, vel delinquunt? audi eundem cap. 13. *Nequiſſima paupertas in ore impij.* Si trahit ſua quemque voluptas, quid faciet neceſſitas? gula ad malum inuitat, ſed fames impellit; voluptas allicit, neceſſitas cogit. (quæ tamen ſanè intelligenda citra libertatis præiudicium) ſic fames apud mundanos reddit infames. & cum bona terrena bona abſolutè nominentur, opes Petri vocantur bona Petri. ideo aiunt, quod

Eccleſ. 27. Cap. 13.

ſicut carens doctrinâ non cenſetur doctus, ita carens bonis, non æſtimatur bonus. A malo habitu, dicunt, non procedit bonus actus. luditur ſuper æquiuoco. habitus enim ſignificat veſtem, & habitum corporis, & mentis. veſtis lacera, eſt paupertatis propria.

Prou.30. 8. Sed audi Salom. Prou. 30. 8. vbi cum oraſſet ne in mendicitatem incideret, reddit rationem, *ne* inquit *egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei.* vnde ſtatim ac vident inopem, manum admouent marſupiis, ſeu arcam claudunt, furem ſuſpicantes. Aiunt diuites mundani, homines conſtare quatuor elementis, at pauperes quinque, & quintum eſſe furari. circumfertur ad hoc adagium tale, vel ſimile: (a) *Villano affamato mezo indiauolato.* eſt genus dæmoniorum quod non eiicitur niſi in ieiunio, & fame. at eſt etiam (vt ita dicam) aliud genus quod inducitur in hominem in ieiunio, & fame. vide quæſo quæ mala, quas ruinas, ac etiam cędes non perpetret dæmonium in obſeſſo, niſi reprimatur. ſic ſæpè furit fames, vel in inopia, quę eſt quędam fames habendi in paupere. Vis cognoſcere quod impetus iſtius famis habendi, in paupere ſit dæmonium? dic quid legitur de tali impetu famis in Iuda? nonne quod *Satanas intrauit in eum* hoc eſt, talis impetus, quo tradidit Chriſtum? Imo non ſolum dæmoniacus meruit vocari, ſed ipſum dæmonium hac rabie oppreſſus. ait enim Chriſtus, *vnus veſtrum diabolus eſt.* ſic dicunt hanc famem facere hominem diabolum.

(a) Ruſticus famelicus ſemi-dæmoniacus.

Et cum pauper per hanc famem & inopiam fiat nequiſſimus, & diabolus quidam, vt vidimus (quia *Paupertas, nequiſſima in ore impij*, hoc eſt in impio iuxta phraſim Hebræam) quid mirum eſt ſi Virgilius deſcribendo infernum, ipſam poſuerit in faucibus eius? ait enim ſexto Æneidos: *Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus orci, & metus, malè ſuada fames, & turpis egeſtas.* vbi vocat famem malè-ſuadam, quia ſuadet mala. Non ſolum ergo paupertatem non collocant in cælo ac etiam pauperes, ſed potius collocant in inferno, quaſi pauperes ipſi iam ſint damnati ante mortem; vel quaſi paupertas ſit adeo miſera, & mala, vt cenſenda ſit res infernalis. vel, cum illa dicatur eſſe in veſtibulo inferni, & in faucibus eius; inde indicetur paupertatem hominum eſſe in hoc mundo quoddam initium inferni, ſeu principium pœnarum eius ſubſequendarum ratione ſuæ afflictionis magnæ; vel quod ſit buccella adeo dura, & pillula adeo amara vt infernus ipſe eam habens in faucibus, nequeat vnquam deglutire, ſed potius euomat eam in hunc mundum, quamquam & intra illum paupertas ſit cuiuſlibet boni.

2. *Pauper rapax Diabolus eſt. Mirabilis eſt ſi fidelis ſit in nummis.*

3. *Etiam periuri ſæpè ſunt, ſcilicet qui ſunt inopes.*

2. DICTVM eſt ſupra pauperem auaritiâ oppreſſum diabolum fieri, vt dictum eſt de Iuda, *Vnus veſtrum diabolus eſt.* Pingitur diabolus pro manibus & pedibus habens

bens vngues velut vulturis, aut griphi. sic ergo Iudas fuit, & talis est quilibet pauper rapax. nam non tantum rapit manibus, sed etiam pedibus aliena. (de re enim quæ fit magna voluntate, & contentione animi, dici solet, fecit hoc manibus ac pedibus) talis mysticus dæmon, cum pro manibus (quæ datæ sunt homini ad operandas res homini congruas ac rationi) habeat vngues auis rapacis; ostendit per hoc, se ad opera bona & humana non habere manus, sed tantum ad iniqua & ferina, & ad rapiendum. si enim petas, vt aliquam humanitatem exerceat tecum tribuẽdo, vel aliter tibi succurrendo; statim in faciem tibi iacit, Non possum: quasi ostendens se non habere manus humanas, ad humanitatem, scilicet exhibendam.

Mendicitatem (alij legunt paupertatem) orat sibi non dari. *ne egestate*, inquit, *compulsus furer*. supra diximus pauperem comparari onagro, scilicet asino syluestri. at hoc animal mirabile est, & magni æstimatur propter virtutem vngulæ, seu vngularum eius. sic mirabilis est pauper, qui virtutem potissimum habet in manibus & vnguibus, hoc est virtutem continentiæ ab alienis rebus, & potius operãdi bona, & iuuandi proximos. Onager in vngulis habet prædictam virtutem: & ideo fortasse licet vile animal sit in genere suo, vocatur magnum animal, Italicè, *la gran bestia*. magni viri nomen meretur pauper, qui licet vilis sit, & inops, non solum virtutem habet non lædendi alios, & non rapiendi, sed etiam velut vidua de exiguo suo aliis communicat, & iuuat omni modo quo potest. Italicè, *La pouertà è calamita delle mani, è insieme è calamità*, quia facit, vt attrahant aliena.

3. Sed addit, *& periurem nomen Dei mei*. vnde non solum furem, sed periurum, nedum mendacem faciunt pauperem, mundani nimirum, de quibus loquebamur. & è contrario iudicant diuites fideles. sic Iuuen. Satira 3. cum dixisset de teste, vt agnoscatur an sit veridicus in eo quòd astruit, non interrogari homines circa mores, & vitam illius, sed inquit, *Iuuen. Sat. 3.*

Protinus ad censum: de moribus vltima fiet quæstio, quot pascit seruos, quot possidet agri iugera, quàm multa magnaq; paropside cænat. deinde subdit.

> *Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,*
> *Tantum habet, & fidei; iures licet, & Samothracum*
> *Et nostrorum aras; contemnere fulmina pauper.*
> *Creditur, atque Deos, Dijs ignoscentibus ipsos.*

Nota ex prædictis quod periuriũ. & Dei contemptus, quæ sunt maxima & mortalissima (vt ita loquar) scelera, in paupere æstimari venialia peccata. contemnere enim creditur Deos ipsos ipsismet Diis ignoscentibus. Vide ergo quod iudicium fiat de ceteris criminibus pauperum, & de conscientia ipsorum, si illa inter venialia deputant.

Mendicitatem optat sibi non dari, ne periuret, & ne mentiatur. nam inquiunt parum, & quasi nihil differunt mendicitas & mẽdacitas. Italicè dicunt adagium. (a) *Chi è tristo e buon è tenuto, può far del male. che nongli è creduto.*

(a) Qui malus est, & bonus habetur; potest malum agere, & credetur.

duto. propter hoc ergo sæpè falsitatem dicit diues, & creditur veritas: veritatem dicit pauper, & creditur falsitas. sicut in verbis, ita & in rebus ipsorum hoc euenit. nam diues gemmam falsam si gerat in annulo, æstimatur vera: si pauper veram gerat, æstimatur falsa.

Quid plura? sicut pauperem faciũt pessimum mundani, & vt supra vidimus faciunt diabolum; ita diuitem faciunt sanctum. Sic Varro apud Tiraquellum cap. 2. de nobilitate, ait, quod diues dicitur, à Diuo, quasi sit diuus in terris.

Varr Tiraq. c. 2. de nobil.

Omisi supra dicere à paupere etiam auferri nobilitatem, sicut & illa confertur solis diuitibus, eò quòd S. Hieronymus ad Helbidiam dicat: Nobilitas mundi nihil aliud est quã inueteratæ diuitię. vnde cum pauper iis priuatus sit, non æstimatur nobilis, sic Euripides apud Stob. serm. 89. ait:

Eurip. apud Stob. ser. 89.

Scisne quod nobiles quidem mortalium
Dum pauperes sunt, non amplius clari existunt.
Qui verò prius nihil erant, nunc diuites facti
Gloriam assequuntur propter nummos, genusq́; & nuptias suis liberis excellentes comparant.

5. Dic quod aurum, & argentum videntur esse duo luminaria magna mundi huius. quæ adorantur à multis, vt olim Sol & Luna. & sicut Sol & Luna illuminant, & clarum faciũt mundum materialem ita vt sine illis obscurus reddatur: ita hæc duo metalla mundum (vt ita dicam) formalem, scilicet homines mundi claros reddunt, & sine his obscuri, hoc est ignobiles iacent cũcti homines iuxta iudicium ipsius mundi. imò etiam sine vllo gaudio existunt iuxta opinionem eius.

4. At quid dicemus de pulchritudine, de eloquentia, & similibus? etiã hæc auferuntur à paupere; dantur diuiti. Sophocles apud Tiraquellum c. 2. de nobil. ait:

Sophoc. apud Tiraq. c. 2. de nobil.

Hominem enim deformen, & inauspicati corporis
Lingua disertum, visuq́; pulchrum efficiunt opes.

tot ornamenta & ornatrices ac vestes, & fucos adhibent mulieres diuites ad formam inducendam sibi, vt inuitâ natura (vt sic dicam) pulchræ efficiantur præter delicatum modum victûs, & animi remissiones, quæ ad idem conferunt. at contrarium omnino euenit in paupere, quem labores frangunt in corpore, sordes vestium deturpant, & nullum valet adhibere cultum formæ. Omitto quod sicut obiectum diuersum apparet, si diuersis conspicillis respiciatur; ita multò magis si diuersis oculis. at quis nesciat homines diuersis, seu aliis oculis intueri hominem, cùm inops est, & aliis cum factus est diues & magnus. quid mirum ergo si pulcher videatur illis factus diues, deformis pauper existens?

Et ne putes solum Sophoclem diuitias dixisse dare pulchritudinem: nonne cantat Horatius 1. epist. *Et genus & formam regina pecunia donat?* Quodnam putas primum ex quinque Prædicabilibus Logicæ? dices esse Genus. at alio in sensu dico esse Proprium, & hoc esse primum & Principem nedum principium ceterorum.

Horat. 1. epist.

rorum.Proprium inquam,hoc est id quod est alicui proprium, & non est alienum,quod inquam est suum.hoc enim proprium est id quod donat genus, & speciem. species enim significat etiam formam, id est, pulchritudinem.sic verificatur id Horatij, *& genus & formam regina pecunia donat*.vbi nota cum facere Proprium reginam & donatricem generis,scilicet nobilitatis (genus enim id etiam significat)& formæ,hoc est pulchritudinis,quæ & species dicitur.

Etiam sapientiam & intellectum dant solis diuitibus, & consequenter denegant hæc pauperibus.sic Horat. epist.6.ad Vallam.

Horat ep. 6.ad Val.

Vos sapere & solos aio bene viuere quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis

& Iuuenalis loquendo de Attico diuite splendidè cenante, & de Rutilo inope parce id agente, ait:

Atticus eximie si cænat, lautus habetur.
Si Rutilus, demens. quid enim maiore chachino
Quàm miser excipitur?

nostri solent vulgò dictitare:(a) *A chi la và ben par sauio.* Cum tamen plerumque contrarium sit. nonne à Salomone dicitur. *Prosperitas stultorum perdet illos.* vbi stultitia cum prosperitate coniungitur? & in antiquis adagijs:Felix qui simul opes,& mentem habet. Tamen homines contemnunt eum qui dicit, Ego scio; magnifaciunt qui dicit, ego habeo. en Ecclesiastes 9. *Sapientia pauperis contempta est, quia verba eius non sunt audita.* & Ecclesiasticus 13. *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper locutus est & dicunt, quis est hic?* & præterea de eodem addit, *Locutus est sensatè, & non est datus ei locus.* non extollunt verbum pauperis ad nubes, seu ad cælum, quia cum velut dementem, & vt asinum irrident, & vox aselli, vt dicitur non pergit in cælum.at diues ita dicitur quasi diuus.hoc est Sanctus, vel Deus, & ideo eius verba canonizantur, quod est in cælo collocantur, & velut oracula approbantur. sic loquente Herode rege Act.12.21. *Populus acclamabat, Dei voces & non hominis*, sustulerunt ad cælum verba hominis, cum è contra Iudæi de cælo detraxissent verba Dei, nimirum Christi, dicētes, verba hominis & nō Dei.Herodes etiam erat rex, & vestitus veste regia sedit pro tribunali, vt dicitur loco citato, & concionabatur Tirijs & Sidonijs, cùm illi modo prædicto adulati sunt: at Christus in forma serui Iudæis est locutus; & ideo *Sapientia pauperis contempta est.*

(a) Cui res succedit ex voto, sapiens videtur.

Eccles.9.

Ecclesi.13.

Vox aselli non tollitur in cælum, nisi aselli aurei. scilicet sermones laudati Apuleij qui laudibus extolluntur. alluditur etiā ad indoctum diuitem, seu stultū, vt erat Herodes, qui Apuleij asinus dici potest quia aureus est ob diuitias; vnde verbum eius vsque ad nubes perducunt.

Act 12.21

Denique diuitibus concedunt omnia, quia pecuniæ inquiunt, obediunt omnia.& Horat.2.serm.Sat.2.

Hor.2 ser. Sat.

Omnis enim res
Diuitijs paret: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam Rex.

& è contra à paupere auferunt omnia, illi relinquunt nihil. Itali dictitant, *L'huomo tanto è, quanto hà*: tanti est, quantum habet. cum ergo nihil habeat; *nihil erit.* cum tamen boni pauperes sint *nihil habentes, & omnia possidentes.*

PRO-

PROSPERITAS.

2. *Prosperitas sæpè magis arridet peccatoribus.*
3. *Bonis post mala bona dat Deus, malis è contra.*

2. VALIS consequentia, Deus prosperitatẽ huic donauit, ergo melior est ceteris, ergo plus illũ diligit? Noë numquid plus diligebat bruta in arca manentia, an homines? tamen latiora cubicula concessit in ea animalibus, angustiora hominibus, sic Greg. apud Glossã, *Ibi lata vbi bestiæ: ibi angusta, vbi homines quia in carnalibus ampla, in spiritualibus angusta, lata via est, quæ ducit ad perditionem,* Inter adagia Italica hoc est: (a) *Il mondo di Noë si è proprio l'arca, di bestie assai, di pochi huomini carca.* homines in angustiis collocati, bestiæ extra angustias. illi sæpè angustè habitant: angusta res familiaris est ipsis. his verò, nempe peccatoribus, sæpè omnia ampla sunt. Sed adde, id etiam non raro verificari de bestiis propriè dictis, quæ in corporeis voluptatibus suauius, & abundantius viuunt, quam homines. multò commodiùs, & meliùs habent animalia plura apud nobiles, & principes, quàm ipsi homines. animalia dixi, vt canes, equi, aues, &c. item aula, siue alia congregatio, vel respublica sæpè est arca Noë, quia laxiùs in illis habitant, meliusque habent bestiæ quam viri, hoc est indocti, adulatores, & alij huiusmodi, quàm viri sapientes, probi, veridici, &c.

Greg.

(a) Mundus est arca Noë: sat multas bestias, sed paucos homines portans.

3. *Dupliciter miser es, qui felix ante fuisti.*
Dupliciter felix, qui fuit ante miser,

Vt puer certò sciat vinum non nisi aqua mixtum sibi esse bibendum, pater antea aquam infundit in eius calicem, quam vinum, ne si fortè vinum antea infuderit, non expectata aqua illud sorberet. Ita Deus cum sæpè ob sanitatem mentis amicorum suorum nolit eos vinum prosperitatis purum sorbere, sed aquâ tribulationis temperatum: vt illi certò sciant se non bibituros vinum istud absque mistione aquę aduersitatis; antea aduersitatis aquam, deinde vinum eis infundit prosperitatis. sic Psalm. 29. 6. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia:* en aqua ante vinum. 1. Reg. 2. *Dominus mortificat.* ecce aqua: *& viuificat*, ecce vinum. *Dominus pauperem facit*, ecce aqua: *& ditat*, ecce vinum Tob. 3. 22. *Post lacrymationem*, ecce infusio aquæ; *exaltatione infundis*, ecce infusio vini. Tandem Prouer. 14. *Risus dolore miscebitur*, hoc est, vinum super aquã infusum. Dum autem hoc facto videtur Deus dimidiare felicitatem impertitam, illam non solum non dimidiat, sed duplicat, sicut duplicat miseriam tibi mundus; quia eam post felicitatem tribuit. Recita hic versus supra citatos; & adde illud Sapientis cuiusdam, *Nulla maior infelicitas quàm fuisse felicem.* Mundus enim primo bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint quod deterius est, vt scilicet inebriati bono, furentes

Ps. 29. 6.
1. Reg. 2.
Tob. 3. 22.
Prou. 14.

fu:entes blaſphement contra malum.

2.*Proſperitas ſuperbiam gignit in pauperibus, qui antea humiles erant.*
3.*Gignit in iiſdem & iactantiam.*
4.*Filiis, & exiguæ fortunæ viris modeſtia precanda cum felicitate.*
5.*Modeſtia gradus fit ad gloriam, & proſperitatem.*

2. QVIDAM fingit ſermonem fuiſſe inter quoſdam de modeſtia animi viri cuiuſpiam, qui ad quamdam aſpirabat dignitatem, ſiue beneficium. at vnus ex eis conuerſus ad alios digito oſtendit eis ædificium quoddam vicinum, dicens, aſpicite illam domum, quæ adhuc ædificatur, & propè eſt vt abſoluatur. vbi ſunt in ea camini? reſponderunt, Nondum domus ad faſtigium peruenit: cùm autem peruenerit, tūc plurimos videbis caminos, ſiue fumaria. tunc ſubintulit idem, qui interrogauerat, iſte homo nondum domum ſuam (intelligebat fortunam felicitatemque familiæ ſuæ) deduxit ad optatum culmen, quo tendit: & vos miramini eum nōdum eleuaſſe alta *fumaria?* Inquit Apoſt. *Præcipe diuitibus non ſuperbè ſapere.* hoc eſt, qui ſuam iam extulerunt domum.

3. Addidit idem, cum exaltata eſt domus ad faſtigium, tunc emittit quaſi plurima cornua, quæ prius ne vnum quidem emiſerat. alludebat per hoc ad dicta fumaria focorum. & quia eadem fumaria vocantur *tubæ* etiam apud nos; eò quòd tubarū ſimilitudinem omnimodam habeāt: cum inquit, domus perfecta fuerit, & habitatoribus plena pace ſua fruetur, tunc emittit fumum quaſi tot tubis & buccis concrepantibus, impletque ſæpè circumquaque totam viciniam fumo iactantiæ ſuæ. Ideo primo Reg. 15. 17. dicitur Saüli à I. Reg. 15.
Domino per Samuelem, *Nonne cum* 17.
paruulus eſſes in oculis tuis, caput in Iſrael factus es, &c. indicans quod Rex effectus, domoque ſua completa, fumaria ſuperbiæ extulerat, Domino non obediendo.

4. Multi precantur paruulis, quos diligunt, vitam, & augmentum non ſolum corporis & virium, ſed etiam bonorum, & præcipuè circa honores, iuxta illud: *Creſcere te faciat Deus, &c.* ſed qui aliud iis non exoptant, quam illa duo; omittunt quod melius eſt, nimirum modeſtiam, & humilitatem animi. Debent enim eis optare propitios, (vt cum plebe loquar) tres Diuos, qui eodem die venerationi habentur, nec ſeperandi ſunt; ſcilicet Vitus, Modeſtus, atque Creſcentia. hoc eſt optare eis paruulis vitam, modeſtiam, & augmentum quatenus eorum ſaluti expediat.

5. Adde, poſt Modeſtum nominari Creſcentiam, quia modeſtia eſt via & medium ad augmentum; quia *qui ſe humiliat, exaltabitur.* At etiam in ſpiritualibus adſit vita gratiæ, modeſtia, & augmentum virtutum, ad quod ipſa humilitas eſt diſpoſitio, & gradus; quia, vt Greg. ait, *Puluerem* GREG.
in ventum portat, qui virtutes ſine humilitate congregat. Adde in oratione officij prædictorum Sanctorum peti ſpecialiter humilitatem: *Da Eccleſiæ tuæ quæſumus Domine Sanctis tuis*

Vito,

Vito, Modesto, atque Crescentia superbè nō sapere, sed tibi placitâ humilitate proficere. & vt videas per humilitatem ad augmentū virtutum, & bonorū operum peruenire; additur, *vt quæcunque recta sunt liberâ exerceat charitate.* & sicut Modestus, & Crescentia fuerunt Viti educatores, vt dicitur in vita seu martyrio eorum; ita modestia & augmētum virtutum sunt ea, quæ vitam nostram optime ornant velut boni educatores. & Crescentia seu augmentum etiam bonorum temporalium, si cum Modesto sit, bene instituit hominē, sicut illi duo instituerunt puerum Vitum, qui sanctitate claruit.

2. *Crescente felicitate modestiam deperdunt.*
3. *In adolescentia homines incipiunt declinare à virtute, vt & crescentes in prosperis, quasi vituli per incrementa, cornua emittere.*

2. SED sicut in ordine nominum istorum Modesto succedit Crescentia, ita multi Modesto vtuntur, vt per eum ad Crescentiam transeant. & sicut cum venitur ad Crescentiam, iam præteriuimus, & post terga, vt ita dicam, reliquimus Modestam; ita cum puer creuit, iam reliquisse solet modestiam, & pudorem puerilem; & cum homo creuit in bonis temporalibus deponit humilitatem quasi rete, capto iam pisce quem volebat. Deuter. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.*

Deuter. 32.

3. Rupertus in Genes. notat super illud Genes. 18. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ.* quod puer rectè & simpliciter soleat ambulare vsque ad adolescentiam; sed exinde soleat sæpè declinare ad malum. vnde ait, sapientes antiquos figurasse vitam humanam per litteram, quam vocant Pithagoræ Græcè *Y*, quia hæc littera initio in rectum formata sit, deinde diuidatur in duas quasi vias, dexteram, & sinistram, eo quod si puer qui in pueritia rectè, & simpliciter ambulauit, cum paruenit ad adolescentiam, dexteram virtutis teneat, optimus fiat, sin sinistram, pessimus. ab adolescentia enim sua pronus valde fit in malum. pueri autem quasi puri dicuntur.

Genes. 18.

At cum dicat Poëta, *Littera Pythagoræ discrimine facta bicorni, Humanæ vitæ speciem præferre videtur:* & bicornem vocet, quod in duo cornua excrescat; mihi videtur repræsentare, quod puer crescendo relictâ modestiâ cornua superbiæ emittat. vt etiam vita humana, dum crescit quo ad bona tēporalia, quasi de pueritia prioris tenuitatis egressa, cornua tumoris efferat. sic, si de vitulo fiat taurus, emittit cornua: qui desinit esse seruus, fit ceruus, hoc est profert cornua. sic limax, dum supra caput non habet amplius suum tegmen, quasi domus culmen, seu quasi superiorem principem (de quo dicitur, *Imposuisti homines super capita nostra.* Italicè dicimus *hauer sopra capo*) tunc inquam limax cornua emittit, cum antea adeo humilis videretur. tunc etiam caput attollit, & effert extra terminos suæ domus. ita si quis ex seruo fiat liber, & maximè

dominus (hoc autem fit in paruulo, qui *cum paruulus est, nihil differt à seruo*) ambo isti, scilicet puer, & seruus, si amoueantur ab eis superiores, qui erant super capita eorum, exeunt terminis suis, scilicet transgrediuntur limites modestiæ, & status sui.

2. *Instabilitas prosperitatis per nauem ex tranquillitate in tempestatem incidens, descripta ex Maximo Tirio.*
3. *Imitantes peccantium prosperitatem etiam pœnas tolerabunt eorumdem.*

2. MAXIMVS Tirius Philosophus licet Ethnicus, pulchrũ de instabilitate prosperitatis humanæ exemplum attulit sermone, quod voluptas est bonum infirmum. ait ergo, quod quidam Rex parum peritus maris de Ægypto discessit in naui, quam ædificari fecerat immensæ magnitudinis; adeo vt in ipsa hortos amœnos cum vineis, & arboribus secum veheret, insuper & officinas, quæ ad delitias pertinent, vt coquinam peramplam, cubicula aromatum, & vnguentorum odoriferorum, item balnea, & alia huiusmodi, quæ vix reges magni habent in palatijs suis. præterea nauis ista auro vbique fulgebat, musicis viris, & instrumentis personabat suauissimè; & ita prosperè nauigabat, vt omnes se beatos existimarent, si in ea esse possent. At paulò post insurrexit procella. aliæ naues, quæ ipsam circunstabant, vt erant exiguæ, & aptæ nauigationi, & regimini, vela demittendo, & alia iuxta regulas nautarum agendo, saluæ factæ sunt. Illa verò, quia ob nimiam magnitudinem regi nequibat, nec apta erat huiusmodi ludo, ita turbari repentè cœpit, & concuti, vt subito musica eius in luctum conuersa, effusis balneis, mensisque auratis euersis, hortis & arboribus marinâ aqua perfusis, & deinde demersis, tota naufragium passa sit ex paulò ante narrata felicitate, & confracta est ex procella. Sic inquit auctor prosperitas voluptatum mundi nauigat aliquando feliciter, sed quia valde instabilis est, citò naufragium patitur, velut prædicta nauis. Exemplum affert de Policrate, de Sardanapalo, de Paride, qui omnes breui, ex ingenti felicitate ad summum miseriæ deuenerunt. Applica: quod ingentes prosperitates, velut hæc nauis magna, faciliùs pereant, vt quæ minus regi, & moderari etiam queant ob animi impotentiam: status verò hominum mediocres minus periculosi, quia facilè possunt se regere qui in illis positi sunt, & moderari quoad cupiditates, & affectiones animi.

3. Sed adde tu prędictis, vitam nostram esse nauigationem periculosam, mundum esse mare, corpora nostra esse naues animarum. nam & Aristoteles animam in corpore asseruit esse, vt nautam in naui, sic illud Psalmi: *Qui descendunt mare in nauibus*, exponunt mysticè de hominibus mare mundi enauigantibus. & tritum est nedum apud Sanctos Patres, sed & apud profanos auctores, sæculum esse veluti mare, in quo nauigamus. cum ergo ita sit; sicut non incongruum est rationi quod homines magni, ac Reges

in terra ædificent sibi palatia, & officinas deliciarum regiâ magnificentiâ dignas, parent sibi hortos, & vineas, & similia: sic huiusmodi res velle non in terra, & loco consistenti sed in naui habere & secum nauigare; stultum est, & certo periculo obnoxium. Et sanè rebus omnino ad vitam necessarijs debent nauigantes esse contenti, & ibi etiam diuites veluti pauperes degere solēt exiguo cubiculo, & parum condito & lauto cibo, ac lecto angusto, vitam transigentes. Eodem modo congruum est rationi, vt homines in cælo, loco nimirum consistenti, ac in terrâ viuentium stabili, domū suam sibi ædificent, delitiasque suas, & thesauros collocent, iuxta Euāg. de non thesaurizando in terra, sed in cœlo; eò quòd ibi nullum periculum. Hic verò, cum simus in mari; exortâ sæpè tempestate aduersitatis, vel saltem mortis, naufragium patiūtur omnia à nobis, in naui hac deportata. Ideo iusti tanquam viatores, & nauigantes se agnoscendo, vitam absque commodis, & delitijs multis transegerunt. ideo Apostolus 1. Tim. 6. clamat. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* italicet per mortem, vel aliter naufragium patiamur, non pereunt bona nostra, quæ non nobiscum, sed in cælo collocata possidemus.

1. Tim. 6.

3. Apud Venetos pellibus murium quorundam vtuntur togati, quæ vocantur vulgò, *vari, e dossi.* ptimæ ex ventribus, secundæ verò pelles ex dorsis eorumdem murium confectæ sunt: vnde dicuntur *dossi,* quasi dorsa. dic igitur, eos, qui æmulantur diuites, in conuiuijs, in acquisitione auri, & deuoratione diuitiarum, iuxta illud Iob. 20. *Diuitias, quas deuorauit, euomet;* eos inquā concupiscere ventres prædictorum felicium. sed si ventres eorum volunt; etiam dorsa ipsorum, nempe quæ inde patiuntur dāna, cogentur hereditare. sicut togati prædicti & ventribus, & dorsis deinde diuerso tempore vtuntur. (a) *Sè tu vuoi i vari, bisognerà poi che porti anco i dossi. se ti metti nelle pancie de i ricchi cattiui, bisognerà poi anco che ti poni nelle loro schiene.* (b) Psal. 36. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.* subdit paulò post, *Quoniā qui malignantur exterminabuntur. sustinentes autem Dominum, ipsi hereditabūt terram.* noli tu, qui Lazarus es, concupiscere ventrem, & crapulam diuitis epulonis, contentus esto micis. si enim ventrem obtineas deuoratoris pauperum; & dorsum illius indues. dum ait, quod *qui malignantur exterminabuntur*, indicat, quod obtinebunt dorsa iniustorum, qui deuorationi escarum splendidarum, & alienarum opum vacant. nam vt ibidem dicitur paulò post exterminabitur peccator. *dhuc pusillum & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies* exterminati sunt & ad inferos d cenderunt potentes, & felices, i argentum thesaurizabant, & deuorabant. Item cum animo oluis epulationes, & prosper tes Potentum quasi ventres e um, debes simul cogitare dor ipsorum, hoc est ea, quæ patiu r ex crapula, vel ex cura, &

Iob. 20.

(a) Si vis commoda, habeas & incōmoda diuitum. Si vētres eorum imitari velis, imitari cogeris & dorsum.

(b) Psal. 36.

& sollicitudine regiminis publici, & opum, præter remorsum conscientiæ. *Se ti metti nel loro ventre, mettiti ancora nella loro schiena, cioè considera, e fà conto dell' vno, e dell' altro.* Si enim sequaris errantem, sequêris pœnitentem. si vestes Naamam habebis, & lepra illius adhærebit tibi. quod verum erit tam in secunda hac applicatione dictæ similitudinis, quàm in prima, si capiamus verbum pœnitentis pro dolore etiam infructuoso consecuto ex peccato.

Ambulatio, & progressus (quod idem est) significant apud omnes profectum & prosperitatem in re aliqua, seu ad rem aliquam, ad quam tendebamus. sic dicitur, (a) *Andar auanti, caminar auanti nelle lettere, ò nel guadagno ò nella felicita.* sicut ergo qui stultus est, dum domi se continet, à vulgo non solet agnosci vt insanus: sed statim ac exiens in publicum se contulit, quia incessus, & risus hominis annunciant de eo statim dicunt omnes, quod stultus est; id ipsum euenit de stulto, hoc est de homine, vt dicitur, leuioris armaturæ, & vani ac leuis animi, cui hoc nomen stulti rectè aliquando tribuitur in Scriptura hic enim, dum domi se continet, tantum domesticis innotescit, hoc est dum se cohibet in humilitate status sui, dum non prodit in publicum obtento magistratu, vel cathedra ad docendum, vel aliâ re quâ dignatur, & cogatur se exponere populo. At si progrediatur in via prosperitatis, prospere procedendo in acquisitione litterarum, vel lucri, vel honoris, aut virtutis; statim, quia *stultus ambulans per viam*, ab omnibus detegitur vt stultus, & vt talis prædicatur. quia cor eius pusillum, & leue, hoc est cerebrum, quasi hominis qui super sublime fastigium ascenderit, (talis enim est prosperitas) deficere incipit. *Comincia à mancarli il ceruello.* seu potius incipit publicè agnosci hic defectus. vnde dicitur, quod *Prosperitas stultorum perdet illos.* quia intumescit, & insanit ex prædictis, seu publicat leuitatem cordis sui, & vanum tumorem. ita Ecclesiastes 10. 3. *Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Septuaginta, *Etiam in via cum stultus ambulat, cor eius deficiet.* Hieron. in antiqua lectione, *Cor eius minuitur.* sicut enim insanus procedens per viam, etiam si exiguum insaniæ haberet, citò ei augetur insania, quia pueri, & populus certatim irrigant & fæcundant arborem nouellam stultitiæ, hoc est recentis insaniæ (vulgo dicitur, (a) *I putti fanno i matti.*) ita & occasiones, quæ se offerũt in officio imprudenti commisso, & leuitas eius cordis per inflationem ipsum stultescere cogunt, si non erat stultus. at si erat, eius stultitiam produnt omnibus. hæc verò etiam præstant progressus per viam, hoc est successus aliqui in rebus prædictis. ita illud, *Omnes stultos æstimat,* Complut. & Regia legunt, *Omnes dicunt, quod est stultus.* per viam dignoscitur, hoc est in progressu muneris, vel officij, seu in progressu prosperitatis nemine penitus discrepante stultitię laureâ donatur. Prou. 30. 32 *Est qui stultus apparuit postquam eleuatus est in sublime. si enim intellexisset,*

(a) Progredi in litteris, lucro vel prosperitate.

Ecclesiast. 10. 3.

(a) Pueri stultos efficiunt.

Prou. 30. 32.

set, ori suo imposuisset manum. quasi dicat, *se ne saria stato cheto nel suo cantone, non saria vscito dalla sua casa, & hu miltà priuata per ir in publico.* hoc est Si se continuisset intra angustias suas; si domo non exisset, si publicum officium non appetijsset. hoc autem & accommodari potest ei, qui eleuatur in sublime ratione opum, vel famæ ex litteris, vel armis *& cæt.* nam superbientes euanescũt corde ob hanc exaltationem, & suam produnt stultitiam per hanc occasionem.

Hoc nomen *via* apud Scriptores, & sacras etiam litteras sumitur sæpè pro instituto, & ratione viuendi, aut secta, iuxta illud Actuum, *Vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres.* ergo dicendum est, stultum aliquantulum progrediẽdo per viam suam, per suam viuendi rationem. (non enim hic de stulto materiali, & de via materiali loquitur Salomon, vt omnes fatentur) adeo euanescere, & insanire ex superbia, & æstimatione sui, qua sua sapientia in prædicta via prosperè progrediatur; vt omnes alios eandem viæ rationem sectantes, quasi ambulantes eamdẽ viam, penitus contemnat, & stultos æstimet, hoc est vecordes, & stolidos. vt si viam militiæ ambulet, vel Curiæ, vel clericatus; omnes eiusdem professionis respectu sui ignaros, & fatuos reputat. dixi, si aliquantulum in via procedere se sentiat: cui rei bene alludit Complutẽsis, quæ legit hic *in viâ propinquâ.* vix enim aliquot passus dedit à ianua, ab exordijs inquam eius viæ, & instituti, vix, verbi gratia quatuor *cuius,* vt dicitur, sub ferula didicit; vel in militia semel sibi galeam imposuit; in via spirituali coronam bis recitauit; cum statim omnes litteratos, commilitones, & ceteros viæ suæ sectatores vt stultos pronunciat. ita Vulgata habet: *Cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Campensis, *Et tanquam ipse solus sapiens sit, obuios omnes stultos appellabit.* Vulgò dicitur, (a) *A chi la và ben, par sauio.* ideo si quibusdam alijs sapiens videtur, multo magis sibi stultos æstimat ceteros, etiam qui sibi videtur profecisse aliquid in via spirituali. qui stulti in Scriptura vocantur peccatores. sic Pharisæus commemoratis bonis suis, se solum sapientem æstimabat, alios stultos. insipiens ergo est *stultus ambulans in via,* vt habet vulgata, *& cor ei deficit.* seu *minuitur,* vt alij habent, quia ex superbia, & leuitate cordis desipit in prosperitate, & se tantum sapientem putans, ceteros despicit. at hæc præstando simul se ipsum fatuum ostendit. vnde de eo *omnes dicunt, quod stultus est.*

(a) Cui res prosperè procédit, sapiens videatur.

Si autem applicemus, vt supra stulto eleuato ad aliquod munus supra vires suas, & hoc sit egredi in viam; dicendum est, rectè dici à Septuaginta, *cor ei* in hac via (adde tu, etiam *propinquâ deficere,* deficere mentem, & consilium ad munus perirandum. despondet illicò animum spem perdit administrandi regimen illud: impingit miser in ipsis initijs viæ, & sese implicatum valde sentit: (b) *Si troua come i pulcini nella stoppa intricato.* vnde Chaldæa Costi habet, *Cum autem stultus se in sinuosam viam conieceit.* sinuosam vocat, quia ab stupulá

(b) Magis se intricatum sentit, quàm pulli vo lucrũ in

ab eâ, hoc eſt à difficultatibus occurrentibus expedire ſe neſcit. ſic exponit Pineda illud de *via propinqua*, & ſinuoſa. Deficit in via propinqua: fit iuxta adagium. *Cantherius in porta.* Adagij originem fecit Cantherius, dum longo itinere arrepto cùm alijs, vix ad portam vrbis vnde diſcedebat cum veniſſet, aiebat ſe defeſſum.

Via hæc dicitur ſinuoſa, in quam ſe coniecit ſtultus. intrauit, vt dicitur in magnum labyrinthum. etiam qui cerebrum habet, mente deſtituetur dum in hoc circuire cogitur. vide quid erit de fatuo; ideo aiunt Septuaginta, *Cor eum deficiet.* ſcilicet ambulantem in hac via qualis eſt magiſtratus. Labyrinthus, quaſi labor intus. Eccleſiaſtes, *Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem*

Iſa.38.8. *pergere.* Iſa.35.8. *Erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam.* Vide ergo quid proſit proſperitas ſublimationis ad ſtatum felicem, præſertim honoris. præſertim vbi non adſit ſoliditas mentis, & humilitas animi, atque ſapientia non ſolum humana, ſed Diuina, quæ in virtute & puritate cordis ſita, eſt. *Errare* propriè dicitur qui per ſinuoſas vias, quales ſunt labyrinthi ambulat; & *errores* dicuntur progreſſus, & circuitiones, quæ fiunt per eas. verè igitur omnis adminiſtratio ſtulti in commiſſo munere nō erit niſi continuus error, ſeu errores continuati. ideo Chaldæa Coſti, *Cum autem ſtultus ſe in viam ſinuoſam coniecerit facilè â ſapintia cor eius alienum eſt & ea gerit, quæ facta haud recta ſunt.* vulgò dicimus, (a) *Chi non ha ceruello habbi gambe; mà il pazzo ha gambe ſolo per fare facilmente molte ſcappate.* cùm illud adagium dictum ſit, vt oſtendatur à negotio, vel magiſtratu eū hominem debere fugere, qui non habet peritiam ſufficientem: fugere, nempe declinando onera humeris imparia. (b) *deue far vna ſcappata per non farne molte.* Si ſtulti vix per viam rectam errare nequeunt quid per labyrinthum? etiam ſapientes cerebrum deficit in his gyris. vide quid fiet in ſtultis?

(a) Qui ingeniū aut cor non habet habeat pedes: Sed Stultus tantum videtur habere pedes vt Sipæus offendat, ſiue fugiendo erret.

(b) fugere debet, vel aberrare, ne ſæpius erret.

Luc. 5.1.

Lucæ 5.1. *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. in verbo autem tuo laxabo rete. & cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. rumpebatur autem rete eorum. & annuerunt ſocijs, qui erant in alia naui vt venirent. & adiuuarent eos. & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur.* periculum proſperitatis in hoc facto optimè repreſentatur. quaſi *tota nocte laborans nihil cepit;* qui multis annis ſudauit per negotia, vel ſtudia, vt expiſcaretur opes, vel honores, &c. & tamen *nihil cepit.* ſuperuenit ei Dei gratia, efficitque, vt repente capiat piſcium multitudinem copioſam, nempe diuitias ingentes, vel honores. at inde rumpitur rete, hoc eſt periclitatur rumpi, & nauis repleta his piſcibus pene mergitur: quia ipſemet homo, ipſamet familia, quæ repente ditata eſt, vel honoribus aucta; præ vbertate nimiâ rerum, & felicitate quaſi rumpitur, & perit, quaſi demergitur; ita vt rurſum etiam periculum ſubeat perdendi quæcū que acquiſiuit, & ſimul ſe ipſam. nonne id accidit Aman? nonne id Saul,

Saul, quamuis huic præsertim piscium captura, hoc est regni, à Deo donata fuerit?

Sequitur: *Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens, exi à me Domine, quia homo peccator sum.* hoc petijt, quia se indignum putabat præsentiâ Christi tam miranda operantis. sed Petrum æmulari videntur, qui repentè à Deo ad pinguem fortunam, vt vocant, redacti sunt. æmulantur autem sed aliâ, & iniqua æmulatione, nam statim ac Deus impleuit piscibus eorum nauim; statim ac, vt vulgò dicimus, (*a*) *han preso il pesce*; dicunt, *exi à me Domine, quia peccator sum*, scilicet per prosperitatem effectus. *Incrassatus, impinguatus dereliquit, Deum factorem suum.* Iob. 12. 6. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deũ, cum ipse dederit omnia in manus eorum.* Vel dic: repentè ditati superbire solent præ ceteris, vt Petrus hic tantò magis humiliauit se, quantò plus est donatus. Ecclesiast. 3. *Quantò magnus es, tantò in omnibus te humilia.*

(*a*) Ceperunt piscem.

Iob.12.6.

Eccles.3.

Ne autem rumperetur rete, ne mergeretur nauis; *annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos*, & venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas. *volentes diuites fieri incidunt in laqueum diaboli*, & in desideria multa inutilia, & nocíua, quæ mergunt homines in interitum. Sic ergo si nauis Petri seipsam tantummodo voluisset implere, seipsam demersisset, remedium ergo est, vt socijs partem facias felicitatis tuæ, opum scilicet, & bonorum, etiam Paganus Poëta describens infernum, ponit naufragium fecisse eos, qui ita se gesserunt in optima piscatione. inter damnatos enim ponit eos, *qui diuitijs soli incubuêre repertis, nec partem posuêre suis*: Ait Lucas: *Vt adiuuarent eos*, quamuis & socios aliquod emolumentum ex hoc consecutos esse non est dubitandum; tamen dicit ipsos adiumenti gratiâ vocatos. vt scias pauperes, & amicos, quibus copiam diuidis opum tuarum, te potius adiuuare, quâm ipsi adiuuentur: quamuis & ipsi aliquid opis inde obtineant. adiuuant te, quia à demersione & interitu te eripiunt. Item Petrus non priuauit se piscibus quos socijs diuisit; sed vt in tutum eos deferrent, tradidit. sic non alienas à te opes, quas pauperibus distribuis; sed ijs committis, qui in cælum, tutumque locum ex hoc periculo in tui vtilitatem transferant. Ita qui facultatem nactus est obtinendi plura beneficia, vel magistratus, vel onera alia super vires suas; hæc distribuat, vocet socios, vt se adiuuent ad extrahendos pisces in tutum, ne solus id agens demergatur sub onere. vtatur vicarijs, consiliaris ministris, ne mergatur nauis sui magistratus.

Ad Timoth. 6.

Virgilius Æneid.

Echo de prosperitate, sermone Italico: (*a*) *Che fai Signor mandando pesti, e fami? ami. Che riceuo dai guai, che si m'offendono? dono. Qual diuengo, se il ciel non m'è contrario? rio. Qual lascio d'esser, se di duol m' atristo? tristo. Quai siam di spirto all'hor, che siamo allegri? egri. E qual e'l fin di dolci aure seconde? onde. Qual mi fu'l mar prima ch'vrtassi in scoglio? oglio. Par lecito ogni*

(*a*) Quid facis ô Dñe, cũ nos affligis peste & fame? amo. Quid mihi sunt damna à te immissa, dona. Qualis ero si nulla mihi obueniãt mala? malus. Quis exitus auræ secundæ? vndæ. Ergo prosperitas & deliciæ secũ dãna & infortunia afferunt? ferunt.

mal all'huom felice? lice. Etutto ar disce l'alma auuenturosa? osa. Dunque i contenti han seco vn graue danno? hanno. Ergo illud dicendum Prouerb. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos.*

Prou. 1. D. Bernard. serm. 4. D. Bernard. serm. 4. hebdomadæ pœnosæ *Duo nobis in hæreditate reliquerat ille vetustus Adam, qui fugit a facie Dei; laborem videlicet, & dolorem: laborem in actione, dolorem in passione.* Sicut autem apud nos solent diuidi fructus agrorum inter dominos ipsorum, & agricolas eorum cultores; ita diuisa fuit hæreditas illa Adam inter ipsos agricolas, & diuites. illis obtigit labor, his dolor. quomodo dolor his, & non illis? at dic, cum diuites ex crapula, & otio infestentur sæpè doloribus varijs, vt podagræ capitis, &c. cum verò rustici in labore viuentes, valido sint corpore; numquid velut otiosi, & epulatores diuites, crebro dolore stomachi, vel capitis, aut morbi articularis ingemiscunt? Sed sicut in diuisione frugum prædicta, sæpè fieri solet, vt colonis pars melior cedat, deterior dominis: ita & in diuisione hæreditatis Adam factum est præstat enim esse in labore, quam in dolore. Crede Deo, non mihi Ecclesia-

Ecclesiasticus 30. 14. sticus 30. 14. *Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quàm diues imbecillis, & flagellatus malitia;* hoc est punitus eâ imbecilitate ob malitiam, videlicet peccatum, quale sæpè est crapula. nam qui erat *diues, epulabatur quotidie splendidè.*

Fabula est, sed quæ multoties accidisse potuit. Quidam agricola tædio laboris optauit, & obtinuit diuitias. cum autem famem sæpè antea pateretur, & laboribus se exerceret; deinde præ otio, & crapula, articulorum dolore in manibus & pedibus vexabatur, præter sollicitudinem animi circa administrationem opum suarum. Ita eius crapulâ, & bibacitate factum est, vt qui antea laborabat in vinea, postea sudaret & doleret in vino. qui ob laborem noluit arare; ob dolorem cogebatur orare; qui amouerat callos à cute manuum; induxerat morbũ in ossa ipsarum: qui saltabat in festis, modo nec ambulabat in ferijs. Ita in eo impletum est illud Iobi 6. *Qui fugit pruinam, irruet super eum nix.* nam fugiens laborem, incidit in dolorem. De sollicitudine autem circa opes, quę ideo *spinæ* dicuntur, potest dici, quod amplius pungebatur à spinis, postquam calceatus incedebat; quam antea, cum nudis rure incederet pedibus. Chiragra pigritiæ, induxit chiragram pœnitentiæ: vt qui per culpam laborare nō voluit, per pœnam neque possit. Ergo dicendum his qui postulant se magnos fieri ex pauperibus, vt petebant filij Zebedæi; *Nescitis quid petatis*, petierunt primatum, at dictum est illis *potestis bibere calicem?* Qui obtinet sceptrum, obtinet baculum in duplici sensu: Diuites effecti, sæpè etiam materialem calicem scilicet pharmacorum ob crapulas præteritas coguntur bibere, propter morbos ex ijs enatos.

Seruus Elisæi appetijt opes. at cum putabat se factum diuitem, & beatũ, inuenit cum vestibus & nummis simul se accepisse lepram diuitis.

Sic

Sic accidit in casu nostro. qui obtinuit bonum diuitis, obtinuit & malum. Fugit crucem vnam, nempè laboris, & paupertatis, quâ pedes eius nudi affligebantur, sicut & manus laboribus, quasi clauis torquebantur: at incidit in aliam acerbiorem, & veriorem. nam articulari morbo detentus, quasi cõfixus cruci propriæ in cubili suo, nec manus nec pedes mouere potest, & clauis doloris in ijs membris transfigitur.

Peopter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. sic
Prou. 20. 4. est Prou. 20.4. applica id pigro nostro. in tempore enim æstatis, scilicet fructuum & diuitiarum, propter contractam ægritudinem, mendicat à Medico & à suis cibum & potum, saltem copiosiorem, & lautiorem. *& non dabitur ei.* non cõcedit Medicus, neque sui postulata, ne ei noceant. morbus enim ille abstinentiã requirit magnam. Vel cum morbi illius dolores sæpè calorem febris inducãt, dici potest quod *in æstate*, hoc est, in æstu febrili & in siti, quæ illam ægritudinem valde infestat, petat ipse cibum aut potum, & non detur illi. Ergo *dum fugit pruinam, irruit super eũ nix.* quia dum noluit esse pauper, factus est medicus: & cum antea deessent illi quæ non habebat, modo & desunt illi quæ habet.

Sæpè ergò in huiusmodi appetẽtibus opes, vel statum feliciorem, ve-
Prou. 1. rificatur illud Prou. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos.* hoc est, si hanc prosperitatem fuerint adepti, ab illa deteriùs torquentur. Omnibus mala imprecantibus Dionysio tyranno, vetula vna pro illius incolumitate orabat. postulanti cur id faceret pro tyranno execrabili? quia, inquit, vidi semper nos in peiorem incidere. Idem plerũque accidit in mutatione status, & fortunæ. communiter enim in deteriorẽ incidimus. vnde si sapimus, cum ceteri statum nostrũ humilis conditionis auersantur, nos orare Deum debemus, vt in eo nos conseruet. ne, velut canis Æsopi, amittamus frustũ carnis verę, vt vmbram eius maiorem adipiscamur.

Ait quidam Doctor de his, qui crapulam etiam in cibis Quadragesimæ sequuntur: *hoc non est sectari abstinentiam, sed mutare gulam.* ita in casu nostro adipisci prosperitatem, nõ est acquirere felicitatem, sed mutare miseriam. qui status enim est in hac vita non plenus ærumnis? Adijt Socratem quidã iuuenis, Socratem illũ, qui omnium mortalium sapientissimus ab oraculo est pronuntiatus, & petijt ab eo, num debeo vxorem ducere, an cælebs permanere? respondit ei, Vtrumque feceris, te pœnitebit. Hoc ipsum certè dici potest de omni statu, quem homo suscepturus sit, vel in quo iam sit constiturus cò quòd *nemo sua sorte contentus.* mũdus enim per Ægyptũ figuratur, in quo sicut in qualibet domo suum deflebant mortuum, quãdo Deus percussit omne primogenitũ: ita apud nos quælibet familia, & conditio hominũ suos habet dolores, quos defleat, suum habet defunctũ, quem ploret. Ergo siue paupertatem, siue diuitias nactus fueris, te pœnitebit. Fias miles, vel domi in pace sedeas; vtrumque feceris, te pœnitebit. ita per cetera discurre.

Omnia viuẽdi instituta iuxta sæculũ hoc, omnia bona mundi, sunt velut poma Sodomitica, quæ de humo Sodomæ combusta oriebantur, de quibus Solinus, & alij passim dicunt, quod cùm exteriùs pulchra essent, manu constricta in cinerem, & fumum dissoluebantur. Carpe ergo hoc, vel illud pomum, carpe, & suscipe hoc, vel illud institutum viuẽdi, siue hunc, vel illum statum, hoc, vel illud bonum mundi: in omnibus inuenies vanitatem, & cinerẽ pœnitentiæ, & amaritudinis: hâc tantum differentiâ, quod in maiori & pulchriori huiusmodi pomo, & statu maiorem etiam vanitatem, maiorẽque quantitatẽ cineris, & amaritudinis reperies. Ideo Salomon cùm omne genus delitiarum, & varios vitę fructus esset expertus; in omnibus his vanitatem, & afflictionem spiritus inuenit, quasi in Sodomiticis pomis inanitatem & cinerem. cinis Symbolum pœnitentiæ; Iob, *Ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.*

Si ergo vbique pœnitentia, cur tantopere insudas, cur tantum insumis, vt conscendas ad pœnitentiam? ascendere enim ad pinguiorem fortunam, est progredi ad pœnitentiã. cur non dicis cum Demosthene renuenti emere voluptatem à scorto magno pretio, quod illa petebat, *Nõ emo tanti pœnitere?* Si te pœnitet status, & humilitatis tuæ, cur pœnitentiam aliam quæris emere, cum iam gratis possideas? Si vorandum tibi sit pomum Sodomiticũ, nonne minimum ex illis, non maximum, assumes ad vorandum? nonne præstat pœnitentiã minorem, minoris scilicet status, quàm maiorem maioris subire? De terra Sodomorum combusta dicitur Sap. 10.7. *Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores*, eos scilicet fructus, de quibus loquũtur citati auctores. cum ergo fumus fletum excutiat; & si multus sit, etiam suffocet; optimè repræsentatur per verba allata de fumo eius terræ, quod accedentes ad carpendum poma illa cinerea, & vana, hoc est bona mundi per ea repræsentata, in medias lacrymas, & vitæ pericula se inferant, vt ad alias lacrymas, ad aliam pœnitentiam, & vanitatem pertingant. Per multa pericula, inquit Augustinus, tendunt mundani ad maius periculum, hoc est tendunt ad altiorem gradum, & terrenam felicitatem eius, per lacrymas fumi, & amaritudines eius transeunt ad carpẽda poma cinerea, & amara maioris pœnitentiæ, & amaritudinis. Sap. 10.7.

Psal. 65. *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Augustinus, & plures cum eo *ignem* aduersitatem, *aquam* prosperitatem interpretantur hoc loco, iuxta Ecclesiasticum 15. 17. *Apposuit tibi aquam, & ignem*, quod deinde explicans, *bonum, & malum* inquit, *vitam, & mortem.* Sed quomodo qui transiuit per aquam post ignem, eget refrigerari? qui per prosperitatẽ post aduersitatem transiuit, dicitur eductus in refrigerium? respondeo etiã ipsam aquam felicitatis mundi, quamuis aqua sit respectu ignis aduersitatis, tamẽ esse ignem etiam ipsam, & ideo egere refrigerio. tot enim Psal. 65. Ecclesiast. 15.17

nim malis admixta est humana prosperitas, in qua *risus dolore miscetur*; vt etiamsi ipsa sit refrigerium, hoc tamen refrigerium humanum nos vrit, & torquet, & ignis est. ergo etiam paradisus voluptatis mundi est quidam infernus, in quo diues etiam epulans quotidie splendidè, & indutus purpura & bysso, cruciatur, & petit de cælo, vt refrigeretur, quia etiam in eo statu potest dicere, *crucior in hac flamma.* quia saltem ratione desiderij, quo inardescit semper cor humanum ad ampliorem prosperitatem, ipsâmet prosperitate vritur, & concupiscit refrigerari ab illa per aliam, vel saltem refrigerari per aquam cælestis beatitudinis, quâ extingui potest ille ignis. Adde vitam hanc esse quēdam infernum, etiam dum homo transit *ab aquis nimium ad calores nimios*, scilicet à prosperitatibus ad aduersitates, quod subinde solet facere. nam transit per ignē, & aquam, vnde optat venire in refrigerium, hoc est in Paradisum.

Prou. 5. 3. Prou. 5. 3. humana felicitas mysticè per meretricē designata est, de qua dicitur, *Fauus distillans labia meretricis, &c. in labijs vasis illa mel habet, at deinde nouissima eius amara quasi absynthium.* incipit ergo à melle, desinit in amarum. è contrario de Christo dicitur Cant. 5. *Labia eius lilia distillantia myrrham primam.* at ibi tantum amaritudo quāuis salubris, sed deinde ibidem num. 16. *guttur eius suauissimum.* quia pro exiguo, & momentaneo tribulationis, vnde incipit Christus in nobis; æternum gloriæ pondus deinde tribuit. *Cant. 5.*

Alexander ab Alexand, in diebus genialibus, ait, antiquos prospera putasse fulmina, cadentia à sinistra; aduersa, quæ caderēt à dextra: quia, inquit, quæ nobis læua, *Dijs dextra sunt*, iuxta priscos, ergo tribulationes, quæ aduersæ videntur, plerumque propriæ sunt nobis apud Deū, & è contra. Psal. 98. *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* *Psal. 98.* Genebrardus inter alias expositiones affert hanc vt probabilem, *propitius fuisti eis, & vlciscens*, hoc est, etiam vlciscens, puniens, si qua commiserint peccata.

ARTIFICES, VENDITORES, OPERARIIQVE.

2. *Vita operarij honesta, vtilis, suauis. Id probatur fusè.*

2. NE huiusmodi genus hominum, vt sæpè solet, conqueratur falsò se infelicem vitæ conditionem nactum esse, ac proinde Deo gratias reddere omittat accepti beneficij, audiat quæ sequuntur. audiant simul diuites falso damnantes laborem artificum, & de nobilitate, atque otio suo superbientes. Psal. 124. qui mentiri non potest, loquens litteraliter *Psal. 124.* de præsenti felicitate iusti, vt patet legenti, & auctores pāssim exponunt, quid ait? *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* vnde tu miseros vocas artifices ob labores eorum, inde signanter sunt beati etiam temporali beatitudine.

Ratio est manifesta, quod viuens labore manuum sit beatus, & felix, si modò velit, & iusti ac moderati animi sit. nam cum iuxta omnes auctores, beatitudo sit cõtinens omnia ea bona, quæ necessaria sunt, vt quis, pro eo statu, in quo felix dicitur, contentus viuat, ratio ista viuendi proprio labore hęc omnia affert. hæc enim bona ad tria solent reduci, nempe ad honestum, vtile, delectabile.

Circa primum, nullum viuendi modum iustiorem esse, ac proinde ex bona consequentia honestiorem, quam qui fit labore suo, nemo negat. nam & Apost. cùm iustissimè posset viuere de altari; tamen ad maiorem ædificationem credentium, ne eos grauaret, voluit viuere labore manuum. quid dicam de tot sanctissimis viris perfectionem sectantibus, qui nolentes se alere ex substantijs proprijs, quas inopibus erogarunt, labore manuum vixerunt in monasterijs?

Quod autem vtilitatem etiam afferat hæc viuendi ratio id per se patet, & tamen infra amplius illustrabitur. modo deueniamus ad id, quod difficultatem maiorem habere videtur, nempe ad delectationem, cum potius videatur amaritudo esse in labore, quàm suauitas. sed audi primo Ecclesiasticum 40. 18. *Vita sufficientis operarij condulcabitur, & in ea inueniet thesaurum*. vide dulcedinem, vide vtilitatem. Eccles. 40. 18.

In ea inueniet thesaurum. si quis defodiat locum, vbi animaduertit latere thesaurum, nonne laborat, & sudat? tamen quam dulces hi labores, hi sudores! sic per labores suos cum inueniat lucrum, cum inueniat, vt hic dicitur, thesaurum; quomodo non dulcissimi hi labores? sic Poëta noster Etruscus, (a) *Come l'auaro, che in cercar tesoro, col diletto l'affanno disacerba.* Symbolũ industriæ, & laboris, atque artificij sunt apes, vt passim testantur auctores. (b) Prou. 6. *Vade ad formicam piger.* Ambrosius legit, *Vade ad apem.* sed sicut apes efficiunt mel, quo omnia etiam amara dulcorantur: ita per id significatur produci dulcedinis mel per industriã, & labores, atque artes, quo omnia etiam amara dulcescant.

(a) Sicut auarus thesaurũ quærens, spe vili delectatione vicini boni laborem fallit vel edulcorat. (b) Prou. 6.

Adde, si adeo dulcè sapit nobis cibus manu nostra præparatus, aut fructus ex arbore à nobis plantata; quantò magis victus labore manuũ nostrarum acquisitus? vita ergo operarij condulcabitur. sed si edat operarius; cùm fames in eo excitetur exercitio, vt è contra nausea in diuite otioso; vide quam condulcetur vita operarij in hac parte. Prou. 27. *Anima saturata calcabit fauum.* quod est dicere etiam fauus diuiti est pro luto, & amara res, & vilissima. illam enim conculcat. *Quæ autem esuriens est, etiam amarũ pro dulci sumet.* talis est operarij. Item Ecclesiastici 5. 11. *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat. Saturitas autem diuitis non finit eum dormire.* ergo vita condulcabitur operarij. Adde, cùm ars habitus sit, & ex frequentatis actibus fiat habitus; si habitus non solum laborem aufert, & facilitatem præstat, & dulcedinem in operando, sed etiam in naturam conuertitur: (nam *Consuetudo est altera natura.*

Prou. 27. Eccle. 5. 11

&

& in eum articulum hominem adducit, vt ferè impossibile ducat se continere ab opere habitus iam cōtracti,) quænam difficultas, quis labor operanti erit, & tamdiu assueto artifici? imo contra durum erit, priuari consueto actu certè multi artifices etiam ad pinguem fortunam redacti, fatentur se vix posse viuere absque exercitio, cui assueti sunt Notum illud Pythagoræ: *Elige genus vitæ optimum. consuetudo faciet illud iucundum.* & Ecclesiasticus de sapientia, quæ tamen sensui carnis, & naturæ corruptæ aduersatur, ait, *Conuertetur tibi in oblectationem.*

Et in ea inueniet thesaurum. omnis ars alchymia est. sed vera. nam non solum ex ære, sed ex ligno, et puluere aurum facit. statuarius ex luto, pictor ex puluere aurum cōficiunt. vel potius in luto, & in puluere inueniunt thesaurum. medicus etiam vsurpat illud Virgilij Ennium rudem Poëtam legentis, *De stercore colligo aurum.*

In ea inueniet thesaurum. thesauri putantur inueniri arte magica, arte licita, arte diaboli: cùm verè inueniantur arte hominis. Diuiduntur artes, in mechanicas. & liberales. sed verè omnes, etiam mechanicæ, sunt liberales, nempè auctori suo ob lucrum illi allatum liberales sunt. Quid est argentum, nisi quasi ars gentium, quòd per artem gentium comparetur lucrum, quod per argentum accipi solet?

2. *Pauper non docens filios artem, sæpè fures eos facit.*

2. VIDE ergo quàm malè agunt cum liberis parentes, qui cùm tenuis fortunæ sint, non dant operam, vt filij edoceantur aliquam artem. Pater alit filium viuus, sed per traditam illi artem alit etiam mortuus. *Ars perficit naturam.* per generationem filium hominem facit. per artem perficit. imo sine arte illum neque hominem facit, sed per artem (vt ita dicam) illi tradit naturam. hoc est humanam, vulgò dicimus de eo qui erudiuit aliquem præsertim per bonam artem, *Egli l'ha fatto vn'huomo.* hominem, hoc est, virum effecit.

Qui (inter pauperes dico) non habet artem, non habet partem. *Qui non laborat, non manducat.* in Alphabeto vitæ pauperum vt & in nostro, non peruenitur ad M nisi prius veniatur ad L. hoc est non manducatur, nisi laboretur. Vulgò dicunt, *Meglio mestier, che sparuier.* hoc est, melius est operari, quàm esse accipitrem, hoc est rapacem. quia fugiens vnum f, hoc est *facere*, incidere solet in aliud f, nempe *furari*. nolēs esse apis, fit fucus. fucus enim est apis imperfecta, quæ est otiosa, & non efficit mel, sed suffuratur ipsum, viuitque de labore alieno. vnde & otiosorum est symbolum apud auctores. Sæpè accidit, vt qui non lucratur nummos, furetur sacculos: *Chi non guadagna denari, vada à borse.* vnde sicut materialiter finis huius verbi, *Michielazzo è vn lazzo*, hoc est Italicè laqueus: ita finis eius, qui otiosus est, & dicitur *far il mestier di Michielazzo*; fit laqueus. Fur est initium furcæ, via ad furcam vt in

in nomine, sic in re. fur verò fit, otiosus pauper.

In ea inueniat thesaurum. officinæ apud nos sunt in imo domorum ædificatæ. in hoc repræsentare videntur, quod officinæ ipsæ sunt fundamenta domorum, quæ consurgunt ab ipsis; & sine ipsis, seu pereuntibus ipsis corruerent. hoc est labores & industria artium domos, & familias opesque sibi erigunt, & posteris suis. vel etiam ex ipsis surrexerunt, & conseruantur domus, & opes nobilium & diuitum. tum quia sæpè diuitiæ eorum comparatæ sunt ab antecessoribus tali pacto. tum quia adhuc multorũ opes pendẽt à mercibus, & lucris, quæ contractu societatis cum opificibus expectantur.

Officinæ fundamenta sunt domorum. vnde vulgò loca huiusmodi mercium etiam *fundaci* appellantur. fundamenta sunt vbique domorum, & consequenter vrbium, quæ corruerent subtractis artibus, & opificibus ab esse & conuictu suo, & tamen quidam miseros, & ignobiles vocant opifices. ergo miseri sunt, qui efficiũt ne vniuersi homines sint miseri? nonne miser esset mundus sine artibus, & instrumentis, operibusque earum; vide quàm infelix domus vna fit, si vel ad vnum diem cogatur esse absque instrumento vnico, & necessario artis. quid dico instrumento cum neque domus ipsa, neque ciuitas possint esse domus & ciuitas sine arte ædificatoria? quàm ergo miseriam artifices abstulerunt ab omnibus, sibi solis reliquerunt? Ignobiles prædicas artifices? nonne illi nobilitarunt vniuersum & nobilitant ipsasmet nobilium, & regũ domos, vrbes, prouincias? quàm obscura, quàm ignobilia hæc essent, imo omnino non essent sine artificibus. ergo nobilitatem, quam vniuerso tradidêre, sibi tantum denegarunt?

Ars, vt aiunt. perficit naturam. Deus constituit mundum & naturam rerum. sed vti dicimus, quod (a) dat Deus nuces, sed non frangit eas, simplicem, & sine artium perfectione hanc creauit. addidit verò artifices sui vicarios & quasi secundos Deos, qui vbi ipse desierat, ipsi inciperent. vbi enim desinit, vel deficit natura, dicitur quod supplet ars. Artifex etiam est Deus, & ita est vocatus. manus Artificis mundum fecit, manus artificis secundi refecit, & ita quasi iterum recreauit. recreauit quidem etiam vulgari sensu, hoc est refrigerium ei contulit. sed vt in hoc, ita in ante dicto sensu mundum refecit, & mundi secundus pater extitit primum imitatus parentem. nam *Ars imitatur naturam.* Si ergo ita se res habent, & si ars construxit domos, & ciuitates (vnde dicimus ferè coalescere, & conflari mundum, hoc est esse compositum.) igitur dum contemnis artifices, contemnis mundi parentes, Dei vicarios, & secundos Deos. nonne ob id antiquitas artium actores, & inuentores Deos existimauit, Deos ex hominibus sacrauit?

(a) Dio da le noci, ma non le rompe.

2. *Ars bonum stabile casibus non subiectũ.*
3. *Ars portus est, quo confugiunt deiecti ab infortunijs.*
4. *Nobiles otiosi nati ad destruendum, artifices ad ædificandum.*

2. Et

2. ET *in ea inueniet thesaurum* nimirum in ipsa vita operarij. quia ergo thesaurus iste non est extra ipsum opificem, ideo tutus est. Naufragium patitur diues, thesaurus eius in naui perit: at thesaurus artificis, nimirum ars ipsa, cum illo securè enatat, & euadit. Diripitur ciuitas, & relictis omnibus coguntur ciues inde exulare. sed artifex cum suo thesauro euadens nudus clamat, *omnia mea bona mecum porto.* thesaurum hunc securè portat per medios latrones. non eget vehiculo, neque iumento ad ipsum ferẽdum. Possessio licet dicatur bonum stabile, est plus quàm mobile. transit enim à possessore per varios casus, & sæpe breui spatio ad multos successiuè transuolat. sed ars verè est inter bona stabilia. nam nec hostis eam aufert, nec tyrannus eripit, nec lis, aut calumnia extorquet, nec egestas nostra eam vendit, nec prodigalitas perdit, nec alea amittit.

3. Mare est vita præsens, ob varietates fortunæ, & naufragia multa hominum de præsenti ipsorum felicitate. sed prouidentia præparauit portũ huic pelago, in quem ex naufragijs se retrahat, nimirum artem, quâ in necessitate se sustentet, qui aliunde non potest. sic Dionysius Siracusanus, nisi deiectus à regno artem grammaticam docendo se sustentasset, & in hunc portum se reduxisset perire debuerat. ita adagium Italicum ait, (a) *Impara vn'arte, e mettila da parte: tempo verrà, ch'ella bisognerà* Apud Turcas, audiui etiam imperij supremi heredes artem manualem addiscere. vide quid faciendum ceteris, si reges id agunt.

(a) Addisce artem, ac deinde sepone: veniet tempus cum eâ opus habebis.

4. In quo differunt nobiles otiosi siunt qui *in labore hominum non sunt, & ideo tenuit eos superbia*: in quo inquam differunt ab artificibus laborantibus, nisi artifices nati sunt ad faciendum, illi ad destruendum? artifices ad faciendam cuiusuis generis pretiosam, & delitiosam suppellectilem, nec non alia plurima opera iucunda, & elaborata artium. nobiles verò ad quid (si otiosi sunt) videntur nati, nisi ad hæc consumenda, & destruenda? ergo hi propterea nobiles, quia destructioni vacant, illi ignobiles, quia constructioni? cum enim nobilitatem æstiment sitam esse in viuendo absque labore, & exercitio artium, & in possidendis & vtendis, ne dicam abutendis per prodigalitatẽ, luxum, & iactantiam prædictis artificum operibus pretiosis, & delitiosis; nonne nobilitatem suam collocant in destruendis hoc modo rebus artificum? *Si glorian in straccìar seta, & oro, e consumar cose tali, in ciò pongon lor honore.*

In ea inueniet thesaurum. ars est habitus, qui dicitur ab habendo. dicitur ab habendo, sed discitur ad habendum. Agri quantum vis fecunda sit possessio, nõ nisi semel, vel bis in anno fructificat. quid si possessionẽ relinquere possis filio, quæ toto fructificet anno, & quotiescunque ipse velit? hæc autem est ars. si vnam illum doceas artem, per vnam artem omnes artes sibi, & familiæ suæ efficiet. nam per artem sutoris non solũ calceos, sed pileos, vestesque, & omnia alia artium opera familiæ afferet; hoc est per lucra artis suæ.

2. De

2. *De malis artificibus, & primo de fraudibus eorum.*
3. *Per iuramenta decipiunt.*

2. HÆc dicta sint in laudem artificum, & artium, sed quia sæpè artifices peccatis abundãt, vt & venditores; Sicut olim flagellati à Christo, & eiecti de tẽplo; sic nunc longè sunt à propitiatione diuina. ideo etiam mensæ nummorum huiusmodi hominum repentè euertuntur hoc est eorum lucra, Deo sic disponente, repentè sæpè pereunt. ideo adagium nostrum, *Quatttordici arti, e quindici disgratie* id est, quattuordecim artes, & quindecim infortunia, item illud (a) *Opera fatta, maestro in pozzo.* & verum sæpè est, (b) *Chi viue in botega, more all'Hospitale.* Inde est quod tot operarij sunt stantes otiosi tota die in foro, dicentes, *quia nemo nos conduxit*, & quod aliquando plus dormitur in officina, quàm in domo. inde est quod sæpè impletur in operarijs illud Ecclesiastæ 6.7 *Omnis labor hominis in ore eius. sed anima eius non implebitur.* non sufficit totum lucrum ad eos saturandos, pane. semper agentes, & semper egentes: semper agentes opus, & semper habentes opes, hoc est indigentes.

(a) Ope re perfecto, artifex in fossa est. (b) Qui in officina viuit, in Xenodochio moritur.

Ecclesiastæ 6.7.

Primum, & principale vitium artificum, & venditorũ solet esse dolus, & fraus. adeo vt dolus dicatur traditus arti quasi vir vxori, eò quòd putauerint artem solam tamquam feminam absque marito non posse fructus ventris sui edere, hoc est vtilitatem afferre sine ope doli, & mendaciorum. vnde adagium: (c) *Artigiano, che non mente, esca fuora della gente.* ideo sumpto hoc nomine artis etiam pro facultate operatiua artificum verum sæpè est illud, (d) *per arte, e per inganno si viue mezo vn'anno. per inganno, e per arte si viue l'altra parte.* Iam opifices, & artifices sæpenumero vnius opificij, & artis videntur esse. nempe opifices doli, artifices mendacij: & artes suas videntur fecisse artes, hoc est artificia, & calliditatem. vocabulum enim artis vtrumque significat, vt appareat artem sæpè cum artificio & dolo esse, & qui dicit artem dicere dolum.

(c) Artifex qui mentiri nescit, hominũ consortium deserat. (d) Arte & dolis medium annum transfiges: dolis & arte, Vives reliqua parte.

Prou. 5.

Vulgatum adagium est, *Figulus figulum odit.* quod præsertim de mutua inuidia artificum dictum est. Italice, (e) *L'inuidia fu maritata fra gl'artisti.* optimè nomen figuli in eo adagio tribuitur artifici. quia sæpe artifices figuli sunt. figulus dicitur à fingendo, fingunt, mentiuntur. Aliquam officinam videas picturæ, vel muscipularum, aut retium, & laqueorum. sed si bene inspicias plurimas inuenies harum mercium officinas ad venandos, & capiendos, miseros emptores. dixi plures officinas picturæ inueniri: quia in mercibus non veritatem, & substantiam exponunt sed superficiem colorem, & speciem externam; qua cum falsæ, & apparentes sint in bonitate, tamẽ oculos pascũt, & decipiunt, veram bonitatem mentientes. ita artes, sunt artes Prospectiuæ, vel artes, vt vulgò aiunt, Petri de Abano, artes magicæ, quæ visum alterant, & vnam rem pro alia ostendunt. (f) *Son quasi l'arte di Piero d'Abano,* (g) *di far strauedere*

(e) Inuidia inter artifices maritum inuenit.

(f) Artes Petri Aponentis i.e. præstigię. Vel impostu, &.

quo-

quoties enim venditor mercem vnã pro alia tibi imponit? quoties malam pro bona?

Prou. 29. 5. 3. Prouerb. 29. 5. *Homo, qui blandis, fictisque sermonibus, loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* hoc rete tendit venditor emptori, dum dulcibus, & falsis verbis prædicat ei mercis emendæ bonitatem. ipsa etiam merces exteriùs pulchra, & bona loquaci silentio id præstat, & alterum rete illi tendit. tertium rete tendit venditor emptori per iuramentum, quo (quantum in se est) efficit, vt Deus in testem vocatus persuadeat bonitatem mercis. vide ergo quàm difficilè possit miser emptor euadere fraudes venditoris. si enim primum rete vitat, cadet in secundum. quod si nõ in hoc, quomodo vitabit tertium?

Obserua quod Sanctos aduocet vẽditor in testes falsos quantum in se est, hoc est, efficit, vt illi, qui cum adhuc homines mortales essent, & peccabiles (quatenus erant in via) tamen neque pro vniuerso lucrando mentiti essent; efficit inquam venditor, quantũ in se est, vt illi iam beati pro vno obolo alteri acquirendo iniustè, testes falsi adueniant sæpè sæpiùs.

Volunt, quantum in ipsis est, vt Sancti in officina ipsorum semper assistant expediti ac prompti, vt tertio quoque verbo aduocati in testes, subito adsint, quasi seruitio auaritiæ ipsorum mancipati. ita officinam, quæ ratione habitantiũ in ea dæmonũ, est infernus; volunt Sanctorum esse Paradisum, vel quantum in ipsis est volunt Sanctos de Cœlo detractos in inferno cum dæmonibus habitare. talis enim est ea officina.

Iuxta id quod diximus de tot retibus expansis emptori, ait adagium: (a) *A chi vende basta hauer vn occhio, à chi compra non bastan cento.* vt possit dici Prouerb. 1. 17. *Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.* ita Mercurius mercatorum Deus, vnde forsitan mercatores nominati, dulci sono Lyræ fefellit Argũ centum oculos habentem, quamuis ipse Mercurius duos tantum haberet. Clausit oculos in somnum Argus delinitus sono, & ita Mercurius surripuit illi iuuencam custoditam. sic emptor securus effectus (vt sibi videtur) à dulcibus promissionibus, & attestationibus venditoris, claudit oculos, & clausis oculis recipit securè dolosam mercem, dum venditor interim marsupium adeo antea custoditum illi surripit, hoc est inducit, vt sibi tradat. si hæc facit in Argos, vide quid fiet in monoculos, in talpas?

(a) Venditori sufficit vnum habere oculum, emptori vix sufficiunt centeni. Prou. 1. 17

Ibi supplet ars, vbi deficit natura. idẽ verificatur de arte quatenus artificium, & astutiam significat. vbi enim in merce vendenda deficit natura mercis, ibi supplet ars mercatoris. imò defectum artificis (talis est imperitia, vel negligentia) supplent versutia artificij. Ipsius opificis ars, hoc est peritia, defecit opere, seu merce efficienda. at vult, vt ars suppleatur arte, hoc est fraude. *Vogliono, che in quella parte, oue l'arte mancò supplisca l'arte.* Ideo Mercurium effecerunt Deum mercatorum, & simul fraudum.

Cum apud nos opifices in apothecis suis pro signo soleant habe-

re res varias,aut animalia diuersa columbam, agnum, bouem,& similia, tamen vt signum, siue insigne officinæ melius cõgrueret, vulpes potius, simias, polipos gerere deberent. facilius enim tribus diebus quispiam doctor fiet in officina, quam tribus annis in schola (intellige de doctoratu in sua vniuscuiusque professione; ille fraudis, iste doctrinæ.) imò pueri,& ministri, addiscentes artem in officina sub magistro illius professionis. sic enim vocantur vulgò (a) *maestri di bottega*.illi inquam vix pluribus annis magistri fiunt in arte operis,& paucis diebus in arte calliditatis,& mendacij.

(a)Magistri officinæ.

Ideo dicitur à Christo, *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* locus malorum venditorum dicitur spelunca,in qua ipsi velut latrones maneant quasi in insidijs,& quasi vulpes in foueis:(nam vulpes foueas habent) vt per mendacia, & fraudolentiam incautos quosque aggrediantur, & expolient. tam cautus ergo, & timidus debet esse emptor, dum ingreditur in officinam auari, & fraudulenti venditoris, vel in eam, quam huiusmodi suspicatur; quam si in speluncã latronum esset ingressus, in qua ipsos cerneret latrones. maximè si bene nummatus sit, nec possit cantare vacuus coram latrone viator.

Spelunca est officina huiusmodi etiam ratione obscuritatis, quã de industria quidam venditores quærunt ibi, ne à luce arguantur opera, & merces vitiosæ ipsorum. in quo ipsi deficiunt operando,volunt contegere operiendo nec sufficit offundere tenebras mercium defectibus per verba,& alia artificia manuum; nisi & addant tenebras tenebris, & noctem nocti. cum diu etiam, vel saltem vespere nox sit in speluncis suis,ostendũt se esse ex ijs,de quibus dicitur, (b) *Gente à cui si fà notte auanti sera.* hi dilexerunt magis tenebras, quàm lucem. *erant enim*, vel sunt *eorum mala opera.* Attende emptor quomodo ambules cautè in his tenebris.vide ne curras ne corruas in malum.

(b) Quibus nox est anno prius quã vesper.

2. *Iterum de iuramentis artificum,& venditorum.*

2. SED rursus redeundo ad iuramenta venditorum, & mendacia.sæpè (vt habet Italicum prouerbium)magis creditur domus verbo, quam officinæ iuramento. *Più si crede à vna parola di casa, che à vn giuramento di bottega.*hoc est plus loquẽti ciui,quàm iuranti artifici:qui vt putetur iustè agere cum homine, impiè agit cum Deo,nempe peierando: & sæpè sanctos habet in ore, ne appareat diabolos se habere in corde. Peiores sunt quàm malefici. (c)*questi scongiurano i diauoli per vn tesoro,e quelli spergiurano i Santi per vn soldo.*

(c)Isti adiurant Dæmonẽ ad inueniendũ thesaurũ: hi peierant per sanctos ad lucrãdum terruncium.

Dic,Quænã dementia ista est, vt persuadeas te vereri homines,ipsum non vereri Deum?nonne id agis, dũ vt credam te me non fallere, & iustè mecum agere,Deum sæpè magna facilitate,& impudentia iuras?ergo dũ persuadere vis,& suspicionem tollere quod me non fallas, magis suspicionem auges quod fallas. si enim non vereris Deum sæpissimè iurando cũ peri-

periculo periurij, quomodo securus fiam, quod me hominem verearis, & non fallas?

Vis me credere tuis crebris iuramentis? credo. quid credere me vis, nisi quod illa persuadent? quid autē persuadent mihi, vt credam, nisi tibi non esse credendum? hoc illis credo. quid persuadent, nisi te parum Dei timentem esse? & hoc illis credo nōne plus credere debeo iuramentis tuis, quàm tibi? sed quamuis tu persuadere conaris te iustè mecum agere, timere Deum; tamen iuramenta crebra, & cum periculo, & nonnumquam cum certitudine peierandi persuadent quod dixi. ergo illis magis credere debeo.

Merces vendendo distrahere vulgò dicimus *smaltire*, quod Latinè sonat digerere, metaphora ducta à cibo, quem digestū natura distribuit partibus corporis. sicut ergo super pectoralia quędam stomacho adhibēda in digestionis adiutorium, nomen Christi quidam venditores intexunt, cum tamen, non nomen illud materiale, sed pannus ipse siue pectorale digestionem foueat, Italicè *agiuti lo smaltire*: ita non nomen Dei, aut Christi sæpè vsurpatum à venditore efficit distractionem, & quasi digestionem mercium; (*Nō sa ch'egli smaltisca assai*) sed merces ipsa bonitate sua hanc distractionē, & venditionē causat. idque faceret etiā non addito sibi Dei nomine per iuramenta, & imprecationes. Vulgatum est. *Vino vendibili non est opus hadera.* nos dicimus, *Il buon vin non ha bisogno di frasca.* non eget folijs & frondibus verborum, & laudum, dicitur etiā, (*a*) *L'opre lodan il maestro.* magister autem nō laudet opera: ne aduersemur in hoc communi sententiæ. (a) Opus artificem laudat.

Contrarium tamen plerumque fit, & quasi in necessitatem periurij deuenitur dum ex vna parte venditor laudat, & iurat mercem optimam esse, venditor autem esse malam, vel fortè etiam pessimam. laudat ille: nā vt ait Hor. *Laudat venales, qui vult extrudere merces.* è contra Prou. 20. 14. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cum recesserit, gloriabitur.* ergo mentiebatur dicens esse malum. hoc autem accidit, quia (*b*) *ogni venditor del foro il suo loto chiama oro: e si come à tutti è noto, l'altrui oro chiama loto.* de iuramentis, seu verbis inuicem aduersantibus in emptore, & venditore facit Ecclesiasticus 27. 2. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis, & emptionis angustiabitur peccatum.* Prou. 20. 14. (b) Omnis venditor in foro suū lutū vocat aurū: & vt omnibus notum est, aliorum aurū vocat lutū. Eccl. 27. 2.

2. *Magistri in arte pueros ministros non docentes animæ necessaria, imò ab his per labores nimios auertentes.*

2. PARENTES, & magistri, seu prępositi officinarum, sæpè solliciti sunt in docendo filios & discipulos, regulas, & operationem artiū: remissi interim ac negligentes in instruendis illis per se, vel per alios in rebus animæ. Docent illos mille præcepta artis, & non docent decem præcepta naturæ. dico Decalogum. Sæpè id non docent, quia opus habent, vt illud ipsi doceantur. docent illos artem, in qua numquam quiescat in hac vita; nō autem artem, per quā semper quiescant in alia, vel per

 quam

quam non etiam semper laborent in alia, iuxta illud Psalmi, *& laborabit in æternum.* ille verbi gratia pileorũ artifex docet filium, vel discipulũ quomodo totum studium, & sal, nempe sapientiæ, collocet in pileo, & nihil in capite. *tutto nel cappello, e niente nel capo* vt magis sollicitus sit de pileo alieno, quàm de capite suo.

Sic perpetuò occupant hos ministros in laboribus, vt nec tempus eis permittant (vt nostri vulgò dicunt) se cruce signandi. *Non li dàn manco tẽpo di farsi la croce.* ideo (ipse subderem) dæmones non discedunt ab eis. hoc est omnibus armis huiusmodi nudati facilè vincuntur à dęmone & inducuntur ad culpas, quarum postea Domini marsupium soluat pœnas: surripientibus nimirum iisdem ministris ex bonis officinæ, tollentibus à domino quod afferant ad dominam. punita heri auaritia per serui luxuriam.

Nolunt huiusmodi artifices ministros suos aliam coronam habere apud se, quam coronam patientiæ ad perseuerandũ in laboribus, nisi fortè eam habeant calculorum vice ad enumerationem, & ratiocinationes, quomodo aliqui huius farinæ homines ea, aut etiam Rosarijs vtuntur. & sicut illi venditores faciebant domũ orationis, domum negotiationis; & domum Dei, speluncam latronum: ita hi faciunt quodammodo instrumentum orationis, instrumentum negotiationis, aut etiam (si iniustitiam continet) latrocinij; & per id quo videntur sancti, & orantes, fiũt impij, & blasphemantes, quatenus per malos nomen Dei blasphematur, vt per bonos laudatur, hoc est opere, si non verbo.

Alluditur ad coronã precum.

Videt præpositus officinæ ministrum preculam recitantem, ad momentum genuflectentem, & exclamant, Hanc constitui officinam, non Ecclesiam: & huc adduxi operarios, non presbyteros. est Christianus & contrarium prædicat Christo. Christus conquerebatur, *domum orationis fecistis domum negotiationis, & domum Dei speluncam latronum*: at iste dolet dicens, domum negotiationis fecistis domum orationis, & speluncã latronum (talis sæpè est officina) fecistis domum Dei. adimplebitur desiderium tuum. non vis ministros, qui officinam faciant domum Dei, hoc est, qui Deum timeant, qui illum aliquando orent: habebis ministros, qui faciant illam speluncam latronum, nimirum eorumdem ministrorum tibi suffurantium.

Parabola sit. sed quæ facilè historia esse potuit. quidam artifex habebat ministrum quotidie coronam recitantem dolebat artifex, quod nummum per id amitteret. effecit vt à prece hac desisteret. sed dictũ est illi à quodam, qui deprehenderat ministrum extincta deuotione res domini sibi vsurpare; Recitante illo preces, perdebas nummum, at non recitante perdis sacculum, nempe nummorum. Ita etiam quidam animaduertens famulam Deo aliquãdo vacare, ait, ego seruã alendã suscepi, nõ monialem. effecitq; vt illa castitatis, & deuotionis, obliuisceretur. sed dictum est illi ab eo, qui feminæ mutationem nouerat: Noluisti alere monialem, sed ales meretricem. ex

vna

vna parte suadent ministris, vt probi sint, ex alia verò simul impediunt eis media probitatis. simul calcaria addunt, & frænum retrahunt. (a) *ma mentre gl' impediscon sin l'andar alla messa poco vale il farli la predica.* Ita in dominis prædictis accidit illud Iob 6. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* quod supra explicatum est.

(a) Verũ, dum famulis tẽpus nõ permittunt audiendi Missam, parũ iuuabit eis multa concionatoriũ in morẽ prædicasse.

Iob 6.

2. *Multi se magistros in arte constituunt, cum nec fuerint discipuli. idque cum iactura populi.*

3. *De mercenarijs, & operarijs diurna mercede conductis in specie.*

2. EST & aliud vitium artificum. nempe quod calcaribus aureis stimulati in ventre famelico inediæ, & auaritiæ, festinant ad officinas aperiendas, & artem profitendam quasi magistri artis, cum necdum sint periti discipuli. nec audiunt Ecclesiasticum 18. 19. *Antequam loquaris disce.* quasi dicat, ne te facias magistrum, docendo, antequam discipulus extiteris discendo. hinc adagium est, *Quam quisque nouit artem, in hac se exerceat.* nos dicimus, (b) *Chi non sà far l'arte, serri la bottega.* sapientum sententia est, *Ars perficit naturam.* sed in imperitis istis. *Ars destruit naturam.* destruit nempe rem, & materiam quam debuit excolere, & ornare. destruit naturam: imò & destruit, seu infamat artem, & deturpat artificem, hoc est se ipsum.

Eccl. 18. 19.

(b) Qui artificiũ non nouit, claudat officinam.

Huiusmodi artifex ignarus, non artifex, sed artis fex dici potest. eius officina non ex eo quòd efficit, sed ab officiendo meretur appellari. officit enim rebus, quas tractandas, & elaborandas suscipit. officit cunctis ad eam venientibus. hic imperitus. *Tractat, agit, peragit plurima, pauca, nihil.* (c) *non fa, ma strapazza il mestiero. apre, ò tien bottega di calzolaio, e lauora da ciauattino.* hoc est officinam aperit vt sutor, seu nouorum calceorum confector. operatur verò vt veterum resarcitor. Hispani dicũt, (d) *Sarto di Portogal, non sà cucir, è vuol tagliar.*

(c) Artẽ nõ exercet, sed perdit. Officinã aperit Calceolarei, cùm non sit nisi cerdo veteramentarius.

Gaudent vocari rabbi. sed cum ignorent opera magisterij, & artis, in qua se profitentur magistros; ideo sæpè illis obijcitur, *Tu es magister in Israël, & hæc ignoras?* magistri sunt: sed hoc vnum docent cordatos homines, qui eos semel agnouerint, vt numquam redeant ad officinam ipsorum. noluerunt artem discere expensis proprijs; sed volunt discere alienis: nempe iactura, & periculo vtentium operâ ipsorum, vel potius imperitiâ. nondum manum ferulæ subtraxerunt, & iam ferulam vibrant. sed quod deterius est, non se, sed instrumenta artis, vel quodlibet aliud culpant potius quàm suam imperitiam vulgò dicunt, (e) *Chi non sà far il mestiero, troua tara in ogni ferro.* tara, defectum sonat. & cum de re ineptè operata, imò enormiter læsâ, deberent mulctam soluere, volunt solui sibi mercedem. Cũ noluerint discere tamquã discipuli, volunt discere tamquã magistri; nimirum faciendo, & tamquam imperiti medici periculum in rerum corporibus faciendo, seu experimẽ-

(d) Sartor Lusitanus: Sarcire non nouit, incidere optat.

(e) Qui artem non nouit, armamenta incusat.

tum: *In fatui barba quisque radere discit.* Hi ergo artifices cunctos dementes faciunt, dum in barba illorum artem addiscere volunt.

Sed pauca quædam in specie dicenda de operarijs cōductis ad opera. Vbi veniendum ad opus sunt testudines, vbi terminandū opus (nēpe vespere) aquilæ efficiūtur. nam *mercenarius præstolatur finem operis sui.* vt est Iob. 7. prædicant noctem aduenisse, cum nec dum vesper aduenerit. (a) *Gente à cui si fa notte auanti sera.* Si assistas operi, te vt importunum, & suspiciosum incusant: si non assistas; vt fatuum, & prodigum rident: iuxta illud, (b) *Chi ha denar da gettar via, metta l'opre, e non vistia.*

Iob. 7.

(a) Genus hominum, quibus noctescit ante vesperam.

(b) Qui nummos perdere cupit, conducat operarios nec ijs adsit.

(c) Mercede persoluta, brachia luxata.

(d) Qui cito præstat mercedem, tardè operam recipit.

Si soluas mercedem ante opus, impletur adagium. (c) *A denari pagati braccia rotte*, item, *Chi paga auanti è seruito da dietro.* item dicimus, *Chi vuol vn seruitio mal fatto, paghi auanti tratto.* si expectas ad soluendum, ille expectat ad operandum. Si ante non soluas saltem ex parte, vel opus nunquam incipit, vel subito finit. opus subito finit: sed etiam subito finitur. hoc est res operata parum durat. perficit citò, & quia citò perfectum est, ideo est imperfectum. citò autem perficit, vt citò tu soluas. perficit, vt dici solet, vno spiritu, vno flatu, velut calicem vitreum. sic enim vitrea exiguo flatu formantur. Sed & sicut calix vitreus durabile, & solidum erit.

Vidit Paterfamilias operarios stantes in foro otiosos. & interrogati cur ita starent, responderunt, *quia nemo nos conduxit.* at in casu nostro nisi conductor assistat præsens conductis operarijs, nisi vrgeat præsentia Turni, videntur stare otiosi in vinea ipsa, in qua sunt ad operandū conducti. de vinea forum faciunt. quod fecerant conducendi, faciunt conducti. non suspiciunt negotium, sed prosequuntur otium. eorum in vineam ingressus non est assumere operationem, sed mutare pigritiam. non dicēdum illis, cur statis in foro, sed cur statis in vinea otiosi? respondebuntque, si verum fateri velint, quia aliquis nos conduxit. quis enim neget, idcircò eos nunc ita stare, quia conducti sint?

Adde magis otiosos eos esse in vinea, quàm in foro. nam in foro sunt stantes, in vinea sæpè porrectis membris iacentes. in foro vigilantes, succincti, vltrò, & sollicitè quæritantes, & circumspicientes quis ipsos cōducat. at in vinea sub vmbra vitis, aut alterius plantæ dormiētes, vel confabulantes, dominum irridentes, ipsique etiam maledicentes, si fortè eos alius non plenè contentos dimisit completo die operis. Adde miserum cōductorem cogi emere eodem auri pretio somnum eorū, sicut & vigiliam, otium sicut & laborem. & ipsorum erga se maledicentiam per otium iactantem tanti emere cogitur, quāti nec ipsam emeret benedictionem. hæc dico quia ratione temporis, quo locati sunt, non autem operis facti pactam mercedem exigere solent operarij. ita potest accidere vt, in sensu, de quo loquimur, tantum accipiant vespere facto, qui vna hora fecerunt, in reliquo otiantes, quàm qui portarunt pondus diei, & æstus.

Si

Si tu eos operantes cibo tuo pascas, si bene paueris; minus laborant, quia bene pauisti, nempe grauati cibo. si malè paueris, minus laborant quia malè pauisti, nẽpe irritati odio. *Si non fuerint saturati & murmurabunt.* murmurabunt de te si nõ satiaueris, murmurabis tu de illis, si satiaueris. subintellige ob pigritiam ex cibo contr actam.

Si præsens cogas operarios ad opus; quidam ex ira potius & necessitate operantes, id efficient, sed (vt vulgo aiunt) *Come piacerà à Dio. Sicut placuerit Deo.* imo sicut placuerit diabolo. opus non peragent, sed periment. perabuntur, sed forsitan ita, vt malles eos non esse operatos. Si conducantur ad opus, promittunt in diligentia, in labore centum, in opere vix exhibent decem. tu verò si in soluenda mercede ex decem vnum subtrahas, actum est de te. ligones eorum conuertentur in lanceas, falces in gladios. promiserunt se seruituros tibi vt aiunt, *di ottima moneta*: tamen ne quidem ex minus proba, & forsitan ex adulterina soluerunt in opere. sed vade tu, & ex moneta huiusmodi vel obolum illis soluas in mercede, vel detonsos & consueto pondere diminutos aliquos Iulios, si vis rem pulchram aspiscere.

Agamus nunc de operariis non conductis mercede diurna. aliquando ante opus petẽt à te pro sumptibus in materia operis faciendis. postea pro ministris ad opus necessariò cõducendis. deinde pro hac re, deinde pro alia. ita vt aliquoties persolueris mercedem, & nondum inceptum sit opus. artifex comedit nummos, potauit pretium solutum, & tu ibi remanes absque opere, & absque pretio, piscem non capis, & hamum aureum insuper amittis. operarius comedit, & tu comesta concoquere cõpelleris. artifex excusationes confingit, dicitque casu nummos perdidi in officinâ: sed perdidit in propina. vel casu se perdidisse dicit nummos, cum alea perdiderit, quæ in casu sita est. perdidit casu aduerso chartæ, vel tesserarum.

Si peritum ad opus tuum conficiendum assumus artificem; duo pretia pro vno opere sunt tibi soluẽda: vnum pro mercede operis, aliud pro peritia, seu fama operantis. Si minùs pretium conducas; similiter ac si pretium conduxisses, duo pretia pro vno opere soluis, vnum in præsenti pro valore operis, aliud paulò post pro imperita operantis. quia breui destructo opere haud ritè, & durabiliter effecto, aliud cogeris in locum eius substituere.

Similiter inter venditorem, qui carè vendit, & eum qui vili pretio, hoc solum distat, quod ille apertè, iste occultè te deplumat. vnde adagium est, (a) *A buon mercato guardaci.* & plus sæpè periculi est in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto. sæpè enim malus venditor quantum minuet de pretio, tantum detrahet de pondere: quod deterius est. vnde aiunt vulgo, (b) *Caro mi vendi e giusto mi misura.* addi potest: (c) *questi artefici vendendo fan arte liberale, ma pesando mecanica, han vna mandi buon Christiano, e l'altra di Cingaro.* vel alteram manum habent hominis, hoc est

(a) Caue tibi vbi res nimis vili pretio additur.

(b) Caro vendis, & iustè admetiris.

(c) Hi vendentes artem exercent liberalẽ, at in trutina mechanicã. Vnâ manu Christiani sunt, altera Ægyptij siue rapaces & subdoli.

est humanam, quod idem est ac benignam, alteram verò diaboli. nam aduncos vngues pro manibus habēs depingitur diabolus. venditio æquabili pretio est esca, quâ miseros allicit pisces, sed fraus in pondere est hamus, quo illos transfigit.

Decipiunt pueros, quia sunt simplices; mulieres, quia sunt feminæ: senes, quia nō discernūt: cæcos, quia non vident: iuuenes, quia non percipiunt. amicos, quia nō diffidunt. alienos, quia eos non cognoscunt: diuites, quia ob diuitias eorum non ingerunt sibi scrupulum, si furentur ab illis; pauperes, quia ipsos nō verentur, quæ tamen (sicut & alia dicta, & dicenda) de malis venditionibus intelligenda.

Vendunt vnam rem pro alia, paruā pro magna, veterē pro noua, deformem pro pulchra, malam pro bona, falsam pro vera, simplicem pro duplici, vilem pro pretiosa. decipiunt in numero, fraudant in pondere, fallunt in mensura, lædunt in pretio, illudunt in cōputu. adulātur linguâ, furantur manu. adiuuat in hoc minister, nō dormit dominus: domesticus eius dat verba: omnes in damnū tuū coniurati. (*a*) *Parole senza fine, bugie senza numero, giuramenti senza misura, imprecationi senza termine.*

(*a*) Verba sine fine: mēdacia sine numero: iuramēta sine modo: execrationes sine termino.

Si fidei illorum te committis, te fallunt: quia, vt dicitur, (*b*) *non è ingannato se non chi si fida.* si diffidis, hoc ipso quia diffidis te quærunt fallere. *Cercan di calartela, e di fartela sù gl' occhi.* Si amicus es, cariùs tibi vendunt aiunt enim, quis mea lucra debet magis fouere quàm amicus? quis mihi magis bene facere quàm cognatus? Si non es amicus, neque coniunctus, similiter tecum agit, iurando te tamquam amicos, & consanguineos suos in hoc apud se haberi, & re ipsa foueri.

(*b*) Non decipitur nisi qui fidit.

Si primum aperiunt officinam; primo bonum vinum ponunt, deinde cum inebriati fuerint homines, nēpe famâ boni nominis ipsorum, quod deterius est. inescant columbarium, vt deinde comedant columbos. eorum negotium caput habet album, sed nigram caudam. *Ab his, quæ nigrā habent caudam abstineto.* vt etiam est in adagio Hispanorum, *Incipiunt à Mirabilia, sed quiescunt in Defecit.* (alludunt principijs duarum horarum officij) obseruant illud, (*c*) *Alzafama, e siedi* ita aliqui ex his volunt, quod L. illis abstulit, L. ipsis restituat, scilicet, quod Largitas ab initio exhibita abstulit ab eis, latrocinium, hoc est per iniustam venditionem illis reddat. & cum seminarint, deinde volunt metere.

(*c*) Fami bonam habeas siue celebrem, & quiesce.

Lactant emptores verbis, vt emungant factis. si illos audis; empturus mercem, dabis, quod placuerit tibi: at postquam emeris illam, dare cogeris pro ipsa quod placuerit illis. tolle, inquiunt, mercem: in pretio nulla inter nos erit dissensio. ante solutionem nulla erit dissensio, sed in solutione insurgit etiam rixa, & prælium.

Si fortè vilius solito tibi quippiam semel vendidit, pro eo, quod marsupio tuo in venditione pepercit semel, ipsum condemnabit decies, scilicet in alijs venditionibus. quod fortè in eadem re indulsit filio, vult vt sibi emens restituat in duplo

duplo pater: quod indulsit seruo, restituat dominus. Si tibi quid fortè donauit, vt frequentes eius officinā; semel donatum efficiet, vt decies sit venditum. en inquit artifex, volo vt pretium tantum soluas materię, pretium operis tibi donatum volo. sed in pretio materiæ prætium etiam extorquet operis. insuper & obligatum te sibi exigit demendatio.

Si aliquis imperitus, vel etiam prodigus plus iusto soluit pro aliqua merce; statim volunt ipsum legem præscribere ceteris ne minus soluant pro ea. ostendunt tibi libros fortasse ab ipsis dolosè ita conscriptos, quod sibi res illa tanti constiterit, vel quod tanti eam vendiderint.

(a) Qui res plurimas citò distrahere volet bono sit ventriculo oportet.

De cupiditate nimia distrahendi plures merces, quod nos vocamus *smaltire*, dicebat quidam: (a) *Chi vuol smaltir assai robba, bisogna ch' habbia buon stomaco.* nam verbum *smaltire* significat etiā digerere, hoc est, oportet habeat conscientiam parum delicatam, & scrupulosam. non quod semper id requiratur, sed quod sæpè id accidat. nam *qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli.*

(b) Linguam fallacem habent in ore, nec magis veram in statera. Palmum tibi panni donare videntur vltra iustam mensurā, postquā tota vlna te deceperunt.

Vtinam multi artifices non tales sint, vt dici possit de illis, quod sunt Christiani in baptismate, Hebræi in vsuris, Turcæ in exigendis creditis, Lutherani in ieiunijs & missis, Cingari in fallendo, Epicurei in edendo, Atheistæ in operando. (b) *Han falsa la lingua in bocca, e falsa linguetta nella stadera. finito di darti la robba venduta, ti fan buona misura. ma t'han gia fatto mala misura. in fine ti dan di più robba per vn dito, hauendoti truffato d'vn braccio.*

Sine diligenti ponderatione libræ neque fragmenta parua vendunt mercis: at sine vlla libratione stateræ effutiunt, & vendunt integras massas mendacij, fraudis, & iuramēti. vel tibi tradunt decem libras mendacij, vt vnciam ab eis accipias mercis. non ponderant prædicta, quia non æstimant esse res alicuius ponderis neque momenti. momentum enim est exiguus calculus stateræ, *momentum stateræ*. non æstimant, quia *mendaces filij hominum in stateris*, cum tamen in morte tanti ponderis ea esse deprehensuri sint, vt ab eis irremediabiliter in profundum sint detrahendi, nam iniquitates, vt ait Dauid *Sicut onus graue grauatæ sunt super me.*

Prætextu non veri laboris non obseruant vigilias, non veræ egestatis non obseruant festa. non quærūt missam Dei, vt quærant messem diaboli. vbi de lucro agitur non seruant pragmaticas artis, non dispositiones Principis, non regulam fori, nō præcepta Ecclesiæ. non obseruant tempora, non distinguunt loca. olim vendebant in templo, nunc saltem pro foribus templi. non obseruant quando festiuitates aduениant ad eas honorandas, sed ad nundinas celebrandas. oculis pretio merces suæ artis vendentes. paleæ pretio easdem redimentes: vel si ab eis iam venditæ non fuerint, ementes. vendentes illicita, seu vetita, emētes furto sublata. ementes à pueris, vendentes stultis. cōmutantes cuminiustitia, mutuātes cum vsura. dantes credito cum dolositate, exigentes amplius quàm dederint ex auaritia.

Crudeles in alienos in rebus venditis, in suos in fructu venditionis. quia lucrum malunt tradere cauponæ, quam familiæ, & de festo, quod ipsi agunt in vini taberna, volunt vigiliam suos agere in domo, hoc est pœnitentiam. lucrum artis ludunt chartis, & quod acquisiuit officina, consumit popina ideo dicitur Ecclesiastici 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Cum exponunt oculis transeuntium merces meliores, sæpè deinde vendunt eis deteriores. vnde merces, quæ est in officinæ fenestra, non facilè exibit è porta. mali venditores sunt astuti vt vulpes, furaces vt feles, impudentes vt canes: mimi vt vrsi, adulatores vt simiæ.

Eccl. 19.

Malum venditorem ambulantem loquacitas præcedit, mendacium subsequitur. à dextris habet fraudem, à sinistris iuramentum: supra caput diabolum, ad pedes infernum, (a) *Se cavalca li và in groppa l'astutia, alla staffa l'adulatione*, habet canem in ore, felem in manibus, vulpem in pectore, diabolum in corde.

(a) Si equitat, à tergo habet astum, ad latus adulationem.

Huiusmodi venditores aut contra proximum pessimè vniuntur monopolio, aut se inuicem persequuntur inuidia & odio. murmurant de ciuibus quod non remittant de pretio tritici, & non remittũt ipsi de pretio sui operis, aut mercis. dolent, quod sæpè vacare coguntur ab opere, & consequenter à lucro; & non cogitant, quod quia nonnumquam operantur in festis, ideo Deo permittente festum agunt in ferijs.

ELEEMOSYNA.

2. *Sine charitate, vel cum peccato, Deo non placet ad effectum meriti.*
3. *Alij erogantes vt accipiant, hamo piscantur sacculos.*
4. *Post mortem differre eleemosynam, stultum est.*

2. QVINTVS Fabius Legatis offerentibus aurum, vt propitium eũ haberent, ait. Non quærimus aurum, sed aurum habentes possidere. hoc potius Deus dicit nobis quãdo nos diabolo, & nostra damus Deo. ait enim Deus, Non quæro vestra, sed vos. hoc est, eatenus placent mihi oblationes vestræ, quatenus autem vos ipsos mihi consecrastis per gratiam.

3. Hieron. tomo 1. epist. 2. ad Nepotianum ait: *Sunt qui pauperibus paulum tribuunt, vt amplius accipiant, & sub prætextu eleëmosynæ quærunt diuitias, quæ magis venatio appellanda est, quàm eleemosynæ genus. sic bestiæ, sic aues, sic capiuntur, & pisces, modica in hamo esca ponitur, vt matronarum in eo sacculi protrahantur.* indicat Sanctus Doctor huiusmodi homines, vt sanctitatis nomen obtineant, id facere: vnde postea à deuotis matronis lucrentur sacculos nummorum, hoc est per eleëmosynam, vel potius dum illis mediantibus obtinent officia, vel recipiuntur ad administrationem domus illarum. quod locum habere potest etiam in viris diuitibus, apud

Hieron. tom 1. *epist.* 2. *ad Nep.*

quos isti talia venantur per hanc simulationem. & nota mirabilem piscationem. porrigunt escam pauperibus, & tamen capiunt diuites. vel sicut solent piscatores per pisces paruos captos, & in escam porrectos, maiores capere: ita aliquando prædicti mediantibus pauperibus lucrantur diuites, dum paruâ escâ quæ verè esca est, conciliant sibi fauorē pauperum, quorum acclamationes & testimonia illos in gratiam magnorū inducāt, vnde lucremur quod optāt.

Chrysost. Hom. 3. in prim. ad Thess. 3. Chrysost. Hom. 3. in primam ad Thessal. ait, *Non vides eos, qui in mari nauigant, quoniam non curant opes, sicubi tempestas ingruerit, & quas habent abijciant? Ita est qui rerum huius vitæ, tentat onumque peritus est, quando videmus imminentem tempestatem, & spirituales nequitias naufragiū facere conantes, & quas adhuc habet pecunias abijcit. Obtigit tibi furtum? fac eleëmosynam, & releuabis nauigium. Diripuerunt tibi quidquam latrones? tu quod reliquum est da Christo, ita & quæ ex priorum amissione est, paupertatem solaberis. releua nauigium: quæ manserunt ne retineas, ne illud demergatur.* Hæc ille.

Eccl. 3. 30. 4 *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* sic citatur locus Ecclesiastici 3. 30. ab Augustino, & alijs parū immutatus. Quidam omittunt eleëmosynas facere pro anima sua, dicentes, Prouidebo per testamentum huic rei, vt heredes mei pro me postea faciant. O stulte, si in fornacem mittendus sis, & aquam tecum portare possis, vel ipsam præmittere ad extinguendum ignem; committes fortasse aquam post te venientibus, si tamen venient? mittendus es in ignē purgatorij, & cum ibi arseris, deinde expectare vis, si forte cui recordentur animæ tuæ? Non recordaris tui ipsius dum viuus es: & certum putas alios id de te facturos?

2. *Diues mare aquis non diminutus, quamuis fluminibus pauperum eas communicet.*

2. MARE in Scriptura, & apud omnes symbolum est opulentiæ, & consequenter etiam opulentis. Isa. 11. 9. *Repleta est terra scientiâ Domini sicut aquæ maris operientes.* & Isai 11. 9.
nos dicimus de opibus diuiti datis, *Aqua currit ad mare.* aquæ etiam facultates significant, & diuidere aquas alijs, est opes elargiri. Prou. 5. 16. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Caiet. & Arboreus accipiunt de opibus elargiēdis. cum ergo dicitur ab Ecclesiaste primo 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* moraliter, & mystice accipiendo mare pro diuite, qui aquas suas, scilicet opes, diuidat pauperibus: (nam paupertas pro terra arida est, iuxta illud Psalmi, *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* hoc est inops, & velut terra arida tibi, qui es fons vitæ, seu mare gratiarum) ita inquam accipiendo, videmus in hac maris diuisione, quâ influit in flumina, conditiones præcipuas eleëmosinæ.

Prou. 5. 16. Eccl. pri. 7.

Primo ergo Deus creauit mare aquis copiosum, vt terris aridis eas diuidens superfluitate aquarum nō aggra-

aggrauaretur, neque in damnum locorum sibi proximorum eas impetuosè effunderet mergendo homines cum vrbibus suis, ideo enim voluit ipsum per meatus occultos, & quasi de visceribus suis paulatim eas partiri, ita vt prosint absque læsione. eodem modo diuitem fecit, vt, quod superest, daret pauperibus, & non aggrauaretur conscientia eius superfluitate retentâ: neque hanc superfluitatem opum, & potentiam effunderet in perniciem proximi, opprimendo illum per ipsam potentiã, quæ in opibus sita est, occupando alienas terras, seu agros proximi, dum tanquam mare aquis nimijs intumescit. nam *dum superbit impius incenditur pauper.* ideo dicit, *Et mare non redundat*, & causam subdit de exitu fluminum: *Ad locum vnde exeũt flumina reuertuntur.*

Secundo, vt ostendat diuitem ob eleemosynas non fieri paugerem, ostendit quod *ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur.* reuertuntur diuitiæ ex alia parte ad ipsum diuitem Dei prouidentiâ. quamuis, vt dici solet, ex vna parte diues det, ex alia tantundẽ recipit. sed quid dico tantũdem, cum plus recipiat sæpè quàm det? nam vt Titelmanus hoc loco obseruat, non dicitur, quod *omnia flumina* exeant à mari, *sed flumina.* quæ ipse de aliquibus exponit. nam iuxta Alb. 2. Meteor. tract. 2. cap. 11. & alios, non exeunt à mari nisi flumina maxima, & fontes perannes. cũ tamẽ *omnia*, vt hic dicitur, in illud intrent. ita dicitur Prouer. 3. 10. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt.*

Alb. 2. Meteor. tract. 2. cap. 11.

Adde mare ipsum licet non nisi amaras aquas habere videatur, tamen, cùm terræ sitientes, quasi pauperes expetant ab eo aquam; quamuis facilè posset dare eam qualiter ipse vtitur, tamen ipsam excolat, & sibi quasi furfur retinendo, farinam seu similam tradit fluminibus: cùm diuites nostri pleni aquâ dulci, eam excolent, vt amaram dent pauperibus sibi similam, illis furfureum panem porrigendo. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur.*

Iterum mare occultissimè aquas suas per meatus subterraneos diuidit fluminibus, cum patenter, & cum strepitu recipiat aquas intrantes ad se. quia pij diuites in eleemosyna nolũt quod sinistra sua sciat quid faciat dextera sua. at cum ab alijs beneficia recipiunt, vel opes; id libenter ostendunt, ne fraudent gratiam datorum. contrarium faciunt diuites moderni multi. *tubâ canunt cum faciũt eleemosynam*, & per occultationem celant quæ receperunt. Amarescit aqua ipso mari quãdiu eam retinet, dulcescit quando dat, quia benigno diuiti non dulcescunt cibi, quos ipse edit, sed quos dat. contrarium euenit auaro. aqua amara parum vtilis est, & exigui pretij: at dum alteri hoc est flumini diuiditur, valde vtilis & pretiosa fit respectiuè. sic euenit de pecunia retenta, & data: licet auaris aliud, imo contrarium videatur.

2. *Et habemus tantum qua inopi damus.*

3. *Diues gemmam in digito ferens posset* vno

vno digito, ruentes multas domos sustinere, nec vult.

4. *Eleemosyna etiam temporaliter honestat.*

5. *Auarus nummorum suorum habet tantum contemplatiuam non practicam, hoc est vsum.*

2. VIDE paradoxum. quæ habes, non habes: quæcumq; das, ea sola habes, cetera tibi desunt. Luc. 18. cum iuuenis diues, (qui petierat quomodo saluus fieret, & audierat à Christo id se consecuturum obseruatione pręceptorum) dixisset, *Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.* Christus subdidit, *Adhuc vnum tibi deest, omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me:* quid est dicere, *vnum tibi deest*, nisi hoc tibi deest, quod adhuc retines tua? hæc quæ habes, tibi desunt? docet ergo te quomodo thesaurum tuum habere possis, & dicit quod des illum pauperibus, *& habebis thesaurum in cælo.* Nostra non sunt quæ habemus, seu putamus habere. si enim nostra sunt, quare vt ait Bernardus, nobiscum ea non tollimus cum in alium mundum intramus? nostra non sunt, sed famulorum, sed filiorum, sed hæredum, sed vendentium, sed artificum, sed creditorum, sed Principis: quibus omnibus cogimur reddere quæ tenemus, & istorum hominum procuratores sumus, sicut & opum nostrarum, non domini. ideo in Euangelio diues villico comparatur. etiam ipsi pagani non agnoscētes vim eleemosynæ, id attestantur. Martialis carmina nota sunt;

Insignis quidā Epicureus inscripsit sepulchro suo: Hoc habeo, quod edi. *at die liberalem inscribere:* Hoc habeo quod dedi.

Extra fortunam est quidquid donatur amicis:

Quas dederis, solas semper habebis opes.

Ecclesiasticus 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis.* alij, *In cellis tuis.* quia data pauperi, in cellis tuis seruantur, vt Iansenius hoc loco refert.

Sic Basil. apud Iansenium Ecclesiast. 29. Horrea diuitum vētres sunt pauperū.

3. Basilius oratione de auaritia in aliquos, qui dicunt se non posse subuenire omnibus suam pulsantibus ianuam pauperibus, ait ipsorum manus eos mendaces ostendere. quot enim domibus (vt ibi ostendit ille) possent eo annulo, & gemma, quam digito gestant, subuenire? Quam crudelis esset, qui nec vno digito, si posset, ruentem domum inopis non sustentaret, vel iam dirutam non erigeret! at aliquando non vnam, sed multas ita posses tu vno digito sustinere, vel erigere, hoc est pretio annuli, & gemmæ eius, & tamen id negligis. ita ex illis eris de quibus dictum est, vel potius illorum similis, *qui imponunt onera grauia, & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* nonne *onera grauia* sunt inopia, fames, tecta ipsa collabentia, nedum familia ruens in miseriam, quæ, & ipsa nomine domûs appellatur? hæc onera imponis miseris per auaritiam tuam, & *digito tuo non vis ea mouere.* imponit enim onus, qui pocens & debens dare vnde quis ab eo leuetur, non dat.

Sed, si annulum impenderes, digitus haud splendidus esset. ergo tam stultus es, vt magis digitum tuum diligas quàm totum te ipsum. reti-

nendo enim annulum splendidus est tuus digitus, at dando eris totus splendidus tu, nedum digitus, & manus tua. nonne splendidus est, & dicitur, qui est liberalis? Ecclesiasticus cap. 31. 28. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimoniũ veritatis illius fidele.* pro eo quòd splendens es in annulo exiguo, in minuta gemma, splendidus fies in panibus. quomodo hoc, nisi quia hi panes in gemmas, & aurum conuertentur tuum? si enim eleëmosynam dare, est thesaurizare in Cœlo, vt habet Christus in Euangelio; & thesauri non soleant constare nisi ex auro & argento, & pretiosis lapidibus: ergo panes in eleëmosynam dati, cum in thesaurum ponantur, fiunt prius aurum, & gemmæ; quibus tu splendeas hic, & deinde in Cœlo. nã *fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei.* gemmula illa tua, quæ vt maximè fulgeret, fauilla videbatur; inopibus distributa, tibi in solem commutabitur. Isa. 58. 7. *Frange esurienti panem tuum. &c. tunc erumpet quasi mane lumen tuum.*

Eccl. c. 31. 28.

Isa. 58. 7.

4. Sed adde etiam temporaliter à te conuerti panes erogatos in aurũ, & gemmas, quorum fias dominus: vel annulum cum tribuis, pretium maius te recipere à pauperibus, quã dare. nam Prouerb. 22. *Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ.* hoc autem bonũ nomen tibi retribuunt. nam *splendidum in panibus benedicent labia multorum.* fama enim bona, cum sit de genere boni honesti, quod est super bonum vtile; multò plus valet, quàm ingentes diuitiæ. vnde etiam Gentiles, nedum Doctores nostri, dicunt famam non esse pretio æstimabilem. subdit ibi Spiritus Sanctus, ca. 31. *Nequissimo in pane murmurabit ciuitas.* hoc est murmurabit de nequissimo homine, hoc est, auaro in pane exhibendo, vt communiter exponunt, *Et testimonium nequitiæ illius verum est.* Vide stultitiam, & impietatem auari in pauperes, murmuratio certè est comestio, & deuoratio eius, de quo illa fit: iuxta illud, *Si inuicem mordetis, & comeditis.* sed auarus magis dolet si comedantur panes sui, quàm si mordeatur, & comedatur ipse. magis amat comedi ipse dentibus totius ciuitatis, quàm si duo ex panibus eius edantur à duobus pauperibus. quod dico de panibus, de ceteris etiam rebus dicendum. *si inuicem mordetis, &c. videte* inquit *ne ab inuicem consumamini.* potius vult auarus consumi ipse, quam suos cõsumi calceos, vtpote donatos pauperibus. Oh infelix: fac te ipsũ saltẽ, vt calceos tuos. sed ille perinde facit ac rusticus, qui inter spinas ambulans nudis pedibus, & calceos manibus gestans, ne eos læderet, cum interea pungeretur, & laceraretur, non de læsione sua dolebat, sed lætabatur de incolumitate calceorum, dicens, Quid si nunc calceos pedibus gestarẽ? Similiter auarus nedum dolet de punctúris, & lacerátione maledicentiæ, quã ipse iaculis linguarum, & amaris acutisque scommatibus ab omnibus vulneratur; sed potius lætatur quòd interea incolumes seruat calceos suos, nempe nummos. sic apud Horat. Satyra 1.

Prou. 22.

cap 31.

Sordidus ac diues populi contemnere voces,

Horat. Satyr. 1.

Sic solitus: Populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

Dolet si mordeatur panis suus, si pungantur calcei, quia in ijs habet cor suum, & consequenter sensum: at non dolet si mordeatur, & laceretur ipse, quia non habet in se cor. nã *vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* non habet in se cor: vnde nec sensum in se retinet, & dolorem non percipit.

5. Verè loquitur, *nummos contemplor in arca.* habet enim nummorum suorum contemplatiuam, non pra-
Eccl. 5. 10 cticam; & vt Ecclesiastes 5. 10. *Quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis?* loquitur ibi de eo qui multas habet opes, *sed multi comedunt eas.* at etiam verba illa faciunt auaro nostro. nummus, vt aiunt, ita dictus quasi numen. est enim auaritia *idolorum seruitus.* Vt ergo in contemplatione Dei sui Beatus beatus est; ita auarus talem se putat in contemplatione nummi, & numinis sui. & Beatus Deum contemplans negligit quæcumque maledicta populi contra se, ac si non essent: nec à contemplatione, & amore obiecti sui per hoc cessat minimum. fit enim in il-
Psal. 30. 21. lo quod dicitur Psalm. 30. 21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* diabolus igitur, vt æmulatione pessima æmulatur Deum, ita similia conatur efficere in auaro, vt dum contemplatur Deum suum, scilicet nummum, negligat voces omnium sibi maledicentium, nec minimùm desistat à contemplatione, & amore illius.

Cur annulum & gemmam pretiosam geris, nisi ornatûs gratiâ? at dico, vnde ornatur digitus tuus, tu ipse totus sordidaris. fis scilicet *sordidus,* hoc est auarus. sic etiam à Gentilibus vocatur; & *Sordidus, & diues* dicebatur paulò ante ab Horatio. lutum ergo est aurũ tuum, est annulus tuus, si te etiam oculis carnalibus sordidum reddit. Si tuus non est ille annulus, sed pauperum, vel creditorum, eo quòd illum debeas his ex iustitia, illis ex charitate; ergo lutum est tibi. nam Habac. 2. 6. *Væ ei qui* Habac. 2. 6.
multiplicat non sua. vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? tam miser est auarus, vt cum velit tamquam Midas, vt quæcumque tangit aurum fiant; è contra à Deo ita punitus est, vt aurum etiam, quod tangit, lutum fiat ei. Sed si hoc lutum in manus Christi, in manus Dei tradas; aurum ex luto facis. nam Dei manus ab initio mundi hanc alchymiam veram solæ exercuerunt. ex luto enim terræ aurum & gemmas semper producunt.

Amos 2. 13. *Ecce ego stridebo su-* Amos 2. 13.
per vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. vt non strideat, vnge hoc plaustrum eleëmosynis. *Vnxit me vnctione misericordiæ suæ* dicet de te Dominus, sicut hoc Dauid de ipso dicebat. vt dicitur Sophon. 3. 17. *Sile-* Sophon. 3. 17.
bit in dilectione sua. Cũ in manus huius iudicis incidere debeas; ne duras, & asperas inuenias contra te, prius vnge illas. sic molliter tractaberis, & facilè elabi poteris ab eis, hoc est à punitione quã merebaris. vulgò dicimus.

mus vngi iudici manus, ſcilicet donis.

Pie.l.2.9. Pierius libr. 2. 9. apud eius compendiatorem tractatu de Crocodilo, aiunt, inquit, Crocodilis hiantibus aues *trochilos* appellatas in os eorum intrare, & reliquias cibi eorum infra dentes infitas comedendo ſe alere, & dentes illis purgare. ſic pauper de ſuperfluis diuitis ſe paſcens, ſimul ipſum per hoc iuuat. pictus ergo Crocodilus cum auiculâ prædicta in eius ore ſe paſcentē, eſt Hieroglificũ mutui auxilij, quod diues & inops ſibi mutuò præſtant.

Prou. 22. 2 Prou. 22. 2. *Diues & pauper obuiauerunt ſibi. vtriuſque operator eſt Dominus.* is qui eget opera alicuius, ad eũ debet accedere: & pauper videtur debere ire ad diuitem, non autem diues ad pauperem. tamen, vt oſtendatur quod vterque eget alterius ope, ideo vnanimiter, & ad inuicem ſe conferunt alter ad alterum, *obuiant ſibi.* ſubditur, *vtriuſque operator eſt Dominus,* quaſi ambo ſint ad inuicem ſibi neceſſarij. ſenſus eſt litteralis à Ianſenio.

Plato in Timæo ait Alex. Nepatis gratia factũ vt eius ſordes & ſuperflua depaſcendo ipſum purgaret, ſic pauper ob diuitē creatus, vt ſuperflua eius depaſcens ſordes peccatorũ eius purgaret, ac ſe aleret.

In geſtis Alexandri narratur, ipſo Tyrum vrbem obſidente, quendam ciuem pro concione dixiſſe, vidiſſe ſe inſomnis Appollinem Deũ, & idolum vrbis ſuę ad Alexandrum trāſire paratum. ciues ex decreto catena aurea vinxerunt Apollinem, ne diſcederet ab eis cum diſcrimine vrbis eorum. ita cùm Deus propter peccata noſtra iratus dicit, *recedet anima mea à te:* ne recedat, ligetur, vt ita dicam, à nobis catena aurea, nempe auro in eleemoſynas erogato, quo ille teneatur ne ad hoſtes noſtros cum ſubuerſione noſtra tranſeat. ita Danielis 4. 24. Regi dicitur, *Peccata tua eleemoſynis redime.*

2. *Eleemoſyna, aduocatus eloquens pro nobis.*

2. MATT. 2. 12. *Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem.* Hieron. ſuper hæc verba, cum poſſet fieri obiectio, quomodo reſpōſum dicantur accepiſſe, cum non petierint quidquam; ait, qui enim munera obtulerunt Domino, conſequenter reſponſum accipiunt. ratio eſt, quia vt eſt in adagio vulgari, (a) *Quel che ben ſerue, e tace, aſſai dimanda.* Eccleſiaſticus 29. 15. *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* vides virum religioſum: petis, Rogo, vt ores pro me. vis certior fieri de oratione? addas eleemoſynam; &, ſi non orauerit ille; orabit certè illa. non ſufficit reo in cauſa ſua quærere aduocatum, ſeu oratorem, qui pro ſe loquatur iudici: etiam prouidet ſibi eum miniſtrum, quem vulgò aliqui procuratorem, nos ſollicitatorem cauſarum vocamus, quia ſollicitat aduocatum & iudicem. ſic in cauſa ſalutis tuæ præter aduocatum & iudicem, eleemoſynam aſſumere debes in ſollicitatorem aduocati, ſcilicet ad orādum pro te; & iudicis, ad ſententiam pro te ferendam. vel dicendum eſt pecuniam, ſeu nummum ſollicitatorem eſſe aduocati, & aliquando etiā iudicis, tamque neceſſarium, vt iactatum ſit inter patronos. *Aduocatus perdit memoriam vbi cliens ſubtrahit pecuniam.* ita in cauſa noſtra apud

Matt. 2. 12.

(a) Qui bene ſeruit, & tacet, ſatis rogat.

Eccl 29. 15.

apud Deum eleëmosyna est optimus sollicitator. imo aduocatus omnium optimus. nam dicit adagium: *Nummus vbi loquitur, Tullius ipse tacet.* sæpè orator quasi alter Tullius longissimè, & disertissimè pro cliente orauit coram iudice, tamen non persuasit. dolosus cliens meliorem mittit oratorem ad iudicem, nempe auri summam. & ecce iste in paucis persuadet. ita aliquando frustra quis adhibuit linguam suam, vel alienam, ad orandum Deum, vt impetraret aliquid. dedit eleëmosynam liberalem, ac magnificam; ipsa loquente obtinet, quod cupiebat. ipsa igitur *exorabit pro te.* exorare Latinè significat impetrare orando, aliquando etiam vehementer orare, vt videre est apud thesauros linguæ Latinæ. *exorabit pro te*, hoc est liberationem ab omni malo, vt Ians. hic explicat. orando impetrabit.

Exorabit pro te. heu infelix, inquis, ego peccator, & diues quidem nummis, sed pauperrimus orationibus, imo & oratoribus, qui pro me obsecrent? verè stultus es. nam vt dicitur, (a) *Tu ti lasci morir di fame sendo in vn forno di pane.* plurimos habes domi tuæ (vt ita dicam) sanctos, plurimos religiosos viros pro te orare paratissimos, imo & impetrare. nec aliud expectant, nisi quod ora ipsis aperias. tu verò seris, & clauibus ea obserata contines: & doles quod non sit qui pro te os ad orandum aperiat? nonne horrea tua, cellæque vinariæ, arcæ, & sacculi nummorum tuorum sunt ij religiosi, quos dixi? nonne obserata ipsorum ora seris, & vinculis conclusa habes? aperi ista, & expone pauperibus, & statim orabunt pro te. preces ad Deum, laudem Dei hoc est, quam tu fundere, & dare cupis, pro te emittent. vnumquodque ex illis dicit tibi possessori suo, *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* conclude ergò eleëmosynam in corde pauperis, *& hæc pro te exorabit.* Non possum inquis orare, detentus curis familiæ, vel occupationibus: vel quia assuetus non sum, vel quia tædium patior in hac re. non potes orare officio? ores beneficio. (scilicet alteri impenso) non potes orare prece? ora pretio. non potes Rosario? ora vt ita dicam spinario. (spinæ diuitiæ vocantur à Domino) *non puoi con la bocca? ora con la borsa.*

(a) Fame perire te sinis, constitutus in furno panibus referto.

Auari arcam pecuniariam, nummorum carcerem quidam Priscus auctor optimè vocauit. sicut ergo detenti in carcere solent sæpè mala imprecari à Deo detinenti se Principi: sic si spontè, & liberaliter liberi dimittantur, solent orare pro illo, & memores semper illius esse. ita & nummi in carcere obscuro detenti mala potius imprecantur à Deo contra auarum; eò quòd interdum huiusmodi auaritia in pauperes vindictam à Deo postulet: sicut dicitur à Iacobo, quod merces operariorum detenta clamat ad Deum contra detinentes. at si nummi dimittantur liberaliter, & ad domos suas permittantur proficisci; tunc orant Deum efficaciter pro salute liberalis huius. domus autem nummorum, qui supersunt diuiti, cùm pauperum sint

Luc. 11. 41. iuxta illud Luc. 11. 41. *Quod superest date eleëmosynam*; censentur esse pauperum sinus, seu manus. *conclude ergo eleëmosynam in sinu pauperis* (sic multi legunt) *& ipsa pro te exorabit.*

Isa. 24. Sed cum infernus carcer sit tenebrosus (Isa. 24. *Claudentur ibi in carcere.*) cum ibi etiam torqueantur captiui; dici potest arcas auarorum esse infernos. nam nummi, & opes ipsorum ibi torquentur. nam vt dicitur à Iacobo aurum, & argentum eorum ibi æruginem patitur, & vestimenta à tineis comeduntur. cum autem diues liberat nummos, vel alias opes ab hoc inferno: simul eas collocat in Paradiso. nam *thesaurizat sibi thesauros in cælo, vbi ærugo non rodit; neque tinea.* vnde nummi, quasi ex damnatis, siue ex purgatorium patientibus, vt Sancti in cælo liberi à prioribus malis, & periculis pereundi, vel patiendi, immortalesque facti esse videntur. quantum ergo orabunt pro benefactoribus suis, pro prædicto diuite? Quot nummos in cælo collocasti, tot sanctos, vt ita dicam, habes, qui diu, noctuque pro te orant, neque in alia re occupantur. Aurei nummi pauperibus erogati, Chrysostomi sunt omnes. *Chrysostomus* enim aureæ loquelæ hominem significat. at quid loquelam, vocem, sonumque auri magis habet, quàm ipsum aurum? quid mirum ergo si persuadeat homini, qui persuadet & Deo? quantum ergo tibi sperandum est, si tot Chrysostomos habes defendentes causam tuam coram iudice? si tantum impendis, vt rabulam de foro, causidicum dico elinguem respectu Chrysostomi, tuæ causæ patronum habeas; quantum expendere debes, vt tot Chrysostomos habeas oratores? præsertim cum sine intermissione id sint facturi.

Conclude eleëmosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. sinus pauperis dici potest quælibet domus religiosorum, seu quilibet Ordo eorundem. quia pauperum locus est, & in sinum suum recipit sæculo renunciantes quasi eleëmosynam quandam à mundo sibi erogatam. Sicut ergo pater diues filios habens, alios apud se viuentes, & alios in paupertatis professione, scilicet in religione, quasi in sinu pauperis degentes; non adiuuari se sperat ab orationibus liberorum apud se habitantium, sed in religione vitam ducentium: (quia in voluptate palatij, & sæculari vita manentes filij, quiduis aliud cogitant, quam orationes) ita & diues non sperat, quod nummi, quos apud se habet, orent pro se; sed spes eius in illis sita est, quos collocauit in sinu pauperis; cui dixi similem esse ordinem religiosum. In sæculo viuentes filij potius mala super patrē, & afflictiones congerunt, & mortem illi precantur magis quàm vitam: at religiosi secus omninò solent facere, si in regulari obseruantia manent. Simile quid dicendum de nummis. nam in illis tantum consolationem, & spem habet pius diues, quos in sinu pauperis collocauit, & quasi ex sæcularibus religiosos fecit atque à se ablatos Deo commodauit. curis afficitur pater, & molestia in nutriendis ac prouehendis filijs, quos apud se habet: at nullâ afficitur cura propter filios religiosos. ita mole-

molestiâ afficitur in conseruandis, augendisque opibus, quas habet; at tranquillus manet super ijs, quæ Deo dedit. plura pericula, & casus subeunt filij seculares in vita, in honore, in animæ salute. ita accidit diuitijs, quas diues retinet, quæ ob diuersos casus, vt latronum, incendiorum, &c. sæpè pereunt. at sicut contrarium euenit filijs religiosis quo ad ea pericula, quam eueniat sæcularibus; ita & res se habet in opibus, vt tutæ sint, quæ datæ sunt pauperi, at periculis subiaceant, atque casibus, quas adhuc possidet. ergo *conclude eleëmosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit.* si thesaurizas in terra; habebis thesaurum, vbi ærugo, & tinea demolitur, & fures effodiunt: at si in cælo, vbi fures non furantur, neque ærugo aut tinea corrodunt.

2. *Eleëmosyna est seminatio quædam nummorum.*

3. *Notantur qui dicunt inopes malè sibi olere.*

4. *Liberalis vt lilium dilatato sinu aurum suum non claudens.*

5. *Eleëmosyna sit vitæ probitati iuncta.*

2. SEMINATIO quædam vocatur à Patribus eleëmosyna. sic accipi potest illud Eccles. 11.6. *Manè semina semen tuum, & vesperè non cesset manus tua.* quia adeo fecundus est ager pietatis, vt faciat fructum centuplum. O quid non ageret auri cupidus, vt inueniret agrum, vbi etiam nummi seminati oriuntur multiplicati? sed cùm pecunia apud Latinos *æris* nomine communiter vocetur, eò quòd ex ære solebat

Eccl. 11. 6.

conflari, vnde *auarus* dictus quasi *auidus æris*; ideo videtur Deus voluisse, vt inueniretur ager, in quo æs seminatum oriretur, vt alia semina: vt typus fieret nobis agri misericordiæ, in quo æs, hoc est nummus seminari possit. sic Arist. de admirandis auditionibus, cap. 8. ait, in Cypro circa Tiriam incolæ æs minutatim concisum seminant, idque aquis superuenientibus augetur & deinde colligitur. imo eleëmosyna ager est, in quo seminantur domus & agri, & fratres, & filij, & parentes. & centuplum colligitur ex hoc semine. Matth. 19. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* optimè notant aliqui Doctores, non solum spiritali incremento haberi hoc centuplum, sed etiam aliquandò corporali. quia religionem ingressus pro vna relicta domo multas in varijs vrbibus obtinet: pro vno fratre relicto, multos; pro vno patre, multos patres ibidem inuenit; & pro vno sibi ministrante, multos ministros. Seminatio, plantatio quædam est. sed qui aliquid derelinquit, vulgò dicitur illud plantare. *Colui ha piantato suo padre, ò il suo compagno.* verè igitur relinquens prædicta, illa seminat, seu plantat. vnde non illa deperdit, sed illa serit, vt multiplicata, seu maiora recipiat. Arist. loco cit. cap. 40. dicit in Macedonia frusta metalli esse quæ crescant, & aurum fiant. *Dabit pro silice torrentes aureos.*

Arist. de admir. audit. c. 8.

Matth. 19.

Deus quasi terra seminata à iusto dabit pro silice torrentes aureos. vt est Iob c. 22. 24.

Arist. loc. cit. c. 40.

Muson. l. de vitio gulæ. 3. Musonius libro de vitio gulæ dicit vetitum fuisse ingressum templi Deæ Vestæ ijs, qui allium comedissent. Stilpo Philosophus tamen eo comesto intrauit. apparuit ei Dea, reprehendens quod ille illuc intrasset post esum allij. ille, Da mihi, inquit, allio melius, quod comedam, & ex illo non edam. Sic multi abominantur hunc, vel alium tetrum odorem miserorum, vel ipsorum sordes & ægritudines, cum tamen ipsi per auaritiam suam ea in ipsis operentur. ideoque pauperes dicere illis possunt similia verba: Nisi tu oleres vnguenta, pauper ille non oleret allium. centum viri coguntur viuere cepis, vt vnus viuat coturnicibus. si enim redderet quod debet siue ex iustitia, siue ex charitate pauperibus illis; ipsi meliori se alerent cibo. oh si quis probas haberet nares, sentiret vtique moschum tuum non redolere moschum, sed allium, eò quòd ex plurimo allio miserorum, & sæpè tuæ ipsius familiæ conflatum sit. ita coturnices tuæ fœterent illi cepas, quas cogis prædictos edere. Certè peccatum etiamsi in aliquem sit commissum non est nisi eius, qui commisit. ille enim tantum peccator fit, & nominatur propter illud. ita fœtor, aut sordes pauperis causatæ cùm sint à prodigo, & immisericordi, vt dicebam; non sunt nisi ipsius, qui ea effecit. cum ergo iste abominatur prædicta; suum fœtorem, suas abominatur sordes. ipse sibimet fœtet, & contra se ipsum superbit. & sicut vnguentum eius, seu pretiosa vestis non sua sunt, sed pauperis, quod illa debeat ei, vt dicebam ex charitate saltem, & sæpè etiam ex iustitia; & fœtor, ac nuditas cum ab ipso bene olente, & optimè induto causentur, ipsius sint; tamen inde efficitur, vt pauper malè oleat fœtore diuitis; diues bene oleat vnguento pauperis. diues superbiat veste pauperis, pauper contemnatur nuditate diuitis.

4. *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium.* lilium tunc optimè floret, tunc odorem suauem efflat, & speciosum apparet, cum non ampliùs constrictum cernitur, sed dilatatum exponit omnibus thesaurum suum, hoc est semina illa aurei coloris, quæ sunt quasi nummi aurei, vel gemmæ in aperto & candido marsupio. sic iusti optimè redolent, & bonus odor sunt Deo, pulchrique eius oculis; cùm aperto erga illum thesauro aurum non occludunt. cùm *apertis thesauris suis offerunt ei munera aurum,* &c.

Quidam, vt suam in tenuitate eleemosynarum excusent auaritiam, dicunt, etiam qui dederit calicem aquæ frigidæ dici à Domino, quod non perdet mercedem suam. sed dico huiusmodi Scripturæ interpreti, eleemosynam quidem esse aquam, peccatum verò ignem, iuxta illud Ecclesiastici 3. 39. quod Cyprianus legit, *Sicut ignem extinguit aqua, ita eleemosyna extinguit peccatum*: sed tamen hunc ignem melius extingui oleo dato, quàm aquâ. ignis naturæ incendit nostra, ignis peccati incendit nos. sed vecordes adeo sumus, vt injiciamus aquæ quamplurimum possumus in ignem, qui comburit nostra; quam minimum in eum, qui comburit *Eccl. 3. 39.*

comburit nos. quasi omnia peccata nostra eius generis sint, vt per aquam benedictam in nos aspersam, vt vulgò dicimus, expientur. *Peccati, che se ne van con l'aqua santa*: ideo vt ex hac aqua sanctificata minimum attingimus vt in ignem peccati immittamus; ita & de aqua eleëmosynæ vix exiguum quid in fornacem ignis maximi infundimus. vide an in hac re sapiamus.

5. Ad eos qui confidunt in eleëmosyna exigua & calice aquæ frigidæ exhibito; dictum volo, placere quidem Deo calicem aquæ frigidæ, sed si ei præcesserint guttæ aliquæ aquæ calidæ. hoc est lacrymarum pœnitentiæ, vbi peccatum aderat. aqua est eleëmosyna, vt dixi, nam *sicut aqua extinguit ignem*, &c. sed pelagus immensus aquarum, nimirum eleëmosynæ, nequidem gutta minima erit contra eum ignem sine aqua pœnitentiæ, vbi aderit peccatum. at verè pœnitentiæ gutta vna, nempe fletus, cum contritione, erit plus quam immensus pelagus in eundem ignem. Placet Deo calix aquæ frigidæ, sed non placet, nisi calix lotus fuerit aquâ non frigidâ. memento Christum Pharisæos arguisse, quod non lauarent quod intus est calicis. placet illi aqua poculi, sed post aquam oculi. eam æstimat eleëmosynam viduæ, hoc est optimam, vbi præcesserit eleëmosyna pupillæ. volo te Deo liberalem, sed prius dæmone liberum. ille tantum seminat in aqua, qui non seminat in aqua. seminare in aqua dicimus perdere semen, perdere oleum & operam. qui seminant in aqua, hoc est in lacrymis, eleëmosynas super pœnitentiam seminando, is non perdit semen. nam *qui seminant in lacrymis in exultatione metent*. saltem accommodatitiè locus ille huc deducitur. Aquam diximus esse eleëmosynam. si aqua super aridam terram fundatur perit, exsiccatur omnino: at si super aquam aliam fundatur, seruatur. funde aquam ergo illam super aquam pœnitentiæ. huc etiam accommodari potest illud, quod communiter de eleëmosyna exponitur Ecclesiastæ 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas; & post tempora multa inuenies illum.* quamuis litteraliter per aquas soleant intelligi pauperes.

Alluditur calori lacrymarū materialium, & feruori pœnitentiæ quatenus saltē vera sit, non ficta.

Ecclef. 11.

2. *Auari in pauperes statuæ sunt petentibus.*

3. *Eleemosyna est lapis Lydius spiritalium hominum.*

4. *Omissionem eleemosynæ peccatum mundani non æstimant.*

2. DIOGENES vt habet Laer. lib. 6. cùm aliquandò statuam vidisset, ad ipsam accessit, & ipsam orabat, dicens, Quæso stipem aliquam mihi porrige. & iterum atque iterum ipsam, atque etiam aliam, & aliam ei similem eodem modo orabat. id quidam ridentes, interrogant, quid est quod ita insanis? quibus ille, Assuesco, inquit, hoc pacto patientiæ, quando duros homines, & ferè statuas viuas frustra deprecabor. Veraciter statuæ sunt multi in pauperes suppliciter ab ipsis postulantes. quamuis enim ostendant plagas, & morbos, aliaque cor-

Laer. l. 6.

corporis mala; quamuis nuditas eorum appareat; gemitus, & vociferationes insonent; tamen illi velut statuæ, *Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient.* indurauerunt faciem suam supra petram.

3. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si charitatem ad inuicem habueritis.* in hoc agnoscit medicus quam benè valeat homo, si arteriæ pulsum manu eius attrectatâ consideret. valde sanus, valde sanctus videbatur ille adolescens, qui currens, & genuflectens ante Christum, interrogauit, vt Marci 10. 18. *Magister bone, quid faciam, vt vitam æternam percipiam?* cui cum Iesus obseruanda mandata esse dixisset, & ille respondisset se ea seruasse à iuuentute; Christus dixit: *Vnum tibi deest. vade quæcunque habes vende, & da pauperibus,* &c. subdit Marcus, *Qui contristatus in verbo abijt mœrens, erat enim habens multas possessiones.* Christus optimus medicus (nam ait, *non est opus valentibus medicus,*) cum tetigisset hunc adolescentem in manu, hoc est in liberalitate erga pauperes (vulgò dicimus *hauendoli toccato il polso*) effecit vt agnosceremus eum minus valere quàm exteriùs videbatur. aliquam enim auaritiæ febrem ipsum vexare ostendit, iuxta illud Ambrosij, *febris nostra auaritia est.* febrem autem huiusmodi, nempe affectus immoderati erga opes, plerumque ad mortem perducere testatus est statim Iesus, dixitque discipulis: *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in Regnum Cælorum.*

Marci 10. 18.

Matth. 19.

Sed cum ille iuuenis dixerit, *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea.* Hilar. canone 19. in Matt. Aug. ep. 83. Hier. & Beda in Matt. 19. & alij dicunt eum his verbis falsum dixisse. & Hieron. relatis illis verbis, *Omnia hæc custodiui,* &c. ait, *Mentitur. si enim hoc, quod positum est in mandatis, diliges proximum tuum sicut te ipsum, opere complesset; quomodo postea audiens, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, tristis recessit, quia habebat possessiones multas?* eadem habet Beda super dicta verba. si ergo iuxta hos Patres tristitia concepta ex eo, quòd diuiti suaderetur vt omnia, quæ multa erant, pauperibus tribueret, argumentum est, quod ille præceptum de diligendo proximo non implesset; quomodo tutus erit, & impauidus, quod non fregerit, vel non frangat mandatum hoc, & consequenter, quod non pereat, qui abit tristis. si parochus, vel alius pauperum curator, proposito illi casu miserabili egestatis, & miseriæ alicuius honesti viri, vel alia huiusmodi re, duos petit ab illo aureos, vel etiam multò minus? fortasse dices, ego iamdiu Deum timeo, frequenter Sacramentis munior, &c. at iste adolescens, quantum apparet ex hoc loco, putabat se ab adolescentia omnia seruasse mandata; altiora cupere; cucurrit genuflexit; dixit *Magister bone.* quid amplius afferri queat ad delineandum spiritalem virum? quid autem si tu sæpè genuflectens, sæpè dicens, *Domine Domine,* plures audiens missas, audiens conciones; Vbi creditor, vel mercenarius sua exigit non solum tristis, sed indignatus, & conuitia reddens pro nummis, terga illi osten-

Hilar. can. 19. Matth. Aug. ep. 83. Hier. & Beda in Matth. 19.

ostendis, molestum & importunum appellans? si reum se detexit renuens renuntiare sua, & inde tristis effectus; quomodo securum te facies denegans reddere aliena? verum est adagium vbique decantatum, *Quod Lydius lapis est auro, id aurum est homini.* multi exteriùs lucent, aurum optimum creduntur: sed vt vulgò dicimus, (a) *non è tutto oro quel che luce.* probi apparent hominibus, imo & sese probos credunt: sed lapis ille Lydius ostendit ac probat, quod adulterinum sint aurum. hoc enim peccatum auaritiæ præsertim scopulus est hominum huiusmodi farinæ, & qui sectatores virtutis se profitentur. In ceteris feliciter nauigare videntur, vt in longis precibus recitandis, confessionibus emittendis, &c. attamen illorum ne tangas marsupia: ibi enim cor suum habent; sensum, & animam. nam *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* si in hac parte illos tetigeris, exclamant, dolent, non patiuntur. ibi tantum caro illorum viua, in ceteris mortui videntur. *questo è toccarli su 'l viuo.* In hunc scopulum nauem illidunt. sic de Pharisæis legimus quod erant auari, & ideo ridebant Christum de liberalitate loquentem. multi spirituales Pharisæi sunt, exteriùs mortificati, at in sacculo viui. facilè tolerat qui tangitur vbi sua caro mortua est. at si tangas viuam; resilit, clamat. *Li toccan su 'l viuo.*

(a) Non omne aurum est, quod splendet.

Per faciem quippe vnusquisque cognoscitur, inquit Gregorius. tamen rectè dixit quidam, se amicos suos non à facie, sed à manibus cognoscere. cognoscitur homo non faciens, sed faciens. Futura aduersa, vel prospera vaticinantur multi, qui se diuinos profitentur, manu inspecta eorum, quibus se exhibent diuinantes. nos dicimus *dar, ò predir la buona, ò mala ventura.* bona ergo, vel mala ventura, hoc est infernum, aut Paradisum prænuntiare possumus iuxta id, quod in manu intuemur, hoc est liberalitatem in proximum, vel auaritiam. de hac enim re præsertim discussio facienda. scis enim quid dicet Christus in die Iudicij. Vir bonus, & misericors idem sunt. Vbi Psal. 4. *Mirificauit Dominus sanctum suum.* alij legunt, *misericordem suum.* nos virum bonum vocamus, *huomo da bene.* quasi per hoc indicetur probitatem in eo præsertim sitam esse, si bona alteri tribuamus. vulgò etiam dicitur, *dar del bene, far del bene,* vt ferè idem sit, (a) *huomo da bene, è sà bene.*

Psal. 4.

(a) Homo bonus, & benefaciens.

Mercium nostrarum capitale totum nobis Deus voluit; sed dum soluamus quam vocant gabellam pauperibus, quos publicanos constituit. summa mercium est salus nostra. hanc aut summâ perdunt mercium mercatores deprehensi, quod surripuerint vectigal prædictum. contulit nobis beneficium; sed ea conditione, vt auferatur à nobis, si non soluerimus pensionē sibi in paupere. *quid autem prodest homini si vniuersum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur?* vulgò dicimus, (b) *Vna paga tutte. Cento à te, è vna à me dice il datiaro.* malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ. prædicta intellige de eleēmosyna, quando cadit sub præcepto peccati mortalis.

(b) Vna dies persoluit omnia. centum tibi, & vna mihi, ait publicanus.

4. Sed

4. Sed cum eleëmosyna tanti momenti negotium sit, tanta res ad salutem æternam; quot inuenias etiam ex his, qui se probos profitentur, qui nesciunt quidem si interrogentur, quousque se extendat obligatio ipsorum sub peccato mortali in hac parte? quot inuenias, qui se in confessione accusent tanquam de culpa graui de omissione huius operis? quot sunt, qui si non verbis, saltem cordibus suis, & factis ipsis ita de eleëmosyna sentiunt, ac si non præceptum esset, non obligatio, sed consilium merum, sed supererogationis opus, & perfectionis. Basil. in homilia de diuite dicit, eum ideo damnatum, quia ignorabat præceptum, quo tenebatur erogare superflua in pauperes. O res omnium Sanctorum, & Dei verbi prædicantium, qui vnquam fuerunt, vel in futurum viuent vocibus conclamanda, & exaggeranda! Quære qua de re discussio fieri dicatur in Iudicio; & non inuenies Christum aliam afferre quam istam, licet omnia alia ibi sint discutienda: & tamen ferè de omni alia re, præter quam de ista cogitant, & anxij sunt, & scrupulum sibi ingerunt, & se accusant in confessione Christiani, & Christiani spirituales vocati. summa malorum, & causæ summa mortalium. summa inquam causæ nostræ in peccatis nostris sita est: & peccatum ignis est, eleëmosyna aqua, vt dicebamus: (nam *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum:*) & tamen id, quod minimè cogitamus est de aqua super hunc ignem infundenda. imo tanquam Nerones spectantes incendium vrbis nostræ, animæ nostræ, interim lyram pulsando canimus, hoc est voluptatibus, & lucris nostris vacamus. Macula est peccatum, & tamen omnia cogitamus præter ablutionem huius maculæ per aquam prædictam. cùm dicatur Lucæ 11. 41. *Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* omnia munda sunt nobis per aquam eleemosynæ, & nos omnia mundare volumus quacumque alia re, exceptâ hac nempe aquâ. precibus recitatis, ecclesiarum visitatione, aliquando etiam ieiuniorum mortificatione: dum tamen parcamus sacculo, dum idolum, & ara auaritiæ non violetur, non tangatur. amicus esse volo religioni & virtuti, sed *Amicus vsque ad aras*, nempe ad aras mei Dei, hoc est auaritiæ. nam est idolorum seruitus. Luc. 11. 41.

2. *Pericula peccandi mortaliter in omissione eleemosynæ.*

2. SED dices, iuxta opinionem probabilem Doctorũ, (quamuis Sancti Patres illam damnent) non teneor ad eleëmosynam, nisi in graui necessitate pauperum de superfluis status. sed dato quod ita sit (non enim ista hic definire propositi mei est) si non infringas auaritiæ affectum eleëmosynā erogando etiam in alijs, & communibus casibus; quomodo non timendum valde est tibi, ne leuis tibi videatur necessitas, quæ grauis est, auaritia nimirum excæcante oculos tuos non inculpatè, sed culpabiliter? non æstimatur necessitas aliena grauis, ne sacculus noster

noster fiat leuis. non æstimas illum grauari necessitate, ne grauaris tu eléemosyná. *Mendaces filij hominum in stateris.* mercatores auari, mendaces stateras efficiunt. hoc autem eis ad lucra plurima confert, vt parcè suas merces, & diminutè reddant emptoribus. ita dæmon in auaris stateras iudicij corrumpit præsertim in dijudicandis ijs, quæ ad opes pertinent. cum id fecerit, abit. scit enim quod non eget auarus alio dæmone. His ergo stateris mendacibus sæpè homo iudicat seipsum inopem, vt non teneatur pauperibus erogare. si miser ab eo petat, abi, inquit, ego à te debeo baptizari: respectiuè ad tuum, meumque rerum statum, marsupium tuum maioris est ponderis. quàm meum, qui nutrire cogor tot ventres. Statera mendax inuenit hoc pondus in sacculo inopis, in quo nihil est. Sæpè confingunt apud seipsos ipsum pauperem simulare egestatem. confictionem propriam faciunt alienam: carpunt pauperem infamiâ falsâ, vt torqueant fame vera.

Quis ignorat experimentis, vel etiam scripturis omnium gentium nullum ferè vitium magis excæcare hominem quàm auaritiam, & interesse pecuniæ? sæpè in Scriptura dicuntur *munera excæcare oculos*, & additur, quod *excæcant oculos* etiam *sapientum*. at multò magis excæcat affectus non perdēdi quę habes, quàm lucrandi quæ non habes. ideo de illo adolescente dicitur supra, quod *abijt tristis*; quia *erat habens multas possessiones*. si ergo lucra tantùm spectata tam excæcant; vide quid facient iam habita, ne perdantur, vt in casu nostro ne eléemosyna tribuatur? excæcat auaritia. vnde si quis de eroganda eléemosyna postuletur, dicet seu æstimabit se inopem. cæcus enim etiam in cubiculo nummorum referto nihil videt, atque perinde se habet, ac si nihil esset in eo. ita non mirum si diues ille dicat se vacuam habere domum, se nil cernere in arca. nam auaritia excæcauit eum. exclamat pauper. sed quia homo lucra sectatur, mercimonium ex auaritia sua facit, vt lucretur parcendo pecuniæ: aures (vt dicitur) mercatoris facit. (a) *L'auaritia fà orecchie da mercante per non hauer man da gentil'huomo, cioè gentile, liberale.* facit hominibus oculos senum, vt non habeant manus iuuenum, hoc est iuuātes iuuenum enim liberalitas propria: quasi *iuuenis* à iuuando dictus videatur. Consulat ergo Christianus pios & doctos super re tanti momēti, vt se eximant à periculis damnationis. sectetur sententiam Sanctorum Patrum erogando superflua, non decipiendo seipsum negando habere superflua, ne pauperes (vt Lazarus cum epulone) contra eos se pauperes efficiant negando eis guttam aquæ. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.* verè beatus qui intelligit, qui percipit super egenum, & pauperem, nimirum qui intelligit obligationē præcepti charitatis huius super eum. qui sanam super hac re agnoscere vult sententiam: qui non dissimulat agnoscere pro vero paupere eum, qui talis est: qui oculos non claudit super eum, ne aperiat manus. *Beatus qui intelligit* hanc

(a) Auaritia aurē exhibet mercatorum, quia manum non habet hominis Nobilis seu Liberalis.

Beatus qui intelligit ista super pauperē; sed ad effectum tribuendi illi, non speculatiuè tantū.

hanc singularem Philosophiam, nempe misericordiæ in pauperes exercendæ tam speculatiuè, quàm practicè, *Beato chi capisce ben questo punto, à chi entra ben nella fantasia questo negotio, quantogran benesia questo.* ille beatus erit in die Iudicij, & quasi ad Lauream Cœlestis magisterij admissus, qui in hac scientia misericordiæ *intelligens* inuentus fuerit. nam de illa & super illam examen fiet. Iam igitur censetur vt beatus qui intelligit super egenum, quia *iucundus homo qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in iudicio.* disponet sermones, quos respondeat in Iudicio illo. ideo cum dixerit *beatus qui intelligit super egenum, & pauperem;* subdit, *in die mala liberabit eum Dominus.* tamen cum examen de liberalitate sit faciendum, *Omnes auaritiæ studeut*, vt dicitur Hierem. 6. 13. student doctrinæ contrariæ. conantur fieri cameli, hoc est diuites sarcinis opum onusti, cum audierint diuitem saluari esse camelum intrare per foramen acus.

Hier. 6. 13

Manus Latinè appellantur etiam *palmæ.* pinea verò nux est symbolum auaritiæ, quod arctissimè fructus claudat suos. de auaro quasi pinea nuce dicimus; (a) *Egli è vna pigna, e non vi darebbe manco vnpignuolo.* monstrum est ergo fructum palmæ esse pineam nucem, cum eius fructus debeat esse dactylus quem nostri dicunt, corrupto tamen sermone, (b) *dattilo, ò dattolo*: Etrusci *dattero.* quasi iuxta vocis sonum significetur fructum huius palmæ, seu manûs, esse debere datum, donum, dare, non autem retinere. Sed aduerte picem esse liquorem à pinu arbore pineas ferente promanantem: qui quasi tenacissimus viscus est. vnde cum aliqua pix sit etiam in fructu, infertur auaros pineas tenaces esse rerum earum, quas possident, & per viscum hærentem sibi etiam attrahentes aliena. Cum auarorum prædictorum manus, seu palmæ dici possint habere duas illas facultates: ideo per has duas facultates alias duas facultates habent. per primam tenent proprias, per secundam occupant alienas. Ecclesiastici 4. 36. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* quasi dicat, palma tua non ferat, seu habeat pineam, quæ per picem sit facilis ad accipiendum, & per seipsam ad retinendum tantum, & non ad dandum prompta. Manus auari est vt venter, qui habet facultatem attractiuam, & retentiuam, vt medici docent.

(a) Nux pinea est; ne vnum quidem granum ex eo exsculpas.
(b) I. e. da, vel dona.

Eccles. 4. 36.

Abiit tristis adolescens ille Matth. 19. cum audisset, *vende quæ habes, & da pauperibus.* & dictum est tunc à Domino facilius esse camelũ intrare per foramen acûs, quam diuitem in cælum introire. quasi difficultas ista consisteret in dimittẽdis opibus, vel malè partis (si tales sint) vel per eleemosynam, vt in casu iuuenis prędicti. cum verò Apostoli conterriti de hac re essent, ait. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* introducitur ad hoc operandum Deus non solum vt potens, sed vt omnipotens: vt ostendatur diuitum manus, vt supra dicebamus, cum pineæ sint arctitudinis ad retinendum, adeo tenaciter tenere vt

Matt. 19.

vt Dei omnipotentia requiri videatur ad educendum aliquid ab eis. *Per far liberale, ò per saluar vn ricco, vi vuole l'onnipotenza di Dio. non basta la forza di tutte le creature.*

Chron. Turc. to.1 libr. 2. c. 11. In Chronicis Turcarum tomo 1, libr. 2. cap. 11. per Lonicerum collecto, dicitur, In libro ipsorum Curaam (hic est apud eos velut Euangelium apud nos) hæc verba leguntur: si quis verè intelligeret quàm præclarum & diuinum sit opus eleëmosynas elargiri, is certè suam carnem auulsam artubus, pauperibus impartiretur. Id quamuis exaggerationis figura dictum, ostendit tamen pietatis huius præstantiam apud infideles etiam agnosci. ideo mirabilis est, vt legitur, Turcarum liberalitas in hac parte. addit auctor ibidem, Itaque magnâ curâ & attentione perscrutantur, num in vicinia sint, qui senectute, & pauperie pressi aliorum ope indigeant; num viduæ, & pupilli aliorum subsidio opus habeant, iisque vt quàm fieri potest occultissimè succurrant studio habent. hæc ibi & rursus ait, suos famulos clàm ad vicinos pauperes ablegant, sciscitantes num re aliqua egeant.

ELECTIO
MAGISTRATVVM.

2. *Diuites facilè eleuantur ad honores.*
3. *Ineptus in honore est quasi statua ligata in purpura.*

2.  VCÆ 16. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso.* Luc. 16. Maldonatus hoc loco hunc fuisse Principem, vel Regulum (ex purpura, quę est indumentum Regium) suspicari videtur. Statim igitur ac verificatur hęc prępositio: Homo est diues, facilè infertur & ista; Induitur purpura; non solum in eo sensu, quod Prou. 22. *Diues pauperibus imperat, & qui accipit mutuum seruus est fœnerantis:* sed etiam in proprio sensu. nam subditi, cum greges vocentur respectu Prælati sui; libenter in suum eligunt pastorem, qui ipsos potest pascere. sic voluerunt constituere Regem Christum, postquam ipsos pauit multiplicato pane. Dicunt enim quod *Greges pascuntur à pastoribus.* Adde quod quidam tria T.T.T. adnotauit in quodam loco addita explicatione: *Littera terna notat: Tribuunt Tributa Tribunal.* Item cum purpura pretiosum sit indumentum ratione coloris præstātissimi inter ceteros, ideo non nisi à diuitibus emitur. vt nec alij quàm diuites possunt tribuere, vnde Tribunalia eis retribuantur. tributa tribuunt tribunal.

Homo quidam, &c. hoc est, aliquis homo. tamen verè ille erat *homo quidam* eo sensu, quo vulgò solēt accipi hæc verba. nam regimen suum, & Magistratum in veste tantummodo, & in quotidianis epulis exercebat: pecudem se potius exhibens, quam pastorem; imo lupum, seu pastorem qui pascebat semetipsum lupinâ voracitate. At cum dicatur quod *erat diues*, etiam dicitur, quod *induebatur*

purpura. Etiamsi aliquis sit homo quidam, non id curat purpuræ venditor; dummodo diues sit ad soluendum purpuræ pretium. eodem modo aurifex etiam fatuo coronam, seu diadema tribuit, dum diues sit ad soluendum valorem eius. eodem modo auarus Princeps se gerit. vnde fit quod *homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso.*

3. Homo quidam vulgò ferè idem est ac insipiens. sed de fatuo dicitur, seu insipienti, Prouerb. 26. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem*: Alij legunt apud Iansen. hic *sicut qui ligat lapidem in purpura*. Quid agendum est de stulto? nonne ligandus? quid autem refert, vt appareat eius stultitia, an videatur ligatus funibus huius, vel illius generis? Cum stultus collocatur in Magistratu ponitur in funibus: est enim lapis ligatus in funibus purpureis, & byssinis. vnde ligatus? quia in ea administratione imperitus, atque impotens cuncta finit administrari à suis. ipse tamquam statua, tamquam lapis, & idolum in purpura ligatum, ne ex ea delabatur, recipit populi genuflectiones. ita vt de eo dici possit Zachar. 10. *O pastor, ò idolum.*

Prou. 26.

Zach. 10.

Est ligatus in purpura. (a) *Si troua intricato ogni di più in tal carico, come vn pulcin nella stoppa.* vnde cum sapiens fortasse putaretur, modo stultus apparet: sicut stultus apparet, qui videtur ligatus, vt stulti solent. ligatus inquam funibus purpureis, & byssinis. Esther 1. de tentoriis Assueri in conuiuio suo apparatis dicitur, quod erant sustentata funibus byssinis, atque purpureis. talibus ligatus apparet hic *homo quidam*, qui induebatur purpura & bysso. Prouerb. 30. 32. *Est qui stultus apparuit, postquam eleuatus est in sublime. si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.* non solum apparet stultus ligandus, sed iam ligatus, si tamen erat in magistratu.

(a) Magis intricatum se sentit, quàm pullus gallinaceus in stipula.

Esth. 1.

Prou. 30. 32.

Homo quidam huiusmodi induitur sæpè purpurâ, seu ligatur in ea à Principe, quatenus ita illi cõfert Magistratum, vt deinde ei, vt dici solet, liget manus, & pedes in illo, nõ permittens ei vt quidquam agat, vt digitum moueat: sed ipse Princeps vult omnia disponere, tantum permittens illi, vt purpura, & bysso induatur, & de reditibus officij splendidè epuletur. (a) *Dice à luj, attendi à mangiar è beuer, e non pensar ad altro.* sic enim vulgò dicimus, cum curam de aliqua re ab aliquo remouemus: *Attendi à mangiar, e beuer.* Ita iste homo quidam videbatur constitutus in regimine. nam induebatur, & epulabatur quotidie. cetera verò officij parum curasse credibile est. neque mẽtio vlla fit quod alia ageret cui vix sufficere poterat reliquum tempus, ad ludos, somnos, & crapulam concoquendam. Adde fatuis in regimine constitutis, solitum dari quasi pædagogos, & vicarios à Principe, qui pro ipsis omnia gerant. vnde in purpura, hoc est in officio apparent ligati, seu lapides, vel furiosi nedum fatui, ne forrè aliqua pro sua stultitia patrarent. nam potestas regiminis est gladius, vt dicitur, *Non enim sine causa gladium portat.* potentia ergo Iudiciaria in fatuo est gladius in manu eius, coërcendus

(a) Ede, bibe de aliis non te discrucies.

coërcendus igitur est vinculis prædictis, ne noceat.

Sicut qui ligat lapidem in purpura; ita qui dat insipienti honorem. Italicè diceremus: *Lega nella porpora vn mattone,* quæ vox & fatuum significat & laterem. Ligat in purpura. ita enim efficit, vt eius Laurea (quæ est Imperij diadema, & similis circulo laureo in signum popinæ) vt inquam eius Laurea sit pro corona hederacea siue signo tabernæ: *serua per cerchio d'hosteria.* hoc est nil operetur, nil possit. sed in hoc diuite purpurato verè Laurea est signum tabernæ. nam ille quid erat nisi taberna mobilis, in qua eius voracitas epulabatur quotidie splendidè? Ita Prælatus se gerit, cum, vt Hilar. in Matt. 6. ait: *præsentium tantum curam in cultu ventris exercet.*

Hilar. in Matth. 6.

Aliquando Princeps vult æmulari Deum, sed peruersè. vult enim esse *Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit: suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum Principibus populi sui.* Sed aduertendum, quod Deus eligendo aliquem ineptum ad munus aliquod, simul aptum illum reddit, conferendo ei necessaria ad illud exequendum. ita cum elegisset piscatores in Doctores, & Principes mundi, iuxta illud Dauidis, *Constitues eos Principes super omnem terram;* in die Pentecostes *induit eos virtute ex alto* cum dono linguarum, & ceteris donis illius spiritus. Sic Moysen de pastore Ducem constitutum, *constituit Deum Pharaonis,* vt dicit Scriptura. cum verò Deus tribuat electis à se ea quæ non habent: è contrario Principes eligendo ineptos etiam auferunt ab eis id quod habent. Auferunt inquam exiguum illud mentis, & modestiæ, vel iustitiæ, quod videbantur habere: eò quòd per collatum honorem eos vtpote leuitate animi, & in vitia magna propensione affectos, insanire faciunt, & inflari, atque mentem, cum humilitate, & ceteris amittere.

Deum malè æmulantur. nam de illo dicitur quod *suscitat à terra inopem,* non autem *cum terra,* hoc est, à terra vilitatis pristinæ, & ineptitudinis. & *de stercore erigit* indignitatis, non cum stercore. Principes vero excitant à terra, sed cum terra, de stercore, sed cum stercore. De inepto, & ignaro à Principe in Prælatum assumpto, & regia veste induto, eò quòd per adulationes, & scurrilitates suas simiam ageret eiusdem Principis, eumque lætificaret, verificatur adagiũ ortum à simia veste nobili induta, quo dicitur: *Simia semper est simia* item aliud: *Asinus in pelle leonis,* quasi dicatur, rudis in veste Regis. Leo enim Rex est animalium. verificantur inquam adagia illa. quia inopes non tam talentorum auri, quàm talentorum animi, ab ipsis eleuati de terra cum terra sua, & cum sua inopia mentis adhuc cernuntur. imo, vt dixi, cum maiori.

2. *Quidam Domini volunt in magistratibus ineptos, vt sibi obsequantur.*

3. *Coram Principe quandoque stultitia sapiens simulanda.*

1. PRIMO Reg. 21. Cum Dauid venisset ad Achis Regem Geth, quamuis serui Regis dixissent 1. Reg. 21.

ad eum, *Numquid non iste est Dauid Rex terræ? nonne huic cantabant: Percussit Saül mille, & Dauid decem millia?* tamen cum Dauid coram Achis se stultum simulasset, ille ait ad seruos suos: *Vidistis hominem insanum. quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret me præsente? hiccine ingredietur domum meam?* Cum sæpè aulici aliquo interesse, vel affectu lucri, vel consanguinitatis corrupti, introducant in aulam Principis, & etiam (mediante ipso Principe) ad officia, & magistratus aliquos palatij fatuos, seu ineptos, & improbos, (qui in Scriptura passim fatui vocantur) postquam eorum stultitiam Princeps deprehendit dicat, dicat alacriter: *Vidistis hunc hominem insanum, quare adduxistis eum ad me?* an desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum?

Hiccine, ait Achis, *ingredietur domum meam?* & tamen hodie apud multos Potentes medium optimum intrandi, & officia Reipublicæ ipsis subiectæ obtinendi, intrandi inquam ad ministeria aulæ, est si quis fatuus sit, vel fatuitatem simulet. nam non solum cæcam ab his ministris exigunt obedientiam, sed cæcos quoque obedientes. Cum enim Reges dicantur eò quòd regant, Duces, eò quòd ducant: cumque sæpè ipsi pueri sint, iuxta. Illud Isa. 3.
Isa 3. *Dabo pueros principes eorum*, hoc est pueros sensu, pueros triginta, vel plus annorum; & pueri cæcos soleant regerè, & ducere, quod facilè id fiat; idcircò non videntes, sed cęcos facilè admittunt in aulam, vt illos pro arbitratu & libidine animi ducant quocumque volunt, etiam in ipsa administratione muneris eis commissi. volunt ipsi cæci cæcos ducere, vt ambo in foueam cadant. Vel dic eos non curare, quod ingredientes in aulam vacuo sint capite, dummodo plena sint manu, hoc est muneribus ad emendum officium.

Lateres apud nos siue lapides excocti dicūtur vulgò *Mattoni*, & simbolum sunt stultorum, vt vocabulum etiam sonat Italicum, *Matto*; nam supra diximus quosdam legere illud: *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem; sicut qui ligat lapidem in purpura.* Lapis ligatus in purpura est stultus in Magistratu positus. Sed obserua eum stultum verè esse ligatum in purpura, hoc est in Magistratu. quia si quis securus est non amittendi honorem, & officium; is plerumque non est qui sapiens est, sed qui stultus. hic enim cum in omnibus obsecundet Principi, seu populo, nec veritatem, sed obsequiū sequatur; & in omnibus se permittat duci velut bubalus; is verè ligatus, & firmus est in purpura. Inde videas sæpè eos, qui insipientes non fuerāt, facilè de purpura excussos, cum multi alij eorum coëtanei, & apud eosdē Principes in honoribus positi (quamuis fatui respectu istorum) in purpura perstiterint, Principibus illis obsecundando. Tandem adeo facile est fatui honores obtineant, & conseruent (præsertim si per fatuos intelligamus vt Scriptura solet, insipientes in virtute. & non cordatos homines) vt sicut dicitur: (a) *Chi nasce bella,*

(a) Quæ nascitur pulchra,

nasci ut maritata. ita: Qui nascitur fatuus, nascitur purpuratus. *bella, nasce maritata*; ita dici potest: *Chi nasce mattone, nasce purpurato*. qui nascitur later, cum later sit rubeus, nascitur purpuratus; ligatus; & plus quam ligatus in purpura. nam vix eum colorem à latere depelles vnquam. iam dixi laterem, vulgò *il matton* esse symbolum stulti. rari autem sapientes purpurati, & in purpura ligati nam ait Tragicus, *Exeat aula, qui volet esse pius.*

3. Sed vt redeam ad Dauid simulantem stultitiam apud Regé Geth: dicendum est, inde doceri nos aliquando, vt immunes ab ira Principis transeamus, stultos fieri debere coram illo. nam non solum verum est, Ecclesiastici 7. 5. *Penes Regem noli velle videri sapiens: sed aliquando etiam insipientem te debes ostendere, vt sapiens sis.* præsertim si apud eum es in honore, & Prælatura. nam *qui nescit simulare, nescit regnare.* (quod tamen mundani faciunt etiam contra conscientiam, non contenti esse amici vsque ad aras) stultum te facias, ne te ligent, aut verberent, hoc est incarcerando, seu puniendo. quod est dicere: stultum te fac, ne stultum te faciant, hoc est funibus, & fustibus. Reges capita sunt populorum. volunt capita ipsa habere cerebrum & oculos: membra autem sua, hoc est subditos esse sine ipsis, alioquin æstimant membra ipsa se velle facere capita, hoc est Principes. sed *omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Conclude ergo cum Ecclesiaste 10. 1. de hac stultitia Dauidis à te assumenda: *Pretiosior est sapietiâ & gloriâ, parua, & ad tempus stultitia.* vbi verbum *stultitia* est in casu recto: *sapientia, & gloria* in ablatiuo. Eccles. 7. 5. Eccles. 10. 1.

Leuit. 11. 16. inter immundas aues ponitur Larus. * Pagninus ait, alios hic vertere cuculum pro laro. Cuculus verò symbolum est insipientis, & vilissimi hominis. talis enim vulgò æstimatur cuculus inter aues. loquela sua, vt ita dicam, seu cantus absurdus, & risu dignus eum manifestum facit. De hac aue ait Aldrou. 5. de auibus, quod adeo timida, & vilis est, vt auiculæ minimæ eam vellicent, & lacerent. adeo vt præ metu ab omnibus illis fugiat. vide Plin. lib. 10. cap. 9. sed præter insipientiam, & deiectionem animi, seu cordis, scelestissima est. Albertus enim ait, eam omnibus auibus odiosissimam esse, eò quòd oua eorum in nidis rumpat, & aliqua exsorbeat, suaque incubanda in aliorum nidis reponat. addit eandem auem necare matrem propriam, & comedere ipsam tamen miluum habere occultam simpathiam, & amicitiam cum ipsa. ita Isidor. lib. 12. Origen. cap. 7. apud Aldrou, loc. cit. dicit miluos, qui ad regiones tepidiores conuolare solent, cum huc æstate adueniente redeunt, cuculos vt inualidos, & debiles ad tantum iter, super terga ipsorum portare. Nota autem, quod cum milui raptores, & deuoratores sint auium, & hostes, præsertim exiguarum; tamen cum his tanto amore vniuntur. & cum multæ aliæ aues ibi inualidæ, & nobiles sint, & laudabiles, tamen solam hanc super humeros portant. Milui ergo videntur esse ij Principes, qui neglectis probis, & industrijs, viris, simpathiam aliquando habent cum fatuis, & Leuit. 11. 16. * Milius: Italicè Nibbie. Aldrou. 5. Plin. l. 10. c. 9. Isid. l. 12. Orig. c. 7. Aldr loc. cit.

& ſceleſtis, hoſque ſuper humeros portant ad honores, quo illi præ debilitate virtutis ipſorum, ac propter demerita peruenire non poſſent. (a) *Per quell'humor, che han con coloro perche han ſangue con eſſi, ſenza altra ragione li ſpalleggiano, li portano auanti al diſpetto del mondo.* Sed aduerte ſimpathiam ex ſimilitudine naſci. Eccleſiaſtici 13. *Omne animal diligit ſimile ſibi.* & paulò poſt ait: *Et omnis homo ſimili ſui ſociabitur.* Miluus eſt auis iniqua, & cum iniqua, amicitia iungitur. illa aues vorat, hæc oua auium. ambæ rapaces, ambæ edaces. Sic & Princeps fatuus ſeu mundanus, fatuos, & mundanos portat: miluus cuculum. quod verò protectio, & exaltatio per geſtationem quaſi auis auicularum aliarum ſignificetur, apparet ex Cant. Moyſis de Deo erga ſuos, *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos; & ſuper eos volitans: expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.*

(a) Propter ſolã humorũ ſympathiã eos humeris portant, & promouent omnium ingratiis. *Eccleſ. 13.*

2. *Simulant ſe ſapientes, & ſanctos, vt tollantur ad honores.*

3. *Inſipiens in honore bos eſt coronatus.*

4. *Indignus eleuatus interdum contra eleuatorem inſurgit.*

Eccleſ. 10 5.

2. ECCLESIASTES 10. 5. *Eſt malum, quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis poſitum ſtultum in dignitate ſublimi: & diuites ſedere deorſum.* per errorem. quia multi ſimulant ſe ſapientes, & probos donec ad culmen honoris perueniant, vbi deinde *Magiſtratus virum indicat, & per honores mutantur mores.* vnde Prou. 30. *Eſt qui ſtultus apparuit, poſtquam eleuatus eſt in ſublime.* Qui in ſummum faſtigium conſcendit, niſi firmo capite ſit, vertigine corripitur cerebri, & ita detegitur parum mentis compos *Tal parea vn Salomon in fondo della Chieſa, che ſi moſtra vn aſino in cima il campanile.* hoc eſt in dignitate ſublimi. Quaſi per errorem quia per vulpinam pertingunt ad Leoniam: hoc eſt ad veſtem regiam. Leo enim Rex ferarum. Magiſtratus virum indicat, & Magiſtratus beſtiam indicat, hoc eſt ſtultum. Inde dicebat quidam de quibuſdam Principibus: *Prometton vn officio à dieci huomini, e poi lo danno à vn animale, fan aprir dieci bocche, e n'empion vn grugno.*

Prou. 30.

Locus imus in Eccleſia ſignificat locum imum in Eccleſia Dei, cacumen campanarij culmẽ Prælaturæ ſuper Eccleſiam aliquam.

Quaſi per errorem. quia cum per ſtultum (vt in Scriptura paſſim) etiã improbus, nedum inſipiens, & indignus honore hic ſignificetur: ſæpè aliqui ſe ſimulant ſanctos in terra, vt tamquam ſancti collocentur in cælo, hoc eſt in ſublimitate. ſimulant ſe Angelos in inferno, hoc eſt in ſtatu humili, vt ſint diaboli in Paradiſo, hoc eſt in ſtatu ſublimi, & felici, quem ipſi vt Paradiſum voluptatis æſtimant. & ſicut Rubrica docet recitare officia, & orationes; ita purpura honoris deſiderata, quæ eſt rubrica ambitioſorum, docet eos recitare officia, & preces, vt videantur probi.

Sed vt redeam ad ſupradicta de exaltatione voluntariè facta à Principe nimirum ſtulti, vt ſibi in officio in omnibus obtemperet: dicendum eſt, ſæpè euenire (Deo id iuſtè permittente ad vindictam huius ſceleris)

ris) vt fatuus, seu indignus, & improbus electus, postquam eleuatus fuit, nullum maiorem hostem, & aduersarium sibi faciat, quam ipsum electorem. cum enim ipse ambierit eam prælaturam, vt dominaretur, & ne seruiret; odit maximè, nec sustinere potest eum, qui se assumpsit, eo quod videat eum velle se etiam dominantem subijcere, & honorem, quem dedit quasi auferre. vnde & occasionem quærit. discedendi ab amico. Hi electores fatui hominis illum præponunt alijs. vt subdant sibi. illi seruiunt semel (scilicet eligendo) vt sibi seruiat semper. faciunt illum Regem, faciunt Dominantē, vt sint Reges Regum, & Domini Dominantium. volunt eum seruire, vt regnet: volunt eum regnare, vt seruiat. & dum videntur maiorem eum reddere dominum, eundem sibi ipsis maiorem efficiunt seruum. maiorem dico, hoc est illustriorem sibi parant famulum.

3. Tauros olim coronabant sacrificandos, de qua re Act. 14. 12. *Tauros, & coronas ante ianuas afferens, cum populus volebat sacrificare.* Fortasse ergo si bos, vel taurus sensum habuisset, intumuisset superbia, & exaltatione de corona illa. at dicendum illi fuisset: Cur tibi imposita corona, nisi vt tetrahant quocunque volunt mactandum? vtique eodem pacto fatuus coronatur vt bos, vt trahatur ad victimam, nimirum ad quæcumque illicita, & iniusta quæ voluerit Princeps, seu iniustus elector. vnde postea in inferno mactetur; quia *cum*

Act. 14. 12.

in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. & deinde dicitur de eodem in plurali, quod *sicut oues* (vtique mactandæ) *in inferno positi sunt, mors depascet eos.* quasi oues fatui isti stoliditate ducti secuti sunt errantem (nimirum pastorem supremum, hoc est principem,) vt oues etiam stolidæ sequentur pœnitentem, hoc est in infernum descendendo cum illo.

4. In officio Ecclesiæ persoluendo nec plus, nec minus dicimus, aut facimus, quâm quæ dictauerit Rubrica. ita Princeps nihil aliud vult, (nisi sit probus) Officiales facere, vel dicere in Officio suo, quam quæ eis indixerit rubrica ipsius, hoc est Purpura; quatenus per eam significatur Regia voluntas, quæ præscribit ministris quæcumque libuerit. Sed quia diximus, sæpè hos exaltatos à Principe ipsi recalcitrare post honorem adeptum: dicendum ideo est, quod postquam quis (vt ita loquar) recitando ingressus est in Officium, non amplius intuetur Rubricam; ita & non amplius intuetur Purpuram, seu rubricam Regiam qui in Officium, hoc est dignitatem introiuit. hoc est, quasi dedignatur vel intueri electorem suum, neque amplius eius studiosus apparet, & cupidus vt antea.

Nō amplius defixos tenet oculos corporis, & cordis in manibus electoris, seu electorū nam oculi seruorum in manibus dominorum suorū donec misereantur eis, sed non vltra: licet oculi iustorum in manibus Dei semper. (*a*) *Leuano la mira di doue b n*

 già

(a) Oculos auertunt à scopo quem attigerunt. Obsecūdant, donec desinant esse secundi. Eligentiū cauda sunt, donec caput euadant.

già fatto il colpo. secondano fin che lasciand'esser secondi, è finche son fatti primi. allo elettor fan coda fin che egli li fa capi.

Malum quasi per errorem egrediens à facie Principis est *stultus positus in dignitate sublimi. & diuites sedentes deorsum.* potiorem huius loci sensum attulimus. Sed vel litterali vel accōmodatitio sensu dici potest saltem de multis Principibus, *per errorem* eos extollere fatuos, & indignos. eò quòd putent hos sibi fore in omnibus obsequentissimos, cum vt dixi, sæpè in hoc delusos se sentiant. idipsum dic de depressione diuitū, hoc est sapientum, & bonorum, vt exponunt communiter. Nam præter ingens Reipublicæ damnum inde consecutum; neque commoda propria inde sperata, sed potius ingratitudinem, & prælia, & inimicitias inde lucrantur. *per errorem* ergo stultum extollunt. quia si cognoscerent bestiæ naturam, &c. vt supra, numquam extollerent per errorem. sed vt dicitur. *Paruus error in principio est maximus in fine.* Princeps ita dicitur quasi principium, quod ab ipso incipiat Respublica velut à primo. si ergo paruus error in Principe, seu in principio exit, & terminatur in maximum; vide in quantum terminabit errorem error in principio maximus, velut est hic collocātis stultum in sublimi, & sapiētes in loco infimo? Hic error est error in principio non solum ratione agentis, & causæ, nimirum Principis supremi seu electorum; sed etiam ratione effectus, nimirum ipsius electi ad imperandum; quatenus & ipse est Princeps, & Principium, seu fons communitatis. venenato enim fonte vide quid erit de fluuio.

Paruus error in principio, maximus in fine. quia error in Principe, qui est principium Reip. disseminatur malo exemplo, & crescit in subditis, qui sunt pars reliqua communitatis donec vsque ad minimos & extremos perueniat quasi à capite vsque pedes diffundatur, & tunc morbus factus est maximus. quia Regis ad exemplum totus componitur Orbis. vnde de Regno dici potest. Isa. 1. 6. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Isa. 1. 6. Adde: hic error paruus in principio, hoc est in Principe maximus est in fine, quia error qui ipsi nunc videtur paruus, & respectiuè ad peccata subditi alicuius paruus est; in fine, hoc est in puncto mortis, & in futuro sæculo deprehendetur maximus ratione personæ, & pœnæ sustinendæ. quia Sap. 6. *Iudicium durissimum his, qui præsunt fiet.* Sap. 6.

Nota tamen, quod in alio sensu, paruus error in principio, (hoc est in Principe) est maximus in fine. quia, quæ in Potentibus videntur crimina parua, in pauperibus censentur vulgò maxima, ex acceptione personarum. Cum contrarium sit apud Deum in multis casibus.

Quid enim maius inter scelera, quàm collocare indignum, & fatuū in dignitate sublimi, & dignos collocare deorsum cū maximo Reip. detrimento? & tamen quale, vel quantum æstimatur peccatum hoc à Principe, vel etiam ab illius aulicis, & fautoribus? certè non peccatum, sed error, & inaduertētia quædam.

dam. immo nec error quidem, sed *quasi error*. vnde ob hanc causam Salomon videtur dixisse de malo hoc: *Quasi per errorē egreditur à facie principis*. vnde, cum à facie eius procedere dicatur, hoc est ipso vidēte, & iubente à facie non a tergo, colligitur errorem esse voluntarium, & maximum. ita Olympiodorus, Arboreus, Moringus, & alij apud Pinedam hic ignorantiam hanc crassam, seu supinam faciunt. Iuxta hunc sensum, aduertè quàm excæcatus sit Princeps huiusmodi, seu muneribus à stulto, seu alio interesse, vel affectu; vt tam magnum, & vti dicam tam crassum malum coram facie sua progrediatur, & tamen ipsum non videat, seu nolit videre.

Claudit oculos Princeps, vt aperiat loculos, nempe ad recipiendam pecuniam. vel si inducitur ad promouendum stultum ab assentationibus eius, dic, nil magis propriè oculos claudere, quàm palpebras, quę iuxta vocis similitudinem, & ab earum mollitie, quâ oculos leniter palpando operiunt, videntur dici à palpando palpare autem idem est ac adulari. & palpo idem est ac blāditor, & adulator. Palpones igitur mihi videntur palpebræ hominum, & præsertim Principum, ideoque oculos eorū leniter quasi molli manu operiunt, ne videant veritatem. ideoque stultus hic à facie Principis hac adulatione potuisse sursum ascendere credi potest. Adde oculos passim apud allegoriarum scriptores symbolum esse Principum ob prouidentiam, quâ cuncta debent prospicere, ideoque in capite, hoc est in supremo loco Reipublicæ collocati sunt. ideo cum delicati sint, qualibet festucâ offensionis irritantur, & placidissimè tractari volunt. Quidam palpebras à palpitando dici coniectant. sed cum verò palpitando oculos semper palpent; saltem ab effectu, oculorum palpones dici possunt, vt palpones Regum.

Prælatus lucerna est corporis politici, & consequenter

oculus. quia lucerna corporis tui est oculus tuus.

Cum verò isti palpones palpebræ sint huiusmodi oculorum, quid mirum est, si oculi ament palpebras suas? quid mirum, si illæ palpando, & operiendo dormire faciant, dormire inquam peccatis ipsorum adulatorum? Oculi isti, hoc est Principes mollissimum quasi super se volunt operimentum. sic enim diues ille, exteriùs purpurâ, intrinsecus bysso induebatur, quasi oculus palpebrâ. quia byssus, vt Beda, & alij, erat mollissima & tenuissima tela. qui ergo induitur purpurâ, hoc est qui est Princeps, byssum adhærentem carnibus tenet, quia adulationes, & adulatores significat. vnde apud Auctores graues *verba byssina* dicuntur verba mollia, & assentatoria. sic homines byssini adulatores, vel blādi metaphoricè nuncupantur. sicut ergo oculi cum palpebris magnâ amicitia adhærent, & purpurati cum bysso; ita ijdem purpurati, seu Principes secum habere solent amicitiâ coniunctissimos sibi assentatores, & blandos familiares. quid mirum ergo si hos licet stultos honoribus augeant?

Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, tanquam Princeps, seu Regulus. Igitur

apud Principem byssus operitur purpura, & cum illo est quotidie in splendida mensa eius, & in ceteris eius delitijs, hoc est palpo principis, per byssum mollissimè palpantem, seu tangentem intima Principis, significatus. Protegitur à purpura, hoc est à Regibus per eam designatis, & velut parasiti solent, interest conuiuijs, & delitijs eorum. protegitur inquam, & fouetur ab eis auxilio, & fauore. Vel dic, quod byssus superinduitur purpura, hoc est adulator fit ab eis Princeps, vel in Magistratu collocatur. & ita videmus stultum positum in dignitate sublimi.

2. *Indigni exaltati recalcitrant in exaltatorem.*
3. *Demandantes curam animarum, & sacra tradentes indignis, quantum peccent.*
4. *Prædicti, vt & qui cogunt filios ad vitam religiosam, quomodo ob id etiam hic puniantur.*

2. MAlum *quasi per errorem egrediens à facie Principis.* Iam dicebamus ineptos, & indignos magistratibus sæpè vel promissis obsequijs oretenus, vel ipsa externa conuersatione, & simulatione decipere Principes ad effectum obtinêdi ab eis honores. quibus obtentis, solutionem debiti non manibus, vt homines, sed pedibus vt equi, faciunt, nimirum in eos recalcitrando, à quibus fuerant regijs phaleris exornati. Cum enim sæpè etiam natiuitate, nedum inurbanitate, & ingratitudine sint rustici, & vt vulgo dicimus, *villain;* implent adagiū nostrum: (a) *Quando il villain è sopra il fico, non conosce parente, nè amico.*

(a) Cum rusticus conscendit ficū, nō agnoscit parentem neque amicum.

Homines non solū nummos mutuant ad vsuram, sed etiam honores, & fumum. tribuunt enim dignitates mundanas, vt inde pensionem obsequij perpetui, & aliorum onerum exigant, pensionem inquam sæpè maiorem beneficio. pensioné etiam, qua debeat beneficiatus ab eis semper pendere quasi de furca semiuiuus in agonia perpetua. de accipientibus mutuum dicitur Ecclesiastici 29. *Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam.* Aperiunt valde os ad promittendum, vt tu aperias valde manum ad dandum. Si hoc mihi concedis officium; meum quidē erit officium, tuum verò beneficiū. meū onus; tuus honor. Quæro quidem à te Ducatum, sed à te volo duci tanquam cæcus. quæro cathedram honoris, sed tu in ea sedebis. At quid subditur? Et *in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædij, & murmurationum, & tempus causabitur. si autem potuerit reddere aduersabitur. solidi vix dimidium reddet, & computabit illud quasi inuentionem: sin autem, fraudabit illum pecunia sua, & possidebit illum inimicum gratis. & conuitia, & maledicta reddet illi, & pro honore, & beneficio reddet illi contumeliam.* explicationem, & practicam super hæc. Vide supra in tractatu de debitis. Hic tamen dicā solummodo similia euenire. cum qui contulit honoris mutuum, exigit pensionem obsequij, vel promissorum. Post osculationē manus dātis, deinde mordet murmurando os exigentis. Post osculum

Ecclesiast. 29.

osculũ pacis venit ad morsum prælij, pro accepto Ducatu honoris, neque reddit quadrantem gratitudinis. pro cathedra honoris, mittit datorem ad furcam vituperij.

Lo manda se le forche.

Stultum positum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. hoc autē dicitur factum à Principe *quasi per errorem.* Vide quam noxius error: baculum hoc est sceptrum, immo gladium immittere in manum stulti. quid mirum ergo si is datorem gladij primum feriat, vt dicebamus. Si qui dat insipienti honorē, est, *vt qui mittit lapidem in aceruum Mercurij;* quid facis ô elector dum honorem das stulto, nisi lapidem ei præbere quo te ante alios percutiat? an nescis de insano dici, adeo insanit, vt lapides iaciat? Vel si stultus est lapis, vt supra dixi, & lapidem hunc exaltas, an nescis, quod *qui in altum mittit lapidem super caput eius cadet?* est Ecclesiastici 27.

Ecclesiast. 27.

3. Non tantum id euenit in conferendis honoribus secularibus, sed etiam, & fortè magis in conferendis dignitatibus sacris, vt sunt sacerdotia, & potestas clauium ad curã animarum, munus prædicãdi, & si qua sunt huiusmodi: item admissio ad professionem Monasticam, &c. quæ omnia, cum aliquando ex errore culpabili, & ignorantiâ ab aliquo interesse, vel affectu ortâ, quæ impedit agnitionem meritorum in eligendis, conferantur indignis, cum spe supra memorata obsequij perpetui, vel alterius emolumenti ab eis obtinendi; non solum sæpe hoc lucrum non acquiritur ab eis, sed potius ingratitudo, & afflictiones maximæ. Matthæ. 7. *Nolite sanctum dare canibus, & nolite proijcere margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.*

Matth. 7.

Hic primo aduerte sceleris huius magnitudinem. is enim perinde facit ac si sancta, canibus, & porcis proijciat. immo de facto proijcit canibus, & suibus tanto deterioribus, quantò vitium deterius est, quàm natura. in hoc differunt, quòd illi canes, & sues facti sunt à Deo, isti à diabolo. Deteriores sunt qui ista canibus tradunt, hoc est indignis, deteriores inquam sunt ipsis hæreticis, & Turcis. quia hi fortasse aliquando res sacras, & venerandas Ecclesiæ proiecerunt canibus, & suibus; sed quæ profana ipsi crederent. at fideles ista proijciunt, quæ sancta esse non dubitant.

Subditur: *ne fortè conculcent eas, & conuersi dirumpant vos.* conculcant sæpe prædicti sacra hæc ministeria, vel res, ipsis scilicet abutendo, & indigne illa tractando: & conuersi in datores talium rerum (Deo id ad vindictam iuste permittente) detractionibus, simultatibus, calumnijs, persecutionibus contra illos ex qualibet leui occasione excitatis, illos dolore, & afflictione dirumpi faciunt, & aliquando adeo dirumpi, vt ex desperatione, & mœrore cogantur miseram exhalare animam. *Li fanno crepare di smania, e di rabbia.* contra te euadunt (per accepta ex te sancta) diaboli: tu fis ipsis per exhibita sacra execrandus.

 4. Qui

4. Qui cogit filios ad religionem, vel ad clericatum suscipiendum, vel filias ad virginitatem, aut viduitatem seruandam, nonne proijcit margaritas ante porcos, & dat Sanctum canibus, nempe immundis, & peccatoribus talia nolentibus? immundis inquam si ob libidinem has margaritas respuant. Quid mirum ergo si eas conculcent, nō seruantes debitā statui suo continentiam? quid mirum si conuersi dirumpant vos, nimirum, lacerando famam vestram, maledicendo eos, qui tales margaritas proiecerunt ante se, cum potius optassent siliquas carnis? nonne in hora mortis, & post mortem si damnentur hac de causa dirumpent, maledicent qui se collocauit in eo statu? Sed diruptio deterior, est diruptio animæ ipsorum in puncto mortis per conscientiæ remorsum. imo etiam in omni vita, & in futuro per pœnam, quatenus ob eam causam ijdem margaritarum proiectores punientur.

2. *Iterum de culpæ magnitudine in indigno exaltando, & damno inde sequenti.*

2. MVsca erroris, & stultitiæ symbolum est. temerario enim impetu errabunda per aërem huc illuc fertur. vnde etiam adagium. *Stolidior muscā.* sic Ecclesiastes 10.1. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti: pretiosior est sapientiā, & gloriā, parua, & ad tempus stultitia.* Hoc est, (vt Vatabl. Isidor. Caiet. & alij habent) sicut exiguum animal nempe muscæ plus possunt ad corrumpendum vnguentum, in quo moriuntur, quàm possit vnguentum erga ipsas, nempe ad illas à corruptione seruandas & condiendas: ita pretiosior est, nimirum plus valet, & maioris momenti est apud populum parua stultitia, paruus error, & breuis, ad maculandum hominem; quàm sapientia, & gloria ab eo acquisita ad eum illustrādum, & præseruandum à vituperio. per vnguentum enim gloria, & fama bona significatur hic, vt Pineda ait, iuxta illud Ecclesiastis 7. *Melius est bonum nomen, quàm vnguenta pretiosa.* Pagninus legit hanc secundam partem sic: *Sic hominem pretiosum sapientiā, & gloriā, stultitia parua.* subaudi commaculat. simili modo legit Tigurina. Vide ergo corruptum mundi iudicium, & vanitatem eorum, qui tantum laborant, vt illi placeant, & apud eū in honore sint. si enim vel aliquam muscam leuis errati post tot patratas virtutes admittant; vnguentum gloriæ eorum apud populum statim fœtet. dixi muscā in singulari. nam Veneta versio apud Pinedam sic habet. *Musca moritura facit fœtere, & exhalare vnguentum pigmentarij, sic qui pretiosus est propter sapientiam, & gloriam, fœtet propter stultitiam paruam.*

Cum ergo, vt dixi musca stultitiæ, & erroris sit Symbolum: ideo apud nos, errorem quempiam committens dicitur muscam, seu muscā magnam capere. *Prender vna mosca, ò vn moscone. come dicesi pigliar errore.* Decipi, & deludi apud nos est; *Restar con le man piene di mosche.* Igitur, cum malum hoc nimirum stultus

Ecclesiast. 10. 1.

Ecclesiast.

(a) Remanere manibus muſcarū plenis.

tus poſitus in ſublimi, & diuites ſedentes deorſum, ſic egrediens à facie Principis quaſi per errorem, ſeu vt alij legunt, ex ignorantia: (nam illud, quaſi, in Scriptura aliquando non excludit proprietatem, vt Quaſi vnigeniti à Patre. vnde Pineda hic in Eccleſiaſtem ait, poſſe intelligi prædicto modo; vel etiam, vt dicat tantum ſimilitudinem erroris. vtroque enim modo ponitur in Scriptura.) Princeps inquam in hac re errans dicetur muſcam magnam capere; *prendere vn moſcone*, Vis ſcire, quàm magna ſit muſca hæc? dico, quod integra ciuitate, regno integro longè maior eſt. nam breui poteſt hæc muſca illud deuorare, ſeu deuaſtare. imo de facto plures exterminauit prouincias, & vrbes error iſte ponendi ſtultum in dignitate ſublimi.

Vis ſcire, quàm ingens hæc muſca ſit? *quanto grande ſia queſto moſcone?* Dico quod eſt Princeps muſcarum, ſiue Deus muſcarum, hoc eſt Beelzebub. nam ita accipitur hoc vocabulum. muſcis enim præſidebat olim Idolum hoc nomen habens, & vt ait Pineda hoc loco, figura huius Idoli erat muſca (vt puto) magna Sed ad rem noſtram, muſca hæc ingens eſt Beelzebub Princeps dæmoniorum. dæmonium enim magnum, imo Princeps dæmoniorum plurimorum, eſt error hic in Republica. plurimorum inquam, & grauiſſimorum malorum. ſignificaturi id, in quo malorum cardo conſiſtat, dicimus; Hic ſitus eſt, ſiue hic eſt diabolus. *Qui ſtà il diauolo. queſto è il diauolo.* Machab. 1. 38. *Et factum eſt hoc ad inſidias ſanctificationi, & in diabolum malum in Iſrael.* Idipſum poteſt dici de hac muſca magna. *Beelzebub* propriè, vt Pineda ait, ſignificat Deus muſca. Princeps eſt dæmoniorum. neque ſine ſuis agminibus quaſi crudeliſſimis muſcis procedit. nam & hanc muſcam magnam erroris tanquam Principem ſuum plurimæ muſcæ errorum aliorum, & malorum ſequuntur. quia, *Poſito vno inconuenienti plura ſequuntur.* Ergo hic error eſt potius horror. eſt legio integra dæmoniorum in Rep. *è il trentapaia di diauoli, contra la Republica.* Machab. 1. 38.

Fit muſca hæc in dæmonium malum in Iſrael. ſed malum ſequitur apud Grammaticos, peius, peſſimum. Malum principium, ſeu malus Princeps, peius medium, peſſimus finis. Dicitur quidem: Debile principium melior fortuna ſequatur, vel ſequetur. at ſi loquamur de hoc principio malo, nempe collocandi ſtulti in dignitate ſublimi, ſeu de hoc malo Principe creato; dicendum nobis eſt: Malum principiū peior fortuna ſequetur. vt enim in Grammatica, declinatio, incipiens à primo deſcendit declinando ſemper, vſque ad extremum caſum: ita & in vita hac cum declinatio ad malum incipiat à primo Reip. ſeu à principio rei malo, non ſiſtitur donec deſcendat vſque ad extremum caſum, hoc eſt ad vltimam, & maximam miſeriam, ſeu ad extremum infortunium.

Qui errat, & decipitur rem vnam pro alia ſumendo, dicitur apud

pud nostrates cancrum capere, *Pigliar vn grancio*. Elector igitur verè cancrum capit, qui per corpus Reipub. vniuersum serpet, & illam deuorabit. *Prendre vn canchero che lo mangiarà lui con tutto il Regno*. Si ergo illud: *Quasi per errorem egrediens à facie Principis*, sumatur vt dictum ad extenuationem erroris; dicendum est; quod sicut id, quod musca sibi videbatur, à nobis ostensum est esse Beelzebub cum plurimis dæmonijs, qui eum deportabunt ad Tartara, nempe electorem, & electum: ità & eadem musca, seu muscæ ab eo captæ perdent suauitatem vnguenti sui nimirum corrumpet, & fœtere facient vniuersam gloriam, & bonum nomen paratum: vel etiam vnguentum meritorum, & operum bonorum disperdet, iuxta illud Ecclesiastes 18. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet*. quæ dicta sint in casu quo error & ignorantia sint culpabiles, & peccatum mortale.

Ecclesiast. 18.

Cum verò muscæ symbolum sint stultitiæ, & erroris; etiam stultorum, & errantium sunt significatrices. Ita Olympiod. hic per muscas stultum intelligit, qualem dicit esse peccatorem. Ergo, dum Princeps in honorando stulto decipitur, illũ sapientem existimans; is dupliciter muscam capit. hoc est errando, & quærendo stultum, qui musca est, ad honorandum quasi sapiens esset, vtpote deceptus simulatione sapientiæ eiusdem stulti. adeo vt Princeps sumat muscam pro aquila. quia & ipse in hac parte musca fi. Adagium antiquum est: *Aquila non venatur*, seu *non capit muscas*. Si ergo Princeps aquila esset; hoc est oculatus in conferendis honoribus, non quæreret muscas ad honorandum. Aquila symbolum est imperij, seu Imperatoris: quòd inter aues imperet, vt ita loquar, & in excelsis volet, vnde & insigne est Imperatorum nostrorum. Princeps ergo se ex aquila muscam facit, dum muscas venatur, & eas collocat in sublime, ac si essent aquilæ: aquilas verò deorsum ponit ac si muscæ essent. *Stultum ponit in dignitate sublimi diuites facit sedere deorsum*. At sicut muscæ in vnguento morientes non accipiunt redolentiam ab vnguento, sed ei suum fœtorem præstant: ita stulti, seu indigni dignitatẽ non recipiunt odorem famæ ab vnguento honorum (potest enim honor magistratus: quia de se emmittit honestatem nominis, & gloriæ, per vnguentem denotari) non inquam stulti honorantur ab honore, sed honor dehonoratur ab eis.

Muscæ etiam significant parasitos alienis mensis inhærentes, & laboris, ac industriæ hostes. qui omnes veteri adagio dicuntur. *Musca*, Sic B. Franciscus vocitabat monachum pigrum. Princeps igitur, seu elector stultus huiusmodi muscas ad se attrahit & pasci, & honorat. ita se ipsum facit Principem muscarum. cũ ministri, & aulici sui muscæ sint. se inquam facit *Beelzebub*. qui (vt refert Pineda ex Maldonato & Pererio) dictus est *Deus muscarum*, quòd idolum eius sanguine victimarum aspersum per totum, muscas attraheret, ijsque plenum esset, & eas pasceret:

ceret. quæ omnia tyrannis purpuratis quasi sanguine victimarũ, hoc est pauperum subditorum cõgruunt. in quo sanguine consistit eorum Regia potentia, & quo pascunt plurimas muscas sibi adhærentes: nam *si multæ opes, multi, & qui comedunt eas.* Vide ad quam miseriam, & vtilitatem deuenit diues, seu potens, vt etiam deuoretur à muscis. Imo aliquando Princeps, qui paulò ante totũ deuicit exercitum, ab vna ex his muscis, quã ipse dementatus eius assentationibus adorat, (velut olim adorarũt Beelzebub, hoc est muscam, in qua illi erat) ab vna inquam musca non solum trahitur huc illuc quasi bubalus, sed tandem vsque ad Tartara ab ea deportatur. Inde colligas quàm leuis sit huiusmodi homo, quàm vacuus grauitate salis, hoc est prudentiæ, qui à leui bestiola sic trahatur.

Dicitur deuorari homo cuius opes vorantur.

Stultus per errorem Principis, seu electoris tollitur in sublime. quia ipse, vel fautores eius, cum ille musca sit, vendunt eũ pro lucerna, hoc est pro optimo prælato. Quomodo? nonne musca est illa, quæ noctiluca appellatur? lucet illa in nocte, at veniente die apparet musca. Vulgò dicitur: (a) *Non è tutto oro quel, che luce.* non quælibet noctiluca lucerna est. tamen in nocte ignorantiæ, & incuriæ electoris, quâ non examinat quẽ cogitat cõstituere in magistratu, vẽditur ei noctiluca, seu musca pro lucerna. & ille ponit noctilucam, seu muscam super candelabrũ: lucernas verò sub modio. hoc enim est *stultus in dignitate sublimi, & diuites sedentes deorsum.* Sed quia magistratus virum indicat, tunc quasi transacta nocte erroris, agnoscitur musca, quæ videbatur lucerna: Prouer. 30. 32. *Est qui stultus apparuit, postquam in sublime eleuatus est.* Adagium Italicum est de his qui aliquem valde decipiunt: (b) *Gli vendon lucciole per lanterne* hoc faciunt prædicti, stultum pro sapiente vendunt Principi.

(a) Non aurum est omne quod lucet.

Prouer. 30. 32.

(b) Ei noctilucas pro lucernis vendunt, vel obtrudunt.

2. *Discutiendum diligenter de eligendis, quia multi simulant se quod non sunt esse, vt exaltentur.*

2. QVASI *per errorem Principis* dicitur esse stultus collocatus in dignitate sublimi. quia sæpè Princeps, siue alius elector non ritè examinat vitam, & conditiones eligendi, præsertim iudicis futuri in Rep. sed dico. Vbi non examinatur vnus, exanimantur omnes. nã omni libratione librãda est libra per quã omnia sunt libranda. talis enim est qui in summo tribunali collocatur. Ait Seneca de amico comparando: *omnia cũ amico delibera, sed prius de ipso.* Multò magis dicendũ est: omnia per iudicẽ delibera; sed prius de ipso. Præstat cũ iudicaueris exaltare, quã cũ exaltaueris iudicare. Magistratus virũ indicat. sed apud sapiẽtes non honor, sed honorans virum indicat. honorãs dixi, hoc est honorem conferens detegit inquirendo qualis sit vir, antequam eũ honoret.

Malum quasi per errorem egrediens à facie Principis. Simulatores ambitiosi dignos se ostendunt, donec obtineãt dignitatem; honestos, donec obtineant honorem; erubescentes modestiâ, donec rubescant purpurâ oues se ostendunt (scilicet mansuetudine, & bo-

& bonitate) ne sint oues, sed sint pastores, vel potius lupi semetipsos pascētes. Princeps ergo auferat laruam ab his lupis, qui veniunt ad eū in vestimentis ouium. veniant laruati, vt agant Bacchanalia in oues, seu de ouibus sibi commissis. laruæ enim Bacchanaliū propriæ. Si enim lupi agent Bacchanalia, pastores agent Quadragesimam, hoc est soluent pænas de hac incursa. Pastores dixi, hoc est Principes primi.

Detrahe tu laruam à simulatis lupis, antequam ipsi detrahant eā sibi facti pastores. detrahe antequam intrent, ne ipsi sibi detrahant cum intrarint, scilicet in ouile per fenestrā. aufer ab eis pellē ouiū, ne auferant illi pellē, hoc est vitā, ab ouibus. Ne recipias indiscussâ re, & quasi in tenebris aliquē ad magistratū. tibi enim vendēt cattū in sacco pro aquila, hoc est stultū pro sapiente. cattus enim stulti symbolum est. vnde dicitur: (a) *Ha tanto ceruello come vn gatto.* ita ergo in sacco venditur stultus tibi. cū autē erutus fuerit in lucē honoris de tenebris, & humili statu, quasi de sacci fundo & cauerna, tūc apparet cattus, qui credebatur, seu vendebatur tibi pro aquila. *Stultus apparuit postquam in sublime eleuatus est.*

(a) Non plus habet cerebri quam felis siue cattus.

Per errorē, vel (vt alij legunt apud Pinedā hic) quasi ignorantiā Principis stultus collocatus in dignitate sublimi, & sapientes deorsū iactati, maximorū ingruentiū malorum, & ruinæ Reip. sunt signum. Princeps enim per Solē figuratur, vt qui rex sit syderū, & omnia inferiora in suo genere moderetur corpora. Lunam verò stultum significare scimus; quòd Eccles. *Stultus sicut Luna mutatur.* Sicut ergo cū Sol obscurabitur, siue vertetur in tenebras, quasi ignorantiæ obscuritatem patiendo; tunc Luna mutabitur in sanguinē, & stellæ cadent de cælo: (quæ omnia indicia sunt maximorū malorum, & ruinæ vniuersi:) eodē modo, quando Princeps quasi Sol vertitur in tenebras ignorantiæ, nō agnoscendo quē assumat ad dignitatem; tunc Luna vertitur in sanguinē, hoc est stultus tegitur purpurâ, quæ per sanguinē pauperū ab ipso acquisito quasi pretio aliquo comparatur, & tunc *stellæ*, nempe sapientes, *cadunt de cælo*, hoc est de sublimi statu coguntur descendere, & sedere deorsum. hæc autē signum sunt ruinæ regnorum, & vltimi exterminij. signum quod dies extrema; dies iudicij Dei super illa proximus sit.

In signum ruinæ mundi, & malorū prædictorum, *terræmotus magni erunt per loca*, præter alia horribilia. at terræmotus magnus sicut aliquādo alta in profundum deijcit, sic profunda sursū in sublime eleuat, vt ex historijs sæpè accidisse legimus. simile quippiā euenit in casu nostro. stulti enim apud quosdam vocati fuerunt domus fatuæ. in quo alluditur quibusdā cauitatibus, quasi specubus in fundamentis murorū vrbis ædificatis ad vsum defensionis ciuitatis, vulgò; *Case matte.* ita verò dicuntur quasi ad distinctionē domorum ceterarum, quasi sapientū. quia fortasse ita dicuntur fatuæ. quòd nō habitētur, cum fatuo dicamus; *Ille non habitatur. est domus vacua.* Ergo magnæ

calami-

calamitatis indicium terræmotus hic, cum domus fatua in sublime eijcitur, & domus sapientes inhabitatæque deorsum in locum domorum fatuarum descendunt.

Matth. 5. Sapientes sunt quasi sal. *Vos estis sal terræ.* Dum sal incorruptum manet, sal dico, hoc est prudentia, & sapientia, debetur ei locus sublimis, nempe caput pars sublimior in corpore. ita qui sũt sal in corpore Reip. in capite sint, hoc est sublimiori loco. ita de Apostolis dictum (erant enim sal) *constitues eos Principes super omnem terram.* ita Petrus primus inter illos cathedram ponit Romæ, quæ est caput mundi. At *cum sal infatuatum fuerit*, restat, *vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus* non sapientes, sed fatui debent sedere deorsum & sub pedibus calcari.

Nõ debent diuites, hoc est sapientes sedere deorsum, & stultus supra illos exurgere. Imo Zachæus diues, figura sapientis, sicut cũ esset fatuus deorsum iacebat infra alios, exiguitate sua emergere nõ valens, iacebat inquam infra sicomorum, nimirum ficũ fatuã, quæ vt puto, quia procera est, dicitur etiam alio nomine, *Celsa*, ita cùm cœpit sapere, *ascendit*, sub pedibus habuit ficum fatuam, quæ fatui more eleuata erat in sublime. vt indicetur per hoc, sapientem debere collocari super stultum.

Malum hoc *quasi per errorem egrediens à facie Principis*, si dicatur *quasi per errorem* ad extenuationẽ erroris, dico nõ solum errorem esse, sed errorem in Grammatica, nimirũ crassum. esse ignorantiam crassã. Cumque dixerim errorem Principis, seu ignorantiam esse Solis tenebras, seu ecclypsim, quæ res malos plurimos effectus gignit in mundo, vt aiunt Astrologi. ideo alludendo ad errorem in grammatica, & huius Solis, possumus illum vocare soloecismũ. Italicè diceremus: *E vna* (a) *scencordanza.* quomodo enim concordat dignitas sublimis cum stulto? quomodo diuites, cum *deorsum*?

(a) Discordantia, siue Vitiosa constructio.

Est quidam ludus vulgo dictus. *Il matto.* (b) Cum autem in hoc ligneo instrumento sint plura foramina, quasi sedes multæ: foramẽ medium, quasi Cathedra, & Thronus Regius, dicitur esse locus stulti, circa quem ceteræ sedes adstãtes quasi aulicorũ assidentium, stultoque subditorum videntur. Hæc res repræsentat Salomonis dictum: *Stultum positũ in dignitate sublimi*, qualis est locus medius; & *diuites sedere deorsum*, hoc est in loco minus principali.

(b) Stultus.

Quasi per errorem. alij apud Pinedam pro errore habent *ignorantiam*, alij, *inuoluntarium*. Inde agnosce stulti, seu peccatoris ambitiosi efficacissimã libidinẽ ascendendi. cũ enim nõ nisi à Principe, seu electore possit obtinere cupitum ministerium; in ipsis oculis Principis tot, & tanta callidè, & omni modo, & ratione operatur, vt ab ipso Principe quasi nesciente, & inuito extorqueat honoris cathedram. (a) *Il Prencipe vede colui hauer hauuto da se quel magistrato senza che s'accorga d'hauerglielo conceduto, lo vede asceso senza saper come.* Ideo dicitur hoc malum *egredi à facie Principis*, hoc est faciente Principe, sed tamen *quasi per errorem*, per ignorantiam, per inuoluntarium.

(a) Videt Princeps illum magistratu auctũ, cùm non meminerit id à se patratũ.

Stultum in dignitate sublimi, & (b) Malū diuites sedere deorsum. (b) *Vn male và in groppa dell' altro.* Hoc ipso quod stultus est sublimatus, oportet, vt sapiētes depressi sint. vt cum eleuatur in lancibus ea, quæ vacua est; oportet alteram plenā deprimi. Sed nota diei sedere, quasi quiescere deorsū. quia non subitò eleuantur: sed in statu humili absque honore diu illis est commorandum. (c) *Mentre il pazzo, & il cattiuo stà suso, bisogna che s'aquetino che non ne faran caccia.* oportet vt animo sedato & sedenti sint, hoc est quieto: desperent nempe aliquid honoris habere se posse. stultus enim, & indignus, & fortè etiā plebeius non nobiles, & sapientes exaltabit: sed potius sui similes, seruos animo, & fortasse etiam conditione.

(b) Malo malo vicinū est, error errori assidet.

(c) Dum stultus & malus in imo sunt, quiescāt oportet, aliàs non succedet venatio.

Quasi per errorem egrediens à facie Principis. Bonau. Liran. Caiet. Glossa, & alij hunc Principem Deum intelligunt. Vide ergo si Principes debent timere ne errent in electione personarum ad honores, cum ipsemet Deus (loquendo more humano) quasi errare videatur in constituendo Prælato populi; dum eum constituit, qui secundum præsentem iustitiam bonus erat, & communiter putabatur futurus optimus in regimine; cum tamen in eo pessimus postea deprehendatur. Quis Saüle melior, de quo dictum est, quod *non erat vir melior illo*? & tamen 1. Reg. 25. 11. ait Dominus Samueli: *Pœnitet me, quod constituerim Saül Regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.* Loquitur Deus hic more hominis: quasi sua eum opinio de Saüle fefellisset, quamuis probè nouerat, qualis futurus esset per omnia. Sed hac locutione indicare voluit, quod multi electi iam ad dignitates, adeo degenerant à priori virtute; vt, si fieri posset, etiam Deum, nedū homines fefellisse videantur. Idem dicendum proportionaliter: quod multi tot dolis & simulationibus vtuntur ad adipiscendos honores, vt si fieri posset, etiā Deū ipsum decipere videantur. Si ô Princeps, seu elector, in cæcitate tua, hoc est in ignorantia, cōferas Prælaturæ primogenita, & benedictionē, velut Isaac; tunc supponetur tibi vnus pro alio. Cū ad cathedram ambitiosi peruenerint, tunc fiunt proditores sui, & proditores tui: hoc est detegunt se ipsos, & rebellant à te malis operibus, præstando cōtraria facta promissis, ita vt dicere possis. Isa. 1. *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* alij legunt: *Rebellarunt contra me.* Hoc accidit cum tibi promittebas ex eorum virtute simulata optimos ministros Regni, vel ipsi promittebant tibi obsequia magna in regimine, cum deindè contraria omnino præstent.

1. Reg. 25. 11.

Alluditur cæcitati Isac non verò imprudētiæ, quæ in eo non fuit: etiam in ea re.

Isa. 1.

Malum quasi per errorem egrediens à facie Principis. Hiero. hic apud Pinedam sentit hunc Principem esse, & intelligi diabolū, à cuius facie stulti subleuentur, sapientes deprimantur. Sed quomodo id *per errorem*, seu *quasi per errorem* procedat, nō explicat. Dici potest hanc inordinationem collocandi stultum in dignitate, & deprimendi sapiētes, esse adeo prauam, & absurditate plenam; vt nec ipse diabolus videatur (si stemus iudicio vulgi) illā operari ex volun-

tate.

tate, sed quasi per errorem, seu ignorantiam, quâ stultum non plenè agnoscat, vnde & ipsum stultũ extollat. vel quod stultus suis simulationibus ipsũ videatur quasi decipere diabolũ modo supra explicato. Hoc verò rectè procedet, si sumamus diaboli Principatum eo modo quo erat ante Christi aduentũ, & quando Salomon hæc scribebat. nã *Princeps huius mundi* dictus est à Domino. (Ioan. 12.) & quia pro Deo colebatur, & aliquando in Oraculis cõsulebatur de Principe deligendo, vt etiam de ceteris rebus grauioribus; ipse autẽ vt opinionẽ apud homines sapientiæ, & Diuinitatis firmaret, aliquando curabat sapiẽtes viros extolli ad honores: si stultus nonnumquã inueniretur factus Princeps ipso dæmone consulente; id dæmonis errore aliquoties euenisse dicatur. quia ambitiosi versipelles simulato ingenio, & virtute, adeo excellebant, vt ipsũ quoque quasi fallerent diabolum, vt sapientes, seu bonos illos putaret. imo si illud *quasi* sumatur quatenus non excludit proprietatem erroris, (vt diximus accipi aliquando in Scriptura, & posse intelligi hic, vt ait Pineda hoc loco) etiam puto dici posse aliquos ambitiosos ipsum absolutè decepisse diabolum. nõ enim omnia videt, & considerat, saltem Deo id permittente, dum ad vindictam subditorum *facit regnare hominem hypocritam.* (Iob. 34.)

Cum verò sensus communior, & litteralis apud recentiores per Principem hunc intelligat hominem; vt sciatur quantum mali operetur, vel tenuis error Principis, dicam quod retulerunt quidam, nimirum quempiam in tabula mundum effinxisse peruerso ordine rerum, ita vt ibi spectaretur fatuus quidam in supremo tribunali, sapientes autẽ, & nobiles sub scabello pedũ eius sedentes. itẽ serui in equis, & Principes ambulantes pedibus quasi serui seruorum, & alia huiusmodi. hancque picturã nuncupauit hoc titulo: (a) *Mondo alla riuersa.* Modo dico ego: Vide quantum mali agat non solum error, sed *quasi error*, & vmbra erroris in Principe existens. mundum enim totum peruertit, seu subuertit: *Pone il mondo alla riuersa.* nam præter stultum positum in dignitate sublimi, & diuites sedentes deorsũ; sequitur ex hoc ipso errore; *Vidi seruos in equis, & Principes quasi seruos ambulantes super terram.* (Ecclesiast. 10.7.) Hæc verò dixerat *quasi per errorem* egredi à facie Principis. Quid ergo facient errores, quid scelera Principis, si vmbra erroris hæc operatur?

(a) Mundus inuersus.

Facit pro prædictis ne per errorem stultus ponatur in loco sublimi, quod quidam ex Venetis patriò sermone locutus est circa hoc. Veneti enim vocant proram cymbæ *la proua*: ait ergo: (b) *non s'ha à por alcuno in poppa; se non è stato prima in proua.* duplici sensu id voluit intelligi hoc est non esse præponendum regimini nisi antea probatum, & cognitũ, & non esse imponendum gubernaculo; hoc est regimini maiori, nisi cognitus fuerit in prora vel remo, remo, hoc est in minori.

(b) Non debet constitui nauis gubernator, qui primò non fuerit proreta.

Acutè quidam de electione cuiusdam in Episcopum non ex errore facta, sed ex meritis electi, ad

 ipsum

ipsum sic scripsit:

Sede vacante alij veniunt de more petitum.
Artis, & ingenij præmia sacra sui.
Te Rex ipse vocat, vocat Archiepiscopus, ipsa.
Te vocat vrbs: huc tu Sede vocante venis.

Breuiter. hoc differt inter perfectos & imperfectos, quod ille veniunt ad cathedram sede vocante, hi verò tantùm sede vacante.

MVNDVS, MVliebris, cultusque corporis.

1. *Impensæ magnæ in hac parte in nobilibus mulieribus.*
2. *Virorum in cultu barbæ quanta vanitas.*
3. *Item in denigranda canitie.*
4. *Quàm turpia remedia ad faciei culturam adhibeantur.*
5. *Iracundia sanitati nocet.*

Tursellin. lib. 2. vitæ Xauerij, cap. 2. 1.  Vrsellinus li. 2. vitæ Xauerij, c. 2. scribit pensionem quadringentorum aureorum attributum reginæ à Rege Lusitaniæ, soccorum, & crepidarum nomine. & Muretus lib. 15. variar. lect. cap. 10. ait Lutetiæ Parisiorum vectigal quoddam ex vino appellari *reginæ cingulum*. Colligitur etiam ex Platone in Alcibiade, & ex Cicer. Verrina quintâ, Reges Persarum morem habuisse, attribuendi ciuitates quasdam vxoribus, hoc modo: Hæc ciuitas pro redimiculis, hæc in collum ornandum, hæc in crines sit attributa: vide ergo qualis sit luxus mulierum. & adde etiam nostras mulieres domos magnas, & possessiones vel oppida ferre in varijs eorum ornatibus, hoc est pretia immensa quibus tales res emi possent. & Herodotus lib. 2. ait, subacta Ægypto Anthillam vrbem dari solitam à Regibus Persarum (qui eam subegerant) vxori in calceamenta & Xenophon ait, Parisati reginæ plures pagos donatos in cingulum. *Herod l. 2.*

Muretus lib. 15. variar. lect. cap. 10.

2. Alex. ad Alex. 1. genialium dier. cap. 6. ait. Longobardos (sic dictos, vt multi volunt, à longitudine barbæ) pro maximo amicitiæ vinculo duxisse, deponere barbam apud aliquem. inde collige tales barbatos barbam suam pro magno thesauro habere, quod eâ se priuare apud amicū, eamque illi tradere quasi vitam illi propriam impertire putarunt. nam maiorem charitatem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis. hoc conuenit nutrientibus barbam & de ea gloriantibus, qualesLongobardos multos fuisse credi potest. *Alex. ab Alex. genialium dier. ca. 6.*

3. Vide ad quas vanitates perueniãt huiusmodi personæ suam senectam volentes contegere. cum enim difficile sit supercilia denigrare magis quam reliquos pilos capitis (vnde denigratis reliquis quidam quantũ memini) adhuc á superciliјs albis arguuntur ementitæ iuuentutis; idcirco Aetius medicus antiquus & celebris, remedium ad supercilia denigranda scribit esse oua formi-

carum,

carum, & muscas tritas. sed dic remedium, vt ita dicam, ad iuuentutem recuperandam esse, si oua formicarum, hoc est occasiones & causæ laborum, & sollicitudinum extinguantur, itemque muscæ necentur & conterantur, hoc est curæ, & molestiæ, quarum ipsæ muscæ sunt symbolum. vt formicæ laborum & sollicitudinum vitæ. & in eo remedio oua formicarum impediuntur à producendis formicis, & muscæ necantur. nam Ecclesiastici 30. *Ante tempus senectam adducet cogitatus.*

Eccl.30.

Plin.l.30. c.13. & l.29.c.6.

4. Plinius etiam lib. 30. cap. 13. docet muscas illini cum quadam radice ad vitiligines arcendas, & lib. 29. cap. 6. ad capillorum profluuium ex morbo nuncupato Alopecie. vitiligo est maculatio coloris in cute, seu cutis maculæ. Vt ergo pulchræ appareant mulieres, vnam turpitudinem maiori turpitudine quærunt arcere, hoc est muscis immundissimis pellere cutis maculas: & ad auertendam faciei, vel comarum iniuriam, homines etiam cum muscis bellum gerunt. Italicè dicimus (*a*) *se la piglian fin con le mosche. Non è sicura dell' ambition di farsi bella, ò bello ne anche vna mosca.* ad omnia recurrunt homines ob cultum faciei: etiam ad ipsas muscas.

(*a*) Etiam cũ muscis rixãtur: nihil ab insidiis illorum tutum est, quo formosi euadant.

5. Muscæ. etiam irarum symbolum sunt, ob bilem in nobis excitatam suis crebris insultibus, & aliquando morsibus. dicimus, (*b*) *gli è venuta la mosca.* hoc est, excitata est in eo iracundia. Si vis ergo non fieri caluus, hoc est, si vis tardè senescere, si vis colorem bonum habere in facie, quod fit per sanitatem bonam; occide muscas, iras scilicet, nam, *Si vis incolumẽ, si vis te reddere sanum, curas tolle graues, irasci crede profanum.* in Scriptura dicitur *Zelus, & iracundia minuunt dies* quid magis ridiculum & indignũ, quàm hominem precipuè nobilem, & fortem viribus, à musca necari? vel trahi extra mundum? & tamen ita fit, dum huiusmodi homo ab iracundia necatur spiritaliter, & etiam aliquando corporaliter. nam *zelus & iracundia minuunt dies.* & aliqui ex ira nimia velut Scillâ in morbum, vnde perierunt, inciderunt. mori autem ob aliquam rem, est trahi extra mundum ab ea.

(*b*) Corripuit eum musca.

2. *Virgo faciem luto operuit, ne ab amatore concupisceretur.*

2. PAVSANIAS narrat Alphæum Spartanum amasse vnam ex virginibus Vestalibus, & cum illa cum alijs virginibus à longè eum sibi obuiam venientem vidisset; antequam agnosceretur luto sibi faciem contexit; quod & ceteræ fecerunt, ne ille eam posset intueri, & agnoscere. Nostræ sæpè contrarium faciunt. se enim pingunt in facie, atque per hoc occasio sunt, vt magis concupiscantur.

2. *Descriptio artificij muliebris in ostentatione sui, vt pulchra appareat.*

3. *Luxus hodiernus mulierum ingens respectu præterui temporis.*

2. Hiero-

2. Hieronymus in epistola ad matrem & filiam in Gallijs, ait: *Nitens cutis sordidum ostendit animum. vestis ipsa tacentis animi indicium est, si rugam non habeat, si per terram, vt altior videaris, trahatur; si de industria dissuta sit tunica, vt aliquid intus appareat; operiatque quod fœdum est, aperiat quod formosū. caliga quoque ambulantis nigella, ac nitens stridore ad se iuuenes vocat. papillæ fasciolis comprimuntur, & crispanti cingulo angustius pectus arctatur. capilli vel in frontem, vel in aures defluunt. palliolum interdum cadit vt candidos nudet humeros: & quasi videri noluerit, celare festinat quod volens detexerat: & quando in publico quasi per verecundiam operit faciem, lupanarium arte id solum ostendit, quod ostensum magis placere potest.*

Seneca 1. natural. quæst. 17. 3. Seneca 1. naturali. quæst. 17. cum dixisset primos mortales pro speculis fontes habuisse, vel alia huiusmodi naturaliter effigiem reddentia, addit: *Posteà iam rerum potiente luxuria, specula totis paria auro, argentoque cælata sunt, denique gemmis adornata, & pluris vnum ex his feminæ constitit, quàm antiquorum dos fuit, illa, quæ publicè dabatur Imperatorum pauperum liberis.* & paulò post subdit: *Iam Libertinorum virgunculis in vnum speculum non sufficit illa dos, quam dedit Populus Romanus filiæ Scipionis.* Addit deinde ibidem quod crescēte luxu adeo sorduerat mulieribus sui temporis quidquid priscæ mulieres ad sui cultum adhibebant; vt omnis mundus muliebris antiquorum, iam sarcinæ viles virorum, imo etiam militum factus esset, Quæ etiam de nostris feminis bona ex parte dici possunt respectu modestiæ matrum nostrarum in hac parte.

2. *Vanitas in comæ cultura, ex Seneca.*

2. Seneca de breuitate vitæ 12. Quid illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur si quid proxima nocte succreuit, dum de singulis capillis in cōsilium itur, dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens hinc, atque illinc in frontem compellitur. Quomodo irascuntur, si tonsor paulò negligentior fuit tanquam vitam tonderet. quomodo exardescunt, si quid ex iuba sua decisum est? si quid extra ordinem iacuit; nisi omnia sua in annulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit Remp. turbari, quā comā? qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quā de salute? qui non comptior esse malit quàm honestior? Hos tu otiosos vocas inter pectinem, speculumque occupatos? *Sen. de breu vi. 12.*

3. *Amatores fucum mulieris, quem solum vident, amant, & caro emunt.*

3. CVm species vultus mulieres sæpè sit fucus emptus paucis nummis: & cum tantummodò oculi videant, quia in superficie est: & consequenter illi capti illum ament: cùm ad consequendam adamatam summam magnam aliquando prodigant, sequitur eos emere plurimis aureis quod emptum est

paucis quadrantibus. imò non emere, sed ad breue mutuò accipere: & mulieres, sicut sunt doli, ita & fuci huius esse negotiatrices magnas, cùm tam exiguo pretio emptum tanti vendant. imò aliqua mulier hac emptitia pulchritudine non tantum opes vniuersas multorum absumpsit, sed passim corda, & animas ipsas, cœlumque totum Beatitudinis extorquet ab eis. tradunt miseri substantiam, famam, animam, aliquando etiam vitam pro valore vnius oboli.

4. Ornatus probæ mulieris qualis ex Nazianzeno, & Tertulliano.

4. NAZIANZENVS oratione de laudibus Gorgoniæ sororis suæ: *Vnus illi rubor placebat, quem gignit pudor. vnus candor, quem parit abstinentia. nam picturas, & oculorum fucos illis relinquebat, quibus pudori, & probro est erubescere.* dic tu, quæ vnam erubescunt erubescentiam.

Tertul. c. 13. de cul. fem. Tertullianus cap. 13. de cultu feminarum. *Pedes domi figite, & plus quam in auro placebunt. vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ.*

2. Differentia inter Dei cultores, vanosque circa cultum corporis homines.

Hier. cont. Iou. libr. 2. 2. HIER. contra Iouin. libr. 2. quem sic alloquitur, *Quoscumque formosos, quoscumque calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt; imò inter tuos sues grunniunt. de nostro grege tristes, pallidi, sordidati, & quasi peregrini huius sæculi, licet sermone taceant, habitu loquuntur, & gestu.*

3. Differentia in eadem re inter modestas, ac vanas feminas.

3. CLEMEN. Alexand. libr. 3 Pædagogiæ, cap. 11. ait, *Mulieribus sufficit tenui aliqua fibula crinem adnectere frugaliter. meretricij enim pilorum plexus, & catenarum nexus, cum eas deformes reddunt, tum etiam pilos discerpunt, artificiosis insertis vinculis euellentes. quo fit, vt ne sua quidem tangant capita, ne capillos confundant. quin etiam non sine metu eas inuadit somnus, dum timent, ne texturæ figuram imprudentes spolient.* quod Clemens dicit fecisse meretrices audio nũc facere matronas: præsertim quod supinæ dormiunt, ne structura comæ perturbetur. plura gerunt in capite vincula, vt ostendant illud fatuum esse, (a) *matto da legare.* quod meretricium est, nostræ mulieres iamdiu habere cæperunt in coma, vtinam non iã descenderit in caput. capilli in Scriptura à Patribus, vt est in Sylua Allegoriarum, cogitationum symbolum sunt, quòd tenues, & à cerebro, seu capite ascendant, sicut illæ. ostendunt ergo capilli meretricio ornatu implicati, cogitationes meretricias saltem vanitatis, licet in aliquibus etiã deteriores. sed iam adeo increuit cultus huiusmodi, vt non fas sit ex eo sinistrè iudicare de muliere sic ornata.

Clemen. Alex. l. 3. Pedag. c. 11.

(a) Stultus vinculis cõprimendus.

Auctor Collectaneorum in Clementem pag. 792. in hunc locũ scribẽs, obseruat capillorum nexus, siue capillos colligatos, fasciculos significare iuxta sermonem Græcum: & addit,

dit, *non solum feminæ, sed etiam viri comam & barbam distinguebant, vt in capitibus Iouis tam in numismatibus, quã in marmoribus videre est.* inde colligo & ex his, quæ Clemens modo dixit, meretricium exemplum non solum inuasisse mulieres, sed etiam viros, & vt ita dicam etiam ipsos Deos, hoc est eos, qui tales putabantur, vt apparet in figuris Iouis.

Tertull. l. aduers. Gent. c. 6. Tertull. libro aduersus Gentiles, c. 6. *Aurum nulla femina norat præter vnico digito.* nempe annulo. tunc digitum tantum in aurum ingesserant, at modo & plures digitos, & manus, & brachia, & totum corpus in aurum ingesserunt adeo in rebus incepisse refert. (a) *Hauean quelle vn dito solo di vanita, hora ne han molte braccia.* Vel si fingas vanitatem habere corpus, sicut Paulus vocat *corpus peccati*; dic olim vanitatis digitum feminas habuisse, modo autem habere totum corpus.

(a) Illæ vnũ habebant digitum vanitatis, hæ verò plures vlnas.

Iactant illud mulieres, (b) *Grand' e grossa mi faccia Dio, che bianca, e rossa mi farò io.* sed plus videntur facere, quàm dicãt. nam calceorum ligneorum altitudine, & vestium artificiosa inflatione, se & magnas, & latitudine ampli corporis habitores reddunt. quod videre est apud feminas nostras.

(b) Grandem & pinguem me faciat Deus: candidam & rubentem me faciã ipsa.

2. *Qualis ornatus probam doceat mulierem, item & virum, præsertim Principem.*

3. *Lasciua, seu vana mulier est duplex compendium vanitatis mundi.*

2. MVNDVS, quo se mulier proba ornare debet, est huiusmodi: Corpus exornet castitate, pectus honestate: genas rubore, oculos modestia, supercilia humilitate: vultum pietate, comam contemptu superflui cultus, manus operatione, labia affabilitate, linguam silentio ac oratione, aures Dei verbi auditu, & obedientia.

Habeat religionem in anima, prudentiam in animo, experientiam in memoria, sapientiam in intellectu, rectam intentionem in voluntate: magnanimitatem in pectore, fortitudinem in corde, gratiam in lingua, veritatem in ore, laborem in brachijs, liberalitatem in manibus: prudentiam in omni cogitatione, iustitiam in omni verbo, innocentiam in omni actu, temperantiam in omni sensu.

Hæc autem aliquo pacto aptari possunt etiam viris, præsertim quæ secundo loco diximus, viris inquam nobilibus, & magnatibus. quibus adde quæ sequuntur: Sit vir fecundus in rebus, facundus in verbis, verax in loquendo, efficax in persuadendo, acutus in ratiocinando, argutus in respondendo: Primus in laudando, remotus à vituperando: promptus ad gratificandum, lentus in castigando, lætus in absoluendo, mæstus in condemnando: maturus in deliberãdo, sollicitus in disponendo: pede plumbeo in decernẽdo, pede Mercurij in exequendo: dulcis præcipiendo alijs, acer sibi imperando: in opinione aliorum sublimis, in sua humilis: magnus potentia, paruus licentia: liberalis auri, auarus honestatis: apud bonos in amore, apud malos in timore; amicus virtutis, hostis vitij: humil-

humillimus seruus Christi, altissimus dominus sui ipsius. Quæ ornamenta meliora sunt potentum, quam indui purpura & bysso, quod illi solent.

Aiunt Poëtæ rosas olim albas fuisse, sed Veneris sanguine è vulnere eius manante rubeas esse effectas. Rosæ candidæ innocentia & castitate, sunt mulieres puræ, quæ non ornant genas suas rubore fucato, sed potius pudore, & modesta verecundia, quà detestantur omnem immunditiam, & erubescunt lasciuiam. hunc autem ruborem contrahunt ex sanguine Veneris, hoc est ex punitione considerata, quasi ex effuso cruore Venerei vitij, nimirum in hoc mundo; sed multò magis in alio. Facies suas, & manus suas lauāt in sanguine peccatricis, vt ille. *in sanguine peccatoris manus lauat.* peccatrix enim meretricē significat, qualis fuit Venus. Hoc itaque rubore ornatæ pulchriores sunt hæ rosæ, & suauiùs redolent odore honestatis, & fama puritatis, quā absque illo, vel cum alio fucatæ tincturæ. sicut de facto accidit rosis naturalibus, quæ pulchriores, & suauiùs oleates sunt, si rubeę sint, quā si albę.

Nota à Latinis Venerem pro re venerea sumi, vt hic accipitur.

Rosas olim albas ex sanguine Veneris per spinas fugientis rubeas effectas esse aiunt fabulatores antiqui. Cum verò vani amatores mulierum *rosas* vocare soleant genas earum rubētes; dici potest de ijs, quæ se minio tingunt, vt amentur impudicè; ruborem rosarum suarum nō esse ex sanguine natiuo, & pudore, vt accidit in honestis mulieribus, sed potius ex sāguine, & colore Venereo eas rosas sic tingente. nam rubor natiuus enasci solet à sanguine, & erubescentia modestiæ mulieris, quæ illuc sanguinē euocat. ac fucatus rubor in lasciuum finem adscitus dici potest esse sanguis, & color Venereus. Vnde de simili ornatu, & fucis ad malum cōparatis, Prou. 7. 10. *Occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas.* Sed attende ô miser, qui rosas appellas, seu roseas carnes mulieris, in ijs rosis simul esse spinas, quibus te, & alios attrahat. *præparata enim est* impudica *ad capiēdas animas.* Spinæ ibi sunt, à quibus vulneraberis, & *sāguis sanguinem tetigit* dici poterit in hoc casu. Sanguis tuus Venereus non pudicus sanguini Venereo iungetur. *Prou. 7. 10.*

3. Mulier lasciua, & cultui corporis nimis dedita, est compendium vanitatis mundi, idq; duplex: primò quatenus homo, quia *vniuersa vanitas omnis homo viuens.* deinde quatenus mulier, sumpto vanitatis nomine in sensu etiam deteriore, quàm sumatur primo loco. Nā Ioan. 1. c. 2. 16 *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* huiusmodi autem femina *concupiscentiam* habet *carnis*, vt patet, quia impudica: *oculorum*; quia vt Lorinus hoc loco ait, hæc concupiscētia significat curiositatem videndi, & lustrandi res, quod proprium est vitium leuium feminarum, vt patet exemplo Dinæ in Genesi. quamuis illa vt honestior, egressa est, *vt videret mulieres regionis illius:* at lasciua, vt videat potius viros egredi solet, vt videat, & videatur, concupiscat, & concupiscatur. tertium, quod habet, est *superbia vitæ.* Gręcè apud Lorinum hic est *ostentatio*, & vt ipse ait, *Ioan. 1. c. 2. 16.*

Proprium epitethum pauonis. Italicè, *pauonegiamento.* hoc tertium est in ea muliere per ornatum vanitatis, & mundum muliebrem. Igitur in illa est concupiscentia oculorum etiam hoc secundo modo quatenus, velut Pauo mediante specie ornatus sui captat, & trahit oculos in se, amatque conspici ab omnibus. Dæmon igitur hanc trinitatem contra Trinitatem armauit, trinitatem diaboli contra Trinitatem Dei. Hoc Triumuiratu, vt olim apud Romanos, mundum subijcere parat. Triumuiratus mũdi sed virilis, erat ille: at iste est triumuiratus mundi muliebris, mundi, imò dixerim etiam immundi, eo quòd hoc mundo pugnet contra mundum virilem, hoc est munditiem, & castitatem virorum. ergo cũ tria illa à Ioanne memorata, sint cõpendium vanitatis mundi; hæc femina illa possidens erit duplex compendium vanitatis mundi, vt dictum est.

Pauo, auis Iunonia quia Iunoni dicata fuit Ouid. *Laudatas ostentat auis Iunonia pennas.* Inde discere possumus ostentationem, & iactantiam diuitiarũ, & ornatus, atque vestitus, propriam esse regiarum mulierum, qualis Iuno habita est, vt quæ Iouis vxor dicta. item hanc iactantiam ornatus diuitibus in mulieribus esse. Iuno enim Dea opum putata est. At hodie videmus Pauonem, ex aqe vxoris Regis Deorum euasisse auem vxoris etiam famuli hominum. quæ enim vxor etiam sutoris non ita pompaticè incedit, & tanto ornatu, & fastu, vt pauo videatur? Quot Iunones in diebus festis videntur in vijs, & in Ecclesijs, quæ deinde videntur intra domesticos parietes, vel intra tuguria virorum suorum, quasi deæ de cœlo delapsæ in miseriam, digitis stamina ducere?

2. *Pingens sibi faciem Dei picturam violat, & taxat, quasi indignam, quæ videatur.*

2 LEGI apud Theatrum vitæ humanæ de quodam rudi pictore, magna tamen de se sentiente, quod amico ædem pulchram paranti dixerit, Euge fac, parietes domus tuæ tectorio calcis, seu tinctura inducantur, vt ipse deinde super ipsos iam linitos opus meæ artis ostendam ad tuæ domus ornatum. Respondit ei dominus domûs, quinimò modò pinge (scilicet super parietes nondum linitos) & ego postea superinducam tectorium, seu lituram: per id ostendens opera eius indigna esse, quæ viderentur. Similem iniuriam videtur facere Deo, quæ se pingit fuco suo. nam minij colore quasi litura superinducta contegit Dei imaginem, & picturam, hoc est faciem suã. Cyprianus de disciplina & habitu virginum dicit adhiberi à muliere ornamẽta superflua, *Vt operiatur illud, quod Deus in homine formauit, & conspiciatur id desuper, quod diabolus adinuenit.* Sic Deum quasi malum pictorem taxat.

Ibidem ait Cyprianus: *Dicit Deus, faciamus hominẽ ad imaginẽ, & similitudinẽ nostrã: & audet quisquam mutare, & conuertere quod Deus fecit?* non tamen indicat hominem secundum corpus ad imaginem Dei factum dici.

Addit

Addit ibidem : *Si quis pingendi artifex vultum alicuius, & speciem, & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato iam consummatoque simulacro, manus alius inferret, vt iam formata, iam picta quasi peritior reformaret; grauis prioris artificis iniuria, & iusta indignatio videtur. tute existimas impunè laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam?* hæc ille. Imperfecta, seu non absoluta quædam Virgilij carmina vsque modo relicta sunt, quòd nemo inuentus sit par tanto auctori, vt posset supplere quæ desunt. non est qui possit supplere imperfecta Virgilij, & est qui præsumit supplere perfecta Dei? supplere dixi præsumit, quasi imperfecta sint.

Ibidem ait : *Dominus tuus dicit, non potes facere capillum vnum album, aut nigrum, & tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiorem?* paulò post addit : *Cum scriptum sit de Domino, Caput autem eius, & capilli erant albi velut lana, aut nix; tu execraris canitiem, detestaris alborem, qui sit ad Domini caput similis? Non metuis quæ talis es, ne cum dies resurrectionis venerit, artifex tuus te non recognoscat, & ad sua præmia, & promissa venientem remoueat, & excludat? increpans vigore censoris, & iudicis dicat. Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est.* ita Cypr. Poterat vsurpare illud fatuis virginibus dictum, *Amen dico vobis, nescio vos.*

Ludou. Viu. lib. 1. de Christian. femin. Ludouicus Viues lib. 1. de Christiana femina, ait, in Græcia ludum quemdam fieri à mulieribus simul congregatis, in quo vna alijs imperet aliquid, ceteræ obtemperent. Ibi virgo à fuco aliena, cum imperium ad ipsam delatum esset, iubeo inquit vt omnes aquâ faciē abluant. hoc facto cum ceteræ commaculatæ, & turpi facie apparuissent, ipsa sola pulchrior apparuit. vnde in posterum absque fuco fuerunt. Ibidem Diuum Hieronymum ad Furiam ita scribentem citat : *Quomodo potest sua crimina flere, quæ flendo pellem commutat, & sulcos in facie efficit? quâ fiducia ad cælum eam faciem extollit, quæ Creatori est incognita?*

3. *Adulterina ornamenta erubescunt, at non adulterinam pulchritudinem.*

4. *Fucata cum adulteris viuit, & dormit, nec inde erubescit.*

3. NONNE erubescerent nobiles feminæ in ornatu suo fictum gestare aurum, gemmas vitreas, & adulterinas? erubescunt ergo fictionem gerere circa faciem, & non erubescunt eam gerere in facie? in facie inquam fucatâ coloribus? erubescitis fictionem habere circa comam, & non erubescitis habere in coma, aureo colore animi nigredinem dissimulante? Mille annulos ex adulterino hoc auro gerunt in capite, & nō erubescunt, sed inde gloriantur : at si vna mulier vnum annulum ex auro adulterino in manu gerat, omnes eam digito ostentant. Ergo ô fucata mulier tu vilior es, & tibi odiosior omnibus tuis ornamentis cum enim hæc omnia, imo omnia, quæ possides, velis habere syncera, & non adulterina, te solam fictam vis, & fucatam?

Portentum videretur, & quod om-

omnes digito ostenderent, si spuriũ vnum, & adulterinum filium centũ legitimi, & honesti viri equitantem cogerentur pedessequi comitari. at quid fit, cum spuria, & adulterina pulchritudo, & ficta mulier tot vera & legitima ornamenta famulantia sibi, & circa se gerit? Simile quid accidit ei quod Ecclesiastes 10. ait, se vidisse *seruos in equis, & principes ambulantes super terram.*

Eccl. 10.

4. Dehonestatam admodum te crederes, si adulter vnus etiam inuitam te coram alijs in facie tetegisset: at cum inter multos adulteros tibi perpetuò adhærentes, & te contingentes incedas, imo & dormias, non solum non inde erubescis, sed gloriaris. An fabulas enarro? nonne adulteri sunt colores crinium tuorũ, aut etiam ciliorum? Certè sic vocantur à Latinis auctoribus, & D. Cyprianus sic vocat, *Crinem, inquit ille, adultero colore mutasti.* & ne putes illos colores habere tantum nomen adulterantium, & non opera; ne putes illos non mœchari te, vel tecum, vel potius te ipsam illis mediantibus non adulterare temetipsam; audi ipsumCyprianum ibidem, inquit enim ad fucatam mulierem, *Vt enim* (hoc est, *quamuis*) *impudica circa homines, & incesta fucis lenocinantibus non sis; corruptis, violatisque quæ Dei sunt, peior adultera detineris.* quod tamen ait, peior adultera, intellige esse exaggeratiuè dictum.

Quod tamen adultera sis aliquo modo, siue quod colores illi adulterent te, ipsemet ibi auctor exponit. quid enim est adulterari, nisi polluere, nisi corrumpere personam cum qua adulterium committitur? Ait igitur Cypr. *Crucem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti; expugnata est mendacio facies, figura corrupta est.* Adulteri homines expugnant, & polluunt corpus, colores adulteri expugnant, & polluunt superficiem; illi corpus, isti caput, quibus adhærent. sed vtinam sæpè adulteria à capillis ad cerebrum nõ paulatim descendant, & à capite ad corpus reliquum, à cute ad carnẽ. Mitto quòd hi fuci sæpè origo sunt veri adulterij trahentes viros, & feminas ad amores.

In virginibus præsertim detestatur Cyprianus ibi huiusmodi res. ait enim: *Virgines certè: quibus hic sermo nũc consulit, quæ se eiusmodi artibus compserint, inter virgines non puto debere numerari, sed tamquam contactas oues, & morbidas pecudes, à sancto & puro grege virginitatis arceri, ne contagio suo ceteras polluant, dum simul degunt.* Intelligant hoc moniales, vt si quam ex suis nõdum professis virginibus, vel alijs religiosam vitam appetentibus cernant huiusmodi scabie, seu pestilentia laborare; eam non retineant, non admittant, amantes potius gregem quàm ouẽ. Virgines prudẽtes admittendæ sunt in domũ sponsi, & ceteris claudenda ianua quæ, vt ita dicã oleum suum consumpserunt in seipsis vngendis, vt loquar iuxta morem antiquarum, de quo illa aiebat, *non habeo nisi parum olei quo vngar.* oleũ inquam consumpsere in ea re, & ideo lampades earum extinguuntur. separandæ itaque sunt prudentes, à fatuis, hisque ianua claudenda monasterij, quæ domus est sponsi.

Femi-

2. *Feminæ martyres sunt mundi per dolorem ex cultu corporis toleratum.*

2. MVLIERES nimis addictæ mundo muliebri, martyres quodammodo sunt mundi, & vanitatis. ideo sicut martyres lætanter tormenta perferebant pro Deo, ita illæ pro sæculo hilariter perferunt talia. D. Ambr. de Naboth. cap. 5. inquit, *Delectantur compedibus mulieres, dummodo auro ligentur.* olim aurum in sandalijs gestabant adde apud nos etiam ligneis, grauibusque compedibus delectari, vel calceis ex corio ita angustis ad pedum paruitatem & venustatem ostentandam, vt potius ijs torqueri, quàm calceari dici possint. pergit Ambrosius de monilibus, & aureis catenis dicens, *Non putant onera esse, si pretiosa sint. delectant & vulnera (scilicet aurium) dummodo aurum inseratur, & margarita dependeant.* Delectant martyres Dei catenæ, & vulnera, & mortes, eò quòd hæc omnia illis aurea sint, & pretiosa. nam dictùm illis: gaudete *quia merces vestra copiosa sit in cælis.* & *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* quid mirum hoc, si mulieres delectantur in maceratione cutis, vultuum, & comarum tortura continua, vt per hæc pulchriores fiant?

D. Amb. de Naboth. c. 5.

Sed obserua Martyres Dei per multa tormenta, per multas tribulationes tendere ad regnum Dei, & *transeuntes per ignem, & aquam educi in refrigerium:* at martyres mũdi prędictas per multa, & magna tormenta ad multò plura, & maxima tendere tormenta. Cur enim puella incipit ab initio pati vulnera in auribus; & paulatim cruciatus alios, quos diximus? respondebis, quia nuptijs se præparat. cur verò nubere vult, seu cur nuptiæ factæ? certè ob filios procreandos. propter partus ergo ea omnia perfert. At quales curæ, qui, & quot dolores in matrimonio, & denique in fœtibus vtero ferendis, & pariendis quàm magni cruciatus, qui sæpè inferunt matri mortem, dum filijs dant vitam? Hic ergo est Paradisus ad quem tendunt illæ martyres per tot tormenta? & tamen, vt diximus, lætanter ea subeunt. quid ergo faciendum Dei seruis in passionibus aduersitatum, per quas peruenitur ad regnum, & non ad maiorem cruciatum?

PARENTES ERGA LIBEROS.

2. *Gloria parentum non in gignendis, sed educandis filijs sita est.*
3. *In patre erga filios sit lenitas mixta seueritati.*
4. *In filijs puniti patres ob praua exempla illis præstita.*

2. RISIT Augustus dum audiret Alexandrũ solicitũ fuisse quid facturus esset mundo deuicto, cùm nil amplius putaret sibi superfuturum quod ageret, & ait: Alexãder ignorauit gloriam veram Principis non in acquirendo imperio, sed in bene administrando acquisito potissimũ consi-

consistere. Sic quia multi parentes totum ipsorum officium putant esse in gignendis liberis; dicendum est virtutem & gloriam consistere in ijs bene seruandis, hoc est, vt salutem æternam habeant. vnde dicitur *gloria patris est filius sapiens.* non dicitur filius absolutè, sed *filius sapiens.* producendo filios eis dant esse, educando benè esse.

Eccl. 7. 3. Ecclesiastici 7. de filiabus dicitur parenti, *Ne ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* at quia nec semper debet pater rigorem ostendere, sed miscere risui grauitatem, ne filij ex risu patris audaces fiant ad mala, & minus illum reuereantur; ideo Iob 9. dicit: *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* loquitur de filijs suis, hoc est, non satis credebant tali risui, nec fidebant. Gregor. 20. Moral. cap. 2. *Qui praeest*, (inquit super hūc locum) *debet & arridens timeri, & iratus amari: vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum.* Acutè dixit quidam: Perfectus risus est risus imperfectus, hoc est, cùm non est solutus, & medio tantùm ore, vt ita dicam, ridemus. Nam de sapiente dicitur, quod vix tacitè ridebit, at stultum in risu exaltare vocem suam ita te ostendas ridentem, vt non ostendas ridiculum: ita rideas, vt non ridearis. ita in filios, seu subditos simus amari, vt non ob hoc desinamus amari.

Iob. 9. Greg. 20. Moral. cap. 2.

Greg eod. lib. cap. 6. Gregor. eodem libro cap. 6. idipsum aliter exornat sic: *Miscenda est ergo lenitas cum seueritate, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur.* Hoc nimirum illa tabernaculi arca significabat, in qua cum tabulis virga simul, & manna est: quia cum Scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc Dauid ait, *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. virgâ enim percutimur, & baculo sustentamur. si est ergo districtio virgæ, quæ feriat; sit & consolatio baculi, quæ sustentet.*

Subdit idem Greg. *Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæuiens, sit pietas, sed non plus quàm expediat, parcens.* ita Greg.

De illis autem parentibus, qui nimia indulgentia, & remissione mortem animæ in filijs operantur dicendum illud Chrysost. lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ; vbi ait: *Hos ego patres parricidis ipsis immaniores, sceleratioresque dixerim. illi enim corpus ab anima separant, & animam, & corpus æternis ignibus tradunt.* ita ille vbi videas, si tantum horroris est videre, seu audire patrem manu sua effundentem filij sanguinem (quod est esse parricidam filij,) quid erit ex Chrysostomo occidere filium æterna morte?

4. Sed si parentes non timent futura filijs damna in alio sæculo, saltem timeant præsentia, in hac vita. 4. Reg. 2. dicitur, quod 4. Reg. 2. pueri parui egressi de ciuitate Eliseo illudebant, dicentes, *Ascende calue, ascende calue*, & quod maledixit eis in nomine Domini, & quod egressi sunt duo vrsi de saltu & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. cur inquiunt hic Doctores, pueruli ob tam leue conui-

conuitium ita asperè puniti? Respõdet Iustinus Martyr, quæst. 80. *Vt in filijs patres, quorum illa culpa erat propria, plecteretur, quoniam ea verba pueri à parentibus suis, qui semper in Prophetas infesto animo erant, didicißent; idcircò Eliseus cæde liberorum parentes castigauit.* ita Iustinus. eant nunc parentes, & exemplo suo permittant filiolos discere ab ipsis turpia, iniuriosa, & alia mala verba, seu facta, & postea mirentur, & doleant, si aliquando à Deo de medio tollantur, seu aliter vexentur ipsi filij. Si enim illi pueruli ita puniti sunt de tam leui conuitio; quid fiet si periuria, & blasphemias à parentibus addiscant, vt narratur de illo à Greg. 4. dialogor. 18. qui quinquennis à dæmonibus arreptus deportatus est? certè filij æternaliter numquam puniuntur propter parentum peccata: imò & in casu enarrato non sine aliquo suo proprio peccato puniti sunt.

Iust. Martyr, q. 80.

Greg. 4. dial. 18.

Eodem pacto, Cham irridet nuditatem patris sui Noë, & ipse ait, *Maledictus Chanaam*, scilicet filius ipsius Cham cur ita? respondent Patres, quia magis punitus est pater punito filio, quàm si pater ipse punitus esset. ita Procop. & Chrysostom. in Genes. quia inquiunt magis parentes sentiunt dolores filiorum, quasi ipsi punirentur. verba Chrysostomi sunt: *Semper enim patres erant, vt filiorum pœnas ipsi ferant, & grauius illis est videre filios suppliciis affici, quam si ipsi plecterentur.* Quid dicemus ad hæc de patribus, qui totas facultates à maioribus acceptas luxu abliguriunt, & dissipant, ne interim suis vitiis & voluptatibus priuentur, & relinquunt filios mendicos? imo aliquando etiam in vita ipsorum, vt patres ebrij sint, filij esuriunt? si iuxta Chrysost. & alios patrum natura cõtrarium facit, ergo huiusmodi homines non sunt patres, sed peius quam ipsæ feræ. nonne etenim videmus feras seipsas priuare aliquo cibo, vt catulis suis illum subministrent? *Lamiæ nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos.* de filiis inopibus, & vilibus relictis ab huiusmodi patribus, verificatur Eccles. 42. *De patre impio queruntur filij quod propter ipsum sunt in opprobrio.*

Chrys. in Gen.

Eccles. 41.

At quæstionem mouent, cur per vrsos vindicta Dei in pueros facta sit? Plinius lib. 8. cap. 36. & alij narrant Vrsas partus suos informes, & rudes excludere, sed deinde lambendo figurare, & perficere. voluit ergo Deus feras ipsas consurgere (vt ita dicam) in iudicio contra parentes feris crudeliores, & condemnare eos, quia nedum perficiunt bene educando filios, sed potius eos deformant malo exemplo, & præcipuè linguæ & oris. Vel dic vrsos istos repræsentasse parentes filiorum istorum, seu puerulorum, quia dum ore suo eos docuerunt talia verba mala, & similia alia, quibus deuorationi eos adiudicarunt; quasi vrsi ore proprio eosdem lacerauerunt. crudelesque facti sunt vt mulieres, quæ leguntur deuorasse filios suos.

Plin. li. 8. c. 36.

Animam, seu conscientiam nostrã, vel innocentiam, esse quasi oculum, & pupillam, colligimus ex Euangelio, vnde apparet quàm leui festuca peccati lædi possit, iuxta illud de vidente festucam in oculo fratris.

AMBR. lib 6. Exam. c. 9. vnde Ambros. libr. 6. Exam. cap. 9. *Pupillam*, inquit, *Deus nitidißimo naturæ vallo munire dignatus est, quia innocentia, & integritas leui sorde aspersa violetur, & gratiæ suæ munus amittat, & ideo perspiciendum, ne quis eam puluis errorũ oblimet, aut vlla vexet festuca peccati.* ita Ambrosius, vnde apparet quanta custodiâ egeat hæc pupilla animæ: adeo vt dicamus *Custodi me Domine vt pupillam oculi.*

AMBR. Sed addit statim Ambros. *Ad hunc etiam modum parentes custodire debent filios, & ab omni labe impudicitiæ puros tueri, præsertim cum teneriorem ætatem supergreßi, adolescentiæ latiorem campum ingrediuntur.* ita ibi.

Vult S. Doctor custodiri animam & filios tamquam pupillam. Nimiũ profectò sollicitus fuisse videtur hac in parte. nam hodie plerique tamquam pupillam æstimant, & custodiunt. vide si misera puella (præcipuè si formosa sit, vel aliquid nummorum habeat) orbata parentibus (i. e. pupilla) relinquatur sola in manibus peccatorum, vide inquam pupilla hæc quomodo custoditur, quomodo tam in castitate, quàm in pecunia præda fit cuiuslibet. Ita fit de anima, ita de filiis propriis, qui sæpè sunt *pupilli habentes patrem*, sicut de coniugata, sed à viro incustodita, & malè habita vulgò dicitur, quod est *vidua mariti viuentis.* sicut ergo nil amplius petere potest anima ab homine cuius est anima, vel filij à patre, quam dicendo *custodi me vt pupillam oculi*; ita nil peius, quam dicendo, *custodi me, vt pupillam.* nisi etiam addas pupillam speciosam, vel diuitem esse *pupillam oculi*, seu oculorum mundi, quatenus omnium mundanorum oculi in eam quasi optimam prædam fixi sunt, & ideo pessimè custodiri hanc pupillam oculi. ænigma videtur. Sed verum est, nil peius peti, quàm cum dicatur *custodi me vt pupillam oculi.* anima, & filij hoc petunt, & obtinent modo prædicto.

2. *Patres nimis erogando filijs, sæpè gladium peccati, quo se necent porrigunt.*

2. CHYSOST. Hom. *66.* in Genesim dicit opes esse veluti gladium, quem prudens mater non permittit filiolo, ne illo dum rectè vti nescit, se lædat. Adde tu: ideo parentes, seu matres solere pueris cibos diuidere. explicat Sanctus Doctor nummos nimis liberaliter filiis concessos, ipsis præbere occasionem luxuriæ, & delitiarum. Vnde patet parentes debere potius ministrare filiis necessaria, rem familiarem administrando per seipsos: quod est, velut si gladio sibi retento, cibos puerulis diuidant, ne dum (velut est in parabola filij prodigi) liberis concedunt multum pecuniæ, ipsi prodigum filium imitentur deuorando omnia cum meretricibus. CHRYS. Hom 66. in Gen.

3. *Patres ne asperè nimis corripiant liberos.*

3. EPHES. 6. *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, & correctione Domini*, hoc est, mansueta piaque, quantum vtilitas filij requirit. Ephes. 6.

pia

pia enim, & suauis est Dei, & Christi Domini in filios suos correctio, vt patet ex benignitate eius in adulteram, in Magdalenam, &c. id præsertim agant parentes erga filios iam grandes, & præcipuè in aliqua potestate constitutos. adeo enim quidam parentes assueti sunt ingenita sua asperitate corrigere filios paruos, vt etiam iam grandiores, & sui iuris homines eodē pacto tractare velint. sed dico periculum est, ne illos contra se Nerones faciant. Cur enim Nero Agrippinam necare statuit? Suetonius in Nerone, quia inquit, pati non poterat matrem facta sua acerbiùs exquirentem, & simul corrigentem, *corripite huiusmodi in spiritu lenitatis.* applica (quod ad correctionem pertinet) nempe homines, & præsertim in dominio positos, neque in parentibus posse perferre asperas correctiones, præsertim continuas. Tu putas vnum fuisse Neronem, hoc est matris interfectorem? at in die Iudicij innumeros Nerones videbis. imo & multos, quos pios Æneas nunc vocas, videbis Nerones fuisse. quia mortem parentibus & præsertim rigidis, & senibus optarūt. nam *qui odit fratrem suum, homicida est.* vt ait Ioannes. hoc est, qui mortem ei cupit, perinde facit ac si occideret: quantum ad substantiam, & speciem peccati.

(a) Matres Agrippinæ (i.e. acres siue agrestes) filios efficiunt Nerones.

Italicè verbum *agro* sonat acerbum, asperum. dicendum ergo: (a) *Le madri Agrippine (cioè agre acerbe) fanno i figli Neroni.* Rauis. in officina titulo Liberi parentum interfectores, ex Volater. dicit: Ioannes Maria, Ioannis Galeatij filius, dux Mediolani, Catharinam matrem facta sua acerbiùs obiurgantem in turri conclusit, & ibidem emori fecit. hæc quia Agrippina fuit, Neronem peperit. Rauis. ibidem ait: Guillielmus Iacobi Carrariensis filius patrem occidit, quòd ab eo spurius fuisset appellatus. Vt vnum, vt ita dicam, oculum ex vindicta eruat filio, vnum sibi, vnumque vxori propriæ eruit, nempe seipsum quasi adulteræ maritum faciens, vxorem adulteram vocans, filium spurium. imo filio ambos oculos eruit dum illum hac iniuriâ in furorem vertit. nam vt Horat. ait, *Ira furor breuis est.* excæcatus autem, siue in furorem versus neque patrem agnoscit, & indifferenter more cæcorum contra omnes gladium vibrat. vnde & Guillielmus neque parenti pepercit. *Nolite ergo ad iracundiam prouocare filios vestros.* Sic Saül primo Reg. 21. iratus Ionathæ ait ad eum, *fili mulieris vltro rapientis virum.* 1. Re.

2. *Hereditas filijs malis relicta illis fit in laqueum. Arguuntur patres, qui toti sunt in relinquendis liberis diuitibus, non autem bonis.*
3. *Culpa malorum filiorum attribuitur parentibus, si non correxerunt.*

2. AVDIANT parentes, qui toti sunt in opibus coaceruandis, quas filiis relinquant, & ob id sæpè bona animæ propriæ negligunt, neque vnam diei horam audent subtrahere curis huiusmodi, vt sibi vacent: vel etiam eadem de causa iniustitias committunt: audiant,

 qualem

qualem sæpè charitatem per hæc erga eos exerceant. Chryſoſt. Hom. 53. ad pop. conferens iuuenem filium equo ferocienti, & iuuentutem eius igni exardeſcenti, ſic ait: *Si morientes, præter orbitatem, & iuuentam, diuitiarum quoque potentiam filijs præbeamus; in mille præcipitia miſeros impellimus, ignem igni adijcientes, & fornaci oleum inſtillantes.* Quid refert ad ſalutem, ſeu interitum equi, an illum calcaribus ferreis, an aureis impellas in præcipitium? bona, an mala intentione id agas? Apud Indos vxor defuncti ad fidelitatem in eum oſtendendam coram populo in rogum viua ſe conijcit ad hoc paratum. parentes eius, ſi habet, alijque coniuncti in ignem, quo illa ardet, vt citius conſumatur, oleum, aliaque huius generis pinguia conijciunt. ſic iuxta Chryſoſtomum faciunt patres in filios ardentes, oleum fornaci inſtillantes. ſed ignis ille filiorum iis nutritus eſcis, forſitan ardebit *vſque ad inferni nouiſſima.* eant ergo patres. & crudeli auaritia ſubtrahant ſibi ipſis, atque pauperibus huiuſmodi pinguia, vt ea in fornacem, in qua ardent filij, proijciant.

CHRYS. Hom. 53. ad pop.

At dices, Numquid ergo non debēt patres bona relinquere filiis? dico, debent. ſed magis debent filios relinquere bonos. relinquant patres bona, ſed relinquant filij mala. nam ſi Eccleſiaſtici 23. *Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia:* conſequenter peſſima eſt peccatori, & iniquo. opes cur *facultates* dicuntur, niſi quia facultates ſunt, facultatem præſtant ad bonum, & ad malum? bono filio benè agendi, malo malè agendi per opes facultatem tribuis. ægrotat filius, & parum de valetudine cogitas ipſius, ſed feſtinas ei conuiuium lautum hereditatis tuæ apponere? nonne parricida illius eris, dum benignum te putas patrem? liquorem pretioſum in vas feſtinas infundere, & non prius cogitas de vaſe mundo, ne ſimul & liquor, & vas inde lędantur, & perdantur? nonne pretioſus liquor eſt hereditas, eſt honor, quæ filio committis? cur ergo vas non antea mundas? ne pauxillum quidem vini in calicem infundis, niſi prius calicem mundes, & vniuerſam cellā vinariam, omnemque ſubſtantiam infundis in vas immundum, & ſæpè etiam confractum per prodigalitatem, qua omnia citò effundat, abſque eo quòd vas purifices, & ſanes?

Eccleſ. 23.

Apoſt. ad Titum 1. 6. monet, vt in presbyterum, & Epiſcopum eligatur *vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos.* & rationem reddens huius pręcepti ait, *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Hieronym. in cap. 6. ep. ad Epheſ. *quaſi vitia filiorum parentibus imputentur, coniunctionem cauſalem interſerens ait, oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe non eſt ergo ſine crimine Epiſcopus, cuius filius non fuerit ſubditus.* Sic Hieronym. hic ergo dicendum eſt, *Filij comederunt vuam acerbam, & dentes patrum obſtupeſcunt.* quamuis neque dulceſcant inde dentes filiorum. filij dum filij ſunt habent peccata ſua, fiunt patres, & habent etiam aliena. & ſæpè vbi iuuenilia vitia deſierunt eſſe in patribus

Ad Tit 1. 6.

HIER. in c. 6 ep. ad Epheſ.

bus per impotentiam; ibi incipiunt esse per culpam, culpam dico negligentiæ circa impediendæ peccata in filiis. ideo Psal. 18. 13. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* nam, vt ibi Euthymius notat, Dauid erat rex, & pater: & quia peccatis subditorum, & filiorum ac seruorum obnoxij sunt reges patres, & domini; ideo precatur ille sibi veniam à peccatis prædictorum: si fortè eorum sit particeps.

Psal. 18. 13.

3. Diogenes apud Plutar. libro de docenda virtute, vidit puerum intemperantiùs comedentem, & pugnum impegit pædagogo eius, quasi culpa penes eum esset. notum est id quod refert D. Bernardinus de Euangelio æterno, serm. 17. c. 5. Boëtius de disciplina scholarium cap. 2. Gerson 2. par. serm. 1. in festo Omnium Sanctorum, & alij. iuuenem Romanum ad patibulum ductum ob flagitia accito patri, & accedenti ad se quasi exosculari vellet, nasum morsu apprehensum præcidisse dentibus, addita hac voce: tu me pater ad hoc patibulum pertraxisti, tu me suspendis, quia si corripuisses, vt debueras, non huc deuenissem. Ecclesiastici 41. 10. *De patre impio queruntur filij. quoniam propter illum sunt in opprobrium.* id potest facere ad rem nostram. ideo adagium est. *qui non obedit in iuuentute parenti, obediet in senectute carnifici.* dici etiam potest: *Quem pater domi non fecit vnius magistri discipulum, faciet cunctis in platea magistrum.* faciet magistrum cunctorum in patibulo, vt discant iustitiam moniti, & non tenere Diuos. (a) *A chi il padre non insegna con le mani, cioè castigando, altro insegnerà con le manaie.* alluditur securibus, quibus apud nos vtuntur carnifices vulgò *manaie, ò manare.*

Diog. apud Plut. lib. de doc. virt.

D. Bernardin. de Euang. ater. ser. 17. c. 5. Boët. de disc. schol. c. 2. Gers. 2. p. ser. 1.

Eccles 41. 10.

(a) Quē pater nō instruit manu i. e. castigando; alius instruet manicis, sc. custos carceris.

Genes. 49. 28. dicitur Iacob filijs *Singulis benedixisse benedictionibus proprijs,* scilicet cum moreretur. & tamē tres ex eis maledictionibus acribus deuouit. ad Ruben *effusus es sicut aqua, non crescas.* ad Simeonē, & Leui: *Maledictus furor eorum, quia pertinax.* Caietanus soluit difficultatem dicēs: *Omnia dicit benedicendo. nam & arguere, & punire, & præmonere, aliena non sunt à paternis benedictionibus.* è contra benedictiones paternæ. aliquando maledictiones fiunt. Certè tales sunt, quæ assentando à quibusdam proferuntur. Prou. 27. 14. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit.* ideo Plutar. de educandis liberis *vidi patres, quibus amor nimius causa extitit, ne amarent.* sæpè fit, vt per multas benedictiones hominum, perdamus vnam benedictionem Dei, scilicet *Venite benedicti.* benedictione tēporali non benedicat nos pater temporaneus, vt *benedictione perpetua benedicat nos pater æternus.*

Gen. 49. 27.

Prou. 27. 28.

Patres Latini, & Græci, quorum verba collegit Mendoza in 1. Reg. cap. num. 26. damnant Heli, quod peccarit nimiâ indulgētiâ erga filios peccantes, & post testimonia eorum ibi citata addit auctor: Quamquam enim plerique ex citatis, Heli innocentiam quoad priuatas illius actiones tueantur; & nunc sanctum, nunc mirabilem nunc inculpatum, nunc irreprehensibilem pluribusque nominibus admodum honorificis condecorent. quamquam item eius, quâ ad

Mend. in 1. Reg. ca. nu. 26.

ad filios vsus est orationem (hoc est reprehensionem) vt grauem,& seueram, & maturam, omnibusque ad persuadendum præsidiis munitam laudent,& cõmendent;adhuc tamen omnes eo conueniunt, vt dicant Heli à debita in filios seueritate deflexisse. Hęc ille. adde omnes expressè dicere eum ob hoc punitum à Deo morte suorum & sua.

Greg. Naz. orat. 1. & 29. Adde quòd Greg. Nazianz. oratione 1. & 29. sub initium, dicit Heli sæpè obiurgasse filios de peccatis ipsorum, de quibus fit mentio loco citato 1. Regum. & D. Basil. in regulis breuioribus interrogatione 47. ait, *Sæpè illos deterrere conatum fuisse*, nempè à peccatis, & Chrysosto. lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ, ait, Heli prædicta verba correctionis, quæ in Scriptura habentur loco citato, *iugiter ad filios locutum*. his tamen non obstantibus iidem Patres asserũt, eum iustè sic punitum, quod diligentior in ea re non fuerit. Chrysost. loco cit. *corripuit illos quidem, & cohibuit; verum non omni cum studio & vehementia id fecit. non illos pœna affecit.* Hieronym. libr. 1. in Pelagianos, *corripuit, & punitus est, quia non corripere debuit, sed abijcere.* hoc ipsum Theodoret. quæst. 10. in libro Regum, quod tandem debuit *eos è templi ambitu expellere.* Procopius *à Sacerdotum dignitate amouendi erant.*

1. Reg. D. Bas. in reg. breu. int. 47. Chrys. li 3. adu. vit vit. mon. Chrys. loc. cit. Hier. lib. 1. in Pelag. Theod. q. 10. in lib. Reg.

D. Cæs. Ep. Arel. Hom. 15. de asp. an. adm. D. Cæsarius Episcopus Arelatensis Hom. 15. de aspera animæ admonitione ait: *Ideo fratres carissimi quoties vobis aliqua pro salute animæ vestræ humiliter suggero, absoluo apud Dominum conscientiam meam. timeo enim, & nimium expauesco Heli Sacerdotis exemplum, qui pro eo, quòd audiens filios suos adulteria committere, dißimulauit eos aut cædere, aut à communione submouere*, &c. *& non cum grandi seueritate distrinxit. & ipse retro cadens de sella fractis ceruicibus mortuus est, & nomen eius de libro vitæ deletum est.* vide tu quid hæc postrema verba significare velint.

Si ergo qui in seipso, hoc est quoad proprios actus vocatus est sanctus, & fuit irreprehẽsibilis; qui corripuit, & *iugiter* corripuit filios peccantes; ita punitus est: vide quid fiet de parente, quid de Prælato, qui nec sanctus est, neque de continuo corripit, & fortasse rarò filios, vel subditos peccantes, præsertim Ecclesiasticos Dei cultum indignè tractantes, sicut erant filij Heli? vel qui corripit, sed qui corripit, sed non eiicit domo, non flagellat, non remouet ab officiis, vbi verba non profuerint?

Chrysostom. Homil. 26. ad populum loquens de seipso rationem in Iudicio redditurо circa correptionem delinquentium: *Quid dicam, inquit, cum tunc accusabor? quare non allocutus es? quare non mandasti? quare non statuisti legem? cur inobedientes non cohibuisti? non satis est dicere quod admonui, verum & acriori inquiet opus erat increpatione. nam & Heli admonuit, & dicebat, nolite filij mei*, &c. *sed procedens ait Scriptura, eò quòd non corripuerit filios suos*, &c. Chrys. Hom. 26. ad pop.

2. *Postremi sumus ad scienda peccata domus nostræ sciente illa populo.*

3. *Filij dum pueri sunt, castigandi, & instituendi.*

4. Per-

4. *Permissio Prælati, & patris videtur iussio.*

2. PECCATA filiorum Heli iam in populum euulgata erant,
1.Reg.2. 22. antequam ille ea audiret, 1.Reg.2. 22. *Heli autem erat senex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* audiuit ipse à populo, qui ea sciebat, ipso nesciente. sequitur
Nu.23. enim numer. 23. *& dixit eis, quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo.* Lucius Sylla cognomento felix, gloria & potentia talis visus est, nisi quod vxorem palam impudicam habuit: id tamen nesciebat ipse, quod Athenarum ciuitas tota sciebat. audiuit tandem & ille, cùm ab hoste id sibi probri causa obiectum esset. ita Hieronym. contra Iouini. sub finem. *Quia nouissimi mala nostra discimus. id Athenis cantabatur, & Sylla ignorabat, secretaque domus suæ primum hostium sonuitio didicit.* ita Hieron. addit: *Inueterata ergo vitia in filijs inuenit, ab initio non extirpauit, ideo correptione non sunt correpti.* Aliquando ardet pars aliqua domus prẹsertim superior, vel ẹstuat, erumpitque ignis ex ore supremo camini eminentis, fumusque & flamma in aêre conspiciuntur ab omni populo extra domum stante: & qui in domo sunt id ignorant. eò quòd in inferiori, vel in interiori aliqua parte eius maneant, & ab his qui foris sunt oportet, vt suum periculum discant. id etiam accidit in casu præfato, sicut etiam mortes, & mala temporalia consanguineorum sæpè solis reticentur coniunctis eorum, cum ceteris omnibus innotuerint: silentur coniunctis, ne illi affligantur ex dolore.

3. Sed vt dicebamus, pater, aut Prælatus debet ab initio in suis peccata truncare. Psalm. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Ps. 100.
cum antea dixisset, *non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua*, &c. prælatus occidat peccatores quoad peccata *in matutino.* faciat vt matutinum sit illis vesper, adde & vesper Sicilianus. faciat vt oriens sit illis, occidens, seu potius occidens, hoc est interficiens.
Hieronym. epist. 22. ad Eustochium, Hier. ep. 22 ad Eust.
Dum paruus est hostis, interfice. sed paruulus est in puero. at paruulus sola virgâ effugabitur, magnus autem effectus neque à gladio fugit. Prouerbior. 22. 15. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Prou. 22. 15.

Stultum est, si iustè possis necare hostem, dum paruulus est; expectare, dum crescat: quamuis incrementum corporis & virium non possit esse nisi iuxta mensuram à natura præscriptam, communemque ceteris. sed stultissimus esses, si extra certam metam magnitudinis in gigantem consurrecturum scires, & tamen exiguum non occideres. sed quis ignorat vitium tale esse? non enim habet, sicut homo, certam magnitudinem. quia per repetitos actus semper crescit. plusque crescit in senecta sua, & plus habet virium, quàm in iuuentute, aut virilitate. potes ergo necare paruulũ, & elidere ad petrã. an, vt ait Bacchiarius epistola ad

lanuarium *expectas donec gigas tuus inimicus efficiatur?* etiam Ioui bellum intulerunt gigantes, etiam potentissimo negotium magnum facessunt vitia magna vbi in gigantes excreuerunt. opportebit te Iouem esse, vt ea superes. grues etiam vincunt, & auferunt per aëra pygmæos, sicut milui pullos, vt scribunt. si ergo tu sis grus, poteris pygmæos vincere. at si expectas; pygmæi erunt gigantes, & grus, vt eos vincas, te commutanda erit in Iouem. vide quæ monstra expectes, & quam insolita, si expectas vincere, siue in alio, siue in teipso, vitia inueterata.

4. Seneca in Medea: *Qui non vetat peccare, cum possit, iubet.* Matth. 19. 7. *Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij?* permiserat id Moyses, & illi hoc vocabant mandatum. *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras.* si quis sedet in domo, vel in congregatione velut dominus, & iudex, si dormitet super astantes subditos, hoc est si sileat, oculosque claudat super ipsos etiam malè agentes; sicut materialiter capite annuit in vero somno, ita in metaphorico videtur annuere. vulgò dicimus, *qui tacet, confirmat.* Matthæi 13. *dum dormirent homines,* (Chrysostom. hom. 47. in Matth. explicat, dum dormirent Prælati Ecclesiæ) *inimicus homo superseminauit zizania.*

Matt. 19. 7.

Matt. 13. Chrys. ho. 47. in Matth.

Exod. 21. 29.

Exodi 21. 29. *Si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius, & contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum, occideritque virum, aut mulierem; & bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident.* si dominus reus reputatur malorum sui bouis, quòd non obstiterit damnis ipsum claudendo; quid mirum si peccata filij, quem pater peccaturum non coërcuit, vt debebat, ipsi imputentur, & cum eo pœnam mortis æternæ subeat?

Gloriosa certè, & plus quàm virilis (nisi decepta fuisset in hoc errore temporum, & infidelitatis.) Spartana illa, quæ abiecti, & minimè Spartani animi & operis filium necauit, putans se generosè facere. cum nostræ matres filios sceleftos neque verbo, nedum virga audeant corripere. de illa sic quidam:

Dum se, dum patria indignum Spartana necaret,
Querenti dixit, nunc ego mater ero.
Plus pariet mihi ventre manus; facit ista parentem
Quæ mihi, quæ patriæ non peritura parit.

hoc est parit honorem, exemplumque gloriosum: quæ sunt filij haud perituri.

Timet sæpè mater, ne mater esse desinat, & iudicem induat, dum natum flagellat, vel illum à se amouet studiorum, & morum causa, vel susceptæ religionis, aut officij. at tunc cum videtur non esse mater, matrem se facit, matrem Dei pro matre hominis. nam *quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.* parit enim in se, vel in filio ipsum Deum per gratiam. auget meritum proprium, & per cooperationem ad pœnitentiam, vel virtutem filij, auget, vt sic loquar, alienum. Imo & bis se matrem facit filio. primo nascentem ipsum parit, postea, dū cauet, ne pereat, iterum

iterum parit. primo dedit esse, postea bonum esse. primo peperit periturum, postea non periturum.

Pater, qui totus est in labore, & negotio pro filijs suscepto, adeo vt ob id parum sibi, ac animæ suæ impendat; potest dicere cum quodam sapiente nostri temporis: Multos annos transegi, paucos vix: ex his plerosque alijs, nullum mihi. At quæ stultitia est alijs semper viuere, cum tibi solum debeas mori? Adde, præsertim cùm filij lætari in corde sæpè soleant ob parentum obitum. De vita patrum dici potest eò quòd viuant filijs: Vita filiorum, sed mors est tota parentum, illorumque fletus sæpè est in pectore lætus, quia adagiũ est, *fletus heredis risus est sub persona*, hoc est intrinsecus, *vel fletus est sub persona*, hoc est simulatus.

Isa. 22. 18. Isai 22.18. de quodam à se tribulando ait, *Quasi pilam mittam te in terram latam*, alij legunt, *rotabit te quasi trochum*. sicut ergo subinde flagellandus est trochus, vt à pueris solet, vt non cesset ab opere suo; ita filius subinde flagellandus, ne cesset à bono. quod facit puer trocho, debet facere pater puero. Ecclesiastici 30. *Eccl. 10.* *Qui diligit filium, assiduat illi flagella.*

HOMO QVIDAM ERAT DIVES,

Lucæ 16.

Vbi de eleëmosyna, de Lazaro, & diuite, & de pœnis Inferni.

2. *Vt crapula chiragram, ita manuum contractionem in pauperes causat, quasi aliam chiragram.*

3. *Pauperes in alia vita non succurent diuitibus, vt patet exemplo Lazari.*

2. VIA morbus articularis Italicè dicitur, *La gotta*; cumquè hic morbus sit proprius diuitum ex crapula; ideo etiam in alio sęculo eos licet in alio sensu, morbus, seu malum guttæ vexat, vt videre est in diuite, qui epulabatur quotidiè splẽdidè: nam guttam aquæ petijt neque obtinuit. Sed cum apud nos chiragra etiam, *gutta* vocetur; dicendum est, tales diuites ex crapula affici deinde hac chiragra, nimirum contractione digitorum, & manuum ad erogandum Lazaris. quia sicut crapula chiragram, ita eadem, cum omnia deuoret, causat auaritiã in pauperes, vt in diuite epulone videtur euenisse, guttâ ergo vnâ hic laborãt per culpam, & gutta alia laborabunt per pœnam. Italicè rectius, *Patiscon la gotta qui per colpa, e di la per pena.* nam guttam aquæ sitient.

Latinè dicitur laborare aqua, vel re simili, hoc est, penuria eiusdem rei. Ideo laborare gutta potest dici pro eius priuatione affligi.

3. Eleëmosynæ vsus in pauperes, est quidam ludus micandi digitis cũ ipsis pauperibus: *è vn giocar alla mora.* Nam in hoc ludo manum aperimus saltem aliqua ex parte erga pauperes, quasi colludentes; & ipsi similiter erga nos aperiunt, per retributionem orandi pro nobis & succurrendi, præcipuè in sæculo futuro, iuxta illud, *Vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Cum autem prædictus *Luca 16.*

dictus diues noluerit micare digitis erga Lazarum; quàm impudentem se ostendit, cum velit Lazarum erga se digitis micare, hoc est extendēdo digitum aquâ tinctum ad refrigerandam linguam suam? Ludi istius leges sunt, vt vterque collusorum pugnum aperiat, digitosq; extendat erga socium, iuxta illud: *Date, & dabitur vobis.* & Ecclesiasticus 4. 36. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Fuerat collecta manus diuitis ad dandum, & modo vult esse porrecta ad accipiendum? Manus in pugnum collecta auaritiam significat; dilatata (vt cum micatur digitis) libertatem. Diues noluit micare cum Lazaro, cum noluit micas dare. cur ergo vult Lazarum micare secum, guttam exhibendo?

Eccl. 4. 36.

Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam. Laborabas chiragrâ ad dandum Lazaro; at modo cum sit porrecta manus tua, non laborabis chiragrâ ad accipiendum? At si non laboras tu, laborat Lazarus. Laborasti tu chiragrâ, & etiam podagrâ ad illi subueniendum: quia pedes tui forsitan *veloces fuerunt ad effundendum sanguinem*; at immoti ad subueniendū pauperi. modo autem Lazarus laborat, vt ita dicam chiragrâ, & podagrâ ad veniendum ad te, & ad extendendum digitum in os tuum. Vnde dicit Abraham, *& in his omnibus, inter nos, & vos chaos magnum firmatum est; vt his, qui volunt hinc transire ad vos, non possint.*

Crapula quantumuis magna sit, solet quidem afferre chiragram, & podagram ipsis crapulatoribus; non autem alijs præter ipsos. At vide quanta sit ista crapula diuitum: vt non solum ipsos, sed insuper pauperes afficiat hoc morbo. nam diuites crapulatores hoc morbo articulari laborant; sed dolores & gemitus istius morbi non in diuitibus sunt, sed in pauperibus, (vt erant in Lazaro, qui ex auaritia diuitis fame peribat.) Ideo potest dici, (a) *Li ricchi han la gotta, ma i poueri gridano.* Sed in futuro ludus diuerso modo fiet. Nam pauperes chiragrâ, & podagrâ detinebuntur, sed dolores eius erunt in diuitibus, non autem in pauperibus. Item modò morbus hic articularis est in diuitibus; sed fames, & sitis (præsertim, quam æger à medicis ob hunc morbum iubetur pati) non diuitibus, sed pauperibus indicitur. At in futuro, pauperes guttâ, vt nos Italicè loquimur, laborabunt; at sitis, & fames erit in diuitibus, vt de siti legitur huius diuitis. Intellige quod tenacitas diuitum per Chiragram, & Podagram signata, causat hic famē in pauperes: at deinde pauperes chiragrâ, & podagrâ laborabunt contra diuites, hoc est non mouebunt manus aut pedes ad subueniendum illis, vt in casu prædicto Lazari apparet.

(a) Diuites chiragrâ laborant, sed dolent siue eiulant pauperes.

Apoplexiæ morbum. Italicè *Gocciola*, hoc est gutta, incurri præsertim ob crapulam & bibacitatem, testātur medici, & præcipuè Aëtius, vbi de hac ægritudine loquitur. Conuenienter ergo guttæ malum patitur epulo (quamuis in alio sensu) in inferno. Vel dic crapulantes hic pati guttæ malum, in alia vita cupe-

re

re guttæ bonum, hoc est si damnati fuerint. nam gutta apud nos dicitur *gocciola.*

2. *Auari in pauperes feræ, non homines sunt.*
3. *Diuites crapulæ tantum studentes sues sunt.*
4. *A pompis, & prodigalitate oritur eorum auaritia in pauperes.*
5. *Honores in laqueum & damnationem fiunt indignis. Reguli surdi vocibus pauperum, & subditorum reguli serpentes sunt & aspides surdi ad gemitus eorum.*

Luc. 16. 2. DE diuite damnato dicitur Lucæ 16. *Homo quidam erat diues.* dicitur *homo,* ne ex crudelitate (vt alibi dicimus) putaretur fera, aut monstrum. Adde. nam verè monstrũ videtur, hunc hominem non fuisse monstrum. Nonne plus quàm monstrum esset, esse aliquid album sine albedine, nigrum sine nigredine, rationale sine rationalitate? quomodo igitur fuit ille homo sine humanitate? Quomodo naturam obtinuit humanam, qui naturam habuit plus quàm inhumanam? Quis enim nescit, quòd consuetudo, vt aiunt Philosophi, est altera natura? Sap. 12. 10. Vnde & in Sap. 12. 10. vocatur *Naturalis malitia eorum,* hoc est peccatorum, & iniquorum, de quibus loquitur ibi. Ergo crudeles in pauperes, feræ potius quam homines sunt.

Quomodo non plus quàm fera ille, coram quo canes ipsi humani. vt ita loquar apparuerunt, dum lingebant vlcera Lazari, ipsis (per indi-tam à natura linguis suis facultatẽ) eo modo quo poterant, medendo? Quomodò non fera ille, de quo dici poterat, quod *Cum feris erat habitatio eius?* eò quòd cum Lazarus cuperet micas cadentes de mensa diuitis, dicitur quod *nemo illi dabat,* hoc est, nullus de diuitis familia. Humanitatem ergo, quam exuerant homines, assumpserant canes.

3. Iure vocatur *homo,* ne putaretur fera, vel animal immundũ, & saginæ tantum deditum. non enim memorantur in Euangelio de ipso nisi opera bruti, hoc est curatio corporis. Sic Horatius se Epicureum vocans, suis nomine sese ornat, dum ait, *me bene curata cute vises Epicuri de grege porcum.* Dicitur homo secũdum speciem humanam; sed ad rem nostram loquendo, verè homo fuit *secundum speciem.* brutum enim fuit, seu fera secundum rem; homo, secundum faciem. Verus Epicureus, & sus de grege Epicuri. Tales ergo sunt diuites epulones, & inclementes in pauperes.

4. *Homo quidam* dicitur. nam propter duritiem cordis, & sensibilitatem erga Lazarum, fortasse lapidem non hominem putaremus. Prou. 26. 8. Prou. 26. 8.
Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem. alij legunt, vt Iansenius hic refert, *Sicut qui ligat lapidem in purpura.* lapis ergo in purpura erat hic homo, præcipuè si fortè regulus fuit, cùm purpura fuerit magistratuũ, & principũ insigne. Lapides sũt in purpura ligati omnes illi, qui in diuitijs, & in purpuræ dignitate, ac vestibus crudeles sunt in pauperes, & subditos, mercedes,

cedes, vel eleëmosynas e's subtrahendo, vel ipsos expilando, gemitusque eorum non audiendo.

Ligantur lapides isti in purpura, quia iactantia prompaque, & prodigalitas opum, atque dignitatum (per luxum, & pretiositatē vestium huiusmodi significata) causa esse solet, vt hi diuites quasi ligentur, & obligētur ne possint manus, aut pedes mouere ad succurrendum pauperibus, aut ad soluendum illis merces debitas. astringit eos hæc pompa, & luxus, vt sint crudeles. (a) *Li rende stretti, cio è auari.* laqueus fit illis ea purpura. *volentes diuites fieri inciderunt in laqueum diaboli.* illaqueat enim illorum conscientiam, & vincit, seu deuincit, hoc est ligat animam funibus purpureis, hoc est magnis criminibus, quæ per purpuram significantur. *Son peccati in cremesino.* sunt enim peccata taliū sicut coccinum, & rubra sicut vermiculus. *iniquitates suæ capiunt impiū, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

(a) Astrictos reddit id est auaros contractos, parcos.

Prou. 5. 22.

4. Lapis fuit diues ille crudelitatis duritie, lapis ligatus in purpura. nam *induebatur purpurâ, & bysso.* timiditate etiam, & pusillitate animi (quâ timeret pompæ, & conuiuijs suis, si liberalis esset in miseros) laborasse credendus est. fuit ergo lapis, fuit lepus, fuit lupus. lapis crudelitate, lepus timiditate, lupus voracitate. lapis erat in purpura, seu, vt alij legunt, *in fundâ*; brachio alterius maioris principis fortasse in altum dignitatis iactatus est: sed quia lapis erat, onere peccati sui grauatus *descendit in profundum quasi lapis.* nam *Sepultus est in inferno*, hoc est in profundiori parte inferni, vt Maldonatus hic exponit. *Tolluntur in altum, vt lapsu maiore ruant*: ait quidam Poëta. Hoc accidit similibus lapidibus, qui inepti ad regimina ita euehuntur in sublime: quibus locus supremus, seu ipsorum imbecillitas in stadio virtutis, vel eorumdem imperita, fit *lapis offensionis, & petra scandali.*

5. Si hic homo, fortasse erat Regulus, vt quidam videntur suspicari ex purpura eius; ideo, cum Lazari voces nō audiret, mihi videtur fuisse ex ijs regulis, de quibus dicitur Ierem. 8. 17. *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio* per hos intelligit crudeles hostes, similes talibus serpentibus. Talis erat hic Regulus; quia quamuis vt quidam ait, tot ora Deus aperuisset in Lazaro ad implorandam misericordiā, quot plagas in eo ostendebat; tamen hic regulus, vel aspis surdus *non exaudiebat vocem venefici incantantis sapienter.* Hunc diuitem imitantur Reguli, obsurdescentes vocibus pauperum, vel subditorum, qui velut Lazari scatent vlceribus miseriarum, & exactionum, quibus ipsi eos opprimūt. Ideo ait, *Quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* non possunt incantari, ne mordeant, & deuorent prædictos; sicut iste diues quotidie epulando deuorabat Lazarum.

Ierem. 8. 17.

Mydas auarorum symbolum apud omnes scriptores, aures asininas habuisse fertur. Bene hoc: quia auari, velut iste etiam diues, sunt asini ad lyram, hoc est, ad gemitus pauperum, vel etiam concionatorum contra ipsos clamantium. sunt

asini ad lyram; in quo sunt asini ad omnia, præterquã ad *Lyram*, hoc est, monetam, ita apud nos nuncupatam.

Deuorant pauperem in abscondito, dum (velut hic diues) deuorant quæ pauperi exhibere tenentur. Assumunt aures asinorum, vt habeant ora luporum. Non curant, quod pauperes multum rogent, dummodo ipsi nihil erogent. Claudunt aurem, vt claudant aurũ. quidã homines in India, vt est in itinerario apud Ramusium, tantã aurium magnitudine præditi sunt, vt vna aure totum corpus suum contegant. Sic isti se contegunt, & armant scuto surdescentium aurium in gemitu pauperum: Illo se tuentur adagio: (a) *Vn buon paio d'orecchie stracca cento lingue.*

(a) Vnum par auriũ, lassare potest centum linguas.

2. *Iustitia Dei quàm terribilis in gutta vna damnato neganda.*

2. MITTE *Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Vide, & horresce, quàm terribile sit incidere in manus Dei viuentis. Abyssus est infinita Dei misericordia. *abyssus* enim *abyssum inuocat*: abyssus miseriæ abyssum misericordiæ. Sumatur ergo metaphora ab aquarum immensa colluuie, quæ abyssus vocatur. Fac ergo post tot sæcula, quot sunt arenæ maris, quibus damnatus est vnus homo, verbi gratia ob vnum tantum mortale peccatũ; fac inquam dari hoc impossibile, nimirum vt omnes Beati genuflexi etiam cum B. Virgine coram Christo cum lacrymis non cessent per mille annos obsecrare illum, vt de tam immensa abysso effundat (vt sic loquamur) riuulum aliquem super eum hominem in flammis ardentem per tot ætates: certum est Christum nõ id effecturum. Rogent denuo per totidem annos dicendo, saltem emitte amphoram huius aquæ super hunc miserum. neque hoc faciam respondebit. saltem effunde calicem. neque calicem. Tandem dicant, vt saltem intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam eius. neque hoc patietur facere. Hoc quis crederet vmquam nisi ipsemet Deus per fidem suam, nos docuisset? *Recepisti*, inquit, *bona in vita tua.*

Recepit quis à debitore suo, vel à magnifico largitore, nimirum Rege, summam ingentem pecuniæ. petit iterum ab eodem quippiam. respondebit rex, iam recepisti à me bona ingentia. subdit ille, peto etiam minimum quadrantem, peto festucam illam, quæ in manu tua est. quomodo negare poterit Princeps rem tam exiguam & nihil? At agnosce quàm horrendum sit etiam vnius peccati meritum. Deus, cuius misericordiæ, & munificentię, & diuitiarum non est numerus, rogatur vt guttam aquæ post dona magna in vita hac præstita, elargiatur; & respõdet: *Recepisti bona in vita tua.*

Dicat in inferno Augustus: Domine dedisti mihi vniuersum mundum: donasti mihi mare cum terra. peto vt addas guttam aquæ ei, cui dedisti pelagum. Respondet: *Recepisti bona in vita tua.*

3. *Gutta negata diuiti ſi ad cor deſcendat Chriſtiani, morieum efficit vitijs, vt ſolet gutta apoplexiæ ipſum interime-re.*

4. *Conſideratio inferni iuxta hiſtoriam diuitis, & Lazari, quàm vtilis proba-tur varijs ſimilitudinibus.*

3. APOPLEXIÆ morbus Italicè vocatur: *La gocciola*, gutta dicitur, eò quòd putetur eſſe gutta cadens in interiores partes corporis. Modo dico: Videbis hominem peſſimæ farinæ (deſcribe, ſi vis) Decidit gutta in aliquam eius partem internam. ſtatim incipit recogitare annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ. feſtinat ad Sacramenta. quòd ſi gutta hæc etiam ſuper cor eius deſcendat, tranſit (vt de morietibus dici ſolet) ad meliorem vitam. Similia operatur gutta iſta denegata diuiti, ſi mediante concione, vel meditatione in interiora hominis deſcendat. Deſiſtere facit à peccatis, ad Sacramenta properare, & ſi ad cor eius verè penetret, ad meliorem vitam eum reducit, veteri ſcilicet conuerſationi demortuum. Conualeſcunt autem multi ex gutta apoplexiæ, & redeũt ad priorem vitam, ſcilicet tranſacto periculo mortis, redeunt ad peccata conſueta. cur autem non obierint ex lapſu illius guttæ, cauſa eſt, quia non deſcendit illa ad cor. idem dic de gutta hac diuiti negata. quia plenè non deſcendit ad cor noſtrũ per meditationem: ideo illa conſiderata non morimur, hoc eſt, non morimur vitijs, ſed redimus ad priſtina, peccatores redeunt ad vomitum.

Decidente hac gutta apoplexiæ in hominẽ, repente obſtupeſcunt artus eius, & veluti fulmine in ſe cadẽte attonitus, mutus & immotus hærere cernitur. Talis certè fiet is, in quem gutta iſta diuitis penetrabit. ex horrore nimirum, & contritione obſtupeſcet, attonitus, & tremẽs fiet: ſenſum, & motum amittet in rebus mundi, velut illis mortuus.

4. Digitus Lazari, dum vnius non tetigit linguam, multorũ tetigit cor. negatus reprobo digitus hominis, factus eſt in electis digitus Dei: & dum gutta vnius non refrigerauit incendium, mare effecta eſt, quæ plurimorum extinxit infernum. Mare effecta eſt, quæ innumeros Ægyptios, hoc eſt peccata extinxit, extinguit, extinguet. Dum vnius diuitis mortui linguam nõ refrigerauit, multorum diuitum atque epulonum refrigerauit palatum ab igne cupiditatis, & guloſitatis. Gutta fuit; ſed multorum fluminum, nimirum lacrymarũ & pœnitentiæ fons, multorum, vt ita dicam, baptiſma.

Dicet aliquis, cor meum lapideũ eſt: ideo hæc gutta diuitis nequit ipſum emollire. Cur hoc, niſi quia ſemel tantum, vel bis cogitas de hac gutta? An neſcis quod *gutta cauat lapidẽ, non bis ſed ſæpè cadendo*? Vis ab hac gutta mundari? an neſcis non eſſe animal mundum, niſi qui ruminat?

Diuites denegant aquæ guttam Chriſto ſitienti, & potum petenti in cruce, nimirum ſpiritaliter ſitienti guttam lacrymę ipſorum ex pœnitentia: & pro hac aqua porrigunt ei fel peccatorum. quid mirum ergo ſi dum & ipſi in cruce tormentorum

exi-

existent in inferno,& appetent refrigerari linguas suas, aqua denegabitur eis,& pro illa exhibebitur eis fel, nimirum illud responsum amarum: *Recepisti bona in vita tua?* quod respõsum dabit illis conscientia ipsorum vice Lazari.

Cum exemplo huius diuitis terrefacti multi diuites, & potentes reiectâ purpura, & bysso erogando sua pauperibus facti sint ipsi pauperes;verum fuit,& est,quod vnus hic diues, multos diuites fecit Lazaros,& vnus hic Lazarus fecit multos Lazaros diuites. vnde enim tot in Ecclesia inopes clerici,& ecclesiastici ditati sũt, tot monasteria reditibus largis aucta? Quamuis enim ex Dei amore hæc processerint, tamen *initium sapientia est timor Domini.* O quot cilicia, & pannos induxit ista purpura diuitis! O quot purpuras excusserũt panni illius Lazari: dũ scilicet variũ exitum ipsorum spectarunt fideles. Quot ieiunia indixerunt opulentis, epulę illius reprobi? quot epulas micæ negatæ huic electo? nam vt dicitur Prou. 19. 15. *Pestilẽte flagellato, stultus sapientior erit.* & vt ait quidam, Prou. 19. 15.

Tangat pœna aliquos,vt timor tendat ad omnes. Italicè dicimus: *(a) Chi vno ne castiga, cento ne minaccia.* & Poëta: *Cum feriunt vnum, non vnum fulmina terrent.* Si cogitabimus ignem diuitis, & guttã optatã ab eo, fortè dicemus in fine, *Transiuimus per ignẽ, & aquam, & eduxit nos in refrigerium*, hoc est in cœlum.

(a) Qui vnum castigat multis millibus minatur.

Finis Bacchanalium est Quadragesima, hoc est pœnitentiæ, & ieiuniorum initium: ita finis, quem fortitus est iste epulo (qui ob crapulam,& crassitudinem ventris poterat vocari Bacchanal) induxit Quadragesimam pœnitentiæ apud plurimos. *La morte di questo Carneuale fula vita della Quaresima, cioè della penitenza.*

Adagium est: *(b) Morte de' lupi sanità delle pecore.* Lupus erat ille epulo tũ voracitate, tum crudelitate in Lazarum. nam *si communicauerit lupus agno aliquando, sic peccator iusto*, vt dicitur Ecclesiastici 13. 21. Lupus ille grauauerat cor suum crapulâ, deuorando hunc agnum; vẽtrem suum illo quasi grauidum reddiderat. Grauidus fuit viuens vno agno, vel vna oue; at mortuus peperit plurimas oues seu agnos, hoc est electos. Vnus dãnatus multos fecit esse Beatos. *Pestilente enim flagellato, stultus sapientior erit.* Mors igitur secunda istius lupi, fuit sanitas ouium.

(b) Mors lupi, vita vel sanitas ouiũ.

Eccl. 13. 21.

Prou. 29. 15. *Virga atque correptio tribuunt sapientiam.* Sed hæc virga tribulationis similis est, vt ita dicã, vmbræ diui Petri, quæ, vt aliqui exponunt, si obumbrat aliquem ex infirmis, omnes alij, qui ibi erant, nedum qui tactus illâ fuerat, sanabantur. nõ solum enim virga tribuit mentem percusso,& sanat hunc stultum, sed plurimos alios etiam restituit sanitati, qui vel vident, vel audiunt percussionem illius. Prou. 29. 15.

Canis erat ille diues tum canina fame, tum crudelitate in Lazarum. Vipera etiam erat ob eandem sæuitiam,& ex eo genere, cui dictum est. *Genimina viperarum.* &c. Cum ergo iste canis,& vipera momorderit nos morsu praui exempli sui; medeamur (vt est in prouerbio) nobis pilo huius canis, theriacam conficiamus

mus nobis de hac vipera mortua, contra ipsammet viuam. Sic enim pilo canis rabidi medentur morsui eiusdem, & theriaca ex viperis occisis morsibus viperarum. Isa. 26. 9. *Cũ feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores Orbis.* Nulla lectio, vel sermo de cathedra academiæ, vel Ecclesiæ tam docet, & penetrat, quã qui aliquando fit ex cathedra patibuli ad populum ab ipso reo iam iã necando cum scelera sua dissuadet exemplo, & punitione.

Isa. 26. 9.

2. *Quàm congrua pœna diuitis culpæ. Guttam negarat. quia opes aquæ sunt. ideo & gutta ei negatur.*

3. *Patres, vel filij, qui saluantur, neque digitum mouerent ad guttam vnam tollendam vt filiorum, vel patrum damnatorum refrigerarent linguam. id tamen non crudelitatis, sed obedientiæ Dei est effectus.*

2. VT *intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Loquar, vt & supra locutus sum de hac re, iuxta modum loquendi Euangelij huius, hoc est iuxta similitudinem ad corporea, cum certum sit animas non habere digitos, nec linguam, cũ sint incorporeæ. Iuxta ergo hunc modum loquendi, dico diuitẽ meritò non obtinuisse guttam aquæ à paupere, cum nec guttam aquæ illi ad refrigerium suum exhibuisset. Quam inquies guttam? An nescis eleëmosynam aquæ comparari, cum dicitur Ecclesiastici 3. 34. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis?* Cum ergo diues negarit immittere in os pauperis micam panis ad eius refrigerium, certè negauit ei guttam aquæ. negauit intingere extremum digiti in aquam, vt immitteret illum in os Lazari.

Eccl. 3. 34

Adde diuitias aquis comparari, dũ dicitur: *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum.* & alibi: *Diuitiæ si affluant.* affluere proprium est aquarum. ergo in diuitijs, seu in mari diuitiarum istius diuitis, mica panis erat vt gutta aquæ: ipse autem Lazarus hic ante ianuam diuitis infernum, vt ita dicam, passus fuerat, tum quia dicitur pauperi, *Elegi te in camino paupertatis,* quasi dicat in igne; tum quia Ecclesiastici 40. 3. de mendico esuriente dicitur, quod *In ventre eius ignis ardebit*, hoc est præ fame, quæ bilem igneam inflammat in famescente, vnde adagium est, (a) *Villan affamato mezo arrabbiato.* Cum ergo nec guttam aquæ ad refrigerandũ hunc ignẽ noluerit diues de tanto mari porrigere Lazaro præsenti; quomodo audet petere vt ille de tam remoto, & quieto loco descendat ad guttam sibi afferendam?

Eccl. 40. 3

(a) Rusticus famelicus, semirabidus.

Principem, vel Regulum fuisse hũc diuitem, quidam videntur suspicari. Si talis fuit, cum esset de illis, qui *imponũt onera grauia, & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere*; Pauperes enim famescere, se verò impinguari tantum volebat; ideo indignus fuit vt pauperes vellent digito suo mouere onera sua, nimirum sitis, & ardoris. Nam *quæ seminauerit homo, hæc & metet.*

Imponebat pauperibus onera famis quã ipse nec leuiter pati volebat.

3. Abraham pater fuit huius diuitis. vnde & ille ait: *Pater Abraham,* &c. (erat enim de semine eius) & ipse eum

eum vocat filium, *Fili recordare.* Inde collige, quod Sancti in adiutorium filiorum suorum damnatorum nihil omninò facerent, neque digitum mouerent, aut moueri ab alio paterentur, neque de mari propinquè guttam vnam tollerent ad eorum refrigerium, aut tolli paterentur: cũ tamen in hac vita nihil non agant pro ipsis. Idem dic de filijs Beatis in parentes damnatos. Argue ergo hic stultitiam eorum, qui parentum, vel filiorum gratiâ, damnationis periculum subeunt, nimirum peccando. Videant enim quid recipient pro tãtis laboribus, vel obsequijs ab ipsis, vel ab alijs cõsanguineis, vel amicis, si propter eos damnentur, & vt iste diues ab eis opem implorent dum cruciari in flamma æterna se senserint. Abraham pater non misit qui vel intingeret digitum in aqua, vt ardentem filium refrigeraret.

Cupiens saturari, de micis, quæ cadebant de mensa diuitis. & nemo illi dabat. Nemo aiunt Grammatici, hoc est *nullus homo.* Verè nullus homo erant illi omnes, sed potius feræ, & tigres. Nemo illi dabat. *(a) Non v'era can, che li hauesse pietà.* imò non nisi canes (vt ita dicam) illi compatiebantur. Nam *canes veniebant & lingebant vlcera eius.* Verè poterat dici: *Non v'era can, che li hauesse pietà.* quia omnes illi canes erant, *canaglia* erant crudelitate. erant Tartari, & consequenter eorum dominus, si Regulus erat, erat Magnus Canis Tartarorum (sic enim vocatur Princeps illorum.) *Il gran Can de Tartari.* Tartari, hoc est genus crudelitate insignis. ideo supra diximus, diuitem hunc vocatum hominem, ne fortè ex crudelitate fera putaretur. Vbi ergo Dominus est canis, ibi domestici sunt Tartari, seu canes minores. Ecclesiastici 10. 1. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius.* Eccl. 10. 1.

(a) Ne canis quidem vnus erat, qui eius misereretur.

Erant homines Tartari, hoc est crudeles; erant canes. Sed obserua quod idem est, homines Tartari, hoc est ex Tartaria & homines Tartari, hoc est Inferni, & ex Tartaro. quia qui Tartari sunt, hoc est crudeles) præsertim in pauperes) ijdem sunt, plerumque & homines Tartari, hoc est Inferni, hoc est Inferno damnandi, vt etiam infernales animi, & furiæ Tartareæ. Vnde in Euangelio cum vnus tantum (quod meminerim) proponatur nobis ante oculos ita clarè, & rigidè damnatus, hic ob hãc crudelitatẽ hæc pati describitur.

Canis hic magnus bibebat sanguinem Lazari, fundebat illum, atque etiam ponebat eum in balteo suo. inde enim eius purpura, ex sanguine scilicet pauperum, quẽ (saltem subtrahendo debitas stipes) apud se retinebat, pompas ex crudelitate conficiens. Sic 3. Regum. 2. de Abner dicitur: *Effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in balteo suo.* Ecclesiastici 34. 15. *Panis egentium vita pauperum est: qui fraudat illum homo sanguinis est*, hoc est homicida. In purpura ergo se virum sanguinis ostendebat. Bibebat ipse Canis magnus sanguinem Lazari, & *dimittebat reliquias suas paruulis suis, nimirum catulis.* nam dicitur quod *Canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Chrysologus serm. 122. de diuite, & Lazaro diuitẽ alloquens, ait, *Cui ne ingrederetur ia-*

3. Reg. 2.

Eccl. 34. 15.

Chrysol. ser. 122. de diuit. & Laz.

ianuam tuam, *&c. canes plurimos obiecisti*, Cui nimirum Lazaro. (accipit enim in malam partem iſtam canum immiſſionem in eum.) Emanuel Sà ait, canes lingere vlcera Lazari ſolitos, quia ex debilitate eos nequibat reppellere. idipſum accidit pauperibus cum canibus myſticis.

De quibuſdam Imperatoribus Romanorum legitur, quod paſcebãt canes ſuos iecinoribus auium, atque alijs pretioſis dapibus. Sed quis vmquam eos pauit ſanguine hominum? At dicendum eſt hunc diuitem, ſeu Regulum nõ habuiſſe tantum quinque fratres, vt ille ait in hoc Euangelio, ſed plurimos habuiſſe, & habere
Prou. 18. 9. eo ſenſu, quo dicitur Prouerb. 18 9. *Qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſsipantis.* ideoque vt omnes admonerentur de damnatione diuitis, quod ipſe volebat; non fuit miſſus Lazarus ad quinque illos, ſed ipſe Abraham, & ipſe diues per totum mũdum miſſi ſunt in hoc euangelio, eorumque voces, & verba ad fratres, hoc eſt, ſimiles eorum, per tot concionantes ſemper inſonant. Plurimi inquã ſunt diuites, & præſertim Reguli, qui paſcũt canes ſuos venaticos ſanguine pauperum, hoc eſt mercedibus, vel eleëmoſynis ad eos ſpectantibus.

Adde canes ſignificare adulatores. Adulari enim à blandimento, & motatione caudæ canis, dictum fuit. Diogenes, vt tritum eſt, vocabat Ariſtippum Dioniſij Regis canem, quod adularetur ei ventris gratiã, vel emolumenti, vt canes ſolent. Hi verò purpurati ſæpè (niſi probi ſint) non ſolum per ſe ipſos nimis emungendo pauperes, & ſubditos, eliciunt ſanguinem, ſed mittunt contra eos canes iſtos ſuos, vt lingant, quod ipſi reliquerunt. *Dimittunt illu, vt tamquam catelli edant de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*, (a) *che facciano del reſto. Laſciano che eſsi prendano mancie è regalie; e coſi. li Signori hanno o li ſeruitori, e li ſubditi li pagano.* dimittunt miniſtros, & vicarios ſuos tyrannicè agere emungendo marſupiorum reliquias ab ipſis relictas.

(a) Vt abſumant reliquias. Permittunt vt xenia & munuſcula recipiant: atque ita Domini famulos habẽt, vt ſubditi eis perſoluunt mercedẽ.

Sed cum canes (præſertim incitati à domino) in mendicos, & pannoſos (vt vbique videre eſt) ſoleant irruere, & oblatrare, atque ſæuire: quomodo ſi, vt Chryſologus ait, immiſſi fuerant à diuite; non lacerabant Lazarum, ſed lingebant vlcera eius? At in hoc apparet, quod innuimus paulò ante; nimirum Principis miniſtros & ſatellites ſæpè inſurgere calumnijs, & litibus conteſtatis cõtra ſubditos, & pauperes magno furore, quaſi canes. at cum illi miſeri offerant eis vlcera ſua ad lingendum ſanguinem, ad redimendã vexationẽ, offerant nimirum reliquias facultatum ſuarum, quæ per exactionum gladios in vulnera redactæ fuerant; in eo caſu canes repentè manſuefacti, quaſi Cerberi obiecta offa, lingunt eorum ſanguinem, quos videbantur velle proſcindere, nimirum pecuniam. nam vt Adagium fert, *ſanguis eſt hominibus pecunia.* Ita huiuſmodi miniſtri fiunt *Canes muti, non valentes latrare.* De his dici poteſt illud Micheæ cap. 3. 5. *Mordent* Mich. c. 3. 5.
dentibus ſuis, & prædicant pacem, hoc eſt, cum veluti hi canes lingunt ſanguinem

guinem, (Vulgò dicimus *Pigliano in gola, ouero mangiano*, hoc est, dona recipiunt.) Subdit: *Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium*, hoc est (a) *Lo vogliono morto, egli è spedito.*

(a) E medio sublatum volunt. Actū est de illo.

Sed animaduerte miseriā pauperis huius. Diues *tollebat panem filiorum* nimirum Lazari, & similium, *& dabat canibus*, canesque comedebant eum, nempe micas, quæ cadebant de mensa diuitis. quæ micæ erant debitæ Lazaro: nam saturari cupiebat de illis. Cum verò canes edissent eius panem, ad eumdem veniebant, vt & Lazari biberent vinū, hoc est sanguinem. nā veniebant, *& lingebant vlcera eius*. Genus quoddam munusculi, quod præter debitā stipē erogari solet operarijs, nos vocamus (b) *Il beueraggio.* eò quòd per illud exhibeatur potus operario in gratiā operis nobis præstiti. Ita ergo canes, cū comedissent pauperis panem, & vitā; nam vt diximus. *Panis egentium vita pauperū est*: potum ab eo extorquebant quasi pro beneficio exhibito. (c) *Voleua il carnefice, cioè il ricco, che Lazaro pagasse il boia che lo frustaua, anzi che lo vocideua; cioè li cani, & in essi, ò per essi, lui medesimo, che secondo Grisologo glieli haueua mandati contra. I cani volean che chi lor haueua dato da mangiar, dasse loro anco da bere, cioè che Lazaro di cui haueuan mãgiato il pane, e la vita, dasse lor anche il sangue.*

(b) q. d. potoriū.

(c) Volebat hic carnifex, vt Lazarus ei pro flagris mercedē solueret, pascendo canes quos in eum immiserat. Volebāt canes, qui Lazarus qui eis pastum dederat, daret & potum.

Comedebant canes carnem, & vitam Lazari. nam cum fame mortuū esse putat Maldonatus hoc loco, eò quòd dicatur illum optasse micas, quas nemo illi dabat. vnde mori coactus sit. vt autē esca & potus essent paris conditionis, factum est, vt sanguinem eiusdem in potum biberent. Ita infelix pauper veniebat, vt reciperet; & cogebatur dare. (d) *Il misero agnello veniua per lana, & rimaneua tosato, anzi scorticato.* stabularium diues Lazarum sibi esse volebat. gratis enim volebat eum canes suos propria ex carne & sanguine nutrire.

(d) Misella ouicula veniēs vt lanam acciperet, ipsa detonsa est.

Applica prædicta malis diuitibus, & regulis. (de his enim etiam supra sermo noster fuit) Applica ijs, qui de superfluis status, de his, quæ debentur pauperibus, alunt canes propriè, & metaphoricè sumptos. hi enim de micis cadētibus à mensa, (quæ à Doctoribus exponuntur hoc loco esse superflua, seu quæ supersunt ipsis) alunt canes prædictos. alunt ergo hi diuites canes suos pane pauperum, & consequenter carnibus, & vita ipsorum pauperum, ac etiam ipsos potāt sanguine eorumdem pauperum: velut materialiter fecisse diximus illum diuitem. alunt inquam vita, & sanguine pauperum, cùm tenentur panes, aut micas illas pauperibus tradere. nam Ecclesiastici 34. 25. *Panis egentium vita pauperum est. qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Eccl. 34. 25.

Inter horribiles punitiones Dei hæc ponitur Reg. 3. 21. *Canes comedent Iezrael.* quamuis de illa iam demortua sermo esset. at crudeles huiusmodi diuites, pauperes viuos tradunt canibus edendos. De Achab ibi capit. 22. legitur, quod canes linxerunt sanguinem eius mortui. at in casu nostro lingunt sanguinem viui, vt à Lazaro lingebant. Horrendum auditu est, quod aliquando infideles legūtur patarasse, nempe Christum Sa-

Reg. 3. 21.

Abach ibi c. 22.

Sacramento Altaris canibus proiecisse. at quia, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; fideles sæpè ipsum Christum canibus edendum tradunt in pauperibus, & hoc non videtur horrendum.

2. *Aula diuitis mali nutrit canes, scilicet parasitos, & malos, bonos & pauperes excludit.*

3. *Quod inscriptum sit ostio aulæ mali Domini.*

2. DE Lazaro hic dicitur: *Iacebat ad ianuam eius.* nempe diuitis. canes verò plurimos obiectos illi fuisse, vt arcerent eum ab ingressu, ait supra Chrysologus. vnde patet istum purpuratum in aula sua locum dedisse canibus, non autem Sanctis, qualis erat Lazarus. Ita significatur per hoc in aulas malorum Principũ canes admitti, hoc est peccatores, immundos, parasitos, adulatores, sicarios, impudicos, præsertim verò obtrectatores, & pauperum, atque mendicorum hostes: quales videmus se exhibere canes nostris mendicis. Illos inquam libenter admitti, & retineri in aulis potentum. iustos verò, præsertim pauperes excludi, qualis erat Lazarus.

3. Itaque aula mali Principis infernus esse videtur, in quem non nisi mali recipiuntur, & habitant. aula verò boni Domini, Paradisus est ob contrariam rationem. Vis hoc cognoscere? Vide quid (vt ita dicam) scriptum sit super Paradisi ostium.

Apoc. 22. 14. Apoc. 22. 14. *Beatus qui lauat stolas suas in sanguine Agni vt sit potestas eorũ in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatẽ. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes & omnis qui amat, & facit mendacium.* per canes præcipuè peccatores accipiuntur in scriptura apud Patres in Sylua alleg. & ita aliqui recentiores super hunc locum, Apoc. indicant hunc sensum vt *canes* hîc peccatores intelligantur. In ostio probæ aulæ, vt quæ Paradisus est, legitur, *Foris canes.* at in ostio aulæ iniquæ; Intus canes, & foris sancti. *Exeat aula, qui volet esse pius.* Ita cum diues peteret mitti Lazarum ad se in infernum; dictum est illi, non posse de Sinu Abrahæ, qui cœli erat figura, transire aliquos in infernum, neque è contra. quasi diceretur: non posse ex illa sancta aula bonos ingredi in istam iniquorum colluuiem. In ianua malæ aulæ legitur versus iste: *Porta patens esto cunctis, claudaris honesto.* Sic in aula istius, vt dicebam, Magni canis, omnes erant canes. nam *Nemo illi dabat:* scilicet micas.

Cum aliquod infortunium magnum nobis accidit, seu in domũ nostram deuenit, vulgò dicitur (a) *E venuto in quella casa il mal di S. Lazaro.* Cum ergo si intrasset Lazarus aulã diuitis, simul cum eo intrasset morbus eius, qui ab ipso Lazaro ita appellatus est: idcirco ille diues, & potentes, qui ei sint similes, adeo sanctos pauperes ab ingressu in eorum aulas, & præsertim cubicula suę quęrũt arcere; vt timere videantur cum eis ingressurũ morbũ Sancti Lazari. *temon ch' entri in casa loro il mal di San Lazaro.* quod est dicere pestilentiã. vnde loca pestilentibus assignata, vocantur. *Lazaretti.* Sed *qui timet*

(a) Venit in eam domum malum siue morbus S. Lazari.

met pruinam, irruet super eum nix. Vt enim vulgare eorum dictum alio vulgari retellam, dico: (a) *Se non entrerà in casa loro il ma di San Lazaro, entrerà in essi il fuoco di Sant' Antonio.* ignis inquam succensus in furore Dei, *qui ardebit, vsque ad inferni nouissima.* Nonne ita accidit huic diuiti, qui clamat, *Crucior in hac flāma?* Morbus Lazari manēdo in Lazaro intrasset in domum diuitis. at iste ignis intrauit in ipsum diuitem. primo fuit ignis culpæ, deinde pœnæ. culpa enim etiam ignis est, nam Ecclesiastici 3. *Ignem ardētem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis.* Si socij fueritis tribulationis, eritis & consolationis. Noluit hic diues esse cum Lazaro afflicto, voluit esse cum Lazaro gaudēte. at non est illi cōcessum, scilicet, vt ille ad se mitteretur. Volumus post mortem semper esse cum Lazaro: vnde in funere decantatur ab Ecclesia, *Chorus Angelorum te suscipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.* Cum Lazaro glorioso vis habitare in æternum, & non pateris illum ad horam tecum habitare miserabilem? Vis vt inopes te recipiant in æterna eorum tabernacula, & dedignaris eos recipere in transitoria, & terrena? Iniquior es in hac re illo diuite, qui ad momētū tantummodo petijt esse cum Lazaro, guttamq; tantum ab eo recipere.

(a) Si nō intrat in domum illorum morbus S. Lazari, intrabit ignis S. Antonij.

Eccl. 3.

O peruersitas, & stultitia! Times recipere pauperem, appropinquare Lazaro, ne fortè te, vel domum tuam peste inficiat suo morbo, vel habitu? Verè vt est in prouerbio: (a) *Il mondo và alla riuersa, e chi deue dar fà citar.* Æthiops deridet album, iuxta priscum adagium. Tu pestilens es, si peccator es, & pauperum osor; & si id negas, insuper es infidelis, & Turca. negas enim Scripturam, quæ passim tui similes affirmat esse pestilentes. Prou. 15 12. *Non amat pestilens, qui se corripit.* & cap. 13. 25. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* & 29. 8. *Homines pestilentes dissipant ciuitatem.* Ecce quomodo etiam dicuntur impij *Sedere in cathedra pestilentiæ.* Tu igitur peste infectus es, & pauperem longè à te ipso amoues, nec intra limen tuum admittis? *Iacebat ad ianuam eius.*

(a) Mundus inuersus est: & qui debet appellat.

Prou. 15. 12. cap. 13. 25 & 29. 8.

Tu ipse pestilens es: & pauper ipse, si posset, deberet longè abesse à te; nec appropinquare foribus tuis, nec recipere aut tāgere panem tuum: ne fortè per ista pestis tua ad illum transiret. Deberet *discedere à tabernaculis impiorum, ne fortè inuolueretur peccatis eorum.* ne terra simul cum ipsis eum deglutiret. deberet excutere puluerem tuæ domus de pedibus suis, vt dictum est Apostolis pauperibus hospitio exclusis. & tamen tu illum excludis à te vt immundum.

Iacebat ad ianuam. Amouebatur etiam ab oculis, quasi tanquam basiliscus posset pestilentiam, & venenum etiā per oculos effundere. Quid dico de oculis, cum dicatur quod ipse erat *Cupiens saturari de micis, quæ cadebāt de mēsa diuitis?* Cur inquit *cupiens*, & non *petens*? nisi quia nec sustinebant audire vocem miseri, quasi & per ipsam possent eius infici morbo? quasi & ipsa vox non per aures?

sed per narres ingressura fœtorē vlcerum posset secum afferre. Nō solum diues prohibebat eleēmosynā, seu micas erogari; sed neque rogare, quasi pauper manus, & vngues etiam in voce haberet, quibus petita raperet. Amotus erat ab oculis, & ab auribus, fortasse, ne illorum viscera ad aliquam humanitatis motum cōmouisset, vnde periculum subirent aliquid ei impertiēdi. Sic enim legitur de quodam tyranno, qui aliquando audiēs in scena recitari nescio quid, quod misericordiam excitaret, inde recessit, dicens se id facere, ne ad pietatem commoueretur.

2. *Pauperes licet fame pereuntes sæpè non permittuntur os aperire ad opem petendam coram diuitibus. Id in sequentibus amplificatur*
3. *Diues inferno punitus multis prodest ad conuersionem.*
4. *Prædicans inferni pœnas fulminando id faciat, & tonando.*

2. CVPIEBAT *saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis.* O omnibus lacrymis deploranda miseria pauperum: quibus pro piaculo est etiam in ipsis cruciatibus mortis, in ipso mortali vulnere ab hostibus accepto, vocem etiam submissam emittere. Nonne occidebatur Lazarus fame (vt Maldonatus etiam exponat eum per eam interijsse, dicantur ei negatæ etiam micæ, nec mentio fiat de cibo alias ei præstito) & tamen non audebat os aperire ad dolorem suum exponendum? *Cupiens* dicitur, non petens; quasi nec mutire audēs. quis canis, quis musculus non finitur stridere, dum calcatur, vel occiditur? Numquid non rugiet onager, cum non habuerit herbam, aut non mugiet bos, cum ante præsepe vacuum steterit? Verè verificatur Ecclesiastici 13. 4. *Diues iniustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit.* Eccl. 13. 4.

Plurimos canes nutriebat in aula sua diues iste, vt ex Chrysologo supra vidimus. Patiebatur ergo audire tot canum latratus, & vlulatus; & non patiebantur vnius miseri hominis audire voces? canes edebant de cadentibus micis: inde non poterant edere Sancti homines? nonne potuisset dicere hic miser: *Fac me non sicut vnum de seruis tuis, sed sicut vnum de canibus tuis?* Ergo cum dixerit Augustus de Herode, qui necarat filium suum cum alijs Innocentibus (cum vt Iudæus parceret suibus) *Apud Herodem melius est esse porcum, quàm filium;* cur non dicetur, Apud crudeles diuites, Melius est esse canem, quàm filium, cum *tollant panem filiorum, & dent canibus?*

Si Regulus erat ille diues, vt ex purpura suspiciantur quidam, nonne in aula eius concursus turbarum fiebat? nonne fori strepitus in Palatio audiebatur? Nonne ob quotidiana conuiuia stridores occisorum animalium semper insonabant? vbi ergo tumultus, & clamores, seu voces cuiuscumque generis hominum, & animalium æquanimiter audiuntur, sola vox iusti fame pereuntis non sustinetur? Non licet tibi ô Lazare aliquid in os mittere, non licet aliquid extra os emittere?

Optabat saturari de micis. Non audebte

debat loqui, & petere. si enim ille caruisset morbo suo, morbo nempe (si ita vocare volumus) sancti Lazari; eundem morbum, impatientes vocis eius, eidem precati essent: *Se non haueffe hauuto il mal di San Lazaro, glie lo hauerian mandato mille volte.* imo pro micis panis postulatis, tot eum pascerent maledictionibus, & conuitijs, vt de eo dici posset, non saturabitur micis, sed *saturabitur opprobrijs.* Nam fit in hac re quod ait Prou. 23. Salomon nu 23. *Cum obsecrationibus loquetur pauper & diues effabitur rigidè* quamuis obsecrando diuitem quasi parentem, petat ab eo panem, vel ouum; ille tamen rigidè respondenbo, dat ei lapidem, vel scorpionem duri scilicet verbi, & conuitij. (a) *vn và, lauora poltrone, se non e piagato, ò se è piagato, con che emp:astro ti hai fatto queste truffe da rubbar denari alla gente? questo sono il pane con che lo pascon, ò che gli tiran nella testa.* Bene Chrysol. sermone de Lazaro, & diuite ait, super illa verba diuitis, *Vt refrigeret linguam meam:* In lingua maius sentit incendium, quæ maledixit pauperi. *diues pascebatur conuiuijs, pauper conuitijs.* sic hodie sæè accidit.

Morbum S. Lazari ei precati essent, hoc est simile, vel maiorem.

Prou. 23. Salom. nu. 23.

(a) Si corpore integro est pauper; Abi inquiunt, labora piger. Si plagosus est; Quo empla-stro tibi ipse has plagas fecisti, vt marsupia nostra emungeres? Hic panis est, quem pauperibus suppeditant.

In tempestate aëris magnâ æstiuo tempore, quando fulmina decidunt, simul solet irruere magna vis imbris, vel potius grandinis, & frigidioris venti. vnde pro vna arbore, quæ ab igne cælesti coburitur, mille ab incendio, vt ita dicam, nimij caloris æstiui liberantur. vel potius in maximo æstu pro vno homine sic incenso ab igne fulminis, mille eximuntur ab ardore cæli. ita ergo per fulmen pœnæ, immissum à cælo, hoc est Deo in vnum hominem, qualis fuit diues, qui ex hoc cruciatur in flamma inferni; plures alij eximuntur ab incendio eiusdem inferni. quia, *cum feceris iudicia tua in terra, iustitiā discent habitatores orbis.* vt est Isa. 26.9. vel dic, quod dum vnum accendit eo igne, simul innumeros quasi grandinis gelu, ac superuenientis frigoris perstringit, hoc est gelu timoris. item dum accendit in illo flammam inferni, in alijs pluribus extinguit flammam æstus concupiscentiæ malæ, luxuriæ, auaritiæ, iræ. nam Ecclesiastici 9. 9. *Concupiscentia quasi ignis exardescit.* quot inuenias, qui considerando diuitem in flammis, cum prius arderent igne prædicto, in breui comutati à prioribus desiderijs, & per pluuiam verbi cælestis refrigerati, aliam vitæ rationem tenuerunt, refrigeratis in se concupiscentiæ flammis?

Isai. 26. 9.

Eccl. 9. 9.

Notum est vehementes oratores dictos esse tonare, & fulgurare: vt Cicero de oratore refert dictum esse de Pericle. multò magis id competit prædicatoribus Christi, qui sunt *cæli enarrantes gloriam Dei.* sicque suo modo successoribus eorum Concionatoribus verbi Dei; qui & ipsi cæli sunt enarrãtes eandem gloriam. cum verò Cælum tonat & fulgurat, id vehementissimè facit; adeo vt dirumpi videatur. sic prædicator sæpè tonet, & fulguret dicendo, præcipuè cum coniũgit suo sermoni, & tonitruo fulmen, quod diximus esse præcipuum Dei & Cæli irati telum, (fulmen dixi, hoc est ignem inferni) debet vehementissimè tonare, & fulgurare.

rare dicendo, vt omnes exhorrescat in ostensione tanti supplicij. D. Hier. ait in Apologia ad Pammachium: *Paulum Apostolum quotiescumque lego, videor mihi non verba audire sed tonitrua.*

Apoc. 4. 5. *De throno procedebant*
Apoc. 4. 5. *fulgura, & voces, & tonitrua.* Rupert. de Apostolis prædicantibus exponit. dicti illi duo *Bonaerges*, hoc filij tonitrui. ergo prędicatores, qui sunt & ipsi cæli, quod sint successores ipsorum; & ipsi tonare debent, sed maximè in hac re. tonare debent, cum fulmen emittunt, nempe ignē diuinæ vltionis, hoc est ignem inferni enarrant. tonitruum enim cum fulmine incedit. æs fit concionantis pectus, dum vt bombarda ærea tonat, & fulminat.

Reddet vnicuique secundum opera sua. Quod ait quidam apud inferos, & iam in adagium transit, *Quisque suos patimur Manes*; legi iterato posset dicendo, Quisque suos patimur Manes, quisque suas patimur manus, hoc est opera. Possunt damnati etiā dicere, Quisque suos patimur Manes; quia semper manent pœnæ illæ, numquam transeunt. Si peccatores hic inferni seriò timuissent minas; ibi forsitan non paterentur Manes. nam ordinariè quos infernus hic terret, ibi non torret.

HVMILITAS.

2. *Sedes humilior Regi maiori paranda, scilicet Deo. cum contrarium fiat in mundo.*

3. *Cælum totum impenditur ad ditandam humum, quæ significat humilem.*

4. *Humilitas vnius hominis plus valet ieiunijs totius mundi.*

2. HOMINES thronos sublimes sedesque eminentes parant ac superbas, cum apud ipsos sedere debent magni Principes: at cum Deus sit Rex regum, &c. sedes conuenientissima quæ ei parari potest, est. sedes omnium humillima. vnde Bern. ait super illud, Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c. *Respondet humiliter, vt sedes gratiæ præparetur.* an ignoras quæ Gratia in eâ sessura erat, & ventura? nonne ipsemet Deus, qui in eius vterum descendit? Sed adde, tum sedit in ea etiam per nouam gratiam, & hoc secundo modo potes per humilem hanc sedem in corde tuo Deo parare locum. *Super quem requiescet spiritus eius, nisi per humilem, & quietum*? Quæ sedes humilior, illa gloriosior. ideo digna Deo, apud quem fiunt nouissimi primi.

3. Iterum nota cælum esse quandam circumferentiam, & circulum, terram verò quasi centrum huius circumferentiæ, eo quod humillima sit omnium elementorum mundi, vnde humilitas ab humo dicta videtur. animaduerte ergo quomodo Cælum, cum nobilissimum, & maximum sit ob materiam incorruptibilem, & nobiliorem omnibus gemmis; tum ob magnitudinem, claritatem, & virtutem, atque influxus; & cum sit Dei ipsius imago, vnde in Scriptura, & apud Auctores omnes, Cælum pro Deo solet, poni, vt cum dicitur ab vno ex Machabeis, *è cælo ista possideo*; tamen hoc cælum ab

ab initio suæ creationis vsque ad finem mundi totum versatur in seruiendo huic terræ: irrequietè circum eam vertitur, omnes suos influxus, & quodcunque habet, in ea fouenda, & ditanda ponit. & tandem sicut omnes lineæ ductæ à circumferentia ad centrum diriguntur: ita & omnes lineæ eius influxuum, ad cētrum eius, scilicet ad terrā diriguntur, & in ea vniuntur. Hoc (præter alias rationes) cur factum videtur, nisi vt repræsentaretur, quod cælum spiritale, scilicet Deus, totum videtur se impendere in exaltādo humili, qui censetur esse cētrum omnium suorum influxuum. sed quia B. Virgo tale centrum se præstitit super alios humiles, idcirco singulariter facta est receptaculum omniū gratiarum Cæli. ideo Bernard. loco citato addit verbis supra relatis: *Nimirum quia propria sedes, propriusque locus, atque (vt rectius dicam,) naturale centrum, ad quod suoptè pondere feruntur diuinæ gratiæ, vna est humilitatis virtus.* Adde tu, Cælum impenditur totum circa humum, & circa humilem: illam fecundat fructibus naturæ, hunc gratiæ.

4. Plus valet humilitas vnius hominis, quàm ieiunium totius mundi ex Climaco de scala Paradisi gradu 30. de humilitate, vbi ait: *Inuenio Manassem illum inter homines ceteris amplius, & pernitiosius peccasse, templumque Dei, ac religionem omnem profano cultu idolorum inquinasse. pro quo si mundus totus ieiunasset, nullam sceleribus eius dignam pœnitentiam inferre potuisset. valuit tamen humilitas insanabilia eius vulnera curare.*

Clim. de scal. Parad. grad 3. de hum.

2. *Angelus occasione honoris factus est diabolus, homo bestia. quantò deterior fiet per hoc qui iam erat diabolus, aut bestia per peccatum?*

2. OCCASIONE principatus, qui angelus erat, factus est repentè diabolus. qui homo erat, factus est quasi bestia. de Adam dico, qui præpositus Paradisi, & cunctorum animalium constitutus erat. de quo dictum Psal 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Rupertus libro primo de victoria verbi cap. 12. *Ecce comprobatum est ex duobus (nempe Angelo, & homine) quia principatum omnium nullus humiliter ferre potuit.* Si ergo qui Angelus erat, ea occasione factus est diabolus; quid fiet de eo, qui ante principatum iam diabolus erat, iuxta illud Ioan. 6. *Ex vobis vnus diabolus est.* talis enim fit homo per multam malitiam. quid fiet de eo, qui ante honorem erat vt brutum quoad vitia?

Psal. 48.

Rup. l. 1. de vict verb. c. 12

Ioan. 6.

Ait quidam de matrona magnæ virtutis, & miræ humilitatis, quot ora aperiebat (scilicet in sui laudem) efficaciā sui meriti, totidem claudebat modestiā suæ mentis, hoc est impediendo suas laudes. Passim spargebat semina laudis, & tamen metere recusabat messem honoris. de eadem ait, in eleēmosynis (a) *tenea aperta la borsa, serrata la bocca:* hoc est, tubâ non canebat faciens eas.

(a) Os clausum habebat, crumenā apertam.

3. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis id*

probatur exemplo dæmonis, vt Deum æmuletur similia facientis.

3. ETiam dæmones, vt dij credantur, vel vt laudem acquirant per damnatam ſuperbiam hominum magnorum, vel doctorum; reuelant ſecreta per magiam ipſis paruulis quibus in ſpeculis oſtendũt imagines rerum occultarum, de quibus interrogantur à magis, & per hos pueros docent deinde ipſos magos, & magnos. ſic volentes detegere fures, adhibent puerulos, qui in ſpeculis hos intueantur. Sic Ælius Spartianus in Iuliano ait: Aiunt ipſum per pueros ſecreta à dæmone inueſtigaſſe, & intellexiſſe. poteſt dici ad hoc exaggerandum. etiam dæmonibus inuiſos eſſe ſuperbos, cùm tamen dicatur pro magna ſuperbiæ damnatione, *odibilis Deo, & hominibus ſuperbia*. at poteſt addi, *etiam dæmonibus*. Sicut Deus per Apoſtolos humiles, & quaſi pueros quoad terrenas ſcientias, voluit docere magnos & ſapientes, vt eos humiliaret; ſic dæmon Dei æmulus, vel potius ſimia, hæc præſtat.

Sed applica hæc virginitati, & puritati, vel ſimplicitati, & innocentiæ, nam talibus Deus reuelat arcana, vt virginibus Sybillis olim, & Ioanni virgini, hoc eſt Euangeliſtæ ſe communicauit; & dicitur *cum ſimplicibus ſermocinatio eius*. Dæmon quia dixit, *ſimilis ero Altiſſimo*, vt talis appareat, etiam nunc in hac parte illum æmulatur. Deus enim per angelos, qui ſunt velut mundiſſima ſpecula, & aptiſſima ad ſuſcipiendas imagines infuſas, hoc eſt reuelationes, &c. per hos inquam docet pueros, hoc eſt viros ſimplices, & per hos poſtea docet alios. ſic ergo dæmon mediantibus ſpeculis docet pueros, & per pueros alios quoſcumque.

Prou. 3. 32.

2. *Mirabile & magnum eſt eſſe humilem in ſtatu, ac merito ſublimi.*

3. *Titulus humilis, maior titulo Regis.*

2. HOmines mihi videntur eſſe veluti vina. ſi vinum ſit excellens, & magni pretij, nos vocamus vinum magnum & potens, *è vino grande, vino potente*. ſi tale ſit; ſæpè ſolet eſſe valde fumoſum, & altiora petere, nimirum caput hominis, quaſi ſub pedibus illud ſubiugando, occupata arce ciuitatis, quæ eſt caput. ſolet etiam hoc vinum eſſe auſterum, & ideo parum amatur ab hominibus. at ſi cum magnitudine & potentia habeat, vt vocant amabilitatem; ſit ſine fumoſitate, ſine aſperitate; deſcendat potius ad profunda viſcerum, quàm petat ſumma cerebri; ſi tale inquam ſit, nullum vinum hominibus gratius erit. eodem modo homines qui magni ſunt & excellentes, vel quia Principes ſunt, vocantur *Potentes*, vt illi de quibus dicitur *potentes potenter tormenta patientur*. tales inquam homines, velut vina magna, & potentia ſolent habere multum fumi, & ſæpè etiam auſteritatis, parumque amabilitatis. at ſi fortè careant hac fumoſitate, & non curent per ſuperbiam aſcendere ſuper capita aliorum conculcando omnes (dum

eis

eis venit *pes superbiæ*) tales inquam homines cunctis charissimi sunt. Sic D. Hieron. epist. ad Celantiam tomo primo ait: *Nihil est, quod nos ita & hominibus charos, & Deo faciat gratos, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus.*

D. Hier. ep. ad Cel. to. 1.

Non magnum est, vinum vile & abiectum, vinum paruum carere fumo, alta capitis non ascendere, austeritate carere, esse amabile. at hæc magna sunt in magno, & potente. Sic Bern. hom. 4. super Missus est: *Non est magnum*, inquit, *esse humilem in abiectione. rara est virtus, humilitas honorata.*

Ber. hom. 4.

3. Maior est in homine titulus humilis, quam titulus Regis nam rex significat regem terræ, humilis regem cæli. ideo dicitur pusillo gregi, scilicet humilibus, quod complacuit patri ipsorum *dare illis regnum*, & nedum in futuro, sed in præsenti vocantur reges, cum dicitur, *Beati pauperes spiritu* (scilicet humiles, vt Aug. exponit) *quoniam vestrum est regnum cælorum.* ergo miraris, si titulus humilitatis est ornamentum dignitatis? quod est dignitas homini, hoc est humilitas dignitati. vnde Aug. ser. 113. de tempore: *In summo*, inquit, *honore, summa tibi sit humilitas. honoris enim laus est humilitatis virtus.* ita ibi. Adde ergo ex hoc inferri, quod est corona regi, id est humilitas coronæ regiæ, diadema sine humilitate, est diadema sine diademate, humilitas est purpura purpuræ. purpura est purpura purpurati.

Luc. 12. Matt. 5. Aug. ser. 113. de temp.

Adde prædictis: Rex quatenus est rex præest subditis, quatenus humilis præest regi, hoc est sibi ipsi, nam est rex. & Ber. 2. de consideratione ad Eug. ait, quod humilis est maior se ipso. rex sine humilitate est collega diaboli, quia *ipse est rex super omnes filios superbiæ*: at humilis est socius Christi qui dicit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Rex sæpè ob regni curas & infortunia est miser; humilis est, vt ita dicam, Beatus. nam cum Beatitudo sit animæ, & desiderij quies & satietas; dicitur discentibus humilitatem, *& inuenietis requiem animabus vestris.* Tandem rex vt rex, collocatus est supra terram, & humilis supra aërem & ignem, vanitatis scilicet & superbiæ. ignis enim super elementa ascendens omnia, symbolum est superbiæ. & consequenter hic humilis iam nunc in cælo, quod super ignem est, habitat cælum manu tenet, quasi ipsum non possit perdere. nam, vt ait Chrysolog. serm. 23. ad illud, *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro*, &c. *Acquisiuit humilitas, superbia quod amisit.* Ideo, *Beati pauperes spiritu*, scilicet humiles, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* iam nunc in Cælo sunt dicentes, *Nostra conuersatio in cælis est.*

Bern. 2. de cons. ad Eug. Iob. 41. 25 Chrys. ser. 23.

4. *Humiliant se multi, sed tantum donec accipiant optata. hi quasi aquilæ ad escam tantum descendentes.*

5. *Iidem cameli ad onus sese inclinantes suscipiendum, deinde se erigentes vt antea.*

4. QVIDAM velut aquilæ, de quibus dicitur Iob. 39. *quod in arduis ponunt nidum suum*, in

sublimi volant per superbiam: at prædæ, & escarum causâ, *sicut aquila volans ad escam*, descendunt, & se
Mat. 20. humiliant. Matt. 20. *Adorans & petens aliquid ab eo.* hæc duo simul incedũt. at capta prædâ, sicut aquilæ, rursus eleuantur, tergaque vertunt humilitati, siue ei, à quo acceperunt.
Eccle. 29. Ecclesiastici 29. *Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocẽ suam.* ecce humiliatio, sed donec durat prædatio, non vltra. Hic humilis, est aquila volans
Ecclesiast. 23. ad escam. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.*

5. Camelus, vt aiunt, prosternit se, vt recipiat sarcinas. at cum suum pondus receperit, rursum erigitur. vnde quidam picto hoc animali sic inclinato, addidit hæc verba, *Donec receperit.* ita ergo faciunt prædicti, donec accipiant siue munera, siue onera dignitatum, quas ambiunt, tibi humiliantur, sed donec receperint. *Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam.*

6. *Humiliatus sum, & liberauit me. Exemplum Ducis in sacco euadens ex hostibus.*

6. NICOLAVS Piccininus dux exercituum Philippi ducis Mediolanensis, qui Piccinini cognomen à statura exigua sortitus est, conclusus in agro Brixiano à Francisco Sfortia duce Venetorum, cum ad suos tutè venire non posset, se in sacco impositũ baiulo tradidit portãdum. qui baiulus postulatus, quid in sacco deferret, respondit, panem. ita per medios hostes securus effugit. quia exiguus erat, in sacco facilè inclusus latuit. Item, quia abiecta gloria consuetâ, quâ solebat procedere, in eam se coniecit humilitatem, vt sacco inclusus deferretur vice quadrigæ, vel equi gloriosi; liberatus est ab hoste. Ita nos, cum premamur, & obsideamur ab hostibus spiritalibus; si exiguos nos exhibebimus per humilitatem, si relictis vestibus gloriæ, sacco obuoluemur pœnitentiæ, & humilitatis, liberabimur, & salui effugiemus de manibus eorum, dicetque vnusquisque nostrum illud, *Humiliatus sum, & liberauit me.* Rex Niniue abiectâ purpura *indutus est sacco*, & liberatus est à ruina. item Achab, de quo 3. Regum. 21. *dormiuit in sacco.* & de illo dictum ibi, *3. Reg. 21.*
Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est causa mei, non inducam malum in diebus eius. Sic Apostolus: *demissus sum in sporta, & sic euasi manus eius.* euasit in *2. Corint. 11.*
sporta, qui non euasisset in purpura. Humiliatus sum, & liberauit me.

At dixit de Achab: *quia humiliatus est causâ mei, non inducam malum*, &c. multi enim humiliantur, sed non causâ Dei, sed causa hominis, causa necessitatis, & vtilitatis suæ, & in ipsa humiliatione coacta superbiunt. Sic Nauclerus volumine 3. generatione 40. apud Theatrum vitæ hu- *Naucl. vol. 3. gen. 40.*
manæ narrat de Friderico Primo, qui cum à Venetis victus, & pacem Alexandro Tertio facere coactus, ad valuas D. Marci collum calcandum Papæ præbuisset, dicente Papa, *Super aspidem, & basiliscũ ambulabis, & concul-*

conculcabis Leonem, & draconem, subdidit ille, *Non tibi sed Petro.* at Pontifex; *& mihi, & Petro.* Sic multi humiliantur inimicis, humiliantur maioribus, quos læserunt; sed ex necessitate. hi non merentur liberalitatem Dei, & liberationem à malis. nam *quia humiliatus est causâ mei, non inducam malum in diebus eius.*

7. *Apud Deum nouissimi primi.*

7. IANSENIVS refert D. Ambrosium in Lucam, quod exponat, titulos, seu inscriptiones super crucem Domini litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis, positas hoc ordine fuisse, vt primo Hebræam, deinde Græcam, postremo Latinam posuerint, quæ idcircò proximior fuerit Christo crucifixo. quod ait significasse Latinos Christo viciniores fore. Documentum inde nobis haurire licet, quod apud Deum *sint nouissimi primi, & primi nouissimi*, & quod incipiat Paterfamilias à nouissimis, & veniat vsque ad primos. In hoc igitur sensu, qui prostremum locum obtinebant, hoc est Latini, illi Christo proximiores erant, & cõsequenter primi fiebant.

8. *Id quod supra exemplo pulchro ostendetur pauperis à conuitio eiecti, quod numerum excederet conuiuarum.*

8. NARRANT quidam, Marcum Terentium Varronẽ conuiuas adhibuisse iuxta numerũ gratiarum, vel musarum, hoc est tres, aut nouem. cùm autem præter inuitatos nobiliores, quidam angustæ fortunæ homo se conuiuio eius adiunxisset; præpositus, siue magister conuiuij numeratis conuiuis, dixit illi, tu numerum excedis; quare abeundum tibi est. ille verò, Incipe inquit, à me numerare, & videbis quod non ego numerum exsuperem, sed alius.

Apud homines in beneficijs dispensandis sæpè incipitur à primis in primatu prosperitatis descéditurque ad nouissimos. vnde qui magis inopes, & humilioris conditionis sunt, ij & postremi sunt ad recipiendum; imo iam diuisa, & consummata re, quasi occupatis locis in conuiuio, nihil solet superesse, quod perueniat. Apud Deum autem incipitur à nouissimis, non quidem nouissimis abiectione, sed animi humilitate: qui in conuiuio se collocarunt in infimo loco, ij iubentur ascendere superiùs, quia *qui se humiliat exaltabitur*, qui verò se collocarunt in primo loco, iubentur descendere, quia *qui se exaltat humiliabitur.* Deus, vt dicebam est *incipiens à nouissimis, veniensque vsque ad primos.* At conuiuij supra narrati magister repræsentat mundum, qui in conuiuio suo nouissimos in fortuna in nouissimis collocat, & excludit à participatione conuiuij dignitatem, vel honorem.

Potest etiam prædicta res applicari liberalitati in pauperes; multi enim, verbi gratia, inuitant ad cœnam suam nobiles, & diuites, vel cognatos; ideoque excludunt ab ea pauperes, quasi locus non supersit talibus, quia numerum conuiuarum isti excedant. at cum Lucæ 14. dicatur adhibendos mensæ non cognatos; *Luca 14.*

 tos;

tos, nec diuites vicinos, sed *pauperes debiles, & claudos*; ideo isti dicere possunt, Incipe numerare conuiuas à nobis, & non à cognatis, vel diuitibus, & ita nos non erimus conuiuio superflui, sed potius illi diuites superuacui erunt. Similiter pauper exclusus à conuiuio Beneficiorum, & Officiorum Aulæ, aut Reip. quasi excedat numerum eligendorum; potest dicere, incipe a me, vel me vltimum non relinquas, & non ero extra numerum, non excedam locos conuiuij.

2. *Quantò quis maior est, tantò magis humiliare se debet.*

Bern. in Cant. 2. D. BERNARDVS in Cantica dicit eum, qui per ostium intrat, si vel vno digito altius quam ianua sit, caput attollat, lædetur in capite à superiore parte ipsius ianuæ; quantumlibet autem caput demittat in eo transitu, nihil ei nocebit hęc demissio capitis. ita malè tibi est, si pauluIum te extollas superbiendo, at quantumuis te humilies, tibi id nihil nocebit. Adde tu, quòd quantò aliquis maior fuerit staturâ, tantò magis debet inclinari, dum transit per ostium parum eleuatum: ita Ecclesiastici 3 *Quantò magnus es, tantò in omnibus te humilia.* Maior enim plus se debet humiliare: quia in maiori periculo est, ne lædatur à superbia, quàm alij minores. *Ecclesiast. 3.*

3. *Christi exemplo magni præsertim se humilient, ille in omnibus humiliora elegit.*

3. QVANTÒ *magnus es, tantò in omnibus te humilia.* hoc impleuit Christus, qui omnium erat, & est maximus. Multa regna erant in mundo gloriosiora, tamen nasci voluit in Iudæa: multæ vrbes præclariores erant in Iudæa, tamen voluit concipi in Nazaret, nasci in Bethleem. multæ domus erant in Bethleem, tamen voluit nasci in diuersorio: multa loca erant in eo diuersorio; tamen propriè nasci voluit in stabulo diuersorij; multa animalia nobiliora erant in mundo, & probabile putat Maldonatus etiam ibi fuisse ob peregrinorum copiam; tamen inter bouem, & asinum iacere voluit.

4. *Mirabilis gigas in merito, Pygmæus humilitate. exemplum de viro perdicis magnitudine olim viso.*

4. QVANTÒ *magnus es, tantò in omnibus te humilia.* prudentiæ, & rationis vsus non est admirabilis in homine consuetæ magnitudinis; at admiratione digna est in infantili, & valde diminuto corpore. Nicephorus lib. 2. cap. 37. refert de Ægyptio quodam viro, qui cum perfectæ ætatis, & rationis esset, tamen non excedebat perdicis magnitudinem, vixitque vt ille narrat vsque ad annum vigesimum quintum. hic vt ait, admirationi erat videntibus. vnde ad eum videndum plurimi confluebant. Ita ergò non est admirabilis prudentia, & sapiētia, siue virtus, si sit in homine grandi in opinione propria, & qui, vt dicunt, suo non careat fumo. at miranda sunt prędi- *Nicephor. l. 2. c. 37.*

&a

cta omnia si sint in homine valde exiguo apud se ipsum, qui cum gigas sit merito, tamen pygmæus sit humilitate. huiusmodi tam magni, & tam parui, *spectaculum facti sunt mundo, Angelis, & hominibus.*

PATERFAMILIAS.

2. Paterfamilias non superbiat cum suis, non singularis sit in cibo, aut delitijs.
3. Exemplum domini mortui præ ira, quod sui edissent ficus sibi paratas.

Eccles. 32.1.



ECCLESIASTICI 32. 1. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis, quasi vnus ex ipsis,* hoc multò magis dicendum Patrifamilias, vt talis sit inter domesticos, cum & ipse rector illorum sit. *Noli extolli* inquit, & *esto quasi vnus ex ipsis.* extollentia non solum consideratur in exigenda nimia veneratione super alios, sed etiam in singularitate aliarũ rerum, & præcipuè quoad corporis commoda vt in cibis, & alijs huiusmodi. Ita Helinandus de institutione Principis scribit Iulium Cæsarem incarcerasse pistorem eò quòd apposuisset sibi panẽ meliorem, quàm militibus. At modo multi pistorem potius incarcerarent, nisi meliorem sibi apponeret. An nescis quod Pharao pistorem in carcerem coniecit, si Hebræis credimus, eò quòd in pane sibi apposito exiguum calculum inuenerit? Sic Patresfamilias nolunt esse sicut ceteri hominum de familia sua: sed veluti Sauli Samuel apponi fecit armum, quem de industria dixit ei fuisse seruatum; ita amor proprius sibi Patrisfamilias apponi vult optima quæque: at ceteris, etiam filijs quæcunque ipse neglexerit, vel ipsius reliquias, & quasi micas de eius mensa cadentes, ac si canes essent non homines.

Ioach. Cur. ap. Theat. V. volum. 2. lib. 7.

3. Ita Ioachimus Cureus in Silesiæ annalibus apud Theatrum vitæ humanæ, volum. 2. lib. 7. titulo Ira mortui, narrat Matthiam Coruinum Principem magnum ægritudinibus valde debilitatũ cum Viennæ existens poposcisset ficus recentes ex Italia allatas, & audisset eas ab aulicis comestas, præ ira corruisse apopleticũ, & sequenti die obijsse. Fortasse sibi soli tam dulces fructus volebat, ideoque ira exarsit quòd in familiæ ora ceciderant. Hoc exemplum facit ad indicandum quantum possit in homine tum gula, tum iracundia, quæ pro re tam vili in tantum hominem excandescere fecerit. Applica etiã impatientiæ Patrisfamilias in tolerandis domesticorum erratis, præsertim circa annonam, & rem familiarẽ domus.

Quidam existimarunt fructum vetitum, propter quem Primi Parentes mortem subierunt, eamque omnibus inuexerunt, fuisse ficum, eò quòd folijs ficus fecerint sibi perizomata. Quod si ita esset, gulosus vnus mortuus esset ob ficum comestam, alter ob non comestam.

Esto in illis quasi vnus ex ipsis quidam enim rectores adeo dedignantur suis communicare quæ sibi ipsis reser-

reseruant, vt videantur existimare suos omnes non esse carnis, & sanguinis eiusdem speciei cum sua carne & sanguine. Videntur æstimare, & quoad facta æstimant, se ipsos, quasi soli gustum & sensum habeant voluptatum grandium: aliíque de luto vel marmore confecti, seu compositi sint, vnde & incapaces voluptatum existant. Principes aliqui solent venationes, & piscationes reseruatas habere. at nihil differunt multi patresfamilias ab ipsis, nisi quod illi reseruatam habent captionem animalium, hi verò manducationem: illi capturam viuorum & fugientium per lata cāporum vel lacuum, cum labore etiam, & periculo quærunt, hi verò hanc capturam, non solum mortuorum, sed etiam coctorum sedentes quietè in patinis faciunt. At etiam venationem reseruatam sibi faciunt panis, & vini, & quarumcunque rerum, ne quid commune habeant cum reliqua familia, & aliquando etiam neque cum liberis suis, ita vt quanto tempore filius paruulus est nihil differat à seruo. Ergo dic, *Esto in illis quasi vnus ex ipsis.*

Æstimant se quasi solos Israëlitas, familiam verò esse ex gentibus incircumcisis, & immundis; ideoque ab ipsorum cibis, & conuictu sibi abstinendum. vnde si inuitentur ad talia comedenda dicant, Absit à me, nihil vnquam manducaui cōmune, & immundum. Si commune est, statim hoc ipso immundum censent. Quod si aliquando ministri domus, vt supra dicebamus, selectissima quæque, & singularia non ipsis apponant, sed ex ijs velint participare; protinus exterminatos & in inferno perpetuo damnatos volunt.

4. *Domini crudeles in famulos, si exiguum quid ederint, vel commiserint.*

4. LVCIANVS in dialogo, qui Prometheus dicitur fabulam huiusmodi narrat à priscis ralatam. Cum Prometheus in conuiuio carnes quasdam conuiuis apponeret, Ioui accumbenti inter ceteros ossa quædam exigua pinguedine operta apposuit; ipse sibi carnium pulpas reseruans. & hæc fuit vna ex causis, propter quas Prometheum rupi alligatum à vulture perpetuo deuorandum Iuppiter tradiderit, vt ipse Prometheus ibi dicit, conquerens se ob tam vilem causam à Ioue pœna infernali punitum. Ecce igitur quomodo Potentes, & Primarij domus vel Reip. volunt statim, si possunt, etiam in inferno damnari miseros ministros, seu alios ex familia, si vel bolum vnum sibi paratum vendicarint. Hoc enim per fabulam istam docemur. Igitur ne tu huiusmodi sis cum familia tua, *esto in illis quasi vnus ex ipsis*: ne sis singularis, & ferus, ne de te verificetur respectu familiæ tuæ, *exterminauit eam aper de Sylua, & singularis ferus depastus est eam.* Ecclest. 4. *Noli esse sicut Leo in domo tua euertens domesticos tuos.* Cur sæuit aper. cur sæuit Leo in cetera animalia, & præcipuè Leo, qui rex est eorum, in sibi subditas bestias, nisi propter voracitatē, & ingluuiem? ergo dum Patresfamilias Eccl. 4.

milias sæuiunt in familiares, aut famulos propter similes causas, puta ciborum comestorum, vel non ritè paratorum & conditorum; in hoc ostendunt se potius bestias, quàm homines, & leones, quàm Dominos in domo sua.

Vbi sunt qui, si tantillum è proprio dolio, è vino inquam dominico seruus, vel ancilla potauit, tantumdem sanguinis per flagella illata, cogunt eos reddere? Volunt hi patres familias esse asinarij dum se faciunt dominos in domo, & non patres. nam, nonne est asinarius, qui asinis præest? at isti volunt omnes domesticos suos, seu seruos, ac ceteros sibi subditos asinos esse, vt puta portantes vinum, & bibentes aquam, hoc est præparantes eis lautissima, ipsi sumentes pessima, & iumentorum magis, quàm hominum propria.

O quam diuersus ab his erat, vt pro vero audiui, magnus quidam Prælatus, qui vinum quoddam pretiosum seruo cuidam ex suis committens seruandum, sibique ministrandum pro tempore, cum idem seruus cellæ vinariæ præfectus esset, ait illi, de hoc vino (prædictum ostendo) tu tantummodo, & ego bibemus. considerauit pius Paterfamilias iuxta prouerbium, difficillimum esse mel tractare, & non aliquid ex eo adhærere digitis. versari in molendino, & vestium seruare nigredinem. ideo noluit ingerere scrupulum seruo, imo abstulit. erat Prælatus & Princeps: noluit fieri asinarius, volendo, vt sui vinum gerant, aquam bibant. Saül erat asinarius, & destitit talis esse, dum factus est rex: at prædicti desinunt esse Domini, & Reges in domo sua (nam vt Iuristæ testantur dominus in domo sua est rex) vt fiant asinarij. Dum volunt per superbiam esse plusquàm homines, & nimis extare supra suos; fiunt minus quàm homines, & minores suis. nam, vt probauimus, fiunt bestiæ, & Leones in domo sua. dum volunt esse domi veluti Reges suorum, fiunt ipsorum carnifices, hos, & illos sæpè verberando, & torquendo. itaque de ijs valet: *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Quid enim vilius carnifice?

Dixi hos Patresfamilias inferno damnare suos ob supradictas leues rationes: imo & inferni pœnis addicunt, eò quòd illos cõstituant Tantalos, hoc est existentes inter cibos, & numquam eis vtentes, eò quòd vt supradiximus nolint eos vllatenus in his rebus ipsis dominis communicare, cum tamen easdem res ipsi pertractent, & teneant custodiendo, ministrando, &c. Si autem talem infernum non sustinere valeant, sed aliquo modo ad ea vetita sibi manus extendant; secundo, & veriori inferno illos damnant, quatenus, quamuis in eo facto ob leuitatem materiæ, vel alia de causa non peccassent mortiferè, illos tamen contumelijs, vel etiam verberibus vexando ad impatientiam, & culpam mortalem pertrahunt, & consequenter inferno adiudicant. vnde miseris alter de duobus infernis sustinendus est: & facti sunt, *Quomodo si fugiat vir à facie Leonis, & occurrat ei vrsus*, vt de alia re loquens

Amos 5. 19. dicit Amos 5. 19. Mitto quod sæpè causa sunt illis huius secundi inferni, dum nimis super hac re scrupulum eis ingerunt. Nolumus tamen per prædicta damnare disparitatem aliquam victus inter dominum, & seruum; neque aliquid præter fas in hoc concedere seruis, sed nimium rigorem auferre à dominis.

Scribunt multi Regem quendam Turcarum, cum animaduertisset duos cucumeres, quos cred bile est solos, & sibi valde charos fuisse, ex hortulo surreptos; duos dulescentes necatos iussu suo scindi iussisse statim in ventre vt appareret quis eorum eos deuorasset. Theodorus tamen Spadugninus de rebus Turcarum non in duos, sed plusquàm in decem ita sæuijsse scribit, nisi fortè id de alio Turcarũ Rege narrare eũ dicas. Horrescunt aures hæc audiendo. & tamen quot Christianos hic Turcas simul habemus. quot Turcas cum nigris pileis, *Turchi dalla berretta negra* imo Turcis crudeliores. quid enim crudeliũ est necare corpus, an animam? scindere ventres hominum, an illos igni perpetuo, quantum in se est, adiudicare? hoc autem facere sæpè Christianos, cum suis, ad iracundiam & desperationem prouocando propter similes causas, iam vidimus.

Quot Dominos inuenias, vel Dominas, quæ ob surreptum aliquod vile de domo præcipuè etiam de horto, vel de culina ob pulmentum minus bene conditum, ob muscam in cibo, vel festucam, aut pilum inuentum tanquam dæmonio correptæ, miseras aggrediuntur ancillas, vel seruulos non solum cõtumelijs sed etiam fustibus prænduris, & nodosis, clamoribus interim, dissonisque vocibus totam replentes & euertentes domum, & aliquando etiam viciniam? Et si interroges quid tantum ruinæ & strepitus causauerit; inuenies muscam, vel pilum fuisse, quæ, vt dixi, casu inter cibos ceciderunt.

Parturient montes, nascetur ridiculus mus. at hic parturiet mus, nascentur vastissimi montes. de musca enim, vt ait adagium, elephantem faciunt, de musca inquam in cibo reperta, & de festuca ibi reperta trabem, quæ illorum oculos excæcet præ iracundia. Vide quàm pusilli animi sint isti ex pusillitate oculorum eiusdem animi: nam in his oculis festuca est magna trabs, adeo minuti sunt. nisi enim ita pusilli essent, non adeo parua de causa excæcarentur iracundia.

2. *Gula causa iræ dominorum in familia.*
3. *Domini singulari cibo pasti in mensa sunt candela adipe enutrita in mensa Quadragesimæ.*
4. *Senecæ dicta de seruis honorandis, & de modestia erga eos seruandis.*

2. SED quia vt vidimus ignes huiusmodi irarum in Patribus familias, præcipuè ex lignis concupiscentiæ ventris, & illecebrarum eius oriri solent; hæc ligna subtrahere debent vt minus suscitentur. Ira Italicè vulgo *musca* vocatur. at scimus cibos & mensam esse muscarum magnetem. item ira in scriptura na-

ſt nomine exprimitur, cò quòd ille eſt veluti caminus æſtuantis animi, & videmus parum admodum diſtare naſum ab ore. ſic vicinæ ſunt iracundia & gula. imo in ordine ſeptem peccatorum capitalium poſt gulam ſtatim ſuccedit ira. & cum gula hoc eſt voracitas mater ſit bilis,& choleræ iuxta Eccleſiaſt. 37. *Auiditas* (ſcilicet edendi) *appropinquabit vſque ad choleram*.& Seneca epiſt. 47.de ira in ſeruos ita ait. At rabiem cogunt venire delitiæ, vt quidquid non ex voluntate reſpondit, iram prouocet. ita ibi.

Eccleſiaſt. 37.

3. *Eſto in illis quaſi vnus ex ipſis*.præcipuè talis eſto cum his qui menſæ tuæ aſſident, vt filij, & coniuncti. Sit menſa tua, tabula rotunda, hoc eſt,in quâ non fiat differentia in cibis inter hunc & illum. *filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* ecce rotunditas menſæ. qui autem, cò quòd eſt caput familiæ, pinguia & electa ſibi appropriat, deteriora ceteris commenſalibus relinquẽdo; is mihi videtur eſſe veluti candela ex adipe confecta, quæ aliquando ardet in menſa ieiunantium. In hoc ſenſu ſe faciunt lucernas poſitas ſuper candelabrum.cum familiæ prælati ſint.

Vide dignitatem vanitatis plenã, multi domini, non ſe putant eſſe magnos,ſeu magnates,niſi familiam ſeruorum excommunicatorum habeant. quomodo excommunicatorum? an neſcis excõmunicatis prohiberi contenta illo verſu: *Os, orare, vale, communio,menſa negatur?* at quot ſunt, qui hæc omnia denegant ſeruis,ſaltem inferioribus: quibus ſi loqui aliquando coguntur (vt ex neceſſitate permittitur fieri cum excõmunicatis) ægrè,nec niſi per nutus, & per deriſiua cognomina, vel per contumelias id fit, vel vt noſtri dicunt, *li parlan con la ciarabottana.* excommunicatio non fertur in aliquẽ niſi ob graue peccatum:at illi ſeruos non ob aliud peccatum excommunicant,niſi quia ſerui ſũt imo nõ ob peccatum,ſed ob meritum; quia ſerui ſibi ſunt.Imo cauſa excommunicationis huius eſt ſuperbia domini. vnde quia peccatum facit dominus excommunicationẽ patitur ſeruus. Iob. 29. *In circuitu meo pueri mei,* hoc eſt famuli, & Gregor. ait, *forſan nec à menſa ſua eos excludebat.*

Iob. 29.

4. An hic modus gerendi ſe cum familia, & ſeruis ſit tolerabilis; inimici noſtri ſint iudices. ſi non credis in hoc, vel potius, ſi non aquieſcis Chriſtianis, & ſanctis; crede Paganis. illis non aquieſcis, quia ſectatores humilitatis ſe profitentur; crede iſtis, qui Chriſtianam humilitatem neſcierunt,& toti ſunt in gloria vera, vt ipſi loquuntur, ſectanda, quam inquiunt ex rebus ipſis abeis exquiri. Maximus inter hos fuit Seneca,vt paſſim apparet ex eius ſcriptis. neque dicas cum contemptorem mundi fuiſſe, & ſine ſeruorum dominio: cum multi Principes hodie neque ſplendore dignitatis, quam obtinuit in aula Cæſarum, neque opibus ſint illi comparandi, vt teſtantur auctores paſſim. vnde & nobili famulatu vſum fuiſſe certum eſt. Loquitur autẽ infra de ſeruis emptijs: vnde à fortiori illa magis vrgebunt de famulis.

Is ergo epist. 47. *Libenter ex his, qui à te veniunt cognoui familiariter te cum seruis tuis viuere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui sunt, imo homines, imo humiles amici, imo conserui, si cogitaueris tantumdem in vtrosque licere fortunæ.* ita ille. Sed putas te admirationi esse, eò quòd seruis nullatenus te immisceas. audi ipsum Senecam, & in persona eius omnes graues, & sapientes viros, nedum veros Christianos, quomodo te ob hoc admirentur, & honorent. *Itaque rideo* (inquit) *istos, qui turpe existimant cum seruo suo cœnare.* Hæc est admiratio, hic est honor quem acquiris.

2. *Domini cogitent naturæ æqualitatem cum seruis, & quod & ipsi poßunt serui fieri.*

2. SED ibidem paulò inferiùs ait: *Vis tu cogitare istum, quem seruum tuum vocas ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cælo æquè spirare, æquè viuere, æquè mori? Tu tam illum videre ingenuum potes, quam ille te seruum. Mariana clade quam multos splendidißimè natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depreßit? alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit. Contemne nunc eius fortunæ hominem, in quem transire, dum contemnis, potes.* & paucis interiectis, subdit. *Hæc tamen præcepti mei summa est sic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum superiorem velis viuere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in seruum liceat, veniet in mentem tantumdem in te domino tuo licere.* Ita ibi. Hoc postremum vnusquisque nostrum potest, vt sibi dictum recipere, cum non solum principem habeat superiorem, sed etiam Deum. Colos. 3. *Domini quod iustum, & æquum est seruis præstate, scientes, quod & vos Dominum habetis in Cælo.* Col. 3.

Subdit ibidem: *Viue cum seruo tuo clementer, in iter quoque & in sermonem admitte, & in consilium, & in conuictum.* vide portenta mundi, Christiani seruos excommunicant modo supra dicto, cùm prædictis omnibus eos priuent. at quos excommunicant Christiani, absoluunt, seu communioni restituunt Pagani. Ethnici dignantur secum pasci seruos in mensa, Christiani neque de mensa. de mensa inquam, hoc est ex eisdem cibis. Pagani admittere dignantur ad conuiuium, Christiani vix admittere dignantur ad conuiuium. Potentes & opulentissimi, ac sapientissimi, vt erat Seneca, volunt admitti etiam ad consultationem, at tenuioris etiã status homines, atque semiasini rudirare, neque ad collocutionem. Splendidissimum aurum nõ formidat se immiscere vasis seruorum vilioribus, at ollæ denigratæ plebeiorum clamant eis: recedite à me, nolite me tangere, quia mundæ sumus.

Serui interdum in consilium, & conuictum adhibendi ex Seneca.

3. *Domini olim vocati Patres ideo serui habiti vt filij.*

3. AT ne quis mihi dicat, solum Senecam & Lucillium, ad quem scribit, hæc seruis præstitisse; audiat ab ipso Seneca etiam Priscos Romanos rerũ Dominos, & mundi domitores passim se tales exhibuisse seruis, quales ipse optabat tempore

suo

ſuo domorū rectores. ait ergo epiſ. citata 46. *Ne illud quidem videtis, quam omnem inuidiam maiores noſtri dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxerint? Dominum patrem familiæ appellauerunt, ſeruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares. Inſtituerunt diem feſtum, non quo ſolum cum ſeruis domini veſcerentur; ſed quo vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiſerunt, & domum puſillam Rempub. eſſe iudicauerunt.* ita ibi.

4. *Domini hodierni in familiam aſperi, auari in ea paſcenda.*

4 SI ergo illi dominos vocarunt familiæ patres, ergo ſeruos habuerunt veluti filios, cum noſtri etiam filios habeant veluti ſeruos. in victu enim in veſtitu, & in reliquis ſæpè nihil videntur differre à ſeruis. Familiares olim dicti à familiaritate, at modo ita nuncupantur à fame, quâ à multis dominis premuntur: & videntur dici famulantes, quaſi fame vlulantes, à lupis eſurientibus ſumpta ſimilitudine. quia in fame vlulant, ſicut miſeri ſerui murmurant ſuper hoc iuxta illud; *Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præſepe plenum ſteterit?* & Si non fuerint ſaturati & murmurabunt.

5. *Serui nec erubeſcendi, nec nimis familiariter adhibendi.*

5. NON habent ſeruos? erubeſcunt eſſe ſine ſeruis. habent ſeruos? erubeſcunt ſe viuere cum ſeruis. Familiaritas, inquiunt, parit contemptum. ergo inquiunt, aut ſeruos oportet contemnere, aut à ſeruis contemni: præcipuè, cum iuxta Italicum prouerbium, (a) *Chi dà il dito al villano, e i piglia il dito, e la mano e, ſe ti domeſtichi col matto in caſa, egli ti ſputa in piazza.* Sed fatemur in hac re aureum illud ſeruandum. *Ne quid nimis*, vt nec familiaritas vilem, nec ſuperbia te reddat odioſum. cum tuis eſto ſeuerè blandus, & blandè ſeuerus. Paterfamilias iuxta nomen ſuum debet eſſe familiæ pater, non familiæ frater. nos dicimus. *Non dete affratellarſi troppo.* De omnibus, nedum de ſeruis in nimiam familiaritatem non adhibendis optimè cecinit antiquus auctor.

Nulli te facias nimis ſodalem
Gaudebis minus, & minus dolebis,

(a) Si ruſtico porrigis digitū arripit & manum. Si familiaris ſis Stulto in domo, ille te conſpuet in foro:

Permittit Deus, vt de te etiam dicas reſpectu familiæ tuæ, in qua es dominus ſimul & pater, illud Mat. 1. 6. *Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum: Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* Honor hic prout amorem includi accipitur. vt honorem & timorem cum amore exigat. Mat. 1. 9.

6. *Erubeſcens in ſeruis ſeruitutem, erubeſcit ſe ipſum, & opus ſuum. nam ipſe eam ſeruitutem efficit, dum conſeruat, nec tollit.*

6. LOQVENDO autem propriè de ſeruis, hoc eſt emptitijs, aut bello captis; vide miſer domine, dum dedignaris humaniter agere in ſeruos, dum erubeſcis in eis ſeruilem conditionem, quid eru-

erubeſcis, malum ipſorum, an tuum? certè tuum. tu enim es, qui illam efficis ſeruitutem, dum non vis concedere libertatem. Nonne turpitudo facti tribuitur facienti? nonne malus fructus dicitur eſſe malæ arboris, & ob hoc ipſa appellatur mala iuxta euangelium? ergo ſi ſeruitutem dicis eſſe vituperandam, erubeſcendam; te ipſum tuo ore condemnas, te ipſum vituperandum exhibes. Imo quamuis ſeruitus hæc ſit honeſta in aliquo ſeruo; ſæpè erit vituperanda in domino: eò quòd ille inuitus patiatur ipſam, hic verò eam voluntariè vel creat, vel conſeruat. Malus eſt qui facit malum. Seruilis & mechanicus qui ſeruilem, & mechanicam artem exercet. ergo ſeruus eſt qui ſeruitutem & ſeruilem conſtituit conditionem. Non dicitur ſeruilis lana, vel corium, in quæ artifices opus ſuum conficiunt, ſed ſeruiles & mechanici dicuntur artifices ipſi, qui hæc operantur. ita non ſunt ſerui in quibus tu ſeruitutē facis, ſed tu ſeruus es qui eam facis.

7. *Nullum peccatum eſt in ſeptem capitalibus, quod in ſeruos non committant domini mali.*

7. QVOD genus peccati non exercent in miſeros ſeruos? Incipe. *Superbia*, in imperanpo; *Auaritia*, in paſcendo, & remunerãdo *Luxuria*, iis in lenonum officio, vel etiã in libidine præſertim in ancillis abutendo; *Inuidia*, ipſorum ingenia aliquando ingenua per contemptum deprimendo, & ad ſordida opera compellendo; *Gula*, eos ad omne ſtudium & laborem coquinę pro palati ſui guſtu cogendo; *Ira*, ſæpiſſimè verbis, & manibus in eos inſurgendo; *Accidia*, eos non ſolum ad opera bona non inducendo ſed ſæpè etiam à Miſſâ, & aliis ſimilibus, vt ſibi tantum ſemper vacent, reuocando.

8. *Amor nimius nocet filio, conciliat amato inuidiam in ceteris liberis.*

8. AMBROS. de Ioſeph. Patriarca capit. 2. *Amor patrius niſi moderationem teneat, nocet liberis. ſi aut nimia indulgentia dilectum reſoluat, aut prælatio vnius ceteros ab affectu germanitatis auertat. plus acquiritur filio cui fratrũ amor acquiritur. hæc præclarior munificentia patrũ, hæc ditior hæreditas filiorũ. iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura.* ita Ambroſ. ibi. ſic Pater vnum filium præ ceteris amans, pro amore vnius multorum ſibi cõciliat odium. qualis eſt amor tuus erga me, vt pro vnico obolo donato, decem me obolis expolies; pro vno in me collato amore decem me priues amoribus? Adagiũ eſt, *Chariſſimus Principi, odioſiſſimus Aulicis.* Amatũ à Iacob oderant fratres.

Amor nimius nocet, vt ait Ambroſ. dum filio nimis indulget. Indulgentia aliqua remittit peccata *Alluditur* ſed eſt etiã indulgentia fouens pec- *Indulgentia* cata. dicit pater: vnicè diligo filium *Pontificia.* meum, ille eſt anima mea, ſed dico, *Mat 10.* *qui amat animam ſuam perdet eam & qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam.* hoc adaptari poteſt tuo filio. inquit Aug. *eſt amor, vt pereat, eſt odium ne pereat. fœlices qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amãdo.* vt enim dixerat, *cùm malè amaueris tũc odiſti, cũ benè oderis tunc amaſti.*

2. De-

2. *Domestici Patremfamilias inducunt in pericula salutis ob interesse ipsorum.*

2 INIMICI *hominis domestici eius*, vt est Matth. 10. filij, & nepotes, alijque domestici patrisfamilias amant, colunt, vrgent etiam ipsum Patremfamilias opes familiæ parantem, & impellunt ad honores currentem, vt inde ipsi illustrentur. sed quod ille in laboribus, & curis, & animæ scrupulis, ob ea in discrimen vitæ, & salutis etiam æternæ veniat, nihil curant, dummodo eorum domus ipsis patribus quasi facibus ardentibus illustrétur. inde impia vox in adagium abijt apud iniquos filios: *beatus filius cuius pater est in inferno* quasi ibi ardens vt facula (licet ibi ignis non luceat) adhuc illustret domum, hoc est opibus, & honore cum peccato patris: sicut & in vita ardendo per peccatum eam illustrabat, dũ ipse & corpore, & animâ consumeretur, & *Sicut fluit cera à facie ignis sic peribat peccator à facie Dei.* voluit Deus vt ille esset lucerna ponenda super candelabrum, *vt luceat omnibus qui in domo sunt* quoad bonum exemplum, & vt ad lumen eius ritè ambularent neque offenderent, & caderent, at ille se fecit lucernam ad offendiculum, & scandalum domesticorum per malum exemplum, atque etiam per fœlicitatem nimiam illis comparatam quæ illis fit fomes labendi in peccata. imo fit illorum fax, quæ igne inferni in eis accendit.

Matth. 10.

Sed vt sistamus in eò quod dixi, domesticos nil curare de periculo vitæ & animæ patrisfamilias dummodo quæ sua sunt ab eo quærant; exemplum habetur Ioan. 7. *Post hæc ambulabat Iesus per Galilæam. non enim volebat in Iudæam ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere. erat autem in proximo dies festus Iudæorum scenopegia.* supposito prædicto statu, & periculo vitæ Domini, quid sequatur statim, audiamus: *Dixerunt autem ad eum fratres eius, transi hinc, & vade in Iudæam: & vt discipuli tui videant opera tua, quæ facis. nemo quippe in occulto quid facit sed quærit ipse in palam esse. si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.* fratres eius, hoc est consanguinei ex parte Mariæ, qui vocantur fratres more Hebraico. Sic August. tract. 28. in Ioan. suadebant autem, vt occasione festi (in quo plurimi Iudæi conueniebant Ierusalem) ibi, & non in Galilæa esset, & miracula faceret, vt per hoc mundanâ gloriâ clarificaretur, vnde & ad ipsos, vt eius consanguineos ea redundaret. ita exponunt Aug. Cyrillus, & Rupert. in hunc locum. quomodo amatis Christum consanguineum? quomodo ibit in Iudæam si volunt eum interficere? at ipsi, si non dictis, saltem factis dicebant, Acquirat nobis gloriam, de periculo eius nolumus curam gerere. notã fuisse in Iudæa hanc Iudæorum voluntatem necãdi Christum potest colligi ex hoc eodem cap. vbi Christus ait populo prædicans, *quid me quæritis interficere?* & infra illo prædicante, *Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis, nonne hic est, quem quærunt interficere? & ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt.* nec ista latuisse ipsos Christi consan-

Ioan. 7.

tract. 28. in Ioan.

consanguineos videtur probabile. saltem à discipulis id scire potuerunt. Imo Rupertus, & Eutymius aiunt eos id cognouisse. igitur dic ipsos obcæcatos cupiditate gloriæ, & proprij boni, nil cogitasse de salute Christi, dummodo voti sui compotes fierent. ita ergo solent se gerere filij, & consanguinei cum patrefamilias, vt supra explicaui. *inimici hominis domestici eius:* quia eius perniciem licet non ex intentione, saltem materialiter procurant. quo pacto inimici erant Christo prædicti consanguinei eius.

Chrysostom. hom. 47. in Ioan. Sed & Chrysostom. hom. 47. in Ioan. & Theophyl. & Maldonatus hic dicunt cognatos illos Christi ipsum timiditatis arguisse per illa verba, quasi dicerent, transi in Iudæam, & ne acquiescas huic tuæ formidini. puto, quia vanum timorem quodammodo illum esse dicebant. idem faciunt cognati, & amici in casu simili cum cognato. aiunt enim, vt quid scrupulo angeris ad hunc contractum celebrãdum? hic timor tuus vanus est. Ita si dubites admittere officium bellicum, vel politicum; vnde ipsis emolumentum, & honor prouenire possit, dubites inquam, quia supra vires tuas sit tum corporis, tum animæ; eodem modo animum tibi ingerere student timiditati tribuendo quod est prudentiæ; ita te in pericula magna inducunt. quot seniores inuenias, qui cum pedes habeant in fouea sepulchri, tamen amore familiæ habent caput in culmine honoris, vel in cumulo lucri, dixi caput, hoc est mentem: addita præsertim cohortatione ipsius familiæ. amant prioritatem propter posteritatẽ. prioritatem dixi, hoc est primatum honoris, posteritatem hoc est successores. dictũ est Ierem. 6. *Auaritiæ studem* (a) *Studian i padri nell'auaritia, acciò con il loro studio i figli s'addot iorin nella lussuria.* Facit quod ait Ecclesiasticus 14. 4. *Qui aceruat ex animo suo iniustè; alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.*

(a) Student Patres auaritiæ, vt filij Magistri euadant in luxuria. *Ierem. 6. Eccl. 14. 4.*

VITÆ LVXVS,

AC DELITIÆ

1. *Expensæ nobilium quantæ, liberalitas Principum in mercedibus ministrorum est subditis vtilis.*
2. *Luxus in lectulis diuitum.*
3. *Auari incubantes thesauris, nec illis vtentes.*
4. *Crux Christi quàm vtilis nobis*



STRABO lib. 14. narrat Xerxem Persarum Regem Themistocli patriâ pulso, & ad se confugienti tres vrbes donasse; *Mianta* in cibum, *Magnesiam* in panem, *Lampsacum* in vinum. at apud Plutarchum in Themistocle dicitur, quod addere debuerat *Percoram* in lectum, & *Palescepsim* in vestem, nempe duas alias vrbes sic dictas vide ergo quanti sint hi gigantes vt ciuitas integra in cibum, alia in panem, alia in vestitum sit consumenda. de talibus, quando sunt oppressores pauperum, verificatur quod *deuorant plebẽ meam sicut escã panis.* *Stra. l. 4.*

ni. applica etiam hæc liberalitati, vel auaritiæ dominorum in salarijs suorum officialium, & ministrorum. propter quam auaritiam sæpè ipsi adducuntur ad expilandos subditos, vt ita obtineant à vasallis quod illis negatur à Principe.

Athen. lib. 12. 2. Athen. lib. 12. in principio scribit Reges Persarum in loco, vbi dormiebant, habuisse ad caput conclaue, in quo erant auri talenta quinque mille, & dicebatur ceruical Regis: ad pedes aliud conclaue, in quo argenti talenta etiam millia. insuper & vitis aurea erat in eodem loco gemmis ornata, quæ veluti pergula cubili regio obtendebatur. cum videamus hodie lectos magnatum, & sponsarum adeo diuites, & operimenta eorum ex serico, & arte elaborata eximia, cortinas, & fulcra materiâ, & opere plurimis aureis constare; potest dici mundum esse plenum Regibus Persarum, & dormire super similes thesauros. cibum gratis non concessit natura, sed emitur. at somnus nihil constat nobis. at hi sibi inuidentes, voluerunt illum eis magis constare quam pauperibus *Amos 6. 4.* cibus constet. Amos 6. 4. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris.*

3. Prædicti Reges dormientes super tantos thesauros repræsentant auaros incubantes scrinijs, & opibus, nec eis vtentes: incubantes illis ad custodiendos illos vt se, non dominos, sed custodes ostendant suæ pecuniæ, & ne aliquis nisi vitâ dominis ereptâ thesauros furetur.

4. Item si lectus Regis mortalis tam pretiosus; quàm pretiosus lectus regis æterni, id est Christi, qui fuit crux, cui dicitur, *Salue crux pretiosa.* nam tot thesauris plena fuit, vt ijs totus mundus redemptus sit. pretiosus item lectus Laurentij, hoc est craticula, quæ igne candens in aurum videbatur conuersa, quo ille emit regnum. tam pretiosus lectus crucis, vt Christus per eum tot talenta suis distribuerit gratiarum; de quibus dicitur à seruo, *Quinque talenta tradidisti mihi.* & quamuis de ea Christus tot talenta deprompserit, quia infinitus thesaurus est hominibus; ideo nunquam euacuatur. quod non fiebat in lecto Regis Persarum.

2. *Modesta frugalitas in viris magna magis honoratur, quàm luxus, ex Seneca.*

3. *Luxus, & pompa non faciunt meliorem dominum ea vtentem.*

3. TVBERO præclarissimus Romanorum Consul (vt apud Valer. Max. lib. 4. cap. 4.) in *Val. Max. l. 4 c. 4.* cœna, & conuiuio publicè exhibito fictilia vasa tantum habuit, & pelles hædinas in lectulis, qui conuiuis eo tempore substernebantur: cum alij nobiles magno luxu eodem tempore conuiuia agitarint publica, vel alio pacto suam pretiosam suppellectilem ostentarint Populo Romano. illud autem conuiuium Tuberonis in Capitolio celebratum est, & fortasse occasione triumphi ab eo reportati paratum. eo enim loci triumphatores solebant præcipuè gloriam suam ostentare. de hoc autem viro Seneca *Seneca epist. 95.* epist. 95. sic habet, *Tuberonis ligneos*

lectulos, cum in publicum sternerentur, hædinæque pro stragulis pelles, & ante ipsius Iouis cellam proposita vasa fictilia. quid aliud est paupertatem in Capitolio consecrare? & paucis interiectis, de hoc ipso facto subdit: O *quam ignorant homines cupidi gloriæ quid illa sit, aut quemadmodum petenda. Illo die Populus Romanus multorum suppellectilem spectauit, vnius miratus est: Omnium illorum aurum, argentumque fractum est, & millies conflatum* (alij legunt & in millies conflatum) *at omnibus sæculis Tuberonis fictilia durabunt.* ita Seneca. quod vltimum vel intelligitur de duratione famæ, vel quia talia fictilia quasi res sacræ & admirandæ in Capitolio post mortem Tuberonis seruabantur ad perpetuam rei memoriam. Sed si non in Capitolio, certè in capite, & mente omnium mortalium honorificè seruabantur, & seruabuntur omni tempore. En igitur etiam iuxta Senecam, & ipsos infideles, quod *qui se exaltat humiliabitur, qui se humiliat, exaltabitur.* nam perijt memoria, seu laus argenteæ suppellectilis possessorum; viuit verò gloria vtentis fictilibus vasis. Adde populum etiam eo tempore spectasse argentea vasa aliorum, vnius verò Tuberonis fictilia admiratum esse; vt ait Seneca, quod indicat ipsum non illos glorificasse.

Seneca epist. 88. 3. Idem Seneca epist. 88. *Vehiculum, in quod impositus sum, rusticum est: mulæ viuere se ambulando testantur: mulio excalceatus non propter æstatem. vix à me obtineo, vt hoc vehiculum velim videri meum.* ita loquentem vt audiuimus inducit hominem. sed eadem in epistola subdit postea de hac re: *Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ vnius omnes coloris? Quid ista vehicula cælata? instrati auro alipedes, pulchrisque tapetis. Aurea pectoribus demissa monilia pendent, tecti auro fuluum mandunt sub dentibus aurum. Ista nec dominum meliorem possunt facere, nec mulam.* Ita ille versibus ex Virgilio desumptis.

4. *Delitiæ debilitatem efficiunt in homine.*

4. ET epist. 6. de eadem re loquens ait, *A gestatione cum maximè venio non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem quantum sedi. labor est enim diu ferri, ac nescio an eo maior, quia contra naturam est, quæ pedes dedit, vt per nos ambularemus. debilitatem nobis induxêre delitiæ, & quod diu noluimus, posse desiuimus.* *Et Epi. 6.*

Idem de Beata vita 12. de hac re, *Idem de Beata vita 12.* Audio, inquit, *quendam ex delicatis, cum ex balneo inter manus elatus, & in sella positus esset* (nimirum gestatoria) *iam sedeo?* supple audio dicentem interrogatiuè, iam sedeo? pergit Seneca, dicitque: *Hunc tu ignorantem an sedeat putas scire an viuat? an videat? an otiosus sit?*

2. *Per prodigalitatem, & luxum quidam deinde fures fiunt, aut detinentes aliena, domesticis negantes alimenta debita.*

3. *Delitijs vtantur ægri, & inualidi, non autem sani ijs non egentes.*

2. ECCLESIASTICI 4. 36. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum & ad dandum collecta.* quasi dicat, *Eccles. 4. 36.*

dicat, ne sit liberalis, & prompta ad illud, auara ad hoc per manum enim dilatatam liberalitas & prodigalitas significatur, vt per eandem in pugnum contractam auaritia. His positis, dic prodigalitatem, & luxum cogere homines fieri auaros, ac etiam raptores, vt per acquisita compensent perdita. Ita qui nimis lautè conuiuijs excepit amicos, postea solet fame necare domesticos. (a) *Se quelli fecero la festa, fa à questi fare la vigilia. Quello che mangiaron quelli, lo fa digerire à questi.* Si largus fuit in victu, sæpè deinde miser erit in vestitu præcipuè verò si manum dilatauit ad luxum, deinde eam restringit ab eleëmosynis & debitis soluendis: (quod est furtum.) Nam est retentio rei alienæ inuito domino. Ita qui velut filius prodigus deuorauit substantiam suam; cum habuerit lupum in ore, postea habet griphũ in manibus; & cum fuerit lupus, fit deinde lupus rapax. Et de eo, qui in popinis se vino ingurgitat & familiam siti arescere finit vel aliter sua prodigalitate eam affligit, dici potest, (b) *Fà che per lui la botte getti per il cocchiume; è per la famiglia ne anco per la spina renda.* & ita dum illa esurit, ipse ebrius est.

(a) Illi diem festũ egerunt, hi celebrant peruigilium. Quod illi comedederunt, his digerendum vel concoquendum est.

(b) Illi dolia ingenti ore vinum effundũt familiæ verò exiguo canaliculo.

Hi igitur, qui post manum dilatatam per luxum, & prodigalitatem, eam per rapinam, aut auaritiam, deinde restringunt, mihi videntur per totam vitam ludere digitis micando, Italicè *giocar alla mora.* In hoc enim ludo post manum aliquanto dilatatam, statim ipsa in pugnum restringitur. iterum dilatatur, & iterum restringitur. Ita cum hæc manûs restrictio à solutione debitorum, sit furtũ; & ludus iste micandi digitis videatur plebeiorum hominum; dicendum est quod dum putant se ludere ludo baiulorum, ludunt ludo latrunculorum. Ideo videntur similes his, de quibus Sap. 15. 12. *Æstimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndecumque etiam ex malo acquirere.* Vbi nota, quod in hoc ludo scelesto, contra vsum ludi ordinarij, qui fit in micando, lucrum acquiritur non in iactatione digitorum, vel expansione manûs, sed in collectione eiusdem. Aduerte etiam actionem ipsam contrahendi manum, seu digitos in pugnum in micando; cùm digiti in ipso actu curuentur versus palmam, repræsentare actum carpendi, ac proinde furtum. in qua re significatur post luxum & prodigalitatem sæpè sequi furta etiam aperta.

Sap. 15. 12.

Cùm, vt dixi, luxus, & prodigalitas sit quædam deuoratio hoc est consumptio rei familiaris (iuxta illud de prodigo Euang. qui *deuorasse* dicitur *substantiam suam*) eò quòd qui deuorat absque masticatione, quasi absque consideratione aliqua citò absumit, velut prodigus: idcircò, sicut ex deuoratione & crapula, ex vita luxûs plena, qualis est nobilium, solet gigni morbus articularis, scilicet chiragra, & podagra; ita ex prodigalitate, & luxu, vitaque nobili oritur sæpè ista chiragra metaphorica, & podagra, nimirum auaritia, quâ manus impediuntur à tribuendo pauperibus, & creditoribus, pedes ne ambulent extra domum ne à satellitibus capiantur, & in car-

cerem mittantur. Dixi hunc morbum oriri ex vita delitiosa,& nobili; eò quòd multi cum mediocris fortunæ sint, & velint ita viuere, in ægritudinem eam incidunt,quæ nobi-
Mart. 1. Epigr. lium propria videtur. Ita Mart. primo epigrammatum de Diodoro ad Flaccum:

Litigat, & podagrâ Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est.

Morbus hic articularis in manibus, & pedibus est proprius nobilium, tam in sensu proprio, quam metaphorico allato. nam ob luxum, & pompas, sæpè debita non soluunt: & pedes eorum non solum immoti manent ad succurrendum proximo, sed potius veloces sunt ad effundendum sanguinem, præsertim eum, qui secundus sanguis appellatur, hoc est in pauperibus. Cum ergo quidam inferioris conditionis, & facultatis, seu redditûs, velint æmulari diuites in luxu: (sicut Giesi acceptis donis volebat in hac parte imitari Naaman) ita sicut dictum est illi, *Accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta*,&c. *& seruos, & ancillas.* quod est dicere, vt delicatè, & nobiliter viuas imitando ipsum Naaman: *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo in sempiternum.* eodem modo huiusmodi homines volunt æmulari ditiores se, & nobiles in argento, in vestibus, in seruis, &c. sed & lepra nobilium, hoc est morbus nobilium prædictus adhærebit eis, & semini eorum, quatenus ipsorum filij ob hoc pauperes relinquentur, & debita sua non soluent, neque succurrent proximo. Lepra verò diuitum, & nobilium sæpè est auaritia, & tenacitas, vnde diues Lazaro negabat micas, vel est oppressio proximi.

Idem est *exterminari* ac extra terminos mitti. Cum igitur qui in luxu nimis expendit, à prodigalitate quasi à domina, & regina sua mittatur extra terminos, & limites rationis, & facultatum suarum; consequenter istud mitti extra terminos, est nimirum penitus destrui, & perire. Vnde de prodigo filio dicitur quod *perierat, & mortuus erat.* Quia enim volunt expendere supra facultates, remanent sine facultatibus. De ijs dici potest illud Ier. 48. 36. *Quia plus fecit quàm potuit, idcircò perierunt.* Ier. 48. 36.

Cum paulò ante diceremus luxum, & prodigalitatem perducere hominem ad auaritiam: dicendum est prodigium in hac re imitari aleatorem, qui cum omnia luserit, & perdiderit per chartas, tandem ludit, & perdit etiam ipsas chartas. cum enim ille omnia prodegerit per prodigalitatem, tandem & ipsius fit prodigus prodigalitatis. Cum omnem aquam de fundo nauis effuderit, etiam vas per quod effuderat emittit. prodigit prodigalitatem, vt dixi, quia fit deinde auarus, ac etiam rapax.

3. Basil. oratione de diuitijs, & paupertate: Sicut, inquit, inconueniens esset, vt sanus medicamento vteretur, at vulneratus ijs vti debet: sic delitijs vtantur qui indigent, non autem voluptuosi. Adde ipse: si videres multos vulneratos absque fascijs, & medicamentis plagas ostendentes nudas, & è contrario propè illos

illos alios plures circumligata capita, & tibias gestantes, quibus denudatis inuenires eos in illis membris omnino incolumes. Si audis quod apud Indos iam notum est in vsu esse, vxores, quæ pepererint, in laboribus statim à partu versari, at viros earum vice decumbere, & molliter se curare, visitationesque amicorum excipere: nonne ridiculum portentum id tibi videtur? at similia multa videmus apud nos, & nemo miratur. quid est lectus mollis nisi remediũ, & medicina fessorum, & ægrotantium? tamen videbis defessos ex laboribus, operantes, pauperesque ægrotantes duris accumbere stratis, & è contrario pigros, sanosque diuites ijs passim vti medicaminibus. Idem proportione dicendum de delicatioribus cibis, & oblectamentis, ac remissionibus animi, quæ afflictis, & ægris tantùm creata sunt ad mede-
Prou. 31. 6. lam, sicut & in Prou. 31. 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.* cum enim vinum lætificet cor hominis, quomodo vino eget, qui cor nimis lætificatum gerit ex plena prosperitate & epulatione? sed, vt est in adagio, Aqua currit ad mare, accidit in temporalibus quod
Matth. 11. 12. de bonis animæ dicitur Matth. 11. 12. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.* conclude ergo cum illo Christi, *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.*

4. *Vtens ministerio alieno, cum ipse manus habeat, interdum se quasi iumentum declarat, quod quia manibus caret eget manibus alienis in multis.*

5. *Delicati, & adulatores non sinunt se à Christo trahi.*

4. CELIVS lib. 7. cap. 8. dicit Scipionem minorem Africanum lege vetuisse nequis in balneis, quorum vsus frequens erat eo tempore, ab alio lauaretur: dicens excusari ab hoc tantum iumenta, quæ manibus carent, non autem homines. iuxta Scipionem igitur qui cum decenter possit manibus suis similia sibi præstare, & ex mollitie animi alienis vtitur, de eo dici potest Psal. 48. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est, iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* idem dicendum si ex tumore animi id faciat. vt enim se ipsum honestet non intelligens in quo consistat honor; relicto honore in quo erat, se iumentis similem exhibet, & lauari (quasi careret manibus) ab alijs se poscit. Celius l. 7. c. 8. Psal. 48.

5. Celius lib. 16. cap. 6. ait, electrum omnia (minuta intellige) ad se attrahere præter ocimum, & oleo perlita. Christus significatus est per electrum, Ezech. primo *Quasi species electri.* ita Greg. hom. 2. super Ezech. & Rupertus. quamuis Gregor. præsertim de electro artificiali, quod per similitudinem ita vocatum est, accipiat. nos verò de succino intelligimus naturali. Christus ergò electrum ait, *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* sed ocimum, & oleo perlita plerumque non attrahit quoad efficaciam, siue quo ad effectum conuersionis, hoc est vnguentis delibutos odoriferis, & molles, ac nimis Celius l. 16. c. 6. Ezech. 1. Greg. homil. 2. super Ezech.

delicatos. vel potius, dicendum, hos non permittere se trahi à Christo, sicut ocimum, & vncta non sinunt se trahi ab electro. hi non solent ad Christum ire, quia vitæ Christianæ, quæ tota crux est, repugnare soleant. nam *qui non accipit crucem suam & sequitur me non potest meus esse discipulus.* dixi odoribus deditos non attrahi, quatenus per illos repræsentantur nimis molles, & voluptatibus diditi. non attrahi, hoc est illos non respondere vocationi. per oleo perlita plenosoleo adulationis possumus etiam explicare. nam & hi cum idem ferè sint cum diuitibus, & delicatis, vix vnquam capaces se exhibent vitæ melioris.

6. *Luxus conuiuiorum notatus.*
7. *Ventus in ambitiosis ponderosior est ipsis.*

6. AQVILAM, Principum & potentum symbolum esse, cum regina dicatur auium, & super omnes alias altiùs euolet, nemo est qui nesciat. Card. lib. 7. cap. 35. de rerum varietate, inter aquilarum genera vnum dari asserit quod centum aues capiat & occidat, vt vnam, vel duas comedat. Luxus ergo, & iactantia huiusmodi non solum in diuitibus, & potentibus, qui aquilæ sunt inter alios (nam Prou. 22. *diues pauperibus imperat*) sed etiam in auibus, quæ nomen tantum dominorum habent, reperitur. quia & ipsæ in hoc æmulantur iactantiam, & luxum horum hominum, qui vnam auem comesturi in prandio, quandoque centum necant, & apponunt ad pompam. plures domos ædificant, cum vix vnam inhabitent. aquila ergo laborat, & sudat pro alijs auibus minoribus, quæ rapaces, & carniuoræ sunt, vel etiam pro alijs bestijs. (a) *Fà la caccia per li altri.* sic diues, sic potens laborauit, vt minimum quid ex labore suo ederet, vel impenderet, ceteri verò sectatores sui, parasiti, famuli, lenones, totum ferè absumerent. ceteros dixi hæc consumere, hoc est bestias inferiores. *multæ enim opes, & multi, qui comedunt eas.* &, *quid prodest possessori, nisi, quod cernit diuitias oculis suis?* Dan. 4. de magna illa arbore, quæ Regem significauit, dicitur, quod *fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro.* bestiæ, & aues significant prædictos parasitos ministros aulicos, &c. ex ea vescebatur omnis caro. (b) *lui si fà sempre corte bandita.* aduertè circa eam arborem, exiguum valde fuisse, & vile id, quod in alimentum trahebat, nempe humum, seu humorem, sicut & id quo tegebatur, nempe corticem, & folia. at fructum, & escam, quibus ibi dicuntur pasta tot animalia fuisse longè maioris momenti. vt indicetur quod dixi, aquilam (scilicet Principem & diuitem) minima rerum suarum parte frui, cetera verò tantum oculis suis aspicere. minimum esse id quod ad victum & vestitum sumit: plurimum verò id quod alijs cedit.

7. Cum audierim de quibusdam viris tam pinguibus, & ingentibus,

Card. l. 7. c. 35. de rer. var.

Prou. 22.

(a) Alijs venatur.

Eccles. 5. 10.

Dan. 4.

(a) Ibi semper atrio aperto, seu mensâ omnibus expositâ viuitur.

vt

vt non nisi curru, possent iter facere, mihi venit in mentem quod potentes quidam, & diuites (qui vulgò dicuntur magni viri, *persone grosse*, sicut pauperes pusilli, & de minuta plebe dicuntur) iure dici possint longè maiores, & crassiores, quàm illi. sicut etiam vulgò dicuntur, *di maggior portata.* quia vbi vehiculum vnum ferebat vnum ex illis pinguibus, sæpè neque quatuor vehicula sufficiunt, vt vnus ex istis egredi possit. imo aliquando si ex viginti curribus, cum quibus exire solet, vnus non adsit, tanti ponderis est ille homo, vt dicat se non posse exire. (a) *Perche la grandezza sua, la sua grauità non vuol manco carrozze.* loquor hic de his, qui nimis ambitiosè scrupolosi sunt in hac parte. præsertim si etiam supra conditionem & gradum tales sint. Ostendam autem quod plus ponderis habet ventus, quàm homo. nam si vnum vehiculum poterat te ferre ante acquisitum gradum, vel opes, & nunc non nisi quatuor ire potes; certè cum non creuerit in te ipso nisi spiritus inflans, & ambitionis (de quo iuxta Aug. dicitur *Beati pauperes spiritu*, hoc est carentes inflante spiritu) iste spiritus vel ventus tria vehicula ad ipsum ferendum solus exigit. ergo tu dum te facis, & dicis hominem magnum, grauitate pollentem, *di gran portata*; simul te facis leuiorem ipso aëre. quid ergo mirum si inflatio tua intolerabilis sæpè fit hominibus, cum nec multi currus, & equi eam possint ferre, & trahere; nam sæpè conquereris paucis te comitatum curribus, aut equis.

(a) Quia indignũ magnitudine sua reputat, paucioribus vehiculis comitatum exire.

2. *Luxus Sibaritarum descriptus.*
3. *Delitiosi quasi apes ex floribus creaturarum omnibus, mel voluptatum ad se pascendos colligentes.*
4. *Luxus in lectis descriptus.*

2. ATHENEVS lib. 2. cap. 6. Sibaritæ, inquit, Calabriæ populi adeo luxu famosi sunt, vt luxuriosa omnia Sibaritica dicerentur. conuiuia celebraturi anno prius conuiuas inuitabant per feminas sumptuosissimè indutas.

Athenæus l. 2. c. 6.

Artes, quæ sono, & strepitu exercentur, vrbe expulerunt, ne quies turbaretur ipsorum agricolas, coram ipsis venire non permittebant offensi eorum aspectu & voce, ne laboris quid ex laboriosis hominibus contrahere viderentur. eadem de causa, quâ artes somni inimicas expulerunt, etiam gallos aues excluserunt. diuites, si quando rusticatum irent; adeo lentè incedebant curru, vt iter diei vix tribus diebus conficerent. ita ille.

Auctores aliqui apud Theatrum vitæ humanæ, pag. 2204. dicunt Sardanapalum Regem Assyriorum inter mulieres mulierum more indutum, & neutem inuentum esse, & ibi necatum. addunt oculis depictis, fucato toto corpore, & muliebrem vocem imitantem visum esse. numquam inquiunt foris versabatur, sed ita viuebat muliebriter, vt nunc viri, nunc feminæ vices fungeretur, & impudicitiam vtriusque sexus admitteret.

Theatr. vita human pag. 2204.

3. Sed quid loquor de luxu antiquorum, cum apud nos adeo grassetur

ſcetur in plurimis, & ferè omnibus in rebus? de hac re multa ſpeciatim dicuntur in tractatu de veſtibus, de mundo muliebri, de ædificijs. at quid dicemus de luxu in lectis, in ſedilibus, in abacis, menſis, & alia ſuppellectili? denique delitijs, & luxui dediti ſunt velut apes, quæ ad nil aliud omni vita ſua intendunt, niſi ad parandum ſibi mel, quo nutriantur, & fruantur, quamuis rudiores ex populo putent eas mel quaſi alijs, & non ſibi comparare. certum tamen eſt quod dixi. ſunt ergo quaſi apes, ideoque rebus ferè omnibus vtentes non ad neceſſitatem, & temperantiam, ſed ad luxum, dicunt
Sap. 2. 8. Sap. 2. 8. *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Luxus noſter (qui nomine luxuriæ etiam vocatur) per omne pratum, & per omnes flores creaturarum pertranſeat, mel voluptatum à ſingulis colligens.
Num. 5. ijdem dicunt ibidem, num. 5. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter.* vbi creaturæ nomine quælibet res venit, vnde poſſit ea dulcedo hauriri. vel etiam *vtamur creaturâ,* dum illa eſt in iuuentute, & conſequenter in flore, quia citò *flos eius decidit,* hoc eſt marceſcit nobis. iuxta quod & dicunt, *coronemus nos roſis, antequam marceſcant.* Dixi has apes à floribus colligere. quia diuites delicioſi nolunt vti niſi pulcherrimis, & præſtantiſſimis rebus in menſa, in ſupellectili, &c. quæ ob excellentiam vulgo dicuntur flores rerum, vt etiam ob pulchritudinem.

4. Incipientes autem à lectis, de
Amos 6. 4. quibus Amos 6. 4. *Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris.* lectos, qui fiunt, vt ſeruiant in tenebris, cum ſplendidos & illuſtres adeo ſibi parent; non eos conſtruunt niſi vt ſint ſub Solis, & ſub omnium luce: nec videntur eos paraſſe vt eſſent in cubiculo clauſi, ſed potius vt eſſent in foro oſtentati. quos ergò neceſſitas fecit propter noctem, luxus facit propter diem. non eos parant, vt oculi ipſorum ſint ſuper eos clauſi, ſed vt omnium oculi ſint ſuper eos aperti. rem, in qua ipſi ſunt nullius pretij (nempe dormientes) volunt eſſe maximè pretioſam. & in ea paranda ſe exhibent ſapientiſſimos, in qua perdunt mentem, ne dum ſapientiam. non contenti ſunt hi miſeri, vt amentiam breuem paucis impenſis ſibi comparent, niſi eam quamplurimis poſſunt ſibi acquirant. ſomnus enim eſt amentia, imo & excæcatio, ſurditas, atque mors breuis.

Multas aceruatim in lectis, imo in vno lecto culcitras habent. nauis, aut murus ciuitatis impugnatæ, vna culcitrâ armantur quaſi ſcuto contra bombardarum ictus. at viri noſtri, qui etiam in prælio præſumunt ſe bombardas non formidaturos; tamen hic contra lecti fulcra lignea (ne fortaſſe paululum ab eis læderetur eorum plus quàm cerea caro) pluribus culcitris armantur quaſi clypeis. vel, quaſi ipſas timerent bombardas contra ipſos ex inferiori parte lecti explodendas: vel quaſi de ſublimi loco præcipites deorſum dejiciendi eſſent, tot ſibi culcitras ſupponunt, quaſi ſomnum non vt fratrem mortis, ſed vt ipſam mortem,

mortem, siue prolapsum in eam, timeant.

Non putant se dormire posse, nisi gregem integrum ouium prius totonderint, vel agmen auium deplumauerint. Sed quid dico ouium, & auium, cum sæpè etiam ex mercedibus, vel aliàs debitis pecunijs, vel ex non solutis charitatis debito eleëmosynis multa splendida cubilia constant? & somni horum dormientium ex vigilijs non tam vigilando, & laborando, quàm ieiunando factis à miseris creditoribus sæpè fiunt. quia ex illis sunt, de quibus

Prou. 4. Prouerb. 4. *Non dormiunt nisi malefecerint, & rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint.*

Sicut in mensa, diues, licet vnus sit, plurium, vt ita dicam, vult prandia simul: ita in lecto vno plures culcitras siue plures lectos. cum verò plures ex lectis huiusmodi etiam in pluribus cubilibus habeat; certè cum omnis illa lana innocentum ouium, aut pluma innocentum auium (nempe pauperum) clamet vociferando ad Cælum; & vox adeo valida sit, vt perueniat vsque ad aures Domini Dei Sabbaoth, iuxta id quod habet

Iac. 5. 4. Iacob. 5. 4. *Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit*: tamen hi dormientes, vt ostendatur eorum somnum veram esse mortem animæ, & in lectis, quasi in sepulchris eos tumulari (iuxta id Virgil.

Virgil. Æn. 3. Æn. 3 *Inuadunt vrbem somno, vinoque sepultam.* & illud, *Surge qui dormis & exurge à mortuis*) vt inquam id ostendatur, non solum non expergiscuntur ad talem clamorem tam de proximo sibi in aurem insonantem, sed potius quasi à suaui nænia, & melodia ad somnum ab illo inducuntur. nam: *Non domiunt nisi malefecerint, & rapitur somnus ab eis nisi supplantauerint.* quid mirum si Augustus petijt emi sibi culcitram illius magni debitoris ad somnum conciliandum?

2. *Nimis ornantes lectos exaltant testimonia dementiæ suæ ratione somni mentis vsum tollentis.*
3. *Quo lectus melior, eo somnus deterior: quia ditiores peius dormiunt.*
4. *Luxus sedium, & aulæorum.*

2. DIMIDIO vitæ, nempe noctibus, aiunt sapientes non differre rationis compotes à stultis. somnus enim amentia est, vt ex somnijs patet. lectus ergo non est nisi testimonium & præco stultitiæ nostræ. nonne ergo stulti sunt qui exornando superfluè lectos, illosque in magnam molem erigendo, testimonium, & preconium suæ amentiæ exaltant; quod occultare sub terra debuissent, & testimonium dementiæ faciunt tropheum gloriæ?

3. Septem lectos in lecto vnico habet diues, & merito: septem somnos etiam ducit. at pauper vnicum somnum in vnico lecto. hoc est iste placidum, & continuum, at ille interruptum in plures, & turbatum. nam dulcis est somnus operanti, at *saturitas diuitis non finit eum dormire.* altum, & profundum lectum habet diues, at altum & profundum somnum non habet diues, sed habet pauper, nimirum in exili lecto, vel etiam

nullo. diues aureum habet lectum, at ferreum suspirat somnum, quem habet pauper in lecto ferreo, vel ligneo, vel nullo; ferreum dixi, hoc est solidum, & profundum. ille dormit in byſſo, & somnum habet byſſinum, hoc est subtile iste dormit in cannabe, & somnum habet ex cannabe.

Diues stratum ita expansum habet, & latum, vt in eo magis natare, quàm videatur velle quiescere. & ob id, tum etiam ob crapulam plus viæ, siue motûs agit dormiens noctu, quàm diu vigilans.

4. Quid dicemus de sedilibus auro, sericoque confectis? forsan eas huiusmodi parant, vt doceant se auro, opibusque dominari, & ea contemnere, vt qui super ista sedeant? an potius quod in alia re non videantur quietem inuenire, & iucunditatem nisi in auro, & serico? sicut quoad corpus sedet in sede, ita quoad animam sedes sedet in sedente, hoc est ei dominatur. nam sæpè de talibus dictum verificatur illud Psalmi: *Viri diuitiarum.* hoc est non diuitiæ ipsorum sunt, sed ipsi diuitiarum. in vna ex his sedibus sæpè non solum est sedes pauperis, cui differs debitum, ne sedium pompâ te priues; sed inest eidem lectus, & mensa, & arca, & omnis domus suppellex, quâ ille spoliatus viuit, vt tu sedem huiusmodi habeas. in ea sede, si eam ipsi redderes, inueniret sibi lectum & arcam, & sedem: in ea & per eam dormiret, sederet, suaque in ea seruaret. vt tu poſſis sedere cogitur ille sudare, nempe laborando vt viuat. sedes tua est cathedra pestilentiæ in qua sedes: pestilentiæ in animam tuam per peccatum; in corpus eius, per mortem, si ob id fame periret.

Quid de aulæis parietumque ornamentis? tanto ornatu student nostri contegere muros albos, quanto mores nigros. tanto pretio, & tali arte elaborata inuenies multa huiusmodi rerum operimenta, vt sæpè pluris valeant tapetia, quàm muri, vaginæ quàm gladij, ephippia quam equi, marsupia quam nummi, & arcæ ipsæ quàm interni earum thesauri. neque amplius hæc operimenta propter res, sed res propter operimenta quærantur. plus expendimus in indumentis, vulgò ligaturis librorum, quàm in libris, quos magis studio iactantiæ, quàm doctrinæ comparamus. & magis vt ab alijs spectentur foris, quàm vt à nobis inspiciantur intus. tam pulchras & pretiosas thecas, siue operimenta multis huiusmodi rebus conficimus, vt alijs rursum operimentis operimenta operienda sint. sic liber inuolutus serico, aut auro ornatus aliam insuper habet vestem. sic vaginæ gladiorum. expecto vt & hæc secunda opercula adeo speciosa fiant, vt tertijs opus sit, & quartis. hæc facimus, ne res nostræ inuideant nobis, siue ne nos inuideamus illis, dum & in nobis sæpè accidit, vt maioris pretij sit vestis quàm homo æstimatione hominum: scilicet dum pluris venditæ sæpè sunt vestes captiuorum, quàm ipsi captiui. & vt de libris iterum dicam, etiam ipsos priscos Philosophos, etiam auctores sanctos osores nobilitatis vestium, & pannis indutos dum viuerent, ratione librorum suorum, quos sic ornamus, cogimus

gimus mortuos induere aurum, & pretiosa.

2. *In morte diuitum deflent equi potius, quàm homines, & parasiti, quàm viri industrij, eò quòd equos & parasitos pascerent, non hos.*

3. *Luxus in refrigerandis vinis, in floribus peregrinis odoribus imbuendis, in cibis adulterandis.*

2. AD luxum in equis nutriendis pertinet quod narrat post alios auctores Rauisius in officina, titulo de prodigijs. ait enim: paulò ante mortem Cæsaris greges equorum comperti sunt vbertim flere, & pabulo abstinere. non haberetur prodigium, si homines flesse visi forent in morte Principis, aut diuitis, prodigium autem fuit, si equi id fecerint. at moraliter loquendo, adeo multi principes viri equos curant, & impinguant, ornant, &c. homines verò hoc est pauperes, siue etiam doctos, & industrios negligunt, vt si moriantur, iam prodigium sit, si non fleant, vt ita dixerim equi, & pabulo non abstineant, si non dolore, saltem necessitate, vt qui pastore amisso liberali, coguntur ieiunio luere præterita conuiuia. prodigiumque videtur, si homines, præsertim pauperes, docti, & industrij defleant, & non potius lætentur.
Act. 9. 39. Actor. 9. 39. mortua Tabita, de qua dicitur. *Hæc erat plena operibus bonis, & eleëmosynis, quas faciebat*; iterum dicitur de Petro, qui ad eam defunctam venerat, *Circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas*. Sic enim etiam vocabatur. vnde & suscitauit eam à mortuis. dic ergo diuitibus equos, & canes, auesque ad venandum nutrientibus, vel hæc eadem bruta sub hominum aspectu, nempe parasitos, scurras, lenones, meretrices, &c. nam homines multi comparati sunt iumentis insipientibus, &c. dic inquam eisdem diuitibus, quod si fleuerint equi eiusmodi in morte eorum, vel in alia necessitate, & tribulatione; videant an vox, & lacrymæ ipsorum ad Cælum peruenient, si eius necessitati poterunt per Deum placatum subuenire. dicitur quidem illis, vbi sunt equi, seu canes eorum, *in quibus habebant fiduciam? surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant*. quod si pauperibus, viduis, eruditis, & iustis benefecerint, sciant
Psalmus 34. *Beatus qui intelligit super* Psal. 34.
egenum, & pauperem. in die mala liberabit eum Dominus. addit infrà, *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius*. affer, si vis, eius loci reliqua.

3. Per luxum hyemem in medio æstatis inueniunt, nempe glaciem, & niuem ad vina refrigeranda. cumque natura aquam dederit, quâ omnia alia refrigerentur, nos etiam ipsa refrigerantia refrigeramus. aquam enim bibituri alia insuper aqua, vel glacie refrigerant. per luxum hyemem de feruore æstatis, & de fornace caloris glaciem educimus. item de furnis ipsum ver, & flores mirabiliter extrahimus. nam temperato quodam calore furni media hyeme florum copiam prodire

efficiunt apud nos. ſed ſicut ipſam refrigerant aquam, ita & ipſos flores odoriferos odore alio imbuere volunt, vt ſæpè vidi eos aquis roſaceis, vel alijs odoramentis inſperſos. imo etiam coloribus alijs auriquc & argenti particulis exornant, quaſi totam naturam culpantes quod omni ſuo conatu non valeat naribus ipſorum ſatisfacere, niſi ejus ſuppleant defectum. Luxus Bacchanalia in ipſam Quadrageſimam inuexit. nam Quadrageſimæ edulia conficiunt, quæ non ſolum oculis omnino videantur cibi Saturnalium, ſed etiam guſtu. vt cum ipſi per Bacchanalia ſub varijs laruis latentes alij à ſeipſis apparuerint, ſic in Quadrageſima & ipſos cibos cogant quaſi bacchanalia agentes laruas aſſumere. *Sforzan la Quareſima à maſcherarſi da Carneuale.*

4. *Luxus in conſpicillis, in ſpeculis.*
5. *In equis, in lecticis.*

4. NON ſat eſt voluptati inſpicere hortorum delitias, & virides ſationes camporum, aliaque huiuſmodi oculis delectabilia: ſed vario inſpicillorum genere, modo res alteriùs coloris ſibi repræſentant, modo coloris multiplicis. modo inſpicillis vtuntur, quæ obiecta multiplicata videri faciant, modo alijs, quæ eadem maiora, & proximiora. modo res in ſpeculis intuentur ſicuti ſunt, modo in alijs ſpeculis valde diuerſas in figura, colore, & in alijs.

Haud contentæ ſunt quædam ſpeculis, in quibus faciem intueantur, niſi etiam ſua magnitudine totam repræſentent ferè perſonam, adeo vt ad ſpeculum non ſolum ornare velint caput, ſed etiam calcaneum. item multis vtuntur ſpeculis à dextris, & à ſiniſtris, ſurſum & deorſum. in ijs quædam mulieres ſe ſtantes, mouenteſque, & quiduis aliud agentes inſpicere volunt, vt per hoc ex omni parte, & in qualibet re, & actione ad regulam ſpeculi ſe componant. motum labiorum, oculorum intuitum, & cetera omnia contemplantur, & in ſpeculo ſpeculantur: velut oratores quidam dicti ſunt ad ſpecula magna ſe ipſos dicentes inſpexiſſe, & prædicta omnia ad audientium, & intuentium guſtum, & gratiæ concinnitatem accommodaſſe.

5. Si iter habendum ſit, equum volunt, in quo, vt dici ſolet, cyathus vino refertus abſque periculo effuſionis geſtari poſſit. ſi vehiculo eundum, non contenti lectica, etiam ſella geſtatoria per manus famulorum deferri volunt, vt cadauera; vt minus ſentiant incommodi. Sic Gellius lib. 10. cap. 3. ait. Cum Aſiæ Legatus in lectica Romam iret, bubulcus quidam ioci cauſa alludendo ad legati mollitiem in hac parte, rogauit, num defunctus ibi efferretur. indignatus Legatus tamdiu bubulcum verberari fecit, donec expiraret. *Gellius l. 10. c. 3.*

6. *De luxu per occaſionem ægritudinis in diuite.*

6. EXCITATVR in eis capitis dolor. ſtatim tota familia, ſi dici licet, chartuſianorum monaſte-

nasterium, siue congregatio fiat oportet, spongias sub pedibus gerant. si paululum increuerit morbus, statim via publica ante eorum domum intercluditur repagulis omni transituro curriui, vel equo. inuigilat semper vnus ante ostium digito ad os apposito admonens accedentes se iam à longe silentij, & quietis. Si æstate beneualentes prandeant, vel post prandium dormiant; adesse vides seruum perpetuò motu flabelli, muscas, & calorem auertentem.

Vno ex ijs ex morbo etiam exiguo decumbente tota circa eum occupatur familia. vnus in calore flabellum agitat, alter florum fasciculos varios naribus admouet, & admotos tenet. duo occupantur perpetuò in lecto, & stragulis hic illic adaptandis. Si qui coniuncti sunt sanguine, in eo consolando; alij omnes in ipsis assistendo, & saltem vultu compatiendo. Si pharmacum sumendum sit, necesse est vniuersa concurrat illuc consanguinitas, hortans, & obsecrans, ne illud omittat. non absit medicus, non confessarius, non eloquens amicus. pharmacum in æstate niue frigefactum vult, vt de facto accidit multis. oportet exhiberi reubarbarum dulce, absynthium suaue. Si æger nonnihil siti afficitur, excutitur non solum vniuersa cognatio, sed ciuitas, & si tempus permittit prouincia, vt fructus varij, vt succi diuersi, vt exquisitissima quæque afferantur. statim cernitur cubiculum vnum & alterum refertum phialis, vasculis, varijs pomorum, seu fructuum generibus, sæpè non ad febris refrigerium, sed ad nutrimentum, vt morbus per ea foueatur, & crescat, per quæ primo generatus est.

2. *Quantò diuites molliùs se ipsos tractant, tantò asperiùs se habent pauperes, præsertim in ægritudine.*

3. *Diuiti ægro minus succurrit medicus, quàm mendicus, scilicet medicina, quàm eleëmosyna.*

2. VERVM est in hoc quod *diues & pauper obuiauerunt sibi.* quod contrario modo se habent. nam præsertim in ægritudine vnus esurit, & alius ebrius est. enecatur diues rerum suauium abundantiâ in morbo, pauper inopiâ. *Se'l pouero patisce male, del ricco la copia è d'esso l'originale.* alluditur æquiuoco: diuitis luxus, est pauperis luctus. Heus diues! communica partem earum rerum, quæ ad refrigerium morbi tibi affluunt: & te eripies morti & alteri porriges vitam. non vis donare? eris tam impius vt neque velis vendere? an fortè vili pretio? pretio non oculi, non manus, sed vitæ. pauper enim à te excipiendo superfluas, dapes, siue refrigeria, sanitatem tibi, & vitam afferet, dico temporalem, si æternam non cupis.

3. Imo pauper vitam, & opem aliâ viâ tibi præbebit. nam dicitur Psal. 34. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* & paulò post: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* opem ferat, hoc est opem feret, vt communiter exponunt. in infirmitate magis quàm medicus tibi *Psal. 34.*

succurrit mendicus. si huic des, *in die mala* tribulationis ægritudinis, liberabit te Deus, opem feret.

Sap. 7. 3. Sap. 7. 3. Salomon inquit, *Et ego natus accepi communem aërem.* sed multi, qui vix regum serui digni essent, ex delitiarum, & superbiæ vitio nil commune cum alijs volunt, non aërem, non aquam. non *communem* attrahunt *aërem.* quia tot vaporibus odoramentorum immutatus est aër domûs ipsorum, vt alium ipsos accipere aërem dici possit. item cum lauant manus, vel caput lauandum præbent, non aqua communi, sed rosacea vtuntur. ita in principio cœnę, sola manuum lotio pretiosior est, & pluris valet quàm cœna perfecta pauperis, & modesti. cœnæ effundunt pretium ante cœnæ initium. Ex hoc luxu accidit, vt nec dignentur adesse Missis communibus: pigeat eos se conferre ad Sacerdotem, sed Sacerdotem curent venire ad se, & si fieri possit ex obtenta licentia sacrificium domi ipsorum faciat. vt si possint etiam iacentes in stratis Missam audiant. Similiter si confessio sit facienda: non ipsi ad confessarium, sed confessarium volunt venire ad se; iudicem venire ad reum: quod si non veniat, illum faciunt reum.

4. *Mundus totus muliebris dici potest. A tribus feminis tres mundi partes nominatæ fuerunt.*

4. MVNDVM hunc posse dici mundum muliebrem probat insatiabilis mulierum, & matronarum pompa, & cultura in ipsis exornandis. probat inquam hoc; quia vix ille totus sufficeret ipsis ad hunc finem. totum expenderent, & insumerent in ea re. sed alia de causa ita potest appellari, nimirum quia ex luxu & mollitie hominum potest verè dici *mundus muliebris*, effeminatis, scilicet non solum viris, sed etiam alijs plerumque rebus. *mundus muliebris* est etiam quia mulieres plerumque suo eum arbitrio versant, & regunt, dum viri, & præsertim non pauci principes, nimis mulieribus deferunt. Beroaldus in Suetonium in vita Caligulæ, cap. 57. notat tres mundi partes à mulierum quarundam nominibus nuncupatas fuisse. *Beroaldus in Suet. in vita Cal. cap. 57.* Asiam ab Asia vxore Promethei, Libyam, quæ & Africa dicitur à muliere indigena Libyia vocata: & Europam ab Europa Tyria. hæ quasi dominæ mundi videntur extitisse. nam de dominis dictum in Psalmo 48. *Vocauerunt nomina sua in terris suis.* *Psal. 48.* Sic Romulus Romam, Alexander Alexandriam. & per hoc igitur mundus totus quasi muliebris, & effeminatus, neque nomen virile habere meruit, sed feminarum.

In luxu hodierno diuitum aduerti præcipuè multam supellectilem domus ex nucis ligno confectam. vt scamna, mensas, scrinia, arcas, & alia huiusmodi. quæ idcircò videntur reperiri apud diuites, vt Hieroglyphica sint prædicantia simul luxum ipsorum, & auaritiam in proximum, per quam talia sæpè retinentur, vel etiam comparantur. Nux enim auaritiæ symbolum est, vt quæ vilem nucleum sub duplici, solido-

que

que cortice clausum arctissimè detineat. & singulos nummos (vt ita dicam) sui thesauri singulis loculis præcludat, inuidens eorum communicationem proximo. Item notum est nuces ab arbore non aliter colligi quam fustibus impactis ramis eius, vel etiam lapidibus iactatis. quia & auari non solent eleëmosynas tribuere pauperibus, nisi à Deo verberati per ægritudines, aut afflictiones magnas, vel per mortem in testamento. neque alijs creditoribus, nisi iudicum fuste, hoc est sententijs coacti. Nucem etiam à nocendo dictam esse communiter aiunt. eò quòd fructus eius noxij sint corpori. Plinius lib. 17. cap. 12. dicit arborem ipsam vmbram noxiam habere, & eandem arborem lædere sata iuxta se posita. sic ergo per nuceam supellectilem indicatur sæpè luxum diuitum noxium esse proximo: dum illius causa sæpè detinentur mercedes, & eleëmosynæ, vel debita differuntur ad soluendum. vel noxium esse ipsis etiam possessoribus per superbiam inde contractam, atque mollitiem, & per dispendia rei familiaris. Nux ista, id est, diues sæpe etiam lædit proxima sata, hoc est sæpè vicinis pauperibus, eorumque agris infestus est, dum ob id vsurpant sibi ipsorum prædia, vel ea demetunt, aut conculcant, & depascunt per pecora sua. mensæ diuitum nuceæ sunt, nocent tum ipsis per crapulam, tum proximo per auaritiam. arcæ similiter, & scrinia nucea sunt, & noxia claudendo ceteris opes ipsius auari magis, quàm nux suos fructus. nam nux loculos, & quasi marsupia suorum fructuum in ramis saltem & in propatulo habuit: at diues loculos, & sacculos minores sæpè in ventre ipsius nucis, vt ita dicam, scilicet in trunco ex quo arca constructa est clausos tenet. quid autē dico de nummis, cum aliquando etiam fructus nucis de ramis eius excussos ipse claudat in arca nucea, quasi in intimis visceribus nucis. ita vt mater ipsorum fructuum quasi filiorum suorum ipsos habeat in ventre postquam peperit, & grandes effecit, cum non habuerit in eo antequam pareret, & cum velut infantes essent. Vulgo dicitur, annuntiare, seu indicare aliquid (a) *à lettere di scatole*. sic vocamus arculas, vulgò capsulas, seu capsellas quasdam è tenui ligno confectas, quę exterius inscriptæ esse solent grandioribus litteris. at in casu nostro diuites auari prædicant auaritiam suam litteris arcarum, mensarum, lectorum, &c. *à lettere di casse di mense*, &c. quia diximus ea omnia esse Hieroglyphica testantia auaritiam ipsorum.

Plin. l. 17. c. 12.

(a) Literis pixidum id est maiusculis.

RELIGIOSVS.

1. *Amor parentum, vel consanguineorum à bono, & religione nos non detineat.*
2. *Vita iusti martyrium est dæmones & vitia sunt persecutores, & nobis pro tyrannis.*
3. *Conuersatio sæcularis quot pericula habeat, mari tranquillo, sed doloso comparatur.*
4. *Rigores religionis non possunt deterrere iustum ab illa.*

HIERO-

Epist. 1. 1. IERONYMVS ad Heliodorum hortans eum, ne detineri se sinat quin ad religionem properet, ait: *Licet paruulus ex collo pendeat nepos sparso crine; & scißis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater iaceat; percalcatum perge patrem; siccis oculis ad vexillum crucis conuola. solum pietatis genus est in hac re esse crudelem.*

Idem ibidem: *at contra Scriptura præcipit parentibus obsequendum. sed quicumque eos supra Christum amat, perdit animam sua. gladium tenet hostis, vt me perimat, & ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem Christi militiam deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo, quàm etiam omnibus eius causa debeo?* &c. *Sed mater mea, & fratres mei hi sunt. si credunt in Christum; faueant mihi pro eius nomine pugnaturo: si non credunt; mortui sepeliant mortuos suos.* ita ille. imo addit sequentia.

2. *Sed hæc eis dicenda, si abstrahant à martyrio. Erras frater, erras si putas vnquam Christianum persecutorem non pati, & tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. aduersarius noster tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, & tu pacem putas? Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem, & tu frondosæ arboris tectus vmbraculo, molles somnos futura eius præda carpis. inde me persequitur luxuria. inde auaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi esse Deus pro Christo. persequitur inquam me hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes, & ego infelix me victorem putabo dum capior?* Hæc omnia Hier. ibi. Hoc est quod ait Apost. omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur.

3. Ibidem inculcans illi pericula conuersationis sæculi, ait: *Hoc ego non integra rate, vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo, sed quasi nuper naufragio eiectus in littus, doctus nauta timida nauigaturis voce denuntio. In illo æstu, Charibdis luxuriæ salutem vorat; ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scilla ceu renidens libido blanditur. Hic barbarum littus, hic diabolus pirata cum socijs, portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi, licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis. expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus, tranquillitas ista tempestas est.* Hæc Hieron.

Vbi nota Sanctum velle docere, quod licet aliquando in vita & conuersatione non appareant hæc peccandi pericula, tamen si bene res consideretur, inuenientur reuera tales occasiones in ea suboriri facillimè. veluti si iuuenis per aliquot menses, vel annos videatur tutè nauigare, statim orta tempestate, quia in mari est, hoc est in sæculo, subito perit, cum mercibus omnium virtutum, & operum, quæ congesserat. Id ipsum potest dici de periculis infortuniorum, quæ subito oriri solent in mari vitæ secularis, quamuis paulò ante videretur ibi magna tranquillitas, hoc est felicitas. quæ maris muta-

mutabilitas causa fuit, vt etiam multi prisci sapientes relicto Reipublicæ & spei freto, sese in portum vitæ priuatæ, seu solitariæ redegerint, relictis etiam regnis.

Nonne quasi tranquillissimum mare sese ostendit sæculum illi iuueni Deum quidem timenti, sed mundum relinquere pauenti, cum hic intra se cogitat, dicens: Nonne & saluantur etiam ex iis, qui nauigant mare, & pereunt multi in littore? ego viuam vt Christianus: Reipublicæ, vel ciuitatis meæ munia iustè obibo; nemo est, qui cogat aliquem ad malum, nisi ipse velit. vbi tot pericula sint. non video. mare mihi tranquillum cernitur. at Sanctus Hieronymus videtur respondere huic cogitationi verbis supra ex ipso allatis.

4. Ibidem ait: *Quid agis frater in sæculo, qui maior es mundo?* &c. *labore terreris? at nemo athleta sine sudore coronatur. paupertatem times? sed Beatos Christus pauperes appellat. de cibo cogitas? sed fides famem non timet. super nudam metuis humum exesa ieiunijs membra collidere? sed Dominus tecum iacet. squallidi capitis horretur inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. infinita eremi vastitas terret? sed tu Paradisum mente deambula*, hæc Hieron. qui tandem cum Apost. concludit quod non sunt condignæ passiones huius sæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

4. *Pulchra religiosæ vitæ laus ex D. Bernardo.*

4. BERNARD. homil. super Simile est regnum cælorum, Matth. 13. ait. *O Religio gloriosa, & mirabilis. hæc est, quæ miserante Deo peccata remittit, & reserat Paradisum. O religio virtutibus ornata, ô margarita præfulgida. Omnia ligata tu soluis, omnia soluta tu reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia desperata tu animas. Hæc est, quæ respuit auaritiam. horret luxuriam, fugit furorem, firmat amore, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit nequitiam cogitque hominem Dei amorem omnia libenter sufferre. O religio gratissima, & toto corde perquirenda. Nonne per te cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes Euangelizantur? O religio vita beata, vita Angelorum. Ore proprio Spiritus sanctus dixit, optimam partem elegit sibi Maria.* ita Bernardus.

BERN. hom. sup. Sim. est reg. cæl. Matt. 13.

Ibidem ait: *O sancta vita balneum animarum, mors peccatorum, & animarum purgatorium sordidarum. Tu stadium concertantium, luctatoresq; bene currentes perducis ad altas coronas. O homo fuge homines, religionem elige, & saluaberis: O religio, qui te fugiunt, luce Dei priuati sunt, qui diligunt te gustant quàm suauis est dominus & dulcis. tu ducis ad superna gaudia*, &c.

2. *Mortuum se simulans rex in loculo per hostes saluus transiit. sic per hostes anima transit qui se mundo mortuum facit per religiosam vitam.*

2. MORTVI quidam, sunt religiosi. vnde cum professionem coram altari, & ceteris religiosis emittunt quasi mortui prostrati humi iacent, donec super eos reliqui

Psalmos quasi exequias decantant. hoc posito Rauisius titulo de astutis in officina post alios auctores refert Boëmundum Roberti Siciliæ Regis filium cum rediturus ab expeditione Hierosolymitana timeret transire per Imperatoris Alexij inimici sui ditionem, se velut mortuum in loculo gestari iussisse & ita illæsum inde elapsum esse. ita ergo cum nos euntes in Patriam nostram, nempè in Cælum, cogamur transire per hostes, dæmonium, mundum, & carnem; remedium est, vt salui per eos transeamus, si nos in angusta cellula, quasi in loculo claudentes, & ita mortui voluntariè effecti, transeamus hanc peregrinationem. in hoc enim impletur illud Christi, *Qui odit animam suam in hoc mundo*, hoc est, vitam suam, *in vitam æternam custodit eam*. erat ille Princeps, erat diues, & assuetus honoribus, ceterisque regiis delitiis. tamen sese iis omnibus ad tempus penitus exuit, & potuit dicere, *collocauerunt me in obscuris sicut mortuos sæculi*. id passus est in via, vt felix regnaret in patria. sic multi Principes religiosam vitam suscipientes, vt regnarent in Cælo, se ita mortuos effecerunt, & cunctis vitæ delitiis & honoribus spoliarunt.

Etiam temporaliter inoffensi, & quieti transeunt per sæculi, & mundi, inimici sui ditionem, qui religiosis effecti similes, longè ab ambitione aulica, & dignitatibus, priuatam & semotam à turbis vitam viuunt. hos enim velut mortuos mundus, (hoc est mundi amatores, & potentes sæculi) non persequitur, non impugnat per æmulationes, per inuidias, & per alia huiusmodi, quæ non militant contra eos, qui in castris, seu intra mænia priuati siue modesti & pauperis status se continent: sed in eos, qui in campum honorum, atque opum, ac famæ prodeunt. Eodem modo vt quieti transeamus per mundum, aut mortui, aut mortuis similes simus oportet, vt dicere possimus, *ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*. hoc est, vt dissimulemus multa audire, & videre, vt cunctos, & cuncta patiamur, cunctisque obtemperemus, vt mortui, qui se à quocumque quomodocumque voluerit dimoueri sinunt, & trahi, vulgò dicimus de eo qui infestus nobis est, (a) *egli non mi lascia viuere*. hoc igitur sensu dicendum est, (b) *Il mondo non lascia viuere i viui, e lascia viuer i morti*. Dauid, quamdiu quasi mortuus & sepultus iacuit, oues pascens; sinebatur viuere. cùm primum autem quasi è loculo in lucem prodiit rex inunctus; adeo non sinebatur viuere in sensu allato, vt etiam propriè loquendo diceret. 1. Reg. 20. 3. *Vno tantum (vt ita dicam) gradu ego morsque diuidimur*. sicut D. Athanasius quatuor menses in sepulchro delituit in persecutione, vt habetur in vita eius; ita metaphoricè iaceat oportet sepultus, qui non vult esse mortuus.

(a) Non me sinit viuere.

(b) Mundus non sinit viuere viuos, sed viuere sinit mortuos.

1. Reg. 20. 3.

Chrysost. homil. 28. in Matth. de eo discipulo cui dictum est Matth. 8. 22. *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*: (petierat enim, vt prius

Chrys. ho. 28. in Matth.

Matt. 8. 22.

prius quàm sequeretur, ad sepeliendum patrem se conferret) ait: *erat verisimile post parentis sepulturam, ad testamenti, legatorisque considerationem deuenturum, & hereditatis decisionem. deinde in aliud ex alio, quasi vndarum fluctibus procul à portu salutis iactaretur. quæ ne acciderent, secum esse Christus iubet.* applica habenti vocationem ad religionem, qui si interponat moras, & velit terrena prius negotia; periculum subit perdendi quod inuenit. dum viui volunt sepelire mortuos, mortui sepeliunt viuos. in hoc enim bello plus plerumque præualent mortui viuis, quàm viui mortuis.

3 *Vita religiosa vitam æternam, & temporalem suis tribuit. sæcularis sæpè vtramque aufert.*

3. MORTVO Ochozia Rege Iuda, Athalia mater eius regis filios omnes necauit, vno excepto, qui dicitur absconditus fuisse *in cubiculo lectulorum.* 2. Paral. 22. 11. Lyranus interpretatur *in dormitorio sacerdotum.* facit quod dicitur num. 12. *absconditum fuisse in Domo Dei.* vides, inquit, quidam Doctor, vt omnes filij in paterna domo relicti interierint, vnus inter Sacerdotes saluus remaneat, & ad regnum veniat. id significat posse aliquando contingere, vt is solus, qui à parentibus sibi periisse putatur, eò quòd in domum Dei inter religiosos se contulerit; is inquam solus viuat, & ad regnum Cæli veniat, ceteri autem intereant: pereant, qui manent in domo paterna; saluetur, qui in dormitorium Sacerdotum se recepit. id etiam non rarissimè accidit de salute, & morte temporali, atque exaltatione dignitatis. eò quòd plurima pericula vitæ sæcularis rixas, crapulas, &c. solus religiosus euadat, & per doctrinam, & ministeria Ecclesiæ singulariter eleuetur ad honores, ceteris fratribus, si non morte, (vt accidit aliquando) saltem obliuione sepultis.

2. Par 22. 11. Num 12.

4. *De retrahentibus liberos suos ab ingressu in religionem.*

4. VNDE D. Bernardus epist. 110 ad huiusmodi parentes, qui filios sibi periisse putant, qui ad religionem transierunt, ait: *Si filium vestrum Deus fecit & suum; quid vos perditis? aut ipse quid perdit? fit de diuite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri, & quod his omnibus maius est, sanctus de peccatore. Sed vos non perditis eum, quin potius multos per eum acquiritis vobis filios, quotquot sumus in Claraualle ipsum in fratrem, vos in parentes recipimus.* D. Bern. ep 110.

Idem Bernar. epist. 3. ad parentes auertentes filios à seruitute Dei & religione: *O durum patrem! ô sæuam matrem! ô parentes crudeles, & impios! imo non parentes, sed peremptores: quorum dolor salus filij, quorum consolatio mors filij est.* Bern. ep 3.

2. *Religiosorum encomia varia oratoriè descripta.*

2. SANCTA mater Ecclesia, quasi decora, & formosa matrona haud gerit digitis in suis pulchriores annulos, gemmâ fidelitatis erga

sponsum suum Christum exornatos, quàm sint Religiosi. Haud pendet collo eius monile pretiosum magis, in quo diuersarum virtutum colluceant gemmæ, quam sint Religiosi. Non cernitur in capite eius corona tam insignis ob aurum, scilicet sincerum charitatis, quàm sint Religiosi. Non sedent circa illam, & *in circuitu mensæ suæ*, scilicet Eucharistiæ, filij magis dilecti, maiorique in honore habiti, quàm cernantur esse Religiosi. Non habet illa procuratores & ministros tam præstantes, & fortes, qui imperium eius extendant vsque ad fines, seu terminos vniuersæ terræ, sicut sunt Religiosi. Hi sunt oculi eius sapientiâ, nares prudentiâ, supercilia modestiâ, frons magnanimitate, genæ verecundiâ, os prædicatione, pectus fortitudine, cor constantiâ, dentes decore & ordine, manus ministerio.

Verus & perfectus Religionis alumnus nihil habet sibi ipsi propinquius seipso, vt qui optimè se nóscit: nihil longinquius, vt qui seipsum abhorret. Augustior illi est angustia cubiculi, quàm latitudo campi. Non illi carcer est cella; quia est illi pro cælo. Solitudine perfruitur, & tamē sociis non priuatur: neque minus solus est, quam cum est solus. exempla probitatis alienæ sunt ei speculum vitæ propriæ. virtutes fratrum, flores illi sunt ad suum mellificium. In aliena infirmitate seipsum roborat, in aliena fortitudine seipsum confirmat: illa vtitur ad cautelam non cadendi, hac ad firmitatem standi. Quomodo omnia non possidet, cum omnia pedibus calcet? quomodo diues non est, qui paupertatem pro diuitiis habet? quomodo lætus non est, quem lacrymæ ipsæ consolantur? quomodo suauiter non decumbit, cui tranquilla lectus est conscientia? Verum quidem est quod perpetuò fodit, sed semper etiam thesauros reperit. Semper quidem crucem ille gerit; at hæc currus est ei triumphalis. Concedimus, quod semper mortem ille meditatur, at hęc potens est illi ad vitam ęternam. Fert quidem ille iugum; sed iugum hoc pennarum est magis quàm pœnarum spiritali huic volucri, quod magis portat, quàm portetur. Amissio terrenorum nequaquam clauis est fontis suarum lacrymarum, non aperit cor eius ad suspiria, nisi cupiditas rerum cælestium. Numquam se magis existimat liberum, quàm cùm votorum vinculis Dei se constituit seruum. His quasi tribus clauis se affigit Cruci; his tamquam sidus fixū in cælo voluntatis diuinæ se collocat, & tamquam axim in rota suæ incertitudinis. His Deo offerens fructus simul donat arborem, offerens aquam simul donat puteum; offerens donum, simul tradit donantem.

Possessio dicitur à pedum positione.

qua illa sumi solet.

Religiosus virtute insignis gallum vigilantiæ & nocturni cantus gerit in pectore: Aquilam contemplationis, & sapientiæ in capite: Lusciniam suauitatis, & sanctitatis verborum in ore, (præsertim si prædicationis officio fungitur) Turturem gemituum orationis in faucibus: Columbam puritatis, & simplicitatis in corde: Manucodiatam in mente; quod eius conuersatio in cælo sit: Cygnum candidum castitatis in corpore: Pauonem

Alluditur nocturnis precibus Religiosorum per gallum.

Manucodiata significat apud nos Auem Paradisi.

uonem pulchritudinis in anima: Phœnicem singularis virtutis in omni sui parte.

Religiosus exit à mundo; sed ob id totus fit mundus. non amplius viuit in sæculo; sed ob id viuet per infinita sæcula. Relinquit quæ habet, sed acquirit quod est. sua perdit, seipsum reperit. Vel moritur suis (scilicet cognatis) nascitur sibi. Solo moritur, cælo oritur. Definit esse diues, incipit esse diuus. Relicta Sindone opum (nam terrena omnia sunt quædam corporis indumenta) nudus profugit à suis quasi ab hostibus, Christum in ipso persequentibus: (quia *inimici hominis domestici eius.*) Nudus fugit; quia debet nasci denuo ex vtero nouæ matris, scilicet Religionis. vt possit dicere, *nudus egressus sum de vtero matris meæ.*

Ieiunat religiosus: sed si ieiunat in mensa hominis, epulatur quotidie in mensa Dei, scilicet epularum spiritualium, & præsertim in mensa Altaris, & quotidiani sacrificij. Ieiunat religiosus: sed si non epulatur splendidè vt diues, refrigerabitur deinde vt Lazarus. Si micas esuriit, guttam non desiderabit. Flagellat se religiosus sed dum se exhibet tyrannum, se efficit martyrem; quia ob hoc ipsum, quod iustum flagellat, non flagellabitur, sed ob id quod Christianū scilicet seipsum punit, coronabitur. nam *si nos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.* Silentij legem seruat religiosus: Sed si silet cum homine, loquitur cum Deo. Si minimùm loquitur aliis, plurimùm loquitur sibi, siue secum. Vt probum se reddat monachum, probe institutum se efficit monasterium. clausuram enim in se refert, & ostiarium prudentem præficit ianuæ sui monasterij, scilicet ori qui ostium non aperiat, nec facultatem faciat exeundi nisi iis, qui à superiore loci eam antea obtinuerint, expositâ illi causa egressûs, ab illoque probata quasi rationabili. Hic autem superior in casu nostro est ipsa ratio. prudentia verò est ostiarius. Scit enim, & vsurpat religiosus illud, *Pone Domine custodiam ori meo.* Scit quod religiosus non refrœnans linguam suam, audit quod eius vana est religio. Religiosi verò silentij hostes sunt velut aulæ quædam, & domus publicæ cunctis semper egredientibus patentes, nullo ianitore, nulla campanulâ adhibitâ foribus.

Quid est religiosus nisi nouus Abraham exiens de cognatione sua, & de domo patris sui, & veniens in locum, quem Deus monstrauit ei? Quid est religiosus nisi voluntarius Isaac, qui sese votorum vinculis colligatum Deo offert in sacrificium? Quid est religiosus. nisi alter Iacob, qui recedit ab iniquo Esau, nempe à commercio iniquorum hominum in sæculo degentium, ne fortè mors per illos sibi obueniret æterna? Quid est religiosus, nisi alius Ioseph, qui vestem quoque corporis, & sæcularem habitum derelinquit, ne per hæc detineatur ab ipso sæculo cum periculo animæ vnde priori reiecto habitum assumit religionis?

SACERDOTES.

1. *Castitas in Sacerdote quanta requiratur cum in idololatris antistibus tanta fuerit.*
2. *Sacerdos quantum lucretur ex cælibe vita.*
3. *Pœna impudici Sacerdotis quanta futura sit.*

Phil. Cam hor. subc cent. 1.c.1.



1. HILIPPVS Camerarius horarum subcisiuarum centur. 1. cap. 1. narrat ex antiquis auctoribus, Sacerdotes Deæ Gibeles solitos seipsos eunuchos facere, vt castitatem seruarent in ministerio Sacerdotali: & Athenis alios solitos bibere cicutam, (quæ porrigebatur ibi ad necem inferendam, vt porrecta fuit Socrati) ad extinguendam libidiné, vt in sacerdotio ministrarent. & Demosthenes in oratione contra Timocratem ait: Ego sanè existimo eum, qui ad sacra accedit, &c. oportere non ad tempus, sed omni vita ab his turpibus studiis abstinuisse. Vide ergo quàm casti esse debeant Sacerdotes Dei, si idolorum, & dæmonum tam casti fuerunt. nostri Sacerdotes debent esse ex iis eunuchis, *qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* si enim illi id materialiter fecerunt propter dæmones; quomodo nostri id non præstabunt metaphoricè propter Deum? illi propter infernum, nostri [illegible] *propter regnum cælorum.*

2. At quia in præmium castitatis sacerdotalis (quâ etiam renuit homo vxorem ducere) consecratus est ad conficiendam Eucharistiam; ideo quodammodo potest dici, fieri pater Dei, dum respuit esse pater hominum: sicut Beata Virgo respuens hominum, & filiorum hominum fieri mater facta est Mater Dei ille dicebat, *possedi hominem per Deum*: at Sacerdos potest dicere, possedi Deum pro homine.

Sic id quod dicitur, *Qui facit voluntatem Patris mei, &c. ille meus frater, & soror, & mater est*; circa hoc postremum de matre eius conuenire potest aliquo modo Sacerdoti in casu prædicto consecrationis.

3. Principes magni sponsam suam Eunuchis tradunt custodiendam, sic Deus sponsam suam Ecclesiam Sacerdotibus, qui sunt eunuchi propter regnum cælorum, & eunuchi Regis cælorum. si Rex inter suos eunuchos inueniat fortasse aliquos, qui se tales simulauerint ad violandam sponsam regiam, cui sint adhibiti custodes, vide quid de illis faciet. sic, si Deus detegat in Sacerdotibus carnis illecebras, & simulasse se eunuchos vt ad proprium lucrum & voluptatem violarent Ecclesiam suam, hoc est mulieres sibi commissas, vel Ecclesiam ipsam Dei, in quantum denotat Ecclesiasticum beneficium, & officium, vt Parochiam, Episcopatum, &c. vide inquam, quid sit Deus facturus de talibus. Christiana & bona mulier est templum Dei, quod violat Sacerdos impudicus; *corpora vestra templum sunt Spiritus sancti.*

4. *Sacerdotes quasi ideæ segregati à carne, & materia esse debent.*

PHILO lib. de Gigant. 4. PHILO libro de Gigantibus, *Sacerdotes Dei* (inquit) *homines sunt, quorum maior est dignitas, quam vt se misceant humanæ reipublicæ, & mundi ciues sint: sed sublimiores omnibus rebus sensibilibus migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, adscripti Reipublicæ idearum incorporearum, & incorruptibilium.* ita Philo.

Leuit. 10. Facit pro prædictis quod dicitur Leuit. 20. ad eos. *Separamini qui portatis vasa Domini, & exite de medio eorum dicit Dominus.* ad quem locum

ORIG. hom. 11. in Leuit. Origenes hom. 11. in Leuit. ait verè Sacerdotem debere esse segregatum à mundo, nam & Græco vocabulo sacerdos vocatur hoc est *absque terra, extra terram.* adde idcirco de eo dici quod *Angelus Domini exercituum est.* in actibus Sancti Bernardi legitur quod intrantibus in suam congregationem ad Deo seruiendum dicebat, *Corpus extra monasterium vobis relinquendum est*, quasi non in carne, sed in spiritu solo ibi essent victuri, nullum carni & sensui locum dando. ita Deus vult, futuros Sacerdotes similia facere.

5. *Sacerdotes epulatores thuribula sunt coquinæ seruientia carnem pro thure redolentia.*

5. AIT ibi Origen. Sacerdoti, *Segregate, &c. tamquam sancta thuribula, solius templi vsibus, & Dei ministerio vacans.* sic ibi. Quid si videres thuribula loco thuris, emittere plerumque nidorem carnis, & aliorum ciborum, & magis in coquina, quàm in Ecclesia perseuerare? at hoc fit, cum Sacerdotes qui thuribula sunt, de quorum ore non deberet egredi nisi thus, seu incensum orationis, & adorationis, vel sermo sanctus & optimi odoris, scilicet famæ: emittunt fetorem carnis, nonnisi de rebus ad gulam, seu ad terrena pertinentibus loquuntur, & mali exempli fetorem exhalant, & plus inter cacabos, quàm inter calices sacros conuersantur. Non dormiunt *inter medios ollas.*

Verè dicit supra Philo veros Sacerdotes esse ideas separatas, nam vt ideæ nonnisi per intellectum inueniuntur extra res ipsas existere; ita Sacerdotes, quales ipse cupit, potius concipi, & intelligi, quàm inueniri solent.

6. *Honorem Sacerdoti Deus quasi suo videtur præponere.*

6. TANTA est Sacerdotis dignitas, vt quasi ad eam demonstrandam videatur Deus supra seipsum exaltare Sacerdotem, quoad existimationem, & reuerentiam Sacerdoti præstandam. nam sicut cum volumus exaggerare rem minorem, solemus illam cum re maiori cōferre: vt etiam Scriptura facit cum dicit, quod consilium Achitophel erat *quasi consilium Dei*, & de Dauidis bonitate ait illa, quod *erat, vt Angelus Dei:* sic Deus, vt ostendat quam impudēter sibi contradicat populus, ait Ose. Osea 4.
4. *Populus tuus, sicut hi, qui cōtradicūt Sacerdoti.*

Hier. *cerdoti*. vbi Hieronym. explicans ait, *Tanta estis impudentia vt contradicatis mihi, quasi si Sacerdoti plebecula contradicat.*

7. Sacerdos Angelus est, peccando decidit in infernum deiectionis, & vituperij, fitq; dæmon etiam malitia.

Mal. 2. 7. IN Mal. 2. dictum est de Sacerdote, quod *Angelus Domini exercituum est*. at sicut Angelus, dum stetit in veritate, Angelus, fuit, cæli habitatione super omnes homines dignitateque sublimis: ita cum recessit à Deo, factus est diabolus in profundum de cælo deiectus, ab omnibus terram habitantibus conculcatus. infernus enim est sub terra. præterquā quod ipse serpens effectus, hoc est in serpente inhabitans, audiuit, *ipsa conteret caput tuum*, & data potestas fuit hominibus calcandi supra serpentes huiusmodi. *super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* ita si Sacerdos maneat in sua puritate; Angelus est super alios homines, loco, honoris virtuteque sublimis. at si à virtute deficiat; vt sal infatuatum *ad nihilum valet, nisi vt conculcetur ab hominibus.* quasi dæmon de cælo sublimitatis deiicitur in infernum abiectionis. infra pedes omnium mortalium. Audi quid Malachias dicat statim post illa verba, quod Sacerdos Angelus sit: *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege.* (ad Sacerdotes loquitur,) & subdit, *propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis.* vide quid magis cernatur impletum in Sacerdotibus nostris? Si Sacerdos Angelus est, vt ait Malach. ergo peccando etiam per malitiam fit diabolus. nam quid est diabolus, nisi Angelus peccator? fit dæmon; quia peccatum ratione personæ in illo est magnum; & quia solet post primum lapsum in reprobum sensum se dare. *Vnus vestrûm diabolus est*, dictum de Ecclesiastico præuaricante.

Theod. in Cant. sup. id Ps. 44. Theodor. in Cant. super id Psalm. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*, ait, Ecclesiæ faciem esse dignitatem Sacerdotalem. vnde est illud, quod aiunt; maculas in humeris, brachiis, pedibus, vel aliis partibus corporis, facilè abscondi; at non ita quæ in facie sunt, scilicet in Sacerdotibus. Tota ferè pulchritudo, vel deformitas sponsæ, vnde attenditur, nisi à facie; da ergo mihi Clerum bonum, seu malum; inde tota Ecclesiæ sponsæ Christi videtur pendere species. facies & caput huius sponsæ sunt Sacerdotes; sed si ab altitudine sua deficiant, & terræ adhæreant affectu, spretis sublimibus; tunc ex capite fiunt calcaneus, & ita conculcantur ab hominibus. fiunt pars vilissima huius sponsæ. Matth. 5. Sacerdos dicens, & non faciens, *minimus vocabitur in Regno cælorum*, hoc est in Ecclesia. Matt. 5.

2. *Sacerdos turris campanariorum Ecclesia, sed mobilis. in omni gressu suo sonat per exempla.*

3. *Lapsus campanariorum est ruina Ecclesiarum, cadunt super eas. sic lapsus Sacerdotum Ecclesias mysticas diruit.*

2. Sa-

2. SACERDOS, & præcipuè præpositus alicuius Ecclesiæ, est velut turris siue campanile Ecclesiæ suæ. sicut enim hæc turris superstat Ecclesiæ materiali, ita ille præest mysticæ. officium illius turris est vocare homines ad Ecclesiam, ad bonumque, & orationes inducere: & hoc est officium Sacerdotis. dixerim tamen Sacerdotem in hoc à turri, seu campanili differre, quod illud stabile, hoc autem sit campanile mobile. vnde nec gradum facit aut motum, quin simul agitet campanas. vis
Exod. 28. hoc videre? memento Exodi 28. vbi Sacerdos tintinnabula, seu campanulas à veste pendentes habebat. adeo vt non posset moueri ne passu quidem vno, quin audiretur circumquaque. quare hoc factum fuerit,
Greg. in regist lib. 1. ind. 9. c. 24. Hier. ep. 128. Gregor. in registro libr. 1. indict. 9. ca. 24. ait: *Vt vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque opera Sacerdotū clament.* & Hieronymus epistol. 128. *Vt* (inquit) *gressus eius & motus, & vniuersa vocalia sint, veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu; vt quidquid agit, quidquid loquitur; sit doctrina populorum.* ita Hieron. hoc vno verbo dixit Petrus, *forma facti gregis ex animo.*

3. Adde quemlibet gressum Sacerdotis tot tintinnabula habentis, circumquaque audiri: nec posse Sacerdotem gradum quidem facere, quin audiatur à cunctis; quia *non potest ciuitas abscondi supra montem posita* & velle occultare prælatum Ecclesiæ, est velle abscondere campanile vel facere, vt sonitus exemplorum, & factorum eius non audiatur. Adde ruinam campanilium materialium, esse ruinam Ecclesiarum. nam cadunt super eas. sic casus, & ruina mystici campanilis, scilicet Sacerdotis, est ruina Ecclesiæ mysticæ, & spiritualis, ratione scandali. imo Hiero. in Oseæ 9. ait, Veteres scrutans historias inuenire non potest scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse prçter eos, qui Sacerdotes à Deo positi fuerant. ita Hieronymus. Hier. in Osea 9.

4. *Prælati magni sæpè quot ministros, tot delatores habent actorum suorum, & murmuratores.*

4. IN hoc multi Prælati & magni Sacerdotes imitantur Sacerdotem Legis prçdictum, quod quotquot aulicos, & famulos sustentant suis redditibus, vt illis comitati ac ornati procedant; totidem videntur habere tintinnabula pendentia à se, quæ aures ipsorum sonitu, & tinnitu adulationis, & ceremoniarum solent implere; vel è contrario aliis omnem eorum motum, & actionem vitæ cunctis murmurando reuelare. quot famulos sustentant, tot tinnabula cuiuslibet sui motûs & actûs habent. Tales ministri murmuratores & querulosi plerumque inutiles ad opera esse solent, sed quasi æs sonans, & campanulæ, solum docti ad oblatrandum. vulgò dicimus Italicè de maledicente: (a) *suona à campane doppie del tale.* sic se gerunt isti contra Prælatum, contra æconomos eius. nam *si non fuerint saturati & murmurabunt.* sed dum aula tota murmurat de prælato suo; cum tot tintinnabulis, seu campanulis constet, non du- (a) Duabus campanis in illum perstrepit.

plici, sed centuplici sono stridet. adeo vt ratione scriptarum litterarum per totum ferè mundum audiantur acta præiati, sonitusque campanarum.

5. *Sacerdos præcedere debet alijs, vt mons planitiei supereminet, vt nubes terræ.*

AMBR. ep. 6 ad Iren. 5. AMBROS. epist. 6. ad Iren. *Iussit* (inquit) *Deus sacerdotes ascendere ad montem, populo deorsum stante, & Moysen in nube recepit.* ex prædictis colligit S. Doctor, doceri Sacerdotum vitam, & dignitatem valde altiorem debere esse super populum, vt expresse eodem loco prosequitur. inferre igitur voluit Deus iuxta mentem Ambrosij, vitam & dignitatem Sacerdotum tantò sublimiorem esse debere, quantò sublimitas alti montis à planitie, seu profunda valle ei vicina. nonne clarè id dicit Christus Sacerdotibus loquens: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita?*

Et cum recepit Moysen in nube, videtur docuisse iuxta Ambrosium, non sufficere Sacerdoti in monte esse; sed debere esse etiam inter nubes respectu populi in terra humili iacentis, imo cum ait Dominus, *vos estis lux mundi*, hoc est, sicut estis sal, ita estis Sol terræ: cùm Sol in cælo sit, voluit indicare vitam, & conuersationem, ac dignitatem Sacerdotum tantum distare à ceteris quantum cæli à terra, & quantum lux à tenebris. cum, vt dixi, ipsi sint lux mundi; adeo vt possint dicere populis, *sicut exaltantur cæli à terra, ita exaltatæ sunt viæ nostræ à vijs vestris*, &c. tantum distare à ceteris debent. sunt enim quasi Dij in mundo.

2. *Sacerdos tamdiu est in honore, quamdiu præditus est virtute.*

2. IDEO Ambr. loco citato persequens inceptum sermonem de hac eminentia Sacerdotum à ceteris, ait: *Sobriam à turbis dignitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat sacerdotalis. Quomodo potest obseruari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscit? si nihil in te respiciat, quod vltra se inueniat? Si quæ in se erubescit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendat? supergrediamur igitur plebeias opiniones, & strata quadam gregalis opinionis.* ita Ambros. AMBR. loc. cit.

Adde tu: Sacerdotem communis vitæ omnes Reuerendum vocant nō reuerendum æstimant: si iuxta dicta Ambrosij loquamur. vel reuerendum æstimant Sacerdotium, non Sacerdotem.

Idem euenit de reuerentia exteriori, quæ exhibetur Sacerdotibus, ac de interiori, quę consistit in existimatione, quæ de eorum virtute ac grauitate habetur. nam sicut dum Sacerdos defert Christum in Eucharistia vel ad infirmos, vel alia occasione, omnes populi non solum Christo, sed etiam Sacerdoti tamquam illum gerenti magnam exhibent reuerentiam: at si eidem Sacerdoti occurrāt postquam Sacramentum deposuit, illum ferè habent tamquam vnum de populo: eodem modo accidit de interiori, seu de vera & continuata

vene-

veneratione. nam quamdiu sacerdotes adimplent illud, *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*, & sunt templa mobilia Dei, & Christi; circumferuntque ipsum, & ostendunt in gressibus, & viis vitæ suæ; tamdiu in magna reuerentia sunt apud omnes. at si ab hoc desistant; tum quilibet de turba non timet tamquam sal infatuatum eos conculcare. vnde dicitur *quod si sal euanuerit, &c. ad nihilum valet vltra, nisi vt conculcetur ab hominibus.*

Hoc ipsum potest explicari dicendo, quod alimentum hominis vulgò appellatur *vita*. vnde qui benè vel malè alitur quoad cibos, dicitur benè, vel malè viuere. sicut ergo quãdiu Sacerdos videtur in altari viuere victu diuino, nimirum pane & vino cælesti, ac mensa diuina; tamdiu gentes genuflexæ post illum iacent: at si cessauit viuere vitâ illâ diuinâ, & videant eum cibi terrenis (vt alij homines, & animalia) nutriri, & viuere; tunc cessant genuflexiones, & reuerentiæ: eodem modo quamdiu vident Sacerdotem viuere vita cælesti, & nutriri rebus diuinis quoad virtutem, & gratiam; eum in summo honore habent. at è contra, si recessit à diuina mensa, à vita sancta & diuina; *ad nihilum valet, nisi vt conculcetur ab hominibus.*

Hodie magis concurritur, & maiori anxietate, & celeritate ad palliũ Altaris, siue Templi, quàm ad pallium fori (sic nos vocamus brauium * quoddam vsitatum apud nostrates) & apud Prælatos quosdam qui meliori insidet equo fauoris, vel opum, is interdum currit ante alios, quamuis claudus esset, & alij pedes ceruorum haberent. Italicè, *Chi è meglio à Cauallo di fauor, vince; se ben fosse mal in gambe di meriti.*

* Il palio. i. e. certatim curritur ad beneficia & sacerdotia.

3. *Vtentes Sacerdotibus in ministerijs familiæ, & abiectis, Turcis peiores sunt.*

4. *Sacerdotes Eucharistiam recipientes vasa argentea, & aurea virtute esse debent, vt quæ recipiunt Eucharistiam.*

3. TANTVM honoris exhibent ipsi Turcæ pseudoprophetę suo Mahomet, vt si eorum seruus (qualiscumque sit, & quantouis pretio emptus) aliquo modo ingrediatur in templum Mechæ, vbi sepulchrum est Mahometis; statim liber euadat, nec herus vllo modo valeat illius impedire libertatem, vt testatur historia Turcica, tomo 1. lib. 2. de ceremoniis peregrinantium ad Mecham, ca. 15. Cum verò multi ex plebe, qui nobilioribus in sæculo quasi pro famulis erant, per assumptum Sacerdotium, vel clericatum in religiosa familia, non solum in templum veri Dei, sed vt ita dicam, in latus apertũ ipsius Christi penetrarunt, ex eius domesticis effecti; his non obstantibus, antique seruitute præmuntur à multis diuitibus: imo aliquando etiam maiore quam antea. Inde videas alicubi Sacerdotes, vxores diuitum per viam ambulantes humeris sustentare, seruorum, vel ancillarum more; dum scilicet matrona presbytero se præeunti velut cæcus puero ducenti se, manu inhæret. aliũ videas religiosum diuitis villicum effectũ, libros

Hist. Turc. to. 1 l. 2. de cer. pereg. ad Mec. c. 15.

libros rationum plus quam breuiaria tractare: & ita longè posset super his euagari sermo noster. idem dicendum de his, qui in ceteris rebus tales se exhibent religiosis, ac si minimè religiosi essent; in eis tantùm ignobilitatem, vel inopiam considerantes. cum autē per ingressum templi etiam scelesti liberari soleant à satellitibus, vt & serui, vulgò *sciaui*, à Turcis: ergo qui post statum clericalem adhuc non liberant à seruitute homines, deteriores sunt Turcis, & satellitibus, ipsisque crudeliores.

Exod.16. 33. 5. Exodi 16.33. *Sume vas vnum, & mitte ibi manna, & repone coram Domino.* Septuaginta legunt *Vas aureum.* & Hebr.9.4 *vrna aurea habens manna.* Cyrillus Alex.lib.3.in Ioan.cap.34. de hoc aureo vase mentione facta, vult significari per illud animam, quæ Christum, & cælestem thesaurum in se recepit, & Deo offertur. dic tales debere esse Sacerdotes Christū, qui manna est, per Eucharistiam recipientes: quique ratione officij sui, & diuini cultûs, Deo oblati sunt, & semper coram illo, hoc est, eius spiritali præsentia debent viuere. olim, vt inquit quidam, erant calices lignei, & Sacerdotes aurei: modò Sacerdotes lignei, calices aurei. quod de multis verificatur. Patenæ & calices Christi corpus & sanguinem recipientes argentei sunt, & deaurati. tales esse debent Sacerdotes eadem in se recipientes. at sæpè tales student fieri opibus, non virtute.

Heb.9.4. CYRIL. ALEX. *lib.3 in Ioan.c.34.*

Congruit Sacerdotibus conscientiâ immundâ sacrificantibus illud Tertulliani libro de idololatria, c. 7. *Proh scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt: isti quotidie corpus eius lacessunt. ô manus præcidendæ!*

TERT. *li. de idol. c.7.*

5. *Quantum scelus indignè accedere ad altaria.*

5. LEVIT.21.3. dicitur ad Sacerdotes, *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Isreal Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* (hoc est omnis Sacerdos, in quo fuerit immunditia.) ad quæ verba Basilius libro 2. de Baptismo, cap. 7. *Si tales minæ aduersus eos positæ sunt, qui temerè ad sacra accedunt, quæ ab hominibus sacrificantur; quid dicendum de eo, qui in tantum, ac tale mysterium temerarius est?* & statim addit, *tantò sceleftiorem esse eum, qui nunc impurus Christi Domini corpus sacrificat, quàm illum, qui olim sanguinem arietum, & taurorum immolabat, quantò Christi Domini corpus excellentius est, quàm arietes, & tauri.* hæc ille. vide an amplius dici queat. *Leu.21.3.*

BASIL. *lib. 2. de Bapt.c 7.*

Num.17.2. iussit Deus, vt singulæ tribus singulas virgas aridas in medium conferrent, & ex ea tribu Sacerdotes assumerentur cuius virga in sequentem diem viruisse, ac floruisse deprehenderetur. cur autem virga florens Sacerdotij inditium, & insigne? quia flos castitatis est verum & proprium insigne: per quod Sacerdotium, & eius sanctitas demonstratur. sic D. Ambros. lib. 10. ep. 80. respondet ad hoc, *Quod numquam Sacerdotalis macrescat gratia, & summa humilitate habeat in suo munere commissa sibi florem castitatis.* etiamsi omnes alij homines essent ligna arida, *Nu.17.2.*

D. AMB. *lib.10 ep. 80.*

hoc

hoc est peccatores, iuxta illud *In arido quid fiet?* essent sine vllo flore castitatis omni tempore: tamen omni tempore Sacerdos debet esse virga viridis, & florens, lignum viride, & florescens, per virtutem, & castitatē.

2. *Sacerdos virtutes non solum communes, sed peregrinas habeat.*

Abul. q. 11 in loc. cit. Nu. 2. ABvl. quæst. 11. in locum cit. Numeri dicit, virgam illā perpetuò virentem & florentem perstitisse, postquam reposita fuit rectè hoc: nam, vt Origenes Hom. 21. in Num. *Illius tantum est offerre sacrificium indefinens, qui indefinenti, ac perpetuæ se deuouerit castitati.* Abulensis negat, quod aliqui asserunt, hanc virgam fuisse amygdalinam: sed ad maius miraculum, germinasse, inquit in flores, & fructus amygdali. in quo obseruat auctor perdoctus mysterium. nempe Sacerdotem non solum virtutes hominum proprias habere debere, sed etiam puritatem quamdā peregrinam, & plus quam humanā, & Angelorum propriam. nam D. Ambr lib. 1. de virginib. ait, *In cælo patria est castitatis. hic aduena: ibi incola est.* & Chrysolog. Serm. 143. *In carne præter carnem viuere; non terrena vita est, sed cælestis.*

Orig. Hom 22. in Nu.

D. Amb. lib 1 de virg. Chrys. Ser. 143.

3. *Sacerdos antiquis Hebræorum Sacerdotibus dignior; quia Corpus, Christi dignius pecoribus, quæ illi offerebant offert.*

Soph. 2. 7. 3. ANgelvs ergo est Sacerdos, vt etiam Soph. 2. 7. de eo dicitur, *quia Angelus Domini exercituum est.* sed dico, plus quàm Angelus si fas est dicere. nam si Angelus dicitur, qui offerebat carnes, & sanguinem pecoris; qualis erit qui offert carne & sanguinem Christi? Angeli veteribus sacrificiis sese immiscuerunt, vt in sacrificio Manue. Iud. 13. 20. de quo dicitur, *Cumque ascenderet flamma altaris in Cælum; Angelus pariter in flamma ascendit.* at Sacrificium Ecclesiæ ita venerantur, vt ad illud non audeant accedere propiùs sæpè enim viri Sancti Angelos in terram pronos conspexerunt, dum Missa celebraretur, vt D. Chrysost. de Sacerdotio, D. Gregor. 4. Dial. cap. 58. aliique testantur. Si Sacerdotum dignitas ex sacrificij qualitate attendatur, tantò dignior Sacerdos nunc, quam in Lege; quantò Corpus Christi dignius est pecoris, quibus olim sacrificabant.

Iud. 13. 20.

D. Gre. 4. dial. c. 58.

Genesis 44. 2. cum Ioseph ceteris fratribus frumentum tantùm dedisset, Beniamino addidit frumento scyphum argenteum. D. Ambrosius de Ioseph Patriarcha, ca. 1. spiritaliter per Beniamin sacerdotes accipit, quibus tamquam Beniamin magis dilectis à Deo in hac parte, non tantum Eucharistia in specie panis donetur, sed etiam in speciei vini, hoc est calice sanguinis. *Triticum,* inquit, *multis datur, scyphus vni, qui sacerdotali donatur munere.* cum ergo Zacharias 9. 17. de hoc vino dicat, *Vinum germinans virgines:* debent vtique sacerdotes tamquam maiori donati beneficio, esse inter fideles quoad castitatem, & puritatem, velut virgines puræ inter ceteras mulieres.

Gen. 44. 2

D. Amb. de Ioseph Patr. c. 1.

Zac. 9. 17.

Hoc calice donatus Beniamin

Christi dilectus, hoc est, Sacerdos, potest dicere: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* ex Hebræo etiam *Coaceruauit in me charitatem.* verè enim coaceruat in eo charitatem, dum addit calicem vini, & quasi introducit, (præter datum frumentum) in cellam vinariam ipsum Beniaminum. vel dicat, vt alij legunt. *Vexillum eius super me charitas*, quasi dicere velit, ob hoc beneficium, (sicut ratione prælationis, & Sacerdotij antesignanus sum constitutus in hac militante Ecclesia contra hostes illius) ita etiam per hanc charitatem specialem in me collatam, vexillum Christi ferens, crucemque eius, ante alios excurram contra aciem hostium i. e. quarumcumque difficultatum laborum & passionum.

Cant. 2.

2. *Chrysostomus putat paucos Sacerdotes saluari.*

3. *Sacerdote malo nulla peior bestia.*

2. Heu terribile dictum Chrysostomi considerantis copiam malorum Sacerdotum, Hom. 3. in Acta Apost. post medium: *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salui fiant, sed multò plures, qui pereant.* Eusebius in epistola ad Damasum de morte D. Hieronymi, quæ inter eius opera circumfertur: *Ecce mundus vndique feruet Sacerdotibus, & tamen tam sunt rarissimi sacerdotes, quod vix de centum vnus reperiatur bonus.* quid horribilius quàm eos semper mansuros in domo diaboli, qui semper manent in Domo Dei? eos in manibus habeat diabolus, in quorũ manibus quotidie est Deus? eos damnandos, & perituros per ignem, qui alios sanos faciunt per aquam? hoc est baptismatis.

Chrys. conf. cop. Sac. Ho. 3

Eus. in ep. ad Dam.

3. Addit ibidem Eusebius: *Nulla certè in mundo tam crudelis bestia, quàm malus Sacerdos. nam corrigi non patitur, neque veritatem vnquam audire potest. & vt breuiter dicam, omnes præminet malitiâ.* Supra dixi, si bonus sit, esse Angelum: consequenter, si peruertatur, fieri diabolum vtique diabolum, vt aiunt, incarnatum.

Petrus Damia. lib. 4. epist. 14. *Qui Dominicum Corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Iesum particeps esse conuincitur.* iuxta illud Hebr. 6. *Rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* addit ibi: *A nullo planè Deus omnipotens tam maioris iniuriæ præiudicium tolerat. imo sacrificio deteriùs nemo peccat, quàm Sacerdos, qui indignè sacrificat. aliter peccantes, quasi Dominum in rebus eius offendimus: indignè verò sacrificantes velut in personam eius manus inijcere non timemus; cum scriptum sit, si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* ita ille. adde, hoc vltimum ab Heli dictum fuisse filijs, Dei vultum, & sacerdotium violantibus 1. Reg. 2. quod ostendit, quàm difficile sit, vt talia peccata curentur, & veniam habeant.

P. Dam. l. 4 ep. 14.

Hebr. 6.

Peccandi in sacrificio difficile est saluari.

1. Reg. 2.

4. *Sacerdotia sæpè quæruntur ob temporalia commoda.*

4. D. Bernardus in suis declamationibus ait: *Quis ea intentione gradus Ecclesiasticos, & ministeria Sanctuarij quærit, vt sine curis sæculi,* in

D. Bern.

in sanctimonia cordis, & corporis accedat ad Dominum, & suam pariter, ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus, & verbo prædicationis? ostendit paucos esse, qui sic quærant, non autem nullos, vt & sequentia id intendunt.

Quis quærit Ecclesiam propter Ecclesiam, & non propter presbyterum, nimirum propter se? nam sæpè non prouidetur Ecclesiæ de Sacerdote, sed prouidetur Sacerdoti de Ecclesia. quis quærit Sacerdotalem habitum, vt habeat Sacerdotalem actum, vitam nempe Sacerdoti congruam? quis gestit habitare prope Ecclesiam, vt maneat prope Deum? quis non quærit altare, vt sit altus? quot quærunt coronam clericalem, vt sint quasi reges in loco sacro, qui erant serui in laico?

BERN. Addit ibi Bernardus, quod clericus beneficia Ecclesiæ *eo quærit, aut tenuit animo, vt huius vitæ habeat necessaria. euangelizat, vt manducet, & peruerso nimis ordine cælestibus terrena mercatur.* vt habeat necessaria. imo sæpè vt habeat superflua. vt ebrius sit in templo qui esuriebat in domo, nimirum paterna.

Verum est illud, qui seruit altari 1. Cor. 14 debet viuere de altari, primæ Cor. 14. *Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annuntiant, Euangelio viuere.* de Euangelio viuere inquit, non crapulari, non delitiari. vnde addit Bernardus: *De altari non superbiat, non luxurietur. non ampla palatia fabricet, nec loculos congreget, nec in vanitate dispergat.*

Euangelizat, inquit, vt manducet. quidquid exit ab ore, vult intret in os, (iuxta Ecclesiast. 6. *Omnis labor hominis sit in ore eius*) Eccles. 6. hoc est prædicationem sibi fieri in commestionem; ad mare, vnde exeunt flumina reuertantur. ipsum Euangelium ieiunia prædicans, ipsam suam prædicationem, quâ inuehunt in crapulam alienam, ordinant ad propriam. omnia dirigunt ad ventrem, omnia ad marsupium dirigunt imo detorquent: cùm hęc directa ex se sint ad Deum. vnde ait Sanctus, quod *peruerso nimis ordine cælestibus terrena mercantur*: ipsamet altaria, ipsos Sanctos, ipsum Christum volunt seruire superbiæ, luxuique alieno, qui numquam seruierunt suo. cùm Sancti hæc exhorruerint in terris; volunt vt in illis sibi suffragentur in cælis. Hæc inquam volunt, & faciunt quantum in ipsis est, licet de facto nec Christū, nec Sanctos possint facere cooperantes sibi in malo.

Cælestibus terrena mercantur, inquit Bernardus. adeo vt sæpè clericum fieri, non sit mercimonium relinquere, sed mutare: vt qui vendebat in apotheca, vendat deinde in Ecclesia. nisi quod antea vendebat quæ operabatur sudando; at postea vendat quæ operatur sedendo, hoc est absque multo labore, sed cum dignitate, sedendo super cathedram Moysis. hæc tamen de venditione iuxta verba Bernardi dicta sunt, non enim hic scholasticè locuti sumus.

2. *Sacerdotes suas negligentes Ecclesias, & templa, vt delitijs vacent.*

2. ECCLESIÆ priuatæ, seu particulares, sunt sponsæ sacerdotum, quibus traditæ sunt, vt ab ipsis (sicut sponsæ solent à viris suis) custodiantur, alantur, ornentur, &c. sicut supremus sponsus Christus est sponsus Ecclesiæ vniuersalis. at sicut sponsa dotem affert viro, vt ex ea sibi conferat prædicta emolumenta, & tamen multi dotem exhaurientes in luxu, alea, vel aliis in vitiis crapulæ, scortationis, &c., ipsam sponsam desolatam, spoliatam, esurientemque relinquunt; & aliquando in manibus adulterorum: sic multi sponsi Ecclesiarum, dotem beneficij à sponsa sibi traditam absumentes in prædictis rebus, ipsam relinquunt spoliatam, desolatam, &c. Ecclesiæ ipsæ materiales multæ non solū spoliatis earum altaribus, & euacuata sacra supellectili, quæ cultui diuino decora sit, sed etiam vetustate collabentes, & miserabiles id attestantur: vt nihil dicam de Ecclesiis viuis ouium Christi, quæ ipsorum curæ demandatæ fuerunt, hoc est de animabus.

D.Ber. ser.77. in Cant. Facit D.Bern.ser.77. in Cantica, de istis loquens: *Intuere quomodo incedunt nitidi, & ornati, circumamicti varietatibus, tamquam sponsa procedens de thalamo suo. nonne si quemquam talium eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quàm sponsæ custodem? vnde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, &c. nisi de bonis sponsæ? vnde est quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exanguis.* ita Bernardus.

3. *Sacrificij Altaris dignitas descripta oratoriè.*

3. ANIMADVERTE quali mensa fruatur etiam quotidie Sacerdos, & eius dignitatem intelliges, simul & qualis esse debeat ipse ex ea re cognosces. *Introibo*, inquit, *ad Altare Dei.* Ait quidam: ad illud Altare introibo, quod est thronus supremi Regis, theatrum prodigiorum mirabilium, antemurale Paradisi, arx Christiani militis, arca mysteriorum sacrorum, lignum incruenti sacrificij, mensa panis angelici, tabernaculum mannæ cælestis, officina Sacrosanctæ Eucharistiæ. *Introibo ad Altare Dei.* Ad illud Altare, quod est aula supplicationum, cubiculum expeditionum, Pons ad vitam æternam, portus desideriorum naufragantium, scopus sacrorum officiorum, meta Ecclesiasticarum dignitatum, cælum Ecclesia Dei, ærarium diuinarum opum, Capitolium honoris, sedes dignitatis Christianæ. *Introibo ad Altare Dei*, ad illud Altare, quod est cella penuaria Altissimi, Ætna diuini amoris, imago cælestis pulchritudinis, alueare suauitatis Spiritus sancti, mercatus gratiarum, tribunal diuinæ pietatis, Sancta Sanctorum templi Ecclesiastici, schola piarum animarum, academia Angelicorum spirituum.

ACCEPTIO PERSONARVM.

2. *Magnates putantur esse sapientes, pauperes insipientes.*

3. *Princeps totus caput esse debet, & Angelus sapientia.*

2. Tam proni sumus ad personarũ acceptionẽ, vt etiam in res insensatas & à quibus nil speramus, vel metuimus, illam exerceamus. Commune enim est apud Philosophos omnia sidera esse rotundæ figuræ, & non habere sensum vllum, nedum rationem. tamen pictores opinioni vulgi sese accommodantes, Solem solummodo, & Lunam tanquam Stellarum Principes rotundæ figuræ effingunt, & quasi duo capita sint humana, cum omnibus sensibus capitis depingunt. Hoc facto (vt ita dicam, docentes quod quamuis subditi, & minores viri sint præ sapientia stellæ aliquæ quam qui docti sunt, & *ad doctrinam erudiunt multos, velut stellæ in perpetuas æternitates lucebunt.* (tamen, quia opibus, vel nobilitate aliquando magni non sunt, æstimantur potius res insensatæ, & absque oculis, & cerebro, quasi carnis frusta. qui verò potentes sunt, & diuites; (nam diuites velut Imperatores sunt. quia vt dicitur Prou. 22. *Diues pauperibus imperat.*) hi inquam æstimantur, siue ex adulatione depinguntur verbis, vel scripto quasi toti capita essent, hoc est toti mens, & sapientia, quamuis reuera nullum haberent sensum externum, nedum internum. sic Principes vocantur capita, subditi autem membra; quasi in ijs solis cerebrum, atque oculi, & alij sensus essent, in his verò nullus. sed insensati existerent. (a) *Li poueri par, che non habbia ciera da huomo, ò faccia da Christiano. ma il grande, il Signor pare, ò vien descritto come se fosse vna gran testa. dicon, egli è vna gran testa. se ben egli è solamente Sole in quanto, che è riundo come lui, e Luna quanto alla pazzia, & mutabilità.* Luna enim Lunatici, & stulti Symbolum. nam *stultus vt Luna mutatur.* Ecclesiastici 27. Solem verò, & Lunam Principes significare, siue maiores ex Gen. 73. colligitur, vt & stellas subditos. ibi ergo dicitur: *Vidi per somnium Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me.* Vis videre quomodo sapientiam tribuunt diuiti pauperi verò stultitiam? Ecclesiastici 13. 28. *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subuertent illum,* & Ecclesiastes 9. ait: *Sapientia pauperis contempta est.* Italicè dicunt: (b) *A chi la và bene, egli par sauio.*

Prou. 22.

(a) Quasi pauperes faciem non habeant humanam, & de diuitibus aiunt, Magnum caput est. Qui sæpe Similes tantũ sunt Soli rotunditate, Lunæ verò stultitia & mutabilitate.

Eccl. 27. Gen. 73. Eccl. 13. 28. Eccl. 9.

(b) Cui benè est, Sapiens videtur.

3 Angelus, eò quòd totus spiritus sit, & merè rationalis creatura, totusque sit in sapientiæ & mentis, ac voluntatis operibus; ideo à pictoribus sæpè depingitur totus caput, additis alis ad velocitatẽ eius indicandam. huiusmodi ergo sæpè depingitur, seu vocatur diues, & præsertim Princeps. sic 2. Reg. 14. ait mulier: *Tu autem Domine mi Rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Domini vt intelligas omnia super terram.* quamuis enim sapiens esset Dauid; apparet eam adulando hæc dixisse, nimis magnificando eius sapientiam, quia optabat per hoc obtinere facilius quod

2. Reg. 14.

perierat. Cum (vt dixi) Princeps sit caput populi; quasi totus caput esset, & consequenter Angelus, depingitur: & per leues plumas adulationis adduntur huic capiti alæ, vt omnino Angelus appareat, & extollatur leuitate sua vsque ad cælum. Possunt etiam prædicta applicari, quod Princeps debet esse totus caput, & Angelus sapientia, sicut est caput imperio.

Sal. in Eccl. 10 2. Salomon in Ecclesiaste 10.2. ait, se vidisse, *Stultum positum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* diuites, hoc est, vt communiter exponũt, diuites prudentia, seu sapiẽtes. quomodo autem stando in proprietate verborum, opponũtur diues, & stultus, vt hæc duo quasi contraria hic posuerit? dicendum est, quod fortasse Salomon se accommodauit populari modo loquendi, seu æstimandi, quo vulgus putat idem esse diuitem & sapientem, pauperem, & stultum. Sed vt opponatur stultus diuitibus, oportet agnoscere stultum verè esse pauperem, sicut fatemur sapientem simpliciter esse diuitem. absolutè enim hic ita vocatur. Pineda tamen hic cum Catena Græcorum per diuites intelligit nobiles, & diuites addit Pineda per stultum intelligi posse etiam sordidum, & abiectũ, vt opponatur diuitibus. vnde etiam eadem ratione pauperem intelligemus, qui stultus vocetur. quia ineptus esse soleat regimini, vel quia ineptus æstimatur.

1. *Acceptio personarum in iudicando.*
2. *Carpimus proximum etiam in minimis quibusdam.*
3. *Electiones ad honores fiunt ob priuata cõmoda, non ex merito eligendorum.*
4. *Acceptio personarum etiam in auibus videtur esse ita vt diuites reuereantur, non pauperes.*
5. *Pauperes sua non audent à diuitibus exigere.*

1 RES grandes manibus, vel saltem, si minores sint, digitis apprehendemus: minimas verò, vt pilos, & similia, inter extremos vngues carpimus. sic excipimus homines magnos & diuites molliter: at minimos inter vngues constringimus, hoc est asperè excipimus, & tractamus. Iac. 2. diuiti dicentes: *Tu sede hic bene: pauperi autem, tu sta illic,* &c. *Iac. 2.*

2. Applica etiam ijs, qui proximum carpunt maledicentiâ etiam in minimis defectibus, tales homines sunt potius vngues quàm digiti, hoc est sunt asperi, & duri inquisitores. pilũ in ouo, vt dicitur, quærunt, (a) *S'attacano ad vn pelo.* Carpunt festucam vnguibus in oculo alieno: non vidẽt, vel palpant trabem, si videant, in suo.

(a) Vel minimũ pilum apprehendunt aut carpunt.

3. Plinius in Panegir. Traiani; *Dicauit* (inquit) *cælo Tiberius Augustum; sed ne maiestatis crimen in se induceret: Nero Claudium; sed vt irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum; sed ille vt Dei Filius, hic vt frater videretur.* en tibi Amorem & proprium commodum, causam esse, cur hunc, vel illum ad honores extollamus, non autem iustitiam, & meritum personarum. exaltat ille hunc, ne incurrat odium populi vel alterius personæ, exaltat illum per suum suffragium ad Prælaturam, quia suus propinquus est sanguine, vt Prælati sit ipse consangui-

Plin. in Paneg.

guineus,&c. Si etiam (vt ita dicam) in deificando & cœlo asscribendo fuerũt acceptatores personarũ; vide quid fiet in reliquis? applica etiam prædictas deificationes ei sententiæ Christi, Ioan. 5. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* magnates enim huius mundi inuicem se honoribus & titulis prope diuinis exaltant. bonos semper excipio.

Ioan. 5. 44.

4. Custodes hortorum ad arcendas aues ab arboribus, aurum adulterinũ appendunt ramis, vt ipse vidi, cuius splendore, vel sono territa animalcula fructus nõ audent accedendo depascere. hoc videns, dixi, etiam aues non audent nocere habentibus aurum, & terrentur illo: at non habentibus illud arboribus nocent. etiam inter arbores, quæ aurum habent, terrori sunt. Diues in parabola enarrata à Nathan ad Dauid, non ausus est nocere arboribus aurum habentibus, hoc est diuitibus, sed tulit ouem hominis pauperis.

5. Potes etiam applicare, quod fructus arborum Deus genuerit non tãtum dominis, sed etiam auibus ipsis. nam pascit & *implet omne animal benedictione.* at misera animalcula territa splendore auri non audent accedere ad expetendam portionem suorum fructuum: hoc est, creditores, & operarij diuitum sæpè non exigunt sua, territi auro, hoc est diuitijs, & potentia, vel splendore nobilitatis illorum ne aliquod nocumentum sibi inferatur: suis sese priuant pecunijs, suisq; cibis, fame interim ferè enecati. vel potius dic tales arbores, hoc est homines terrere pauperes creditores suos quasi fulguribus auri, hoc est iactatione & comminatione suæ potentiæ & opum, vt non audeant accedere ad exigendos fructus suorum laborum.

2. *Democritus se excæcauit, ne cerneret bene esse iniquis.*
3. *Bonorum exaltatio malos ad virtutem trahit.*
4. *Sapientia pauperũ insipiẽs æstimatur.*
5. *Sapientibus minores tributæ dignitates, maiores insipientibus.*

2. A Deo stomachantur aliqui impios, & indignos subleuari; vt Liberius scripserit referente Vinc. in Spec. historiali, lib. 3. cap. 32. Democritum non eruisse sibi oculos ad melius speculandum, vt aliqui dicunt, sed ne videret bene esse malis ciuibus. sic in Psalmis ait: *Penè effusi sunt gressus mei,* & quod zelauit in peccatoribus *pacẽ peccatorum videns,* &c.

Vinc. in Spec hist. lib. 3. 3. cap. 32.

3. In Principibus ferè situm vt virtutes, & disciplinæ promoueantur, bonis & doctis potius quàm nobilioribus, & diuitibus fauendo. sic enim omnes stimulantur ad virtutẽ & doctrinam. Sabellicus lib. 3. en. 10. & Æneas Syluius, cap. 2. de Europa, narrant, quod Ingo Rex Venedorũ (qui hodie Carinthij dicuntur) anno salutis 79 1. cum multos ex suis Satrapis, & viris ordinis equestris infideles adhuc cerneret conuiuio lauto præparato plebeios agricolas qui Christiani erant sicut ipse, secum mensæ adhibuit poculis aureis, & argenteis eos potare iubens. è cõtrario nobiles inuitatos pro foribus accumbere iussos pane sicco, & carunculà rancida pauit: eisque vinum auste-

Sabel. lib. 3 en. 10. & Æn. Sylu cap. 2. de Eu.

austerum fictilibus propinauit. Id ipsis indignè ferentibus, respondit, se ideo agricolas excepisse, quia lauacro baptismatis mundati essent: vos verò, inquit, foris reliqui, quod sordibus ethnicismi squallentes, hircúque impietatis olentes mihi nauseã facietis. Hoc pacto paulò post ad Baptismum adducti sunt. sic Deus per similes ignominias, & dignitatũ priuationes homines ad meliorem frugem reducit, Psal. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuũ Domine.* sic Dauid, *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat*, &c. *superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam.*

Psal. 82.

Sed quia vt est in adagijs, Hircus Hirco, & sus sui bene olet; ideo cum sæpè principes viri peccatores sint, & immundi, non abluti secundo baptismate, scilicet pœnitentiæ fletibus: idcircò in aulis, & mensis suis libenter tales hircos, & sues recipiunt, & retinent. & sicut dicitur in ijsdem adagijs, *sus Mineruam*, vel etiã *sus rosas* scilicet odit: sic quòd huiusmodi homines oderunt sapientes, ac mũdos, idcircò bonos doctos, & pauperes quamuis mũdi sint abhorrent.

4. Quidam doctus, sed valde pauper, dixerat *Veneris* vocabulum non solum Deam, sed venustatem, & gratiam significare. addidit: legi apud Auctores bonos, quod Isocrates persecutus est omnes dicendi Veneres. Post hæc idem pauper (vt erat acuti ingenij) protulit dictum quoddã satis venustum. Sed quia *Sapientia pauperis contempta est*; quidam Ludimagister coram audientibus exclamauit: O quàm frigida est ista tua Venus. Subintulit pauper: Non mirum nam: *Sine Cerere, & Baccho friget Venus.* Indicauit se ideo contẽni, quia inops esset. Ita Ecclesiasticus 13. de paupere dicit: *Locutus est sensuatè, & non est datus ei locus.* Qui non habet Cererem, non credunt habere Mineruam.

Eccl. 9.

Eccl. 13.

5. Introducitur quidam cõquerens Magistratus summos conferri ignaris, quos noctuas vocabat: officia verò quædam minima demandata fuisse sapientibus quibusdam, quos Argos vocabat. huic autem respõdit alius: Nõ mirũ est hoc, cum noctuis, & talpis inueniatur demandatũ regimen Cæli, & terræ: cùm Dij inueniãtur effecti ab hominibus quibusdam, iuxta Isai. 2. 20. *Proijciet homo idola argenti, & simulacra auri, quæ fecerat sibi, vt adoraret, talpas, & vespertiliones.* Gentiles etiam apud Homerum, (vt habet Carthar. de imaginibus Deorum.) gregem Admeti pastoris Apollini custodiendum tradiderũt, eumq; ipsum pauisse ferunt. quamuis ipsum Solem esse, & ad Regimen Orbis natum crederent. Sol enim oculus mundi symbolum est sapiẽtis, iuxta Ecclesiastici 27. *Iustus in sapientia permanet sicut Sol.* eundem Apollinem Deum vaticinij, & scientiarũ faciebant. Vulgatum est etiam, Argo custodiam, & curam vnius vaccæ fuisse traditam. sic Ecclesiastes 10. dolet *stultum positum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* hoc est diuites sapientiâ, vt communiter exponunt. Talpa collocatur in cœlo in locum Apollinis. vespertilio item in eodem cœlo locatur, stellis quasi oculis referto. quod est dicere, loco Argi ponitur. quia Cælum stella-

Isai. 2. 20

Eccli. 27.

Eccl. 10.

ſtellatum per Argum volunt ſignificari. Inde diſcamus, ſæpè officia tenuiora demandari dignioribus. Hoc autem & ex verbo loci citati: *ſedere deorſum*, colligi poteſt, dum & ſapiêtes in aliqua cathedra regiminis, ſed valde humili locantur. ſedent illi deorſum: at ſtultus in ſublimi velut throno.

Adorantur talpæ, & veſpertiliones, & Dij conſtituuntur, ſed talpæ, & veſpertiliones aurei, & argentei, vt ſupra loco citat. Iſa. at Apollo, & Argus perhibentur ſedere deorſum. quia pauperes erant, cum præfecti ſunt beſtijs. ſic ſtulti ſi diuites ſint, facilè Dij conſtituuntur, hoc eſt Iudices, & Prælati, qui Dij vocantur, Pſalm. 81. *Ego dixi, Dij eſtis.* Diues, vt aiunt Grammatici, quaſi Diuus dictus eſt. Facilè ſicut in nomine, ſic in re diues fit Diuus, hoc eſt Princeps. Laurea erat Imperatorum Romanorum corona. facilè ergo aurum mutatur in Laurum, hoc eſt in Imperium. Diuiti dicitur, *Tu ſede hic bene*: pauperi autem, *tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum.* quaſi dicatur illi ſede in loco ſublimi, huic verò ſede deorſum.

Pſal. 81.

2. *Prælatura ſapientiori non pulchriori, aut ditiori tribuenda, Aquila ſit Princeps, non pauo, non gallus, & cur.*

2. ALDROVANDVS primo de auibus, cap. de aquilæ dignitate, dicit graues auctores tribuere Principatum auium pauoni. captos ſcilicet eius pulchritudine: iuxta illud: Species Priami digna eſt imperio. alios verò hunc aſſignare gallo. ſed communem ſententiam ipſum attribuere aquilæ ob acumen oculorum, quod ſapientiam, & prouidentiam ſignificat: quæ ſunt propriæ Principum dotes. Pauoni primatum dant qui in electione magiſtratus requirunt, vt dici ſolet: (a) *Vn bello corã vobis.* vel diuitias, quæ per plumas, (quæ ſunt veſtes glorioſæ Pauonis) ſignificantur. item requirunt ex cõſequenti ſpectabilem caudam, nempe ſequacium ſeruorum, & aulicorum. præſertim cum pauo dicatur Iunonis, Deæ diuitiarum, ales, diuitis eſt ſymbolum, & velut diues iactat ſe de opibus ſuis, nẽpe de plumis, quod proprium eſt diuitum vitium, qui dicuntur: (b) *Pauoneggiarſi delle ricchezze.* vnde aiunt illi in Sapient. *Et diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Qui verò gallo principatum tribuũt, ſunt illi, qui nobilibus tantum fauẽt quaſi hereditate prælaturas mereantur, & velut galli cum corona in capite naſcantur. Huiuſmodi galli criſtam natiuæ nobilitatis erigentes, & conſanguineorum ſuorum prælaturas Eccleſiaſticas ambientes, videtur dicere: *Hereditate poßideamus Sanctuarium Dei.* Qui pauoni primas deferunt quaſi inſigni indumento induto, & diuiti; hi videntur dicere illud ex Iſaia. 3. *Veſtimentum tibi eſt: princeps eſto noſter.* Sed vera, & communis ſententia tribuit aquilæ principatum, vt Aldrouandus ibi refert, ob rationem allatam. vnde colligitur deberi dignitates primas ſapiẽtibus per aquilas paſſim ſignificatis: vt & Ioannes ob hoc aquilæ comparatus eſt apud Ezech. c. 1. *Facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor.*

Aldrou. 1. de auib. c. de aq. dig.

(a) Pulchrum aſpectũ, aut corporis præſtantiam.

(b) Se inſtar pauonis oſtentare.

Sap.

Iſaiæ 3.

Ezech. c. 1.

Eligendus ergo qui aquila sit. ideo & Deus supremus omnium Re-
Exod. 32. ctor, aquilæ se confert Exod.32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos.* ideo & Aquila insigne est Imperatorum.& cum volatũ suũ super omnes aues extendat, se per hoc ostẽdit super illas dignitate eleuari. Aquila verò non recipit pro filijs suis quos genuit,nisi eos probauerit non degeneres ad Solem firma acie intuendũ.ita veri Principes,seu Prælati (si per ipsos steterit) non constituũt in prælatura,& regimine nisi sui similes in sapientia,& oculis mentis. vnde de Augusto legitur,quod nũquã senatui suos commendauit filios,nisi addendo: *Si digni erunt*, & Dauid non nisi Salomonem, quasi aquilam sapientiæ,Regem fecit.

Aquila,vt ait Aldrou.& alij antiquiores pugnat cũ draconibus, necat tauros,serpentes lacerat.sic aquila nostra,hoc est Princeps,vt se talem probet, debet vt Dauid *in matutino interficere omnes peccatores terræ*, & sicut Rex sapiens dissipare omne malum intuitu suo, non enim debet fieri Iudex, *nisi virtute valeat irrum-*
Eccl.7. *pere in iniquitates.* Aquila sit, quæ(vt Aldrou. de synonimis aquilæ) dicta est quasi *acula* ab acumine videndi, quod in sublimi posita, adeo vt nec oculis aspici possit, tamen etiam pisciculos sub aquis latentes cernat. talis inquam sit, vt aquilæ supremæ, nempe Deo, similis sit, *qui in altis habitat,& humilia respicit in cœlo,& in terra,* respicit inquam oculis cognitionis, sed & pietatis, ac prouidentiæ etiam paruos.

Aquila sit. vt oculis non palpitet ad splendorem auri, vel gloriæ, seu purpuræ alicuius, vt excæcatus declinet à iustitia. *vt non extimescat faciẽ potentis, & ponat scandalum in æquitate sua*, vt dicitur Ecclesiastici 7. Item, Eccl.7. vt non declinet oculos suos, ne videant cœlum, & obliuiscatur iudiciorum Dei,vt Iudices,seu senes, de quibus Danielis ca. 13. Ne inquam Dan c.13. declinet aciem à Sole iustitiæ,nempe Deo,quasi aquila generosa,vt ab ipso Deo, qui aquila est eius parens, non dimittatur ab altitudine status sui,& regiminis in profũdum inferni. sic enim aquila parens dimittit pullũ suum, qui acie palpitauerit ad aspectũ Solis.Sic senes,& Iudices illi,cum excæcati amore exarsissent in concupiscentia Susannæ(vt ibi dicitur)in eos *supercecidit ignis*, *& non viderunt Solem.* ignis, nempe concupiscentiæ;& luxuriæ.sic enim apud Lorinum accipiunt aliqui Doctores hũc locum.vnde & à Deo deiecti sunt à dignitate,& à præsenti vita.

Aquila(vt aiunt apud Aldrou.auctores) non timet fulmina. sic Iudex non extimescat faciem potentis, vt supra dixi. ira enim,vt ait Seneca,vbi cum potentia iungitur, fulmẽ est. vnde dicitur iratus fulminare,& tonare præ ira.Ita Auctores dicunt Iouis ministram esse aquilã. vnde discamus Principem,per Iouem figuratum, debere assumere in ministrum suum ad Reipub. regimen,hominem sapientem, quique quasi aquila superuolet ceteros in virtute. Dici etiam potest,ex eo quòd aquila fulmina non timeat repræsentari nobis quod ministri tirannorum non timent eorum fulmina, hoc est iram,

& flagella, illos inquam, qui velut aquila Ioui, arma ministrant illis, suntque illorum armigeri, & Ganimedes ad ipsos adducunt. & in rapacitate, & violentia eorum ministri sunt, non timent inquam fulmina ipsorum. quia vt est in prouerbio, Coruus coruo oculos non eruit.

Pindar. Ode 4. & Cicer. 2. de leg. Pindarus Ode 4. & Cicero 2. de Legibus scribunt Iouem ex speciebus aquilarum illā sibi delegisse, quæ aurea est, hoc est coloris aurei. vbi aduerte, quod quamuis aquila, quāuis sapiens habeant multas dotes præter sapientiam; tamen sæpè numero accidit, vt non admittantur in Aulam Regiā, & in ministros Principis, nisi aurei sint, hoc est diuites, vel dona ferunt, & emant Magistratum. vnde versus satis decantati;

Ipse licet venias Musis comitatus Homere;

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

quamuis aliquis sit de genere aquilino, hoc est de stirpe Regia, & aquilam Imperialem in insignibus gerat; tamen nisi etiam auro contectus sit, forsitan non introibit in Palatium Principis ad officium Iudicis. Hoc quasi scuto aureo contecta huiusmodi aquila non timebit fulmina Regia, & tractabit eadem fulmina absque eo quòd nec plumam vnam sibi adurant. nā *munus absconditum extinguit iram* (quam dixi esse fulmen in Principe) *& donum in sinu indignationem maximam*: vt dicitur Prou. 21. Prou. 21. non timebit inquam fulmina. quia aurum non cedit igni, nec fulmini, & tutum est in illis. Ipsasmet aquilas, hoc est sapientes, siue nobiles admittunt in aulam aliqui Principes, ea tamen conditione vt sint armigeræ, seu potius scutiferæ ipsorum, scutos magis aureos, quàm ferreos sibi subministrantes.

Aquilam ministrasse Ioui fulmina ideo fortasse dixerunt, (cum sapientiam sub fabulis latentem tradere soleant poëtæ) eò quòd prælatis insipientibus, vt est apud Poëtām, *Furor arma ministret*. id enim dixit de consurgentibus ad arma ex impetu cæco. si furor autem ministrat arma; ergo cæcitas, ergo talpa, seu noctua ministra est armorum huiusmodi Potentibus. sapientibus verò, vel ipsimet Deo aquila ministra est, hoc est valde oculata & perspicax discretio. *virgam vigilantem ego video* in manu Dei ad percutiendū, siue *oculatā valde* Sap. 12. 20. *Si enim inimicos seruorū tuorū & debitos morti, cū tanta cruciasti attentione, dans tēpus, & locū, per quē possent mutari à malitia.* Sap. 12. 20. quid est *cum tanta attentione*, nisi cum tam oculata circumspectione. vt doceantur Prelati eam adhibere in puniendo suos, ne modū excedāt. Dij vocantur Iudices, *Ego dixi Dij estis*. ergo vt Ioues veri sint, aquilā habeant arma sibi ministrātem & præsertim fulmina, hoc est iudicia mortis, & ruinæ ingentis. Sed in multis aquila ministra est fulminum per inconsultam celeritatem arripiendi ea arma, non autem per maturam circumspectionem. cum potius testudo tardi consilij esse illis armigera debeat, ne statim aquila conuolet ad fulmina. Nemo magis debet distare à fulmine, quam qui proximior est fulmini, hoc est, qui illud in dextera tenet, ratione potentiæ castigandi, & pœnæ in-

infligendæ. distare inquam à fulmine, hoc est à celeritate, & furore, quem diximus supra esse fulmen. fulmen habeat Iudex vbi oportet, sed
Sap 12.18 fulmen non sit. Sapient. 12. 18. *Tu autem Domine virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Deus est quasi cœlum, sed non aëreum, quod cum turbulentia, & impetu, absque aquila sibi fulmina ministrante, ea iacit in rem quamlibet, & sæpè in templa, cum lupanaria illæsa relinquat. Deus est cœlum quod retenta serenitate, & tranquillitate plenissima, fulmina sua mittit. *Ego dixi, Dij estis.* vt Dij ergo, & præsertim tamquam cœli, qui enarrant gloriam Dei (quod ad Ecclesiasticos pertinet prælatos) cum tranquillitate iudicent. vt Cœli. (Superiorum enim, & Principum Cœli symbolum sunt, superstantes inferiori mundo) vt cœli ergo non turbati nubibus iræ, & quasi excæcati, & obscurati in luminaribus, siue oculis siderum suorum, fulmina iaciant præsertim capitalium pœnarum; vel spiritalium censurarum. sed quasi Argi tot oculis stellarum apertis fulmina mittant prædicta, vt tamquam Dij *cum multa attentione*, & *virga vigilante* puniant peccatores. Cœli aërei simul cum tonitru, & coruscatione mittunt fulmen. at hi cœli cælestes sæpè intonant, & tria tonitrua effundunt, antequam vnum emittant fulmen. tres nempe minas, seu monitiones ante fulmen Excommunicationis. efficiūt vt sæpè videas arcum, antequàm semel sentias sagittam.

Cœlum pluribus Stellis quasi oculis Argi vocarunt antiqui.

2. *Dignitates sæpè non nisi præsentibus dantur missis absentibus licet dignioribus.*

3. *Distribuendæ sunt matura consideratione.*

4. *Quidam eas tribuunt etiam ineptis pro mercede beneficij ab ijs accepti.*

5. *Quæ damna inde sequantur fusè ostenditur.*

2. EX Theatro pag. 3930. Narrant Poëtæ, quod cum Dij partirentur inter se (deuictis gigātibus) dominium terrarum, Apollo intentus muneri suo, hoc est illuminationi Orbis non interfuit partitioni, atque ita nulla tellus sibi cessit in dominium. vnde ille emergere fecit Rhodum, quæ antea sub aquis latuisse dicitur. atque ideo illa sibi dicata fuit. Apollo, Deus sapientiæ, atque Oraculum vbique per responsa Gentilitatis extitit, & lumen mundi. Dic ergo inde nos doceri, quod licet aliquis vir Oraculum esset Vniuersi, & Sol intelligentiæ, tamen sæpè accidit, vt si ille intentus muneri suo (velut scribendis libris, seu prædicationi, atque ita illuminandis gentibus ad veritatem) siue manens in loco officij, vel status sui quietus, negligat interesse Aulæ Regiæ, vel concilio, vbi Officia diuiduntur inter præsentes potissimum; ipse sine vllo magistratu relinquatur. quod si volet aliquod officium, siue locum, vbi præsideat; oportebit, vt de sub terra, seu de abysso aquæ illū emergere faciat. excogitet nimirum aliquem titulum vmbratilem, vel munus iam abolitum, seu oblitum, & labore, & cura sua illud restituat in priorem statum, vt impetrare possit, quod

Theat. p. 3930.

quod

(a) Officia non dantur nisi præsentibus i.e. coràm ambientibus, vel munera (quæ Itali vocant *præsenti*) offerenti. bus.

quod sibi demandetur (*a*) *In qualche loco non si danno li honori se non a' presenti in due sensi, cioè a'donatiui, voglio dir ad instanza loro, & à præsenti, cioè alli non absenti.* Principes aliqui potius scurræ, seu coquo sibi in aula seruientibus, quàm Salomonibus, seu Phœbis absentibus, officia tradunt. Vel applica, quod in partitione graduum, seu beneficiorum illa aliqui relinquunt sapientibus absentibus, quæ sub aquis demersa sunt, hoc est, quæ nondum existunt, seu magnam habent annexam difficultatem, & pericula. ita Dauidi sapienti Philistæorum præputia tradidit Saul, vt in illis aquis suffocaretur, dũ ea expiscari curat. Vel etiã applica, quod sapiens licet relinquatur sine honore, vel beneficio, tamen sapientia sua illud tandem nasci efficiet. *lo farà nascere di sotto terra, ò di sott' acqua con la prudenza sua.*

3. Dicebat quidam (tempora capitis sui digito indicans, & alludendo ad anni Tempora, in quibus creantur Sacerdotes, & alij ministri Sacri) dicebat inquam, hos creandos esse *intra tempora, & non extra tempora*, hoc est mente, & consideratione maturâ, iuxta illud Psalmi, *Qui fecit cælos in intellectu.* Cæli, (qui per vitam, & doctrinam enarrant gloriam Dei, tanquam Apostolorum successores) videri possunt Ecclesiastici Prælati, & Sacerdotes. ideo efficiẽdi, creandique in intellectu prius, quàm in effectu. vt Mineruæ sint in vera Sapientia, de capite Iouis prodeant. Iouis inquam, hoc est Prælati maioris. Canities prudentiæ, & maturitatis signum præcipuè apparet in temporibus capitis. ita canities mentis apparere debet in Temporibus, nempe anni, in quibus creantur huiusmodi ministri. loquor autẽ de canitie, & prudentia Prælati distribuentis honores.

Alludendo ad æquiuocum temporis, seu temporũ, vt significat capitis, & etiam anni tempus, seu tempora: dic de eligendis; eligendos esse in Tempore, sed non ex tempore. Ordinationes olim fiebant præsertim mense Decembri, quasi non ex calore, & impetu quodam affectionis, vel iuuenilis consilij, sed ex frigore, & hyeme tardæ, & senilis considerationis prodire deberent. Creabantur in Temporibus niuis, seu exibant à Temporibus niuis, quasi indicaretur eos exire à temporibus canis, vel exire inde candidos puritate, non candidatos ambitione. ita: *niue dealbabuntur in Selmon*, illis adaptari poterit. De homine ambidextro, & in omnia versatili vt facilius capiat beneficium quod venatur, dicimus quod tempori inseruit, temporibus se accommodat. Hoc certè faciunt multi in duobus sensibus, sicut peccatores sunt terram ingredientes duabus vijs. Temporibus enim seruiunt, & se aptant, nempe anni Temporibus, seu electioni de se faciendæ. propter illam laborant, & si incompositæ vitæ sint; exterius se aptant, seu accommodant Temporibus, hoc est exterius sese componunt. componunt vitam suam. (*Si fan volpi, che van à Loretto*, (a) *ò più tosto all'oro del beneficio.*) adaptant se Temporibus, præsertim appropinquantibus. cumque aliquando *exter-*

(*a*) Vulpes ad Ædem Lauretanam proficiscitur

extermineat faciem suam, vt videantur hominibus ieiunantes, & orent in plateis ad finem prædictum; dici potest, quod faciunt multa Tẽpora, vt propitium habeant vnum Tempus (obseruatio enim Temporum anni stat in ieiunio,& precibus) seruiunt, etiam temporibus,hoc est dissimulationi, & Camaleonticæ mutationi, vt per hoc etiam assequantur quod cupiunt. Camaleontes se exhibent, sed non vt prandium, seu bolum glutiant Camaleontis, imo vt lupi sunt voracitate, camaleontes se fingunt abstinentiâ (*a*)*& per vna simulata vigilia cercan di far vna vera festa*. Seruiunt tẽpori, vt obtineant locũ.

(*a*) Per Simulatã Vigiliã peruenire studẽt ad verũ Festum.

Maiolus tomo 2.

4. Maiolus tomo 2.colloquio primo ex Arati libro de signis ventorum, & aquarum, refert fabulam. nempe Silenum asello vectũ opem tulisse Ioui pugnanti contra gigantes, Iouemque deinde ob gratitudinem asellum inter sydera collocasse,& præsepè iuxta eum. vnde & ab Astrologis quædam stellæ *aselli* vocantur,& macula quædã iuxta illos vocatur *præsepè*. figurã enim harum rerum in ijs stellis videri credibile est, vt aliarum bestiarum, Tauri, Capri, &c. quæ sunt signa cælestia. Hac fabula voluerunt fortasse significare, quod licet asinus esset, qui adiuuit potentem aliquem in aliqua re magni momenti; is exaltatur ab ipsa Principe, ad dignitates etiam sibi indebitas,sublimatur ad cælum. Ita Suet,in Iulio Cæsare dicit.quod cũ ille culparetur eo quod abiectissimos ad summos gradus eueheret, respondit, se ab huiusmodi hominibus adiutum in tuenda sua dignitate. vnde gratitudinis causa illos honorare. Sed aduerte, quod collocatis asinis in cælo,etiam præsepè iuxta eos collocarunt. quia stulti,& vilissimi homunciones etiam in cælo sublimis gradus collocati,non nouerunt nisi pro conditione sua stultè, & viliter agere. præsentium curam præsertim in cultum ventris exercentes,& negligentes curam regiminis; vel,vt famem, & inopiam suam depellant, deuorationi subditorum vacantes, nam, *omnis caro fœnum*. Si asinos in cælo colloces; præsepia & apud eos collocare ferè cogeris. si enim *homo*, etiamsi intelligeret, *cùm in honore esset, non intellexit*, nempe dignitatem suam; vt se cohiberet à turpibus, sed *comparatus est* quantum ad opera *iumentis insipientibus*; vide quid faciet, qui ante honorem iam erat iumentum, hoc est stultus,seu abiectissimus tam natiuitate, quam moribus? vbi nota locũ illum:*homo cum in honore esset*,&c. literaliter à Iansenio exponi non de primis Parentibus, sed de potentibus in honore positis, de quibus fusè ille Psal. loquitur. Nota etiam, quod licet Deus suscitet viliores, & collocet eos cum Principibus;tamen eos *suscitat de terra & de stercore erigit* pauperes. at Principe mundi sæpe suscitant hos abiectos non de terra, sed cum terrâ, & cum stercore erigunt pauperes: & asinos cum præsepi,non de præsepi sustollunt. quod alibi latius explicaui.

5. Zonaras apud Theatt.vitæ hu- næ, pag. 3309. Michael,inquit, filius Theophili Imperatoris petijt à matre sua, vt Magistratus quidam magnus *pag. 3309.*

magnus demandaretur præceptori suo, seu pædagogo. at Theotiscus, vnus ex proceribus Regni, id disuadere cæpit Imperatrici, dicens dignitatem illam multò altiorem esse, quàm vt pædagogo congrueret. & hoc non esse honorare humilem, sed humiliare honorem. Deus descendens bouis & asini in stabulum, fecit stabulum (vt ita dicam) Cælum, honore scilicet, & Angelorum in eo commoratione, suæque Matris, & Sponsi, & præsertim sui ipsius. at iumentum si in Cælo locaretur, faceret, vt ita dicam, Cælũ stabulum. hoc præstant stulti, & abiectissimi quoad Cælum sublimium dignitatum. ibi enim præsepia epularum, & crapulæ, ibi fœnum carnalitatum collocant. ibi tandem computrescunt iumenta in stercore suo. nam cum in honore sint, comparãtur iumentis insipientibus. faciunt Cælum stabulum, implentes illud iumentis sui similibus ad ministeria aulæ, & ad honores exaltatis, implentesque illud iuuencarum grege, & mulorum ex eis per adulteria progenitorum. (a) *Esaltati per honor con le stalle loro, fin sopra le stelle; non fan le stalle stelle, ma le stelle stalle.*

(a) Exaltati vsq; ad cælũ, non stabulum stellas, sed stellas stabulum faciunt.

Non solum meretrices (vt Venus fuit, & Flora) & Cinedos ibi posuerunt: sed (vt Hiero. lib. 1. in Esa. c. 2. ex Theat. narrat de Adriano Imperatore, qui Antinoum concubinum suum inter Deos retulit, eique Sacerdotes, & sacrificia instituit) nõ solũ inquam huiusmodi homines ob aliquod beneficium ab eis acceptum, vel voluptatem inde perceptam in Cælo collocarunt, & inter Deos: sed etiam, (vt notissimum est,) multa genera bestiarum, vt canes, & feles, & ibides pro Dijs habuerunt Ægyptij. de talpis, & vespertilionibus supra vidimus ex Esaia supra. Cum verò etiam nunc ob beneficium, vel voluptatem perceptam ab indignis, eos multi extollant ad magistratus, nonne inter Deos collocant iumenta, cũ scriptum sit de iudicibus quod Dij sunt? *Deus stetit in synagogo Deorũ, in medio autem Deos dijudicat. vsquequo iudicatis iniquitatem?* &c.

Hieron li. 1. in Esa. c. 2.

Sic Suet. in Tiberio, ait, Tiberius, cum biduum nocte, & die, cõsumpsisset edendo, & potando cum Lucio Pisone, & Pomponio Flacco; mane facto, alteri Syriam, alteri Vrbis Præfecturam detulit, vocans homines iucundissimos, & omniũ horarum amicos. Certe his iumentis exaltatis etiam præsepe cum eis locauit in Cælo sublimitatis. hos iudicauit bonos Pastores, quos expertus erat magnos lupos. Vere locutus est, qui dixit: Si lupus esset Dux, omnes lupi essent Marchiones. nam Ecclesiastici 10. 2. *Secundum Iudicem populi, sic & ministri eius.* Vide quàm vili pretio vendantur Prouinciæ hominum, quasi oues lupis, hoc est epulatoribus, & voracibus.

Idem Imperator, vt ibidem dicitur, inter Candidatos Quæsturæ antepo suit hominem ignotissimum ob vini amphorã in conuiuio se propinante epotã. (a) *Gli pagò il beueraggio del beueraggio*: vt qui sorbuerat amphoram, sorberet Prouinciam.

(a) Honorariũ dedit egregiæ bibacitatis.

Ioseph. lib. 4. cap. 6. belli Iudaici dicit sortitione facta à Zelotis, electum esse in Summum Pontificem

Ioseph. li. 4. cap. 6.

Iudæorum quendam Phanes nomine, qui rusticus erat, & ab aratro vi abstractus fuit, vt regnaret, cum neque sciret quid esset Pontificatus. sub hoc, inquit, captam fuisse Ierusalem sub Vespasiano. Non sufficit aleâ ludere, & periclitari thesauros integros, nisi ictu vno & integras ludant Prouincias, & Regna. hoc enim est sortes iacere, cui illa tradantur in Dominium. (a) *Questo è metter al lotto, ò più tosto al lutto le Cittadi, è Regni.* An non ita alea ludunt Prouincias, qui temerè, & quasi per cæcitatem eas committunt regendas? nonne hoc est malũ quod vidit Ecclesiastes 10. *Malum quasi per errorem egrediens à facie Principis, stultum positum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum?* Illud, *quasi*, vt notat Pineda hoc loco, à multis accipitur ita, vt non tollat proprietatem erroris. vt solet inueniri aliquando apud Scriptores. ita dicitur; *Quasi Vnigeniti à Patre*, hoc est Vnigeniti.

(b) Hoc est integra Regna aleæ vel sorti committere.

Ecclesiast. 10.

Sed vt redeamus ad fabulam aselli in Cælo locati. Cum Exodi 13. 13. dicatur: *Primogenitum asini commutabis oue. quod si non redemeris, interficies.* quærit Liranus cur dicatur hoc de primogenito asini, & non equi, vel muli? nam etiam hi, cum vngulam non findant, sunt immundi, sicut & asinus, & non debent immolari. Respondet ille dicendo, quod Rabbi Salomon dicit, asinos plurimum iuuasse Hebræos in exitu Ægypti vehendo mulieres, paruulos, & sarcinas. & ideo Deum voluisse aliquatenus computare asinum inter munda animalia. nõ quidem vere computãdo, sed saltem iubendo, vt pro illo ouis immolaretur. Addit Cornelius à lapide in hunc locum, noluisse Deum, vt stolidum hoc animal sibi immolaretur. Si ergo loquamur iuxta dictum Rabbini prædicti, ostenditur, non ideo honorandũ esse stultum, seu abiectissimum (per asinum figuratum, præsertim apud AEgyptios, vt Pierius testatur) non honorandum inquam supra debitum; eo quod aliquod beneficiũ nobis præstiterit. sed debemus illi esse amici, & grati iuxta prouerbium *Vsque ad aras*, hoc est, ita honorantes illum, vt tamen non ducamus eum ad aras, tradendo ei dignitatem mundorum primogenitorum. *vsque ad aras* etiam in sensu communi, nempe saluâ conscientiâ & quantũ ille capax fuerit. Honor onus est, & ita etiam vocatur. onus imponendum asello, vt asello, non vt elephanti, alioquin succumbet oneri, illudque frangendum præcipitabit, nonne talis fuit ille Phanes paulò ante memoratus imposito sibi Pontificatu? Dominus diuisit talenta: *vni dedit quinque, alteri duo, alteri vnum, vnicuique secundum propriam virtutem.*

Exo. 13. 13.

Primogenitura erat symbolum Principatus. Primogenitura enim antiquis conferebat super fratres suos illud: *esto Dominus fratrum tuorum.* cum verò per asinum oue mutandum Gregor. Moral. 27. 15. & Ruper. intelligant mysticè immundum, & peccatorem, qui in simplicitatem & innocentiam ouis, hoc est iusti debeat mutari: dicendum est, siue asinus pro stulto accipiatur, quatenus

Gregor. Moral. 27. 15. & *Rupert.*

tenus stultus in Scriptura idem est, ac peccator;siue pro stolido, & abiectissimo homine;nos inde doceri, quod istud iumentum non debet titulo primogeniti mundi, & veri gaudere,hoc est prælaturâ, & præsertim Ecclesiasticâ.(nam primogenitura in lege naturæ etiam Sacerdotium obtinebat,) sed potius homo iustus per ouem significatus loco eius debet substitui. Hoc etiam voluit docere nos Deus, dum primogenita dari Iacob pro Esau,quasi qui pro asino disposuit.

Onera, & talenta *vnicuique secundum propriam virtutem*,hoc est humeros fortitudinis, & habilitatis distribuenda. Scardeonius libro 8. classe 8. hist. Patauinæ, narrat Rolandum de Placiolo Iurisconsultum celeberrimum missum fuisse Legatum Patauinorum ad summum Pontificē. (a) Albam,vt dicitur, scedulam ei porrexit Papa, vt nimirum Beneficiū quod magis sibi liberet,peteret. frater eius oblatione hac audita, instat valde,& orat, vt opimum petat. ille tamen, simplicem clericatum & modicum petit gradum,seu Beneficium. admiranti hanc rem Pontifici,& causam scire cupienti, ait: Pater sancte,frater meus, pro quo peto,non est pluris. quasi diceret non est maioris virtutis, quàm vt possit ei committi plus vno,ac simplici talento iuxta parabolam Euangelij prædictam. iuxta humeros iumenti sarcinam imposuit. Sciebat forsitan fratrem suum esse tabulam rasā,hoc est scedulam albam. ideoque in eâ noluit scribere nisi modicum officium.quantò enim albior seu magis vacua est hominis charta (hoc est litteris,seu prudentiâ) eo minor in ea formari debet beneficij Scriptura. quamuis contrarium homines efficiāt in vtraque charta tam materiali, quam metaphorica: & quantò minor est humerus,tantò maius imponatur sæpè onus. quia electores multi libentius demandant honores rudioribus & obscurioribus, vt magis obsequentes eos habeant.

Scardeonius lib. 8. classe 8.

(a) Carta blanca.

(a) *Chi pone due bestie à guidar vn carro, bisogna poi metta vn'huome à guidar due bestie.* oportet inquam pædagogos det pueris, cum dat pueros Principes eorum. constituat nempe vicarios, seu Assessores, qui regant iumenta, seu pueros, ne in præceps trahatur currus. quod si dicas, qui eligitur à me, licet fortasse ineptus, prouidebit sibi,quæret sapiētes, qui in regimine ipsum dirigunt.hoc est dicere,ponamus iumenta currus ductores,seu rectores:illa deinde aurigam,qui ipsum regant conquirent. si enim iumenta sunt; neque intelligunt se esse iumenta. quod si etiam id intelligant; volunt habenas manu, non ore tenere.

(a) Qui duo iumenta adhibet ad ducēdū plaustrū, opus est vt hominem adhibeat ad ducēda ipsa iumenta.

At sicut exigui homines arte & ingenio ingentibus bestijs dominātur, easque quo volunt trahunt: ita sæpè homines minimi, scilicet quo ad conditionē, ingentes bestias nempe Prælatos stultos & magnos conditione, gubernāt. nam Ecclesiastici 10. 28. *Seruo sensato liberi seruient.* ita de Claudio Tiberio Imperatore ait quidā: Censuram censore dignam. Dominium sub Domino gessit. omnia in Imperio habuit præter Imperium, liberti libertus, vxoris seruus. Ita

Ecclesiast. 10.28.

Ita saltem accommodatitio sensu, siue morali potest dici circa hoc illud Ecclesiastis 10. *Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi seruos.* sæpè enim qui Domini vocantur, & in equis incedunt, serui sunt nempe seruorum suorum, qui ob calliditatem, vel sapientiã eis dominantur, vt libertus ille Claudio dominabatur. *Stultum positum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* vbi nota per sessionem in Scriptura iudiciariam, & Dominatricem dignitatem significari. *Sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel. Sedere autem ad dexteram, vel ad sinistram non est meum dare vobis*, & alia talia. ergo cum stultus est in dignitate sublimi, non dicitur *sedere*, sed *poni* in ea, hoc est vi brachij alicuius Principis. at diuites, hoc est sapientes *sedere deorsum* dicuntur, non *stare*. quia sæpè prudentia, & ingenio suo regunt ipsum stultum quamuis deorsum maneant sub ipso, quantum scilicet ad conditionem & titulum. vel dic sapientes ipsi stulto, quasi Senatores, Regi, & Assessores Principi datos, Regnum totum & ipsum Regem aliquando regere, solosque sedere, hoc est dominari. cũ ipse interea (velut asinus in cælo) præsepi voluptatum suarum, venationibus, & alijs huiusmodi rebus vacet, sitque vt ille purpuratus, qui *epulabatur quotidie splendidè.*

Ecclesiast. 10.

Videt quis Regiam domum alicuius Principis (vt solet esse apud nonnullos Potentes) plumbo contectam pro regulis. deinde videt thesauri ærarium iacere deorsum, & dicit: verè aliquãdo id videmus apud Principes, nempè stultum per plũbum significatum (Ecclesiastici 22. 17. *Super plumbum quid grauabitur? & quod illi aliud nomẽ quam fatuus?*) stultum inquam positum in dignitate sublimi, & aurum, nempe diuites sapientia, homines aureos, sedere deorsum.

Ecclesiast. 22.17.

Item aliquando accidit, quod in materiali Ecclesia videmus, vt lateres (vulgò *mattoni* nomine ipso significantes stultos) sint in sublimitate, hoc est in fornice templi, vulgo in Cælo templi; at lapides viui (qui opponuntur excoctis, quales sunt lateres) atque multi pretij, deorsum iacent ab omnibus conculcati, illi lapides mortui, seu non viui mortuos peccatores in peccato significant, isti iustos viuentes, qui tanquam lapides viui *super ædificantur supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide.* Sed tamen dic: aurum etiam sub plumbo iacens in Palatio Regis, aurũ est: & lapides viui, nobiliores lateribus. & licet loco inferiores illis; dignitate tamẽ, & re superiores ipsis. vt & aurũ sic deorsũ iacens, tamẽ dominatur plumbo. Sic sapientes & iusti licet loco inferiores, stulto tamen re, & dignitate, imo etiam sæpè dominio regiminis (vt dicebam paulò ante) superiores sunt ipso.

Vel dic apud Reges, seu in Regio Palatio plumbum, quod sua grauitate magis amat deorsum iacere, & plus resistit suæ exaltationi, ipsum inquam extolli super omnia alia, quæ in palatio sunt, nempe ad ipsũ contegendũ. at in domibus rusticorum palea, vel arundo extollitur ab ipsis

ipſis ad contegendas ipſas: quæ res ſuâ leuitate facilè etiam à vento extolluntur. eodem modo Principes, qui verè Reges ſunt animo, extollunt in Palatio ſuo eos, qui plumbum ſunt præ humilitate, & difficiles ſe exhibent, ſeu reſiſtunt propriæ exaltationi, hi enim ſicut verè ſe oſtendunt grauitate animi præditos, & ſoliditate, ita tanquam myſticum plumbum aptiſſimi ſunt ad protegendum Palatium cum Rege, & ſuis miniſtris, ab ira & iniurijs irati cæli: velut plumbeæ regulæ ab iniurijs Cæli materialis id præſtant, à grandine, à pluuia, quæ contignationem paulatim marceſcere facit. ita plumbum illud ſapientis, & humilis viri æternã, vt ita dicam, reddidit illam domum. quia *Stat in confractione in conſpectu Dei, vt auertat iram eius, ne diſperdat eos*, vt dicitur de Moyſe, qui tanquam plumbum præ humilitate, & ſoliditate adeo reſtitit ſuæ exaltationi ſupra domum Dei, nempe Synagogam, dicendo *quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem? mitte quem miſſurus es*, &c. At Principes, qui exaltant in aula, ſeu Palatio ſuo arundines vento agitatas, ſeu paleas ambitioſorum, & leuium hominum; verè ſe oſtendunt ruſticos, & animi puſilli, ac demiſſi, non regij. ſed vide quàm bene palea protegat domos iſtas præſertim à cæli fulminibus, hoc eſt ab ira Dei. potius enim occaſio ſunt, vt ipſis mediantibus, hoc eſt peccatis ipſorum, & iuſtitiâ in magiſtratu male adminiſtrata, non ſolũ tactus fulminis exiguus, ſed & cuiuſlibet ignis totam habitationem cum habitantibus in fauillam redigat. arundo vento agitata ambitioſi ſymbolum, palea verò reproborum etiam, qui & ſuperbi ſunt. Sed nota, quod ſicut raræ domus inueniuntur, quæ plũbo contegantur, & plurimæ, quæ paleâ, vel arundine: ita & id euenit in exaltatione humilium, & ſapientum. rari enim ſic exaltantur: cum exaltentur è contra multæ paleæ.

Palatia Principũ

plerũque paleâ, & arundine tecta cernũtur vide quam turpe hoc ſit.

Tota ratio eligendi hunc præ illo, apud multos hodie eſt vtilitas maior inde ſperata, vel obtenta, vulgo, *l'intereſſe maggiore*. adeo vt purpuræ, & ſceptra, nedum minores dignitates, ſæpè ſub haſta vendantur plus offerenti. nota eſt exclamatio illa ſapientis cuiuſdam Romanam ſuper Rempublicam nempe: *O venalem vrbem, ſi emptorem haberes*. ſed quid dico de Vrbe, cum & Orbis ipſe ſub haſta, vt vocant, plus offerenti venditus fuerit. Xiphilinus enim in Iuliano ſic habet: Mortuo Pertinace Imperatore Sulpitianus, & Iulianus mutuis licitationibus emptionem Imperij captabãt à militibus: Sulpitianus promittebat vnicuique militi nummos aliquot. illi referebant promiſſorum quãtitatem Iuliano qui augebat pretium. mox auctum à Iuliano, promiſſum Sulpitiano indicabant. tandem Iulianus adhuc plus offerendo, & de facto oſtensâ pecuniâ vicit, & acclamatus eſt Imperator mundi. Mirabimur modo ſi dicatur, quod *Diues pauperi*. *bus imperat?* Militia id præſtitit. ſed verè: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. plerũque & apud nos auaritiæ, vel cõmodo militantes, in electione id faciunt. mẽte enim diſcurrunt: ſi hunc

Locus ille Iob accipitur per accommodationem vt indicetur malũ hoc eſſe

satis cōmune, & ferè omnes esse milites in hac parte.

hunc eligo, hanc, vel illam consequar vtilitatem. si eligo illum, consequar hoc beneficium: & tandem lanx voluntatis, & electionis in eam partem declinat, vnde plus ponderis spei, vel rei accepit. ita si olim aliquoties mundus sub hasta venditus fuit, idem venditus est sæpè per partes suas (si non integer) innumeris vicibus, & etiam vendetur. quid enim interest in re vendita, si hac, vel illa moneta vendatur? quid interest si dignitates moneta lucri, vel alterius interesse tradantur?

Sed tamen reliquit Deus sibi multos, *qui non curuauerunt genua Baal.* vnus ex istis fuit Guilielmus Ruffus Rex Angliæ, qui, vt ait Polydorus, Virg. lib. 10. ex Theatro pag. 33. 66. eum ad eum venissent duo monachi, & obtulissent illi pecuniam, vt Prælaturam monasterij quæ vacauerat, alteri eorum conferret (: nā pacti inter se fuerant, vt inuicem se adiuuarent in hac re.) ille cū vidisset alium monachum eius Ordinis, qui erat bonæ frugis, & fortè venerat comes illorum, ait illi: & tu quātum vis erogare pro Prælatura? ille: nil inquit, nam monachus effectus sum, vt spretis opibus, & mundo, Deo inseruiam. tunc Rex illum monasterio præfecit. Rex plumbū, hoc est resistentem sublimationi suæ (vt paulò ante dicebā) in fastigio domus religiosę posuit, seu super ecclesiam, non autē paleam ambitiosorum. Ipse Rex deposuit potentes de sede, eos nempe qui pollentes auro putabant se iam sedem illam obtinuisse, & exaltauit humiles: esurientem impleuit bonis, & diuites demisit inanes. quia, *qui se humiliat exaltabitur, qui se exaltat humiliabitur.* Dij vocantur Principes. *ego dixi Dij estis.* ideo sicut Deus debent exaltare humiles, & deijcere superbos, & peccatores.

Virg. lib. 10. ex Theatro pa. 30. 66.

Simile est illud, quod narrat Gilbertus Cognatus libro primo narrationum. Quidam, inquit, viso Officiali quodā moribundo, ad Principem absentem quinquaginta milliaribus magna cum celeritate cucurrit, dicens Officialem iam esse mortuum, & officium eius petens. addidit se ante horas quatuor ipsū reliquisse mortuum. tunc Princeps: bene sanè, inquit, cucurristi. ideo cū tam bene curras, recurre, & te non impetrasse renuncia. Velocitatem currendi, seu transeundi describens Iob. 9. 26. nempe dierum vitæ suæ, ait: *Dies mei velociores fuerunt cursore,* &c. & subdit comparationem aliam; *Sicut aquila volans ad escam.* cucurrerat ergo iste, currunt huiusmodi auidi, seu ambitiosi ad escam beneficiorum deuorandam rapido cursu, rapido pede, vt eam rapiant rapaci manu.

Iob. 9. 26.

Aquilarum fœtus sæpe degenerare, ita vt ex eis tandem gignantur vultures (qui sunt aquilæ imperfectæ, vt ideo aliquando vocentur aquilæ) scribunt periti. ita de vulturibus exponunt quod dicitur: *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* cum autem de vulturibus legatur passim, quod quasi præsentiāt futuras strages exercituum, adque eos conuolent, vt secuto prælio depascantur cadauera: vnde adagium

ortum

ortum est de ijs, qui senibus absque herede existentibus inseruiebant, vt heredes ab eis instituerentur: *Vultur es, cadauer expecta.* ideo dicendum huiusmodi auaros, seu ambitiosos vultures esse, qui nec sustineant expectare mortem beneficiariorum, sed illam præueniant, vt non frustrentur expetito bolo, cui auidè inhiabant. An in casu prædicto, euenit huic vulturi, seu aquilæ spuriæ, vel potius coruo, (cum & ipse cadaueribus pascatur) illud aliud adagium: *Coruum delusit hiantem.* Prou.
Prou. 20. 20. ait Sapiens: *Suauis est homini panis mendacij.* in casu nostro suauis est illi panis, quem se ipsum vana spe decipiendo, sibi falsò promittit: *Postea implebitur os eius calculo.* Verè calculo occlusit os illius Princeps iste de quo suprà per responsionem illam, mutum enim reddidit, cum ille os iam apperuisset bolo suaui.

Adagiorum collector sic habet: Lysias æream bouis statuam Athenis in arce collocauit. ea res in prouerbium abijt his verbis: *Bos in ciuitate. quòd vsus bouis, & mansio eius rure esset.* hoc autem vsurpabant, cum quis præter meritum ad honores eleuaretur. His positis dico ex Sabellico
Sabellic. lib. 7. Æn. 5. lib. 7. Æn. 5. cum in bello Romanorum contra Antiochum duo boues ad summum cuiusdam ædificij per gradus spontè ascendissent; cum id portentum visum esset, iubentibus Aruspicibus combusti sunt, & cinis in tiberim proiectus. Boues igitur, qui repræsentant rudiores, & indignos honoribus, maximè alludendo ad adagium relatum, cum naturaliter non soleant per gradus ascendere in loca sublimia, sed in solo tantum degere; si fastigium conscendant, hoc videtur portentum pessimum, & ipsorum deiectione atque annihilatione totali expiandum, ne ruinæ ob hoc nobis proueniant. gradus ascendere hominum est, non iumentorum. Ita cum monstrum dicatur à Philosophis, peccatum naturæ, quasi natura videatur in illo gignendo errare: etiam ascensio stulti ad sublimem dignitatem, quasi bouis in lacum præaltum; & homines, hoc est sapientes deorsum iacere; videtur (vt ita dicam) error quidam Prouidentiæ Dei. non quod error sit, sed quòd ita æstimetur in oculis insipientum, & speciem quandam erroris habeat, nisi rectè consideretur. ita dicitur
Ecclesiastæ 10. 5. *Est malum, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* Ecclesiast. 10. 5.
per Principem Bonauēt. Caiet. Glossa, Ferus, & alij *Deum* exponunt. Pineda autem hic notat particulam *quasi*, indicare tantum similitudinem erroris, quod (si possibile esset Deum errare,) cum deordinatio illa stulti exaltati, & sapientum, seu diuitum deorsum iacentium, tam magna sit; videretur illa procedere Deo inscio. Hebræus quidam apud Hieronymum impiè exponit de vero errore Dei: quia in hoc accusat Dei prouidentiam.

FVNVS, EIVSque pompa.

2. *Qui inflatur de pompa funeris sibi conficiendi, inflatur de triumpho inimici sui super se.*
3. *Idem amplificatur.*
4. *Idem, vt supra.*
5. *Qui sic quærit fastum, tendens ad portum humilitatis conscendit nauem superbiæ.*

2. LAVDABILIS est celebritas funeris, si immodica non sit, & non ad iactantiam adhibeatur. vnde nos hanc tantum-modo quæ vitiosè fiat reprehendemus. Cum mors per ægritudinem cum homine hoste suo pugnauerit, tandem ipsum necando deuincit. vnde dicitur, *Vbi est mors victoria tua?* illum deuincit, & de illo triumphat. vnde Poëta noster Italicus solemnem illum contexuit mortis triumphum: in quo ostendit de regibus, & fortibus omnibus eam triumphare. Vt autem melius appareat hic mortis triumphus in singulis hominibus, & præsertim in magnis, vnde decantetur illud *vanitas, vanitatum, & omnia vanitas*; institutum est, vt cadauera quasi in triumphali curru mortis, scilicet in feretro magnificè exornato, circumferantur magna comitante caterua, & cereorum ardentium gloria, quibus præsertim illustretur hic mortis triumphus. Mos autem obtinuit, vt insignibus familiæ defuncti alicuius per illustris, vel etiam vexillis, aut hostium spolijs, alijsve eius præteritæ gloriæ monimentis de feretro sublimi in pegmate collocato pendentibus addantur etiam insignia, seu vexilla ipsius mortis, hoc est pictæ caluariæ defunctorum: vt ostendatur ipsam de eo, & de rebus eius prædictis triumphare, & in deuicti arce sua vexilla collocare. Cum autem res ita se habeat: dum gloriaris de funere tuorum, vel de tuo, quod per testamentum præscribis tibi faciendum; quid gloriaris, nisi quod deuictus, quod occisus in triumphum duceris? vel quod cognatus tuus ita trahitur in triumphum?

3. Quid stultius quàm tuum supplicium simul, & opprobrium tuum velle facere triumphum? non enim tantum gloriantur in funere, sed triumphum mortis æstimant triumphum mortui. Cur enim tanta sollicitudine, & expensis immodicam pompam funeris ad iactantiam adhibes, nisi quia non alienum, sed tuum putas te cōficere triumphum? quis hostilem triumphum tantopere curat? Si in die sepulturæ non sepeliendus fores, sed rediuiuus ex tumulo eruendus; nec mors triumphatrix de te, sed tu de morte victor, & triumphator futurus esses; quomodo magis iactabundus, & gloriabundus esse posses?

4. In hac re fit, quod apud eos populos, vbi cum vxor peperit, vir in lecto (quasi æger ipse ex partu) se collocat, & visitationes suscipit. ita hic triumphat mors, & gloriatur mortuus. Ridendi an deflendi sint huiusmodi gloriantes nescio. nam Apostolus deflet eos, *quorum finis inte-*

teritus, *& gloria in confuſione*, hoc eſt in re ignominioſa, & confuſione digna. at nonne horum gloria in confuſione, qui gloriātur prædicto modo de funere? qui gloriantur quando gloriam amiſere? nam *cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.*

5. Putas te eſſe Pſalmum, quod poſt te debeat decantari *Gloria*? an potius non cogitas tibi poſt obitum inclamādum eſſe illud, *Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens gloria Dardanidum?* non deſcendet cum te, vel cum defuncto tuo, gloria veſtra. Quo properas quæſo tu, aut defunctus tuus, dum ad ſepulchrum pergitis, niſi ad locum corruptionis, ad habitaculum, & ſtatum maximæ vilitatis? ergo conſcendis nauem ſuperbiæ tendens ad portum humilitatis? tunc maximè inflas vela tumoris, cum proximus es littori deſpectionis? Quando vnquam adeo intumuiſti ingreſſurus ampla atria tui palatij, ſicut intumeſcis nunc penetraturus anguſtias ſepulchri? Adhibes currui tuo pauones iactantiæ, vt te trahant ad vermes deſpectionis? Cum paulò poſt ex te gigni debeant vermes ignominiæ, vis prius produci erucas volatiles ſiue papiliones vanitatis, & leuitatis, (inſecta ſunt magnis prædita alis, & aliquando verſicoloribus.) Mortuus leuior incipis eſſe quam viuus, & qui viuens ambulabas in terra, defunctus vis euolare ad cælum quaſi cadauer leuius ſit viuente corpore. Cum debueras ad cælum extolli animâ, vis extolli corpore; nō illa per gloriam, ſed hoc per ambitionem; cum deſieris attrahere aërem ad refrigerium cordis, captas ad refrigerium vanitatis, quaſi tunc incipias viuere ſuperbiæ, cum deſiſtis viuere naturæ, & deſinente in te vitâ hominis, incipiat Chamaleontis. Feretrum, quod natura ipſa fecit eſſe librum humilitatis, efficis cathedram ſuperbiæ.

Idem dicendum de glorioſo ſepulchro. vbi enim vniuerſa hominis tumulatur gloria, exinde enaſci faciunt vanitatem: quodque debuit ambitionis eſſe tumulus, faciunt aluum. Vnde quæſo non orietur ſuperbia, ſi ex ſua ipſius morte, ex ſuo ipſius tumulo generatur? Non credunt aliqui, quod ex cinere, & verme oriatur Phœnix; at hic ex cinere, & verme ſepulchri, & abiectionis ſæpè oritur aquila ſuperbiæ, & pauo vanitatis. Nonne ergo monſtroſa eſt hęc ambitio, ex qua monſtra tam inſolita generantur? Iob. 20. *Oſſa eius replebuntur vitijs adoleſcentiæ ſuæ, & cum eo in puluere dormient.* Iob. 20. Si vitia moriuntur cum ſectatore ſuo, & cum eo in ſepulchro iacent, quomodo in ſepulcro & funere ſuperbi viuit, & ſtrepit ſuperbia? Quid dicendum ad hæc, niſi hoc vnum eſſe ex monſtris iſtius ſuperbiæ, quòd etiam mortua viuat? Monſtrum eſt, quod pauo extinctus, ſcilicet ſuperbus, tamen adhuc caudæ ſuæ totam expandat: monſtrum eſt quod gallus hic enecatus criſtam tamen erigat: quod hic homo cum caput amiſerit, tunc cornua eijciat.

Quænam ſtultitia ea hora, & tempore iactantiam ſequi, in qua iactantiam damnes. ſiue enim ani-

ma defuncti in loco sit salutis, siue damnationis; ista omnia damnabit. nonne audis ipsosmet superbos, & diuites id dicentes in inferno? si non credis mihi, crede illis. Sap. *Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra.* Quid prosunt corpori plurimæ & splendidæ faces, si anima inferni fuerit in tenebris? Si illius lampas, vt in stultis virginibus extincta sit? Quid prodest, si mortuus magno comitatu procedat ad Ecclesiam, & nudus operibus accedat ad Deum? Quid prodest, si corpus in Ecclesia in sublimi loco sit collocatum, si spiritus in profundo inferni sit sepultus, iuxta illud de diuite, *& sepultus est in inferno?* Quid prodest Ecclesia atrata, si anima non fuerit alba? quid prodest si inter faces splendeat equus, & inter ignes comburatur eques? Sic vocantur à sapientibus corpus, & anima.

2. *Quidam magis solliciti quàm bene sepeliantur, quàm quam bene moriantur.*

2. MVLTI parum solliciti sunt quam benè viuant cognati eorum aut quam benè moriantur: sed tantùm, quàm benè sepelian-tur, neque pro eis defunctis sacrificia offerri, aut stipem erogari pauperibus; sed tantum solemnes celebrari curant exequias: eò quòd hæc viuis magis prosint, quam mortuis, hoc est, sibi quàm suis defunctis: cum hæc faciant magis ad propriam gloriam, quam ad requiem alienam. dum enim defuncto curant dici *requiem æternam*, quærunt sibi gloriam temporalem. Hi adeo cæci sunt aliquando, vt pluris cereas faculas terræ æstiment, quàm luminaria cæli. magis enim curant, vt sui defuncti pluribus stipentur candelis, quàm quod sub pedibus habeant sidera cæli innumera.

3. *Planctum alienum post mortem magis curant, quàm proprium ante mortem ad pœnitentiam.*

3. FVNVS Italicè *mortorio*. ideo dicebat quidam: *niente gioua il mortorio intero, al mortorio diuiso, cioè al morto rio.* Quid prodest, quòd post mortem te tui plāgere videantur, si ante mortem tu te ipsum non plangis? alicubi conduci solent pretio mulieres ad deflendum mortuum. Quid prodest ergo, si per heredes tuos emas tibi alienum planctum, cum viuus neque gratis velis habere tuum? & tamen vnicà lacryma viuus potes tibi extinguere infernum, cum si damnatus fueris, ex mari lacrymarum pro te effusarum, nè gutta quidem descendet ad refrigerandam linguam tuam.

(a) *Mortorio* i. e. *funus.* *morto rio* i. e. Mortuus malus vel sceleratus.

Quæ stultitia? emere tanto pretio breuem, & simulatum planctum, cum nobis, vel dimidio eius emere verum, & sempiternum risum. Quid prodest, (a) *che tanti per te portin la gramaglia, se poi tu sarai gramo?* quid prodest, quod tot pro te dolorem gerant in veste, cum tu feras in anima? si plurimi te comitentur ad sepulchrum, cum nemo te sequatur in tumulum?

(a) Quod tot tibi lugubria portent, cùm tu in luctu remaneas?

Qui

Qui post obitum quærunt pompam funeris ad iactantiam, sunt velut lucerna, quæ cum extincta fuerit, tunc fumo abundat. Vita eorum fabula fuit, seu comœdia: ideo post finem quærit plausum. aiebant enim in fine: *Valete & plaudite.* Dies fuit eorum vita, & mors est nox. ideo inter faces innumerabiles quasi stellas nocturnas in ea iacere volunt. Prisci, cum corpora defunctorum comburerent, igne agebant funera sua: at iactabundi nostri modo fumo ea celebrant illi, cum aromatibus igni iniectis eadem facerent, dici potest quod exequias perficiebant odore; hi verò fœtore. sic enim vocatur superbia vulgò, *puzza* i. e fætor.

Obserua duplex iter haberi ab hominibus, alterum omnium longissimum, alterum omnium ferè breuissimum: & tamen illud minimo nobis constare, hoc autem maximo. prius est iter ad cœlum, quod absque vlla impensa peragi potest, alterum est à domo defuncti ad Ecclesiam, siue ad tumulum, hoc autem plerumque magno constat pretio super alia itinera. at cum tam prodigi aliquando sint homines in complendo hoc itinere, in cuius fine corpus iacet associatum vermibus, quantò liberaliores esse debuerant in perficiendo illo, in cuius exitu anima requiescit cum Angelis? Si tot nummos insumunt in tam breui, quomodo nil erogabunt pro tam longò? Quid dicit Cœlum homini? fac me saltem sicut terram: fac, ne cum cœlum sim, inuideam sepulchro, tantum insumis, vt recipiaris in sepulchro, & non reddes dimidium, vt recipiaris in cœlo; non inquam dabis pauperibus, vt recipiant te in æterna tabernacula?

Cum tumuli dicantur à tumore terræ, quæ eleuari solet in cœmiterijs vbi pauperes aut tenuiores sepeliri solent: dicendum est, alludendo ad tumorem, seu iactantiam sepulchrorum, solos tumulos non esse tumulos, & non tumulos sæpè esse tumulos. Sepulchra lapidea, respectu eorum, qui sibi illa extruxêre nimis superba, cum sint in scandalum proximi, & cadauer à cadendo vocetur, eò quòd stare per se nequeat; ideo dici potest lapidem illius sepulchri non tam esse petram, in quam cadant corpora, quam animæ. eò quòd sit *lapis offensionis, & petra scandali.* cadunt enim animæ prauo illo exemplo prouocatæ in sepulchrum similis ambitionis, vel saltē offenduntur, & stomachantur ex superbia prædictæ vanitatis.

Sed quos dæmon non potest capere laqueo ambitionis, & nimiæ sollicitudinis in funere curādo; capit aliquando nimia negligentiâ in ea re prætermittendâ. Mitto, quod aliqui omnia sua absumentes, euacuantesque arcam nummorum, vel rei familiaris; ne arcam quidem ipsam sibi reseruant, in qua sepeliantur: & cum melle præsentis voluptatis, deuorant etiam ceram futuri funeris; (a) *e spendendo tutto nelle mense del corpo, non lascian nulla per le messe e mense dell'anima*, post mortem non relinquunt pretium; nec obtinent precem: periculum etiam subeuntes ne in eis fiat illud, quod de quopiam di-

(a) Mensis opiperis omnia absumunt, vt nihil superfit in mensam Altaris siue Sacrificij.

dictum est. Ier. 22. *Sepulturâ asini sepelietur.*

Ier. 22. Quia verò iuxta ordinem peccatorum capitalium post superbiam deuenitur ad auaritiam; aliqui prætextu vitandæ superbiæ in funere, descendunt in proximum baratrũ, scilicet auaritiæ. cumque prodigè viuant, & ambitiosè in plurimis rebus; scrupulosi tantum sunt in præscribendo sibi funere, vel etiam in curando funere suorum, ne solemne illud sit, & multi pretij. nolo inquiunt pompas in exequijs meis, aut meorum: vnico Sacerdote, vnicoque clerico comitibus volo deferri ad Ecclesiam. Vide humilitatem. sed interroga, vis saltem pro te, vel pro tuis offerri Missarũ sacrificia? vis occultas distribui eleemosynas? minimè inquit. heu! hoc signum est, te nolle pompam funeris, non tam ad vitandam leuitatem, & bonitatẽ ambitionis quàm leuitatẽ, & vacuitatẽ marsupij. times ne honesta sepulturâ hominum, violetur tuorum sepultura nummorum.

Occultè, & noctu sepeliunt suos, vt deficiẽtibus terrenis facibus, corpus ad cæli lampadarum lumen deferatur Prodigi sunt, & *deuorant substantiam suam cum meretricibus*, attamen auari sunt sub specie humilitatis in defunctos suos. malunt dare lenonibus quàm presbyteris, & lupanari quàm templo. Si vix tribuunt Sacerdoti, vt defunctos suos condat sub terra, vide si eidem tribuet, vt eosdem deducat in cœlum, scilicet per oblata sacrificia.

MVLIERVM, EVAGATIO.

1. *Virgini egressus deuotionis gratia.*
2. *Adam extra Paradisum, Eua in Paradiso creati, egressum viro magis quàm mulieri conuenire documentum*
3. *Alia circa creationem eorundem idem docentia.*

1. D. HIERONYMVS ad Eustochium virginem ait: *Rarus sit tibi in publicum egressus, martyres tibi quærantur in cubiculo tuo. nunquam deerit caussa procedendi, si semper, cum necesse est, processura sis.* Hæc ille.

2. Cur Adamum creauit extra Paradisum, Euam in Paradiso? missis & saluis ceteris rationibus, quidam afferunt hanc, nimirum, vt cuique earum suum tribueret locum, viro quidem publicum spatiosissimum, & apertum, mulieri autem secretum, & particularem. ergo iuxta considerationem præsentem, mulier loci secreti, mulier clausa, simul erit mulier Paradisi, hoc est pura, & proba simulque ostenditur, Deum nolle mulierem esse *mulierem mundi*, esse *mulierem publicam.* hæc duo nomina, Italicè significant meretricem. quasi indicaretur, mulieres vagas, quæque discurrunt per orbem, neque vnius loci indigenæ videntur, sæpe impuras esse, sicut & quæ publicæ sunt, expositæque adeuntibus. mulier ergo non est creata in

ta in mundo, quatenus mundus distinguitur à Paradiso illo terrestri, & ob id potest nobis esse documentum supradictum.

3. Adam de terra formatus, Eua, seu mulier è costà viri. quia etiam ipsa prima materia viri, & mulieris locum sibi congruentem habere debuerunt: illa communem, & latum, vt est terra; hæc costam angustam viri singularis, adeo vt Deus voluerit, quod mulier, etiam antequam produceretur secretum diligeret, & absconditum. (costa enim illa sub cute latebat viri.) voluit eã latere, etiam quando non poterat aspici, nedum violari. non solum mulierem, præsertim valdè pulchram (qualem credendum est fuisse Euam, vt quæ Dei manibus formata fuit. hic enim est Doctorum sensus in huiusmodi rebus immediatè à Deo operatis) sed & os illud, sed & rem illam, vnde aliquando mulierem producere cogitabat voluit esse secreti, & priuati loci amantia.

Non ergo se excuset puella, dicens: adhuc paruula sum, nondum nubilis, non imponendum est mihi secretum loci. nondum subtrahenda sum ab oculis virorum, & egressibus domus, Nam, vt dixi, etiam si nondum concepta esses, esset tibi latendum si fieri posset. si Deus noluit mulierem exemplum non latendi habere in exiguo osse, vnde formata est; quasi tam leuis ansa sufficeret mulieri de se propensæ in eam affectionem: vide si periculum ei ingenerabitur, in hac parte, si in matre, & alijs mulieribus, vnde originem trahit, viderit exempla prædicta? Dic ergo mulierem productam fuisse ex osse, non autem ex cute; vt haberet exemplum latendi, non autem se ostendendi: ex dormiente, & immoto homine; vt doctrinam non disceret vagandi: ex osse pectoris non pedis; ne similiter natam se putaret ad ambulandum.

4. *Pudor mulieris in non vagando multis plus valet thesauris.*

4. EXODI II. 2. cum vellet Deus, vt Iudæi spoliarent Ægyptum opibus, quas abeuntes secum ferrent, sicut factum est, ait *Postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea, & aurea.* signanter ait *à vicina* ne euahandi detur occasio mulieri. Aliqua mulier habens amicas, & notas mulieres, vel viros etiam sibi beneuolentia coniunctos, eosque vasis huiusmodi diuites; potuisset plura vasa ab eis lucrari, si ad eos se contulisset. imo & à viris facilius mulieres aliquæ, quàm viri potuissent mutuo accipere talia vasa. tamē neque propter thesaurum magnum lucrandum vult Deus mulieres euagari longè, vel cum viris sermonem miscere. cur hoc, nisi quia pretiosior est verecundia mulierum, & consistentia, quàm omnes thesauri; tamen hodie (cum mulieres naturaliter auidæ sint, & auaræ) ut paucos quadrantes acquirant, circumeunt vrbem, & orbem. multæ frequentant curias, & fora, patronorumque domos, ne perdant litem paucorum aureorum. dicent: at ij nummi nobis debentur ex iustitia. sed & aurum illud debebatur ex iu-

Exodi 11. 2.

ex iustitia Hebræis in aliquam compensationem laboris, quo iniustè afflicti fuerant ab Ægyptijs. vide Lyranum in hunc locum. Certè illa vasa iustè accipiebant, sic Deo volente, qui Dominus est rerum omnium.

5. *Nec propter Deum nimis vagetur. Non tamen honesti exitus ad hoc illi inhibendi.*

5. SED non solum propter thesaurum, sed neque propter ipsum Deum voluit Deus mulieres ouagari. Exodi 34. 23. soli mares obligantur ter in anno ascendere Ierusalem ad solennitates designatas. *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Dei Israel.* vbi Oleaster inter cetera, quæ dicit ad hanc rem, ait: *Feminarum genus decet non hinc inde discurrere etiam pietatis, aut religionis prætextu. amat hoc genus exire: amat hinc inde discurrere. & quia à viris suis sæpius arcentur, causam religionis, aut pietatis mentiuntur.* aliquæ, præsertim pulchræ, imitantur Absalonem, vota soluenda simulant se habere, & debita velle soluere promissa Deo. hoc vel illo cum potius noua contrahere cum ipso debita cogitent, hoc est peccata perpetrare, dum, vt ait Poëta, *Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ.* aiunt se velle implere vota Dei, cum velint implere vota hominis, hoc est desideria sua, & spectatorum, atque se expectantium iuuenum. Stationes quærunt, vt stationes fugiant, hoc est, vt non stent. Addit igitur Oleaster ibi, *Vt ergo licentiosum genus teneret officio, occasiones vagandi præclusit.* si ergo interdum iuxta prædicta non debent vagari propter Deum, vide si debent vagari propter diabolum? Non tamen ob ea, quæ dixi, dissuadendi sunt feminis exitus moderati, pietatis gratiâ suscepti, vbi saluâ conscientia, & honestè id fieri potest, præsertim ex præcepto Ecclesiæ. ne, dum viri vetant vxoribus ire ad domum Dei, pergant ipsi ad domum diaboli. domus Dei autem est Ecclesia. Hoc dixerim, quia nonnulli viri frequentātes quotidie popinas, & lupanaria, interdicunt vxoribus oratoria, & templa: ipsi audientes histriones, vetant eis audire Concionatores: patrantes peccatum, prohibent illis pænitentiam, hoc est confessionem.

Exod. 34. 23.

Notum est Genes. 2. 22. de formatione mulieris dici, quod *ædificauit costam.* Ambros. libro de Paradiso, cap. 11. & Caiet. notant per id verbum notari, mulierem ædium amatricem, & non vagam esse debere. cum verò animus mulieris instabilis sit neque diu vno in sensu quasi loco consistat, sed per multa sententias, & voluntates sæpè euagetur; mihi videtur Deum voluisse, vt illa stabilitate corporis saltem emendaret cursum, & mobilitatem mentis. alioquin si instabili animæ, vagoque spiritui addatur & vagum corpus, quasi equo præcipiti Eques præceps; illa in præceps ruet. sicut ergo ædificatur stabile ædificium habitatori homini, qui stante ædificio ipse egreditur & ingreditur, neque

Genes. 2. 22.

Ambr. l. de par. cap. 11.

stat:

ſtat: ita corpus mulieris videtur ædificatum animo ipſius, quaſi domus quædam penè immobilis mobili habitatori. ita vt etiam in hoc ſenſu *corpus quod corrumpitur aggrauaret animam* leuem, & deprimeret terrena inhabitatio, quaſi lateribus terreis fabricata ſenſum volubilem & vagum, variaque cogitantem, atque ſua grauitate mobilitatem prædictam comprimeret.

6. *Mulier vaga per affectum etiam domi ſe continens vaga efficitur.*

6. SED adde quod mulier etiam domi ſuæ clauſa peregrinari poteſt, præſertim quando diues eſt, cùm ſimilibus palatium ferè tam amplum ſit, quàm inopi mulieri oppidum: & in palatio eodem turba virorum, vel hoſpitum ſæpè inueniatur. hæc quidem non exit in forum,
Geneſ. 18. ſed forum ingreditur ad illam. Geneſ. 18. recepit Abraham tres Angelos hoſpitio, & quamuis non in palatio habitaret amplo, ſed in tabernaculo; Sara non comparebat ibi, quaſi non adeſſet. vnde interrogant, *Vbi eſt Sara vxor tua?* iã Sara adeo prouectæ erat ætatis, vt dicatur *erant ambo ſenes, prouectæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria.* tamen præ modeſtia ſe in anguſto angulo continens, nõ audebat ſe oſtendere hoſpitibus. Ambr.
Ambr. l. 1. de Abraham, c. 5. libro primo de Abraham, cap. 5. de interrogatione facta, *vbi eſt Sara?* ait, non ignoraſſe qui petijt hoc, vbi illa eſſet; *Sed docere voluit nos, quantus pudor eſſe debeat fœminarum, ne procaci occurſu hoſpitum in ſe oculos inflectant.* & paulò poſt: *Prouectior ætate iam Sara iuuenilem cuſtodit verecundiam.* concludamus, quod parum verecundæ ciuitas eſt pro domo: pudoratæ autem, domus pro ciuitate. quatenus ex ſolo exire cubiculo putant eſſe euagationem in publicum, ſi abſque ſufficienti ratione id fiat.

2. *Mulier non ſubſiſtat in via, alioquin numquam perueniet quo tendit.*

2. GEN. 19 17. exeunti Loth, v- Gen. 19.
xori eius, & filiabus dictum 17.
eſt, vt non reſpicerent poſt tergum. vnde & vxor in ſtatuam verſa eſt ſalis, quia reſpexit. cur hoc præceptum datum ſit mulieri, nedum viro, reſpondit Caiet. hic *vt mulieres non tardent in itinere, ſed accelerent.* curioſæ ſunt mulieres. vt ex eo apparet, quod dæmon non decepit mulierem niſi per curioſitatem, dicens, *Cur præcepit vobis Deus?* reſpiciendo ergo, illa verſa eſt in ſtatuam: vnde numquam peruenit ad locum, quo tendebat. quaſi in hoc oſtendatur, mulierem curioſam, ſi velit ſubſiſtere in via ad omnia, quæ occurrunt ſibi aliquomodo noua, & ignota; in ſtatuam fore conuertendam, hoc eſt numquam peruenturam eſſe ad locum quo tẽdebat. ſicut neque vxor Loth peruenit quo ibat. quia iuxta expoſitionẽ Marianæ, & Cornelij à Lapide, id ei accidit antequam in Segor iam conſiſteret; quamuis per anticipationem antequam id referatur, ſcriptum inuenias, quod *Loth ingreſſus eſt in Segor*; niſi ingreſſum illum intelligant in ſuburbana Segor. In eo quòd ſtatua effecta eſt, repræſentari etiam poteſt conditio curioſi, qui in con-

templandis rebus insolitis velut statua fiat.

3. *Velum mulierem operiens quasi Agatha sit, ab igne concupiscentiæ alienæ eas tuetur.*

Gen. 20. 16. 3. GENESIS 20. 16. Abimelech recedenti à se Abrahæ dedit oues, & boues, seruos, & ancillas. vxori autem cum eo recedenti *velamen oculorum*. vt hoc scuto se tutaretur ab oculis, seu iaculis obuiantium, vt quidam doctor ait. sic Tertull. libro de velandis virginibus, cap. 15. *Virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam. confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum.* vide rem admirabilem. *Tela nequißimi ignea*, sunt tentationes diaboli, vt est Ephes. 6.16. sed præsertim ignea sũt tela spiritus fornicationis etiã iuxta dicta antiquorũ Gentiliũ, & Poëtarum nostrorum Cupidini faces, & ignea iacula tribuentium. tamen ad extinguendos hos ignes, ad retundenda iacula, scutum & galeam velaminis tenuissimi (quo operiatur mulier, vt effugiat oculos alienos) vult Deus assumi ab illa.

Tertul l. de vel. virg. c. 15.

Ephes. 6. 16.

Post annum decursum à martyrio S. Agathæ erupit fluuius igneus ab Ætna, qui lapides sicut ceram dissoluebat, & vniuersam vrbem Catanẽsiũ perditurus erat. pagani circa mõtem habitãtes, quãuis infideles essẽt, accurrunt ad sepulchrũ virginis, velũ eius contra ignem collocant, qui protinus repressus est. O quam beatam te æstimares, si vel particulam eius velaminis obtineres. at dico tibi etiam velamen tuum ignem extinguere potest plures Agathas in hac parte tibi ostendam. Habete ergo hoc scutum, *in quo poßitis tela nequißimi ignea extinguere*. Verè dici potest, scuta virorum sunt vela, vela mulierum sunt scuta. nam inutilia sunt scuta illorum cõtra Cupidinis iacula ignea, quibus ipsi non resistunt, iuxta illud, (a) *Contro d'amor non val elmo, nè scudo*, at vela mulierum pudicarum sunt scuta, velut si ex adamante conflata essent, si adsit pudica resistẽtia. Quid, si te ô mulier adianto operirem, scilicet linteo igni resistitiuo? at tale facies velum tuum.

(a) Contra Amorem, non prodest galea aut scutum.

Hyperides iubebat mulieres non exire ad conuentus populi, & publicos cætus, nisi per ætatem de eis peti posset, quorum essent matres: non autem tantummodo, quorum essent vxores.

EXEMPLA.

2. *Quàm efficacia sint in iusto ea præstante, vel vidente.*
3. *Exempla principum quantum possint.*
4. *Prælati dicentes, & non facientes, Mahometis sunt fratres.*

2. 

EVCHERIVS Episcopus epistola paretica narrat Gregorium Nazianzenũ, & Basiliũ amicissimos fuisse. Nazianzenum ad Religionẽ consolasse. & cũ Basilius doceret Athenis Rethoricam; eum conuenit Gregorius actu docentem coram multis auditoribus, & apprehenso eius brachio, illum de cathedra deduxit, dicendo: Omitte ista, & da saluti operam. & sic secum ad religionẽ de-

du-

duxit. vide quantum possit verbum cum exemplo.

Philip. Cam cēt. 1. horar. subcis. ca. 66.

3. Philippus Camerarius cent. 1. horar. subcisiuarum, c. 66 ait, in aula Maxim. II. Imperatori se obseruasse familiares Imperatoris plerosque imitari solitos non solum colores vestitus, sed etiam formam poculorũ, aliarumque rerum, quibus Imperator plerumq; vteretur. sic & feminæ nobiliores imitabantur Augustam; adeo vt vestes alioquin vulgares, & parui pretij, in magnum pretium venerint, eò quòd Imperator cum vxore illis vti cœpisset.

Sic apud Romanos quia Poppæa Sabina adeo adamata à Nerone, capillos coloris succini habebat, ijq; ob hoc valde à Nerone laudabantur etiam versibus; omnes Romanę & Italicę mulieres tales in colore capillos suos arte conabantur efficere.

Quid magis alienũ à magnatibus, quàm Chirurgiæ ars, & eius studiũ? at Buchananus l. 4. hist. Scoticæ ait, cum Iosinas Rex Scotorum, Medicorum & Chirurgorum familiaritate delectaretur. breui factum est, vt nemo per multa sæcula esset in Scotia illustri loco natus, qui vulnerum curationem non calleret.

Buchan. l. 4 hist. Scot.

Ibidem Camerarius ait: Philippus Bonus Dux Burgundiæ suo exemplo auctor fuit, vt magna pars nobilitatis comas raderet, cum illo sęculo magna diligentia solerent nutriri. sic Franciscus Primus Galliæ Rex cum ex vulnere in capite tõsus esset, mox omnes aulici tonsi apparuere.

Vincentius Lupanus lib. 1. de magistratibus, ait, cũ Ludouicus II. Rex Galliæ fortasse propter valetudinis imbecillitatem, filium Latinè scire vetuisset nisi illud; *Qui nescit dissimulare, nescit regnare:* Nobiles Frãci, hoc exemplo omne genus litterarum cõtempserunt. è contra cum litteras Franciscus Primus Galliarum Rex foueret, plerique idem fecerunt, vt idem Lupanus ait, dicens: antea litteris vacare sordidum habebatur, at postea honestum. & Bodinus in methodo histor. ait, adeo creuisse litteras ex fauore Regis prædicti, vt omnes ordines hominum eas sequerentur, nec vsquam plures litterati inueniebantur quàm in Gallia. vt olim Athenas, sic Parisios conuolabant homines ad discendum.

Vincent Lup l. 1. de mag.

Bodin in method. histor.

4. Cũ Prælati leges obseruare deberent ante alios, vt exemplo essent ceteris; sæpè tamen contrarium faciunt, quasi soli excipiantur ab obligatione virtutis. Huiusmodi homines, seu Principes sunt fratres carnales Mahometis, de quo scribitur in eius actibus (vt post alios refert Thomas à Iesu lib. 10. ca. 9. de procuranda salute omnium gentium) quod cũ adulteria vetuisset subditis suis, excepto quod eis permittebat coniungi cum ancillis ipsorum, quamuis coniugatæ essent, tamen dicebat sibi à Deo concessum esse singulariter, vt cum quauis coniugata posset coniũgi, vt ipse Sanctus, & Propheta posset generare plures Sanctos, & Prophetas. Intolerabile est, cũ accidit id Apost. ad Rom. 2. *Qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandũ, mœcharis?* etiam ob id sunt *importabilia* ea onera, quæ imponũt in humeros hominum, quia *digito suo nolunt ea mouere.*

Thom à Ies. l. 10. ca. 9.

Apost. ad Rom. 2.

2. *Dicentes, non facientes stertentibus in somno similes, excitant alios, ipsi dormiunt.*

3. *Etiam Christum sperarunt exemplo cōmuni flectere.*

Ephes. 5. 2. DORMITIO est symbolum peccati in Scriptura, Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* qui ergo in peccato, seu in somno dormiunt, cum interim ab illo alios præsertim audacter, & cum asperitate excitant, sunt veluti dormientes, qui tamen molestè stertendo alios dormire non patiuntur. quod satis durum videtur excitatis. Rom. 2. 2. cum dicatur Roman. 2. 21. *Qui alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis?* &c. Ita etiam cum quidam Prelati in somno otij degāt, absque labore vllo & tamen alios vigilare velint in laboribus; cùm prædicant ieiunium ventre pleno; dormiendo, & stertendo vigilias alijs præscribunt; hoc est imponere onera grauia, & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolle ea mouere. applica superioribus Clericorum, vel Regularium cum scilicet cogunt alios vigilare in precibus matutinis, atque interea ipsi dormiunt longissimas noctes hyemis. dormientes stertunt sermones de vigilia, saturi eructant verba de abstinentia, otiosi oscitant admonitiones de labore; rugientes suadere gestiunt tranquillitatem, & patientiam; vociferantes. modestiam. Prædicti omnes dormiendo simul stertunt, & per hoc alios à somno excitant importuno sonitu.

3. Tanta est vis exempli in animis multorum, vt ipsummet Christum sperarint, & tentarint his armis vincere, & in vitium impellere illi, qui vocantur fratres eius, Ioan. 7. vide ergo si nos tuti erimus ab illo? Sed in quod vitium? magna audacia fuisset hæc, si in qualecumque vitium sperassent eum posse induci. at quod vitium magis contrarium Christo, quam superbia? nam ex professo videbatur natus ad inducendam in mundum humilitatem. *Discite à me* inquit, *quia mitis sum, & humilis corde.* hanc prius docuit, quam loqueretur, nempe per præsepium, &c. & *agnus Dei* vocatus est ob eandem. tamen id agunt non externi, sed *fratres eius*, hoc est consanguinei, August. tract. 28. in Ioan. explicat, quod more Hebræorum vocarentur fratres. adeo odio habuit Christus iactantiam, & eos, qui cuncta sua faciunt, vt videantur ab hominibus, & consequenter hypocritas; vt nescio an in toto Euangelio contra alia vitia, aliosque peccatores magis, & perseuerantius pugnet quam contra huiusmodi mala, & sectatores. tamen in hac re specia- tim ei scandalum ponunt, licet non maligno animo, sed gloriæ humanæ auiditate. dicitur ergo Ioan. 7. *Post hæc autem ambulabat Iesus per Galilæam; non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia. dixerunt autem ad eum fratres eius, transi hinc, & vade in Iudæam,* Aug. tra. 28 in Ioan. Ioan. 7.

dæam, *& vt discipuli tui videant opera tua, quæ facis. nemo quippe in occulto quid facit, sed quærit ipse in palam esse. si hæc facis, manifesta te ipsum mundo*, volebāt, vt expositores aiunt, & patet ex textu, vt non lateret in Galilæa, sed ad se ipsum illustrandum in Ierusalem locum celebrem contemderet, ibique miranda sua operaretur, maximè tunc, vbi propter festum diem supradictum plurimi conuenire debuerant. August. Cyrillus, Rupertus, & Barradius in hunc locum putant ob vanam gloriam eos voluisse hunc Christi discessum ab eo fieri, vt per miracula sua humanam, & terreno affectu gloriam quæreret. at quibus armis sperant eum vincere? exemplo ceterorum adducto, dum aiunt, *nemo quippe in occulto quid facit, sed quærit ipse in palam esse.* hæc verò dixerunt in vltimo tempore vitæ ipsius Christi, vt patet ex expositoribus, & colligitur ex textu. vnde poterant prædicti cognati eius agnouisse optimè eius sanctitatem, & contemptum humanæ gloriæ ex antecedentibus actibus, & verbis eius. Adde: cùm in vitæ periculum manifestum se coniicere deberet per hunc discessum è Galilæa in Ierusalem, vt supra patet ex textu, (quod periculum notum etiam ipsis fuisse videtur. imo ex hoc colligunt, quidam illos odio Christi, & desiderio necis eiusdem ad hoc ipsum hortatos esse.) Sed stando in meliori sententia Aug. & aliorum, dicimus etiam cum euidenti hoc vitæ discrimine eos sperasse inducere ad suam gloriam quærendam, per exemplum commune ceterorum, qui omnes, vt illi aiebant, quærebant euulgare opera sua. Inde collige quantum periculum sit viuere in sæculo, in aula, in congregatione, quamuis iustus sis; & exemplo communi non retrahi à proposito tuo singulari ad communem viuendi modum, si non in omnibus, saltem in aliquibus. quæ enim communiter omnes faciunt, non solent videri mala, quamuis pessima sint. Nullum fortius telum habet dæmon quo vincat etiam iustum quàm hoc, si per se, vel per hominem tibi dicat: cur times honores quærere, opes congregare, voluptates captare? omnes id faciunt. ergo tu solus sapis inter alios? contractus hic de quo scrupulosè dubitas, passim fit. confessio tua absque peccatorum numero, absque tot aliis scrupulis perfunctoriè facta, fit à plurimis. ergo ne timeas. Ita multos in peccato confirmat, vel ad peccatum adducit. difficilè enim est niti contra cursum fluuij; præsertim cum qui tibi suadent sunt consanguinei tui, & amici, vt fratres Christi id cum illo egerunt. sed *inimici hominis domestici eius.* ideo remedium adducunt Sancti, *fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam*, conferat se in congregationem iustorum, relinquat quæ mundi sunt. ferè impossibile est viuere vbi alij viuunt, & non facere quæ alij faciunt.

4. *Exemplum bonum plus mouet, quàm suscitare mortuos. ex Chrysostomo.*

5. *Plura de bono exemplo.*

6. *Exemplum bonum est verbum principale sine quo oratio nil efficit.*

Chrys. hom. 47. in Matt. de Apost. mort.

4. CHRYSOST. hom. 47. in Matt. de Apostolorum mortificatione, bonoque exemplo vitæ alijs præstito loquens, ait: *Nam si hoc non habuissent: si paßionibus, veluti nos, seruijssent; & si innumeros homines suscitassent, non solum nihil vtilitatis fecissent, verum etiam deceptorum, & seductorum nomina non effugissent.*

Piger ad cursum adhortatur ceteros, interim tamen iacet super stragula: *sicque manendo monet, sicque monendo manet.* ita *super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi.* ipsi sedentes hortantur alios, vt sint sudantes, vt sint currentes viam mandatorum Dei.

5. Addam dicta quædam in similitudinem carminum, vt faciliùs, & suauiùs hæreant menti. *Ne dic in vanum, dictis adiungito manum. Ille docendo facit, qui faciendo docet.* docendo facit, hoc est persuadet, efficit auditores probos. Scitum est illud Senecæ, *Longum iter per præcepta; breue & efficax per exempla. Addam ipse: Me doces extemplo, si doces exemplo;* sicut sæpe rem aliquam declaraturi longo vtimur sermone, & tamen illam non rectè percipit auditor, at exemplo allato, statim intelligit; ita & accidit in virtute suadenda. sæpe enim cùm diu dixeris; hoc est nihil feceris, hoc est nihil profeceris: at cum aliquid feceris, multum feceris. exemplo docuisti extemplo.

6. Oratio, & verba nihil efficiunt absque *verbo principali.* sic loquuntur Grammatici. si interroges, quænam sint verba principalia in verbis? (ad effectum persuadendi intellige) respondebo non esse verba, sed opera. subtrahe ista, & verba sola nihil efficiunt. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum.*

Timendum fuerat, ne verba Pharisæorum nihil efficerent in populis eò quòd verbo principali carerent. nam de illis dixit Dominus, *Dicunt, & non faciunt.* ideo idem Dominus addidit eis *verbum principale*, nimirũ se ipsum, suam auctoritatem, quâ eorum verba confirmabat, dicens, *quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.* quod enim aliud est verbum tam principale, quàm ipsum Dei Verbum, per quod facta sunt omnia? Vel dic: quamuis Pharisæi essent, qui concionantur; audiendos esse, si sedeant super cathedram Moysis: quia sic non deest verbis eorum verbum principale, cui innituntur, quod est verbum Dei scriptum, atque etiam Verbum Dei increatum, hoc est Christus approbator doctrinæ eorum.

2. *Benè agentes obmutescere facimus obtrectatores.*

1. DIGITI apud Patres in Sylua allegor. pro operatione virtutis accipiũtur. Aduertamus ergo, *digitum ori impositum*, simul significare operationem verbis vnitam in eo, qui bona loquitur, atque etiam denotare silentium indictum loquentibus. Quia ergo homines sæpè latrant aduersus pietatis, & virtutis professores, maximè si eorum verba factis non concordent: ideo si efficere vo-

re volunt, vt obmutescant, debent iungere digitum, & manum ori. sic enim copulantes facta dictis, simul occludent ora oblatrantium, iuxta Petri prima 2. 15. *Vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

Petr.pri. 2.15.

Quorum vita despicitur, inquit Gregor. restat vt eius prædicatio contemnatur. Ad cuius opera rideo, quomodo ad eius verba plorabo? quantum ædificant, dum aiunt; tantum destruunt, dum agunt. orantes (hoc Oratores) admirationi sunt, errantes contemptui. Parum prodest Brutos esse in sermone, si bruta sint in opere. (Brutus fuit magnus Orator, vnde Tullius inscripsit Dialogũ de Oratore nomine Bruti) E contra, qui iustus est, & oratione flectit Deum, quomodo ille non flectet homines? E contra quomodo audient homines eum loquentem illis, qui non audit Deum loquentem sibi.

2. *Exemplum primi quasi in choro sibi præcinentis ceteri sequuntur.*

3. *Dux Frisonum maluit sequi plures suorum in infernum contendens, quàm in cælum proficisci, vbi pauciores ex suis essent.*

2. QVIDAM citant Augustinum super Psalm. 77. dicentem Christum tãquam chori magistrum initium cantus fecisse, hoc est passionis, & mortis, quem postea chorus vniuersus martyrum secutus fuerit. Qui ergo primus est in aliquo opere virtutis, vel vitij, quem alij deinde sequantur, dici potest *choriprinceps.* Ita ex quodam recentiori habetur de quodam fatuo, qui cum in choro quorundam clericorũ adesset, audiuit hebdomadarium incipientem, vt mos est, & ceteros deinde subsequi cantum: & colaphum illi impegit, dicens, nisi tu prior vocem dedisses, isti omnes mihi caput nunc non obtunderent. Sapientiam ex demẽtia addiscamus. nimirum, puniendos esse, qui primi auctores sunt malorum, & alios exemplo suo protrahunt ad mala. item homines adeo procliues esse ad quędam peccata, vt sufficiat, si vel vnus tantum inuitatorium, vt ita dicam, præcinat eis in officio diaboli, quod statim omnes prosequuntur matutinum inferni, quasi per illud inuitati. vbi enim in officio Dei inuitantur canentes ad laudandum Deum per illud, *Venite adoremus Dominum*, ita inuitantur in officio diaboli, hoc est mali operis ad ipsum Deum blasphemandum, & dæmonem laudandum. nam sicut per bona opera, siue per bonos, vt ait D. August. nomen Dei laudatur, ita per mala opera, & per malos blasphematur.

Psal.77.

3. Tanta est tyrannis mali exempli, præsertim multorum, & magis etiam consanguineorum, & parentum, atque antecessorum, vt aliquando accidat casus, quo si proponantur hominibus duæ viæ, altera, quæ eos ad cælũ, altera, quæ ad Tartarũ ducat; si videant plurimos præcipue ex suis proficisci per hanc, quæ ducit ad abyssum, hos potius sequẽtur, quam ingredientes per viam Paradisi. ita Sigibertus in Chronico apud Theatrum vitæ humanæ, narrat

de

de Bertholdo Duce Frisonum, qui iam pedem habens in baptisterio, vt sumeret illud Sacramentum, interrogauit, quo profecti essent plures ex antecessoribus suis, in Paradisum an in infernum? cumque audisset plerosque contendisse in infernum; pedem retraxit de baptisterio, dicés se velle sequi quo maior pars suorum progressa erat: & postridie repentina morte sublatus est. nonnulli tamen historici hoc factum aliter narrant. Exhorrescimus hominis temeritatem, impietatemque simul. at quot sunt ex nobis, qui licet sciant per viam voluptatum, auaritiæ. aliorumve peccatorum incedēdo perueniri ad damnationem; per contrariam verò ad beatitudinem; tamen quia plerique, præsertim ex sui similibus, vel propinquis per illam ambulant, non per istam; hac relicta, per aliam iter faciunt? Nunquid inquiunt nos solos sapere credimus? sodales nostri, consanguinei, ciues hac via ambulant, aleę vacant, amasijs, nummis congerendis, & cæteris etiam vitijs; & tamen salutem expectant. quod de illis fiet, de nobis fiet. At audiant Christum
Matth. 7. 13. Matth. 7. 13 *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam. quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Interroga conscientiam tuam, num per viam latam multorum, vel arctam paucorum ambules, & scies quid tibi timendum sit in exitu huius tuæ viæ.

Ex allato exemplo Bertoldi colligitur etiam damnum nimij affectus erga propinquos; quo, velut ille: malunt esse in inferno cum cognatis, quàm in Paradiso cum extraneis. cum tamen dicatur oculum eruendum, manum abscindendam, hoc est amputandas cognationes, potius quàm permittamus ab his nos pertrahi in gehennam. manus, oculus, pes, significant coniunctos, amicosque, aut etiam res caras nobis.

4. *Exemplum Patrum, & antecessorum plerumque sequuntur posteri.*

4. EXEMPLVM patrum pertrahit filios, exemplum filiorum pertrahit nepotes. sic damnantur *& nati natorum, & qui nascentur ab illis.* Aiunt vulgo Dialectici, *omnis homo currit* quasi dicat currit ad peccatū. id autem fit eo ordine, quo Grammatici procedunt, *Nos currimus, curritis, currunt.* nos patres currimus, vos filij curritis, & nepotes quoque currunt. In prima persona *currimus*, videntur repræsentari primi quasi patres, in sęcunda filij, in tertiæ generationis homines, scilicet nepotes. Ita verificatur etiam hoc sensu quod ait Ecclesiastes 1. 9. *Quid est quod fuit? ipsum, quod futurum est. quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est.* quod fecerunt maiores nostri plerumq; agimus & nos, bibe- Eccl. 1. 9.
runt patres Germanorum, bibunt filij, bibent nepotes. Simili modo quod agunt primæ personæ primatu dignitatis, agunt secundæ, agunt tertiæ. & sequentes. Nam Ecclesiast. *Secundum iudicem populi sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales & inha-*

inhabitantes in ea. Verbum in Grammatica actionem aliquam importat, vt amo, lego: & actionem quam importat prima persona, important & aliæ sequentes. ita si princeps studijs deditus sit, omnes student: si amoribus, amant. Vulgò error magnus dicitur *error in Grammatica.* aiunt ergo adulatores, esset error in grammatica, hoc est in oratione politica, & lucratiua, si primis personis non conformarentur secundæ & tertiæ, præcipuè in actionibus, quas videntur exercere: & dummodo non sit error in Grammatica diaboli, non curant quod sit error in Theologia Dei.

2. *Saltant subditi, & inferiores iuxta lyram Prælati eis pulsatam.*

3. *Mala exempla præstita præsertim à Patribus & Prælatis eos in Iudicio affligent.*

2. CARTHARIVS de imaginibus Deorum dicit Apollinem pingi solitum inter musas lyram pulsantem, ipsasque saltantes. Princeps Musarum dictus est ille. inde docemur (a) *che secundo che suorum loroi Princi, ò li maggiori, cosi ballano i subditi, i minori,* quia vt dixi, *qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* vnusquisque eorum si non verbis, saltem factis ipsis dicit subiectis suis, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Adagium est apud Hispanos, quod Italicè dulciùs sonat, (b) *In casa del suonator, ognun' è ballator.* Iosephus contra Apionem scribens ait, Priscis Regibus nullas leges in vsu fuisse, nullas habuisse: sed leges erant subditis mores boni, vel mali Principis sui. ideoque circumspectiùs viuebant.

(a) Modos quos præcinit Princeps subditi in choro sequuntur.

(b) In ædibus fidicinis, omnes saltare norunt.

3. Psal. 48. *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* calcaneus est pars posterior pedis, quæ in eo, qui per viam incedit, conuersa cernitur versum sequaces, quasi se illis ostendat, vt ipsam consequantur siue vt sectentur ipsummet præeuntem in ea via. vnde rectè potest per illam intelligi exemplum, quod alijs exhibetur in via & instituto vitæ. Maximè expositionem confirmat persona Dauidis, qui Rex erat. in his enim primoribus, peccatum scandali sæpè reperitur, atque est magis momenti. Chaldæus habet loco calcanei mei, *vestigiorum meorum.* quis autem ignorat vestigia significare exempla relicta alijs ad ambulandum? vnde Petrus dixit *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Dauid ergo, quamuis sanctus Rex, *timebo* inquit, *in die iudicij*: Si fortè peccando scandalum fierem subditis. Si fortè peccarem sciente populo, scandalum præsertim exhibitum me condemnaret. Psal. 48.

In hac re adnotare licet, Principes vocari capita populorum. corporis Reip. ridenda ergo videtur res, & tamen vera est, nimirum, malum capitis esse malum calcanei: hoc est malum & iniquiatem prælati præsertim in scandalo consistere. Rom. 6. 6. *Vt destruatur corpus peccati,* hoc est congeries, seu substantia peccati. Peccatum corpus suum habet, at in corpore peccati, prælatorum calcaneus est caput, hoc est, solet esse Rom. 6. 6.

maoris momēti ceteris peccatis. Exigua res videtur calcaneus, exiguum peccatum inquam videtur tibi esse scandalum, cum sis prælatus, vel paterfamilias. At dico hunc calcaneum maiorem esse capite, nam diximus Principem esse caput. & dicitur, quod eius calcanei iniquitas *circumdabit* ipsum regem. circumdabit culpa, circumdabit pœna regem: illo ergo est maior.

Insidiatur serpens calcaneo Superioris, & prælati, & tantum virus in eum infundit vt diffundatur hoc venenum per totum corpus, & ita dici potest virus hoc circumdare totum prælatum. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* calcaneus iste, & morbus eius tam magni sunt in Prælato, vt ipsum circumdent: quid mirum hoc, cum in calcaneo prælati sint plurimi calcanei, & morbi, seu iniquitates multorum calcaneorum? quia per exemplum malum imputantur prælato ipsi peccata eorum, qui per ipsum inducti sunt ad peccandum. In calcaneo, & pede principis insunt calcanei, & pedes subditorum, quia hoc ipso, Princeps pedem immittit, seu calcaneum in via aliqua mala, trahit secum calcaneos & pedes multorum, sicut etiam in via materiali, quâ princeps incedit, cum plures habeat sectantes se obsequij gratiâ, illi solent premere vestigia ipsius principis. De morbo nullius momenti, vulgò aiunt, *ille morbum habet in calcaneis.* tamē in casu nostro, cum peccatum infirmitas sit, & in Scriptura sic vocetur, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum*: dicendum est morbum habere in calcaneis, esse maximo affici morbo.

2. *Vbi affluunt mala exempla peccata etiam de calcaneis nobis exurgunt.*

3. *Exempla ferè cogunt ad malum.*

2. ALII apud Lorinum hoc loco, vt Hieron. legunt. *Quare timebo in diebus malis*? alij, *In diebus malitiæ*, hoc est peccati, iuxta illud, *redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* In diebus malis, seu malitiæ, *quando abundabit iniquitas*, quando omnia plena fuerint malis exemplis, & scandalis, atque ideo occasionibus, & irritamentis ad peccandum. respondet autem, in eo casu, *in his diebus iniquitas calcanei mei circumdabit me*; ita vt Dauid vel loquatur in persona cuiuslibet hominis communis, vel si intelligat de se, per id tantum intelligat timorem peccandi in huiusmodi occasionibus, & malis exemplis. sed præstat, vt de persona communi loquatur. Quid est ergo dicere, *in diebus malitiæ iniquitas calcanei mei circumdabit me*? nisi ex communibus exemplis, & malorum hominum consortio, etiam de calcaneis in me consurget iniquitas. *In peccati mi vsciran fin da i calcagni.* Item iniquitas hæc circumdabit me, hoc est, ita me vndequaque cinget, vt (moraliter loquendo) quasi non potero eam effugere. Talem enim vim habent communia, & generalis consuetudo ceterorum, vt pro miraculo ferè habeatur, si quis contra torrentem hunc incedat, & possit *niti contra ictum fluuij.* vnde cum dicitur, quod abundabit iniquitas, additur,

tur, quòd *refrigescet charitas multorum.*

Addere etiam possumus: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* iniquitas illa, vitia illa, quæ modo cõculco, & premo, vel contemno, tunc fortia efficienter, & ex seruis meis atque scabellis pedum meorum, mihi fiet in reges, & victores. vnde & meipsum obsidebũt. Pedes, & etiam calcanei, cum partes pedum sint, sunt symbolum affectuum. *Anima enim*, vt August. ait, *non mouetur pedibus, sed affectibus.* ergo iniquitas mali affectus, vel inclinationis prauæ, quæ extra occasiones, & exempla pertrahentia ad peccatum, latebat sub calcaneis, & premebatur sub eis; data deinde occasione, inde consurgit, & hominem circumdat, hoc est captiuat, & colligat. Abstinentiæ deditus erat homo ille, sobriè vescebatur, dum apud familiares sibi similes parca in mensa sedebat. at inuitatus ad cõuiuium, vndique pressus exemplis crapulantium, & suasionibus illorum, oblitus est propositi sui. apparuitq; in eo propensio, & auiditas, quæ latebat sub calcaneo. practica in ceteris vitijs.

Eccl. 31. 25. 3. Ecclesiasticus 31. 25. *Et si coactus fueris in edendo surge è medio euome, & refrigerabis te.* quomodo cogitur quis in edẽdo? certè ita vulgò loquimur. quia exempla omnium conuiuantium, verba, & stimuli eorum nos prouocantes, atque etiam naturalis auiditas nostra in talibus irritamentis nos quasi cogit ad crapulam. vnde ait hic, *iniquitas calcanei mei circumdabit me*, captiuabit me, colligabit me. *Cur timebo in diebus malis? diebus malitiæ & peccati? tales sunt dies Bacchanalium* dies remissionis, & conuiuiorum, &c. in his diebus iniquitas fere de calcaneis consurgit, quæ pressa tenebatur sub eis. tunc homo ferè cogitur in edendo. Hæc iniquitas circumdat hominem, & colligat, iuxta illud, *funes peccatorum circumplexi sunt me.* sed vide quid sequatur, *& legem tuam non sum oblitus.* quasi dicat dirupi illa vincula. At oportet Samsonem esse in fortitudine ad hæc vincula confringenda. talis erat Dauid, qui tamen Deo, & gratiæ eius (quasi capillis sibi præstitis) referebat eam fortitudinem, sicut verè Dei, vnde aiebat, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Vide si sis Samson, vide si sis Dauid, vt prementibus, te vinculis malorum exemplorum, possis ea dirumpere, & liber euadere.

Sed rursus redeundo ad exempla præbenda à maioribus, dicimus inferiores communiter eorum vestigia sectari. Idem est dicere viâ regiâ incedere, atque incedere viâ communi. Numeri 21. 22. aiunt, *Via regia* Num. 21. 22.
gradiemur. si ergo via regia hæc est quâ incedunt reges, rectè dici potest via communis, quâ communiter homines gradiuntur, quia communiter sectantur vestigia Regũ. nã *Regis ad exemplum totus componitur Orbis.* ideo dicat Rex, *cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei*, seu vestigiorum meorum *circumdabit me.*

4. *Prælati dicentes, & non facientes.*
5. *Quantum noceant per hoc ex Seneca.*

4 CONCILIA regnorum apud nationes quasdam vocantur vulgò, *Parlamenti*, Latinè collo-

quia. In his concilijs agitur de regimine Rerumpublicarum, & constare solent ex maioribus, & principibus viris regnorum. Vtinam huiusmodi nomen non rectè congruat multis huiusmodi cœtibus procerũ; eò quòd proprium illorum sæpè sit plus dicere, quàm facere; onera legum alijs imponere, digito autem suo nolle ea mouere. *dicunt & non faciunt.* sæpè Parlamenta sunt, hoc est vox vox, & nihil vltra: Vocales per solam vocem.

Senec. ep. 10.9. 5. Optimè Seneca ep. 10.9. *Nullos peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui aliter viuunt, quàm viuendum esse præcipiunt.* ratio esse potest: quia subditi tantum abesse solent, vt ex animo obtemperent huiusmodi Superiorũ præceptis; vt potius ab eisdem mandatis irritentur ad cōtrafaciendum ipsis, quamuis alioquin ea libenter complerent. Non sustinent obtemperare his iussionibus, eaque sæpè proculcant magna indignatione, saltem, vt vel sic se vlciscantur de iniuria, quàm sibi reputant inferre hos prælatos volentes ipsos perferre onera, quæ ijdem Prælati nec digito volunt mouere.

Posset etiam dici multos cœtus huiusmodi, seu comitia rectè posse vocari colloquia, & vulgò Parlamenti. quia sæpè in eis tempus, & mentium labor absumatur in solis colloquijs, & discussionibus verborum; & tandem absque conclusione, & prouisione vera Reip. dimittitur concilium, præsertim ex varietate sententiarum similes effectus operātium. Vel etiam dici possunt colloquia: quia proceres, qui eis intersũt, sæpè toti sunt in edictis ferendis, & minis verborum intentandis contra delinquentes, sed parum occupātur circa punitiones, & executiones legum. vnde & hi *dicunt, & non faciunt. Parlamenti sono: perche tutto si risolue in parole.*

Quando facies Christi *resplenduit sicut Sol; vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* ita quando caput, & facies (scilicet princeps) virtute, & luce bonorum operum splendet sicut Sol; membra eius huic capiti subiacentia in prędicto corpore politico, induũtur munditie, & candore innocētię, & puritatis, quasi niue. Psalm. 67. *Niue dealbabuntur in Selmon.* hoc dictum est, vt Doctores exponunt de puritate Ecclesiæ per Christi aduentum futuræ. at quando tales fuerunt potissimum fideles, nisi cum capita ipsius Ecclesiæ erant Apostoli, vel apostolici viri, quibus dictum est, *Vos estis lux mundi?* Vel dic, quando Ecclesię ortus est Sol iustitię Christus; qui caput illius est, tunc ipsam sic dealbatam fuisse. Psalm. 67

Oleum symbolum est superiorum, hoc est magistratuum; eò quòd superstet ceteris liquoribus, vt prælatus hominibus sibi subiectis. hoc nomen meretur saltem ob hoc, quia valde olet. vel fortasse olere ab oleo deriuatum est. Sicut autem oleum absque vlla commixtione suauis odoramenti malè olet, sic etiam si per eam commixtionem fiat oleum medicatum, & odoriferum, valde suauiter, & longè redolet, attrahitque ad se homines. ita etiam superiores, & Principes, cum oleum sint, multum olent. quia fama, & exempla operum

perum suorum diffunduntur longè, latèque. quod si sunt oleum absque commixtione odoramẽti suauis, hoc est absque Dei gratia, & virtutibus viuunt, in puris naturalibus suæ fragilitatis, & vitiorum suorum; in hoc casu malè olent per mala exempla, & opera. at si per gratiam Dei facti sunt oleum medicatum; valde benè olent per bona exempla. ideo subditi possunt dicere bono principi, *In odorem curremus vnguentorum tuorum. oleum effusum nomen tuum.* Concludе ergo prælatos, cum oleum sint, semper valde olere, siue benè, siue malè, pro diuersitate prędicta; & sicut non potest facilè arceri odor olei siue simplicis, siue medicati; ita nec occultari possunt facta, & exempla Principum. Odor bonus fama bona, inquit Aug. Christi bonus odor sunt, qui Dei gratiâ sunt præditi.

Cicer. 1. de Orat. Docet Cicero 1. de Orat. tunc nos eloquenter, & aptè ad persuadendum dicere, si antea scripsimus quæ dicturi sumus. qui scribit, cùm manu id faciat, & opus manuum vocetur Scriptura, symbolum est operantis. quia ergo prius fecit quod postea prædicat, optimè & cum vtilitate auditorum id efficiet. Ibi ait Cicero: *stylus, optimus dicendi effector est, & magister.* & paulò post: *Omnes sententiæ, verbaque omnia, maximè illustria, sub acumen styli subeant, & succedãt necesse est. hæc sunt, quæ clamores, & admirationes in bonis oratoribus efficiunt: neque ea quisquam, nisi diu multumque scriptitarit, etiamsi vehementissimè in his dictionibus se exercuerit, consequetur.* ita ille.

Plutarchus, apud Mascardi discursu tertio dum Romæ Academia aperiretur, commemorat equas quasdam, quæ dum ex ferocitate indomitæ essent, si detonderentur, & ad flumen aliquod ducerentur, in quo suam deformitatem ex ea detonsione aspicerent, ferocitatem deponere solitas fuisse, & mansuefieri: in posterumque semper sic perdurare. Cum Scriptura (vt indicare videtur Iacobus) speculum sit, in quo nos cernimus; & in ea per exempla Sanctorũ agnoscamus deformitatem, & abiectionem nostram.; vtique ex hac re deponimus superbiæ ferocitatem, & mansueti euadimus. *Auditor verbi est similis consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo.* ideo dixi Scripturam esse speculum, in qua vt Greg. ait pulchra, & deformia nostra intuemur, exemplo scilicet eorum, qui in ea leguntur virorum. Idem proportione dici potest de superbia deponenda ex consideratione maiorum siue in scientia, siue in re alia, ad quorum comparationem nostram cernimus tenuitatem.

Romani maiorum suorum nobilium imagines in atrijs conseruabant (quantum possum conijcere) parietibus adhærentes, vt ad eorum virtutem æmulandam ab ipsis excitarentur, & illæ muto sermone semper improperarent degenerantibus ab eorum gloria, & nobilitate per prava opera. Dic ergo: cùm adulatio ita domos nobilium impleat vt locus veritati, & admonitioni non supersit in eis; ibi saltem fiebat, vt verificaretur illud, *Si homines tacebunt, lapides clamabunt.* Si veritatem non audiebant à viuis, saltem eam audiebant à mortuis. Ait alius Propheta,

Lapis de pariete clamabit, in quo sensu id dixerit, non memini: certè verba vsurpari possunt in casu nostro, præsertim cũ etiam apud nostros, si nobiles sint, imagines perillustrium antiquorum domi sæpè videantur de muris suspensæ. vnde idem de illis dici potest. De imaginibus ad viuum expressis, quales esse solent prædictæ, dici solet, solam vocem illis deesse: at in casu nostro neque vox deest huiusmodi imaginibus, neque clamor, nisi quòd non auribus, sed mentibus vociferantur, & absque mente est, qui clamores earum non audit. *Filius est imago patris.* Liberi solliciti valde sunt (de nobilibus loquor) vt imagines patrum mortuæ patribus simillimæ sint, alioquin eis nec locum dare dignarentur in atrijs suis; at minimè solliciti sunt, vt imagines viuæ ijsdem patribus sint similes, scilicet ipsimet filij, nisi fortè in vitijs. Volunt muros suos, non autẽ mores suos repræsentare parentes optimos. Imaginem parenti valde dissimilem tuo indignatus de domo tua auferri iubes, vel fortasse etiam in ignem proijcis coram pictore ipsius. cur igitur non te ipsum de domo expellis, qui sciens & volens tã dissimilem imaginem exhibes patri tuo? nam vt dixi, filius est imago patris. Duos aureos pictori fortasse tribuisti, vel solum spopondisti, vt imaginem patri tuo similem faceret, & adeo indignaris quod non fecerit. quot insumpsit Pater tuus, vt teipsum imaginem sibi similem efficeres, & tamen contra te non indignaris?

Si filij Abrahæ estis opera Abrahæ facite: *quod est, estote eius imagines per similitudinem vitæ.*

FINIS.

INDEX



INDEX CONCIONATORIVS, QVI EST IN EVANGELIA DIERVM,

In quibus Conciones haberi solent; & primo in Euangelia Quadragesimæ.

Numerus hîc assignatus indicat paginam ipsius operis, in quâ Titulus reperitur Materiæ siue Argumenti: qui vero quidquid in eo Argumento per varia Capita tractatur, vno obtutu inspicere volet; consulat Indicem pri. rem.

Fer. 5. Dom. 3. Quadragesimæ, Lucæ 4. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Ambros. Hom. super hunc locum: Nec minorem febrem amoris dixerim quàm caloris. De Amore vano. pag. 573, Febris, inquit, nostra auaritia est, febris nostra libido est. De Auaritia. pag. 115, De Luxuria. 257,

Febres istæ in muliere erant figura vitiorum, quæ inesse solent feminis, præsertim Amoris vani, siue Luxuriæ, iracundiæ, & ambitionis. subdit enim ibi, Febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Vide ergo de Muliere. 562 870, 766,

Continuo surgens ministrabat ei. De gratitudine ob beneficia Dei. Vide Beneficia Dei. pag. 461, Increpans non sinebat dæmonia ipsum laudare. Adulationes iniquorum vitandæ. vide Adulatio. 189,

Fer. 6. Domin. 3. Quadragesimæ, Ioan. 4. Omnis, qui biberit ex hac aqua sitiet iterum. De bonis mundi, quę satietatem non afferunt. Vide Bona mundi. p. 467,

Quinque viros habuisti, & nunc quē habes, non est tuus vir. De luxuria mulierum. vide Mulierum cōsortia. post tot coniuges etiam nō satura fornicabatur cum amasio. pag. 88, Mirabantur quòd cum muliere loquebatur. etiam hic de Consortio mulierum fugiendo agi potest. Si mirabātur id in Christo, erat, quod ille ad exemplum nostrum non solebat præsertim solus cum talibus esse.

Sabbato post Dom. 3. Quadragesimæ, Ioannis 8. Adducunt ei Scribæ, & Pharisæi mulierem deprehensam in adulterio. De Adulterio. pag. 484, Vbi præsertim expenditur hoc factum, & quod omnis hominum furor effunditur contra solas feminas adulterantes, quasi mariti in hoc liberi sint, & impunè id possint.

Domin. 4. Quadragesimæ, Ioan. 6. Accepit ergo Iesus panes, & cū gratias egisset, distribuit discumbentibus. De Eleēmosyna in pauperes. pag. 730, Panis, & piscis multiplicatus denotare potest diuitias per eleēmosynas, non diminutas, sed crescentes; præsertim, quia collegerunt duodecim sportas fragmentorum. ibi. 731, Christus pios illos homines pane, & pisce pauit, vt alibi, ni fallor, solo pane, quia Crapulam, & luxum conuiuiorum in suis damnat. Vide ergo De Crapula. pag. 677, & de Conuiuijs. 172, Item potest agi de Conuiuio Eucharistiæ, & pane Diuino, quo suos Christus pascit, eos præsertim qui relictis mundi rebus & voluptatibus illum sequuntur per imitationem. tales sunt boni Sacerdotes, & alij spiritales viri, vel mulieres. Vide Sacerdotes. pag. 838, Vides etiam Eucharistia. pag. 426, Christus fugit in montes, quia venturi erant, vt raperent eum, & facerent eum Regem. Docetur fuga ambitionis, & regiminis. De Ambitione. pag. 33. De Prælatis. 235,

Fer. 2. Dom. 4. Quadragesimæ, Ioannis 2. Inuenit in Templo vendentes oues, & boues, & columbas. De

postea, non poterimus ipsum inuenire prædicto modo. Frustra Diues petijt ad se mitti Lazarum. Potest dici ergo aliquid de Breuitate vitæ. Vide. pag. 227, Item Christus hæc verba dicere sæpè potest ad eos, ad quos venit per pœnitētiam ipsorum: quia paululum cum illis moratur, reuertentibus illis ad pristina. Vide ergo tractatum De Perseuerantia in accepto bono. pag. 437, Adhuc modicum tēpus vobiscum sum. quia paulò post per peccata vestra me crucifigetis, iuxta Apost. rursum sibimetipsis crucifigentes Filium Dei. Quæretis me, & nō inuenietis. per malam enim detenti consuetudinem vitiorum, quamuis velleitate multa me quæretis, non inuenietis. Vide tractatum De Consuetudine, à qua non emergunt tendentes ad bonum. p. 558,

Fer. 3. Dom. Passionis, Ioan. 7. Ambulabat Iesus in Galilæam non enim volebat in Iudæā ambulare: quia quærebant eum Iudęi interficere. Occasiones peccādi, hostes nostri sunt, quasi Iudæi Christo, mortē nobis animę machinantur. ideoq; ab eis longè standum. Exemplum de hac re dedit nobis Christus per hoc. Vide Occasio peccati. p. 96, Consortia malorum, vel etiā consanguineorum si nos necare parāt spiritaliter, fugienda. Vide cōsortia. pag. 552, Vide etiam caput de Religiosis ob id à sæculo recedētibus. 831, Dixerunt autem ad eū fratres eius, transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videāt opera tua, quæ facis. nemo quippe in occulto quicquam facit; sed quærit ipse in palam esse. Si hæc facis manifesta te ipsum mundo. Vt ad eos redundaret hæc gloria, hortabantur Christum non obstāte periculo eius, vt iret in Iudæā. pag. 876 col. 2, n. 3, De Ambitione hic agi potest. 33, Vel etiam de Hypocrisi, qua omnia faciunt coram alijs, vt glorificentur ab hominibus. pāg. 6[illegible]3, Non potest mundus odisse vos. me autem odit; quia testimoniū perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Vide tractatum de Adulatione. nam obsequium amicos, veritas odium parit. p. 189, Murmur multum erat de eo in turba. quidam enim dicebant, quia bonus est. alij autem dicebant, non, sed seducit turbas. vide De Detractione. pag. 395. præsertim de viris iustis.

Fer. 4 Dom. Passionis, Ioan. 10. Multa bona opera ostendi vobis, propter quod eorum opus me lapidatis? De ingratitudine in Deum, & Christum quâ illum per peccata lædimus, & quasi lapidamus. Vide Beneficia Dei. pag. 462,

Fer. 5. Dom. Passionis, Lucæ 7. Attulit alabastrum vnguenti. De abutentibus vnguentis & odoribus, & de luxu in hac re, vide Odores & vnguenta. pag. 207, Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Vide tractatum de Lacrymis. pag 336, Quoniam dilexit multum. De Amore in Deum. pag. 657,

Fer. 6. Dom. Passionis, Ioan. 11. Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum. de ma-

In Euangelia Dominicalia.

quen-

est id quod deterius est. Prosperitas mundi instabilis. Vide de Prosperitate. pag. 703,

Dom. 3. post Epiph. Matth. 8. Offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis. id dixit ei, quem mundarat à lepra. De gratitudine erga Dei beneficia. Vide Beneficia Dei. p. 461, Puer meus iacet in domo paraliticus. de cura habenda à dominis erga seruos. Vide de Patrefamilias. p. 807,

Domin. 4. post Epiph. Matth. 8. Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. De iustorum tribulationibus. Vide verbo Tribulatio. 609, vel etiam Patientia. pag. 12,

Dom. 5. post Epiph. Venit inimicus homo. Vide verbo Dæmon. pag. 664, Colligite zizania, & colligate ea in fasciculos. De terribili iudicio impiorum in fine mundi. Vide Iudicium Extremum. pag. 588,

Dom. 6. post Epiph. Matth. 13. Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo. De Fide per opera excolenda. pag. 491, Cum autem creuerit, maius fit omnibus oleribus. De fidei excellentia & effectibus, ibidem.

Dom. Septuagesima, Matth. 20. Simile est Regnum Cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios, &c. Super corticem litteræ huius parabolæ possent quædam dici de Operarijs verbo Artifices, venditores, operarijque pag. 715,

Domin. Sexagesima, Luca 8. Exijt qui seminat seminare semen suum De Verbo Dei. pag. 580, Volucres cœli comederunt illud. De dæmone. 664, Et natum aruit. de inconstantia in incepto bono. Vide Perseuerantia. 437, Fructum afferunt in patientia. De Patientia. p. 12,

Domin. Quinquagesima, Luca 18. Ipse verò multò magis clamabat. De Perseuerantia in bono p. 437,

In Euangelia Festiuitatum, in quibus Conciones haberi solent, incipiendo à Ianuario.

Circumcisio Domini, Luca 2. Vocatum est nomen eius Iesus. Quàm venerandum sit hoc nomen. De ijs, qui blasphemare nomen Dei audent. Verbo Blasphemia. p. 307,

Epiphania Domini, Matth. 2. Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Populus cum suo Principe conuenit in vitijs, & imitatione, saltem per adulationem. Vide verbo Princeps, Prælatus. pag. 235, Itẽ Adulatio. 189, Turbatus est, timendo ne à se Regnum tolleretur. Prima res, quæ Christum vix natum conata est interimere, & vltima, quæ interemit, fuit ambitio regnandi. nam dixerunt: Nisi occidamus, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentẽ. Vide de Ambitione. pag. 33, Cũ verò Regnum non tam honorem, quàm opes afferat, id potest etiã dici de Auaritia, vide ergo etiam ver-

cet spiritalia, putant se videre carnem, hoc est æstimant viros spiritales quasi secundum carnem ambulent, vt Apostolus de quibusdam dicit. Vide Iudicium temerarium. pag. 376,

Ascensio Domini Nostri Iesu Christi, Marci 16. Prædicate Euāgelium omni creaturę. Pręd icate Euangeliū, non autem vana debent Prædicatores prædicare. De verbo Dei. pag. 580. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. intellige, si fidei opera iungat. De Fide cū opere. 491, Linguis loquentur nouis. Iustificati, & probi linguā moderantur suam. Linguæ moderatio. pag. 646, Serpentes tollent: si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. veri iusti non solent tentationi succūbere, & mortiferis suasionibus, quasi morsibus serpentum, scilicet dæmonum, vel venenatorum poculorum, instigationum scilicet ad peccata. vide in verbo Dæmon. 664, Tentatio. p. 265,

Festum Philippi, & Iacobi, Ioan. 14. Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Bona mundi non satiant. sed Deus visus in gloria implet desiderium. vide Bona mundi. p. 476,

In Festo Inuentionis S. Crucis, Ioan. 3. Quomodo potest homo nasci, cū sit senex? Cum vitæ, & morum mutatio per gratiam, sit quædam natiuitas hominis; senes inueterati dierum malorum, de magna difficultate mutationis huiusmodi in se ipsis, ea verba aliquando vsurpant. Vide verbo Iuuentus. pag. 66. Vel ea verba dici possūt de eadem difficultate, non impossibilitate, circa eosdem; aut de inueteratis in vitijs non in annis.

Feria 2. post festum Pentecosten. Ioan. 3. Qui credit in eū nō iudicatur, qui verò non credit, iam iudicatus est. vide verbo Fides. p. 491, Dilexerunt homines magis tenebras, quā lucem. erant enim eorum mala opera. Peccatores, & communes homines amant adulatores, magis quàm veridicos. Vide verbo. Adulatio. pag. 188, Item verbo Acceptio personarum. 848,

In festo S. Ioannis Baptistæ, Lucæ 1. Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo. Quando iā à pueritia, ab adolescentia manus Domini est cū puero, hoc est gratia, & bona institutio, potes dicere, quis putas puer iste erit? vide Iuuentus 66, Vel etiam Consuetudo. 552. Item si adhuc puer existens iam malus sit, potest quodammodo dici: Quis putas puer iste erit? etenim manus dæmonis in ipso est.

In festo S. Petri, Pauli, Matth. 16. Interrogabat discipulos suos, dicēs, Quem dicunt homines esse Filiū hominis? Id interrogans, docuit Pręlatos, & patresfamilias sciscitari, quid de ipsis dicatur à populo; quia sæpè ipsi postremi sunt ad sciēda mala sua, quamuis publica. vide, Parentes erga liberos. 775,

In festo S. Iacobi Apostoli, Matth. 20. Accessit ad Iesum mater filiorū Zebedæi cū filijs suis, adorās, & petēs, &c. Iam diximus aliqua super hoc in ferijs Quadragesimæ. Fe-

ſermo iſte inter fratres, quod diſcipulus ille non moritur; & non dixit ei Ieſus, non moritur: ſed ſic eum volo manere donec veniam. Quædam audita aliter, vel cum augmento, aliis narrantur, ſparguntur q; in vulgus. vide verbo Mendacium. p. 14,


ADMONITIO.

HÆc ita adnotauimus; vt ex quolibet Euangelio aliquid eliceremus, quod ſuppeditaret occaſionem dicendi nonnulla ex aliquo Syluæ capite. Prudentiæ tamen, & voluntatis Lectorum fuerit, plura, ſi oportebit, his Euangeliis accommodare. vel etiam alicubi pauciora, quàm nos hic poſuimus. Hoc enim negotium totum eorum ſapientiæ permittimus. Cumque in Indice Primo qui eſt Capitum ſimul, & argumentorum, poſſit quiſque breuiter inſpicere, ſi quid ad rem ſuam, & Euangelij faciat; facilè inde educere poterit aliam ſuppellectilem, quam nos hic non eduximus. Ideoque hic alia non addemus. Et quamuis loca etiam hic afferantur, vbi de Prælatis, vel de Sacerdotibus, aut de aliquibus aliis perſonis, aut rebus agi poteſt; Cautela tamen adhibenda, & prudentia in hac parte: quando præſertim de vitiis huiuſmodi hominum agitur. Hic enim indicauimus quidem loca, quæ ad prædicta faciunt. Quando verò, & quantum expediat de iis diſſerere, vel an omnino expediat; non dijudicamus, ſed aliorum iudicio permittimus.

Hunc librum emi ab Adm Rdo Dno Dno Joanne Jannoszko Wolczek Amico meo Vilnae Ao Dni 1665 die 6 Aprilis

FINIS. S Jacobus Stanislaus Bielski mpp.





S
Rer[illegible] Nor[illegible]
lium Leandro
Lauredano